


DA  
CCIÓ



U A

DA AUTÓNOMA DE N  
CCIÓ GENERAL DE BIBL

PETRO SCAVIERI

THEOLOGIA  
MORALIS UNIVERSA

TOMUS PRIMUS

BX1758

S3

1863

V.1

c.1



1080047044


*Handwritten text in purple ink, possibly a call number or library code.*



UANL

*Handwritten red numbers "3" and "2" with a vertical line through them.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



23

THEOLOGIA

MORALIS UNIVERSA


—  
TOMUS I

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Dr. Benavides, ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

~~370~~



# THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGUORIO  
PIO IX PONTIFICI MAXIMO

DICATA

AUCTORE PETRO SCAVINI

Theologo collegiato J. U. D. Equite SS. Mauriti et Lazari.  
Romanae Academiae Religionis Catholicae, Arcadiae, Catholici Instituti Parisiensis  
et Societatis Academiae Augustanae  
Titulo S. Anselmi socio ecclesiae cathedralis novariensis.  
canonico praeposito urbis et diocesis vicario generali emerito

EDITIO QUARTA PARISENSIS JUXTA NONAM ITALICAM, OMNIUM ABSOLUTISSIMAM  
ACCEDIT COLLATIO CODICIS CIVILIS GALLICI

TOMUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA, DE LEGIBUS,  
DE OBLIGATIONIBUS AC DE PECCATIS.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS  
PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 23

1863

110536  
37979

B X 1758  
S 3  
1863




FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

## MONITUM EDITORIS

Editio hæc præclari operis cui titulus : *Theologia moralis universa*, quodque auctoris pietas, scientia, prudentia ac sana doctrina æque commendant, non alia est quam ultima editio Italica auctior et emendatior, a nobis, de ipsius Reverendissimi auctoris per litteras transmissæ consensu, verbis ad verba reproducta. In hoc solummodo Parisiensis hæc editio differt ab Italica quod juri civili Pedemontano jus Gallicum substituerimus, prætermisissis, brevitatis causa, nonnullis Annotationibus minus theologicis ad uniuscujusque Tractatus calcem relatis; atque varia testimonia, in decursu operis idiomate italico exarata, hic gallice reddenda curaverimus.





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL

EPISTOLA REGNANTIS PONTIFICIS MAXIMI

AD AUCTOREM

PIUS PP. IX

DILECTE FILI,

*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Dilectus Filius Religiosus Vir *Joannes Carolus Magni*, Minister generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium, Nobis tuo nomine obtulit opus latine a te conscriptum, tribusque voluminibus in lucem semel atque iterum editum, cui titulus *Theologia Moralis Universa in usum Clericorum Diœcesis Novariensis*. Quod quidem Opus benevolo, libentique animo excepimus, tibi que vehementer gratulamur, quod in hisce Theologicis Institutionibus conficiendis nihil antiquius habueris, quam salutare SANCTISSIMI AC DOCTISSIMI VIRI ALPHONSI MARIE DE LIGUORIO doctrinas magis magisque propagare iisque Ecclesiasticæ præsertim Juventulis animos imbuere. Itaque susceptum a te consilium summopere commendamus, teque in Domino hortamur, ut pro eo quo polles ingenio atque doctrina sacras disciplinas ad fidelium utilitatem, et ædifica-

tionem alacriori usque studio excolere, atque illustrare pergas.

Jam vero pro munere gratias agimus, enixis tuis votis libenter annuimus, tibi que veniam facimus, ut tertiam ejusdem tui Operis editionem Nobis dedicare possis. Ex quo vel facile intelliges, qua te præcipua benevolentia prosequamur, cujus etiam pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem quam toto cordis affectu tibi, Dilecte Fili, amanter impertimur.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem,  
Die 7 aprilis, anno 1847,

Pontificatus nostri anno primo.

PIUS PP. IX.

Foris.

Dilecto Filio

Petro Scavini Canonico Præposito

Ecclesiæ Cathedralis Novariensis.

Novariam

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

RESTITUTORI FELICIAM SÆCULORUM

PETRUS SCAVINIUS

Duodecimus annus est, Pater Sanctissime, ex quo Institutiones exaravi Theologiæ Moralis universæ, ut ephedorum commodis consulerem, qui apud sacra Novariensis Dioceseos Seminaria in spem christiani nominis adolescent. Duo in opere conscribendo eo præsertim spectabam, ut auream doctrinam Alphonsi De Liguorio, planiori quo fieri posset ratione concinnatam, sacrorum alumni proponerem. Hic enim media via insitens, a severiori tetricaque disciplina, quæ mortales a pietate deterret, non secus atque a laxiore, quæ Religionis fundamenta convellit, mihi sapientissime recedere visus est. Quemadmodum vero Vir doctissimus, veterum hæreticorum erroribus refutatis, scripta sua



ad leges atque instituta Ecclesiæ Romanæ diligentissime exegit; ita ego ipsius vestigiis ingressus, pravas illorum opiniones refellendo, qui post Liguorii tempora christianam sapientiam pervertere conati sunt, singula Romanorum Pontificum in hanc rem Decreta, et Sacrorum Conciliorum responsa subtexui, quæ ad praxim potissimum pertinerent.

Ceterum quum exemplaria hujusce operis, jam semel atque iterum typis evulgati, nunc penitus desiderarentur, tertiam hanc editionem adornandam suscepi. Et quo gratior legentibus accideret, doctrinarum perver- sitatem pro opportunitate etiam notavi, quæ nostræ ætatis mores præsertim inficiunt, quasque in celeberrima Encyclica Tua QUI PLURIBUS *ad omnes Patriarchas, Primate, Archiepiscopos et Episcopos* tam paterno animo, tantaque sententiarum altitudine lamentaris.

Sed omnium maxime hanc editionem commendat amplissimum Nomen Tuum, quo ipsam decorari pro singulari Tua humanitate passus es, Pater Sanctissime. Quo immortalis beneficio ita sum affectus, ut plura omnino videar consecutus, quam homini fas esset optare; præsertim quum non minus præclare mecum actum esse videam, quam cum Liguorio ipso, quem in lucubratione mea ducem sum secutus. Si enim Vir Ille sanctissimus Benedictum XIV nactus est, cujus nomen libro suo inscriberet, is mihi Pontifex con-

tigit, qui ita principatum est auspicatus, ut universi orbis terrarum, nedum christianæ reipublicæ, admirationem sibi conciliaret.

Hic mihi liceat, Pater Sanctissime, felicissimum illum diem memorare, quo Pontifex Maximus, omnibus plaudentibus, renuntiatus, bonum omen dedisti populo Romano. Siquidem Tu nomen a Pietate mutuatus, in hominum memoriam revocasti et ingentia molimina, quæ Pium VI olim illustraverant, et invictam inter tot calamitates mansuetudinem, qua Pius VII memoria nostra enituerat. Quumque non parvam Tui expectationem concitasses, incredibile prorsus memoratu est, quanta gloria illam sustineas et tuearis. Quod quidem testantur civiles motus oblivione deleti, sumptus præcisi, publicus census auctus, leges religioni optimis disciplinis, agrorum cultui et commerciis fovendis opportunæ, viri excellentis ingenii et spectatæ virtutis ad publica munera admoti, aut in provincias legati ad regni necessitates inspiciendas, atque alia complura, ex quibus patet apertissime, Te decem jam menses sic regnare, ut Romana gens imperio Tuo recreata, jam supra ceteras caput extollere et nova quasi luce in omnium oculis nitescere videatur. Quæ omnia tam commode ceciderunt, ut si antea dubitatum fuisset, utrum Pontifices casu, an Deo afflante crearentur, id profecto nunc desiisset dubitari.

Verum hic finis jam sit. Neque enim minus mihi videndum quid modestia Tua pati possit, quam quid meritis Tuis debeatur. Quapropter festatus, me nihil magis cupere, quam facta dictaque mea Tibi probari, Deum immortalem precor, ut omnia consilia Tua sic velit fortunare, ut catholici nominis amplitudo virtutibus Tuis aucta in dies propagetur.

Dabam Novariæ in Insubribus, v. Cal. Maias, anno  
post Christum natum M.DCC.XLVII.



## AUCTORIS PRÆLOQUIUM

Mirari ne velis, Lector benevole, si inter tot ac ferme sine numero libros, quos ubique ætate nostra videre est de rebus moralibus pertractantes, novam hanc meam tuis sub oculis exhibere et publicam subire lucem conspicias *Theologiam Moralem universam*. Nam præterquam quod, Augustino docente, *utile est plures a pluribus fieri (libros) diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic*<sup>1</sup>; non habes hic aliam, nisi Theologiam omnibus notissimam et unanimi jam fere Doctorum plausu in Catholica Ecclesia exceptam et commendatam, Theologiam, inquam, S. Alphonsi Mariæ De Liguorio Fundatoris Congregationis SS. Re-

<sup>1</sup> L. I, de Trin., c. II.

demptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum, de quo *illud imprimis notatu dignum est, ut verbis utar sanctæ memoriæ Pontificis Gregorii XVI, quod licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen Opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse post diligens institutum examen perspectum est*<sup>1</sup>.

En tota nunc studii ac laboris mei ratio: cum nempe comperissem Opus Liguorianum tot laudibus ubique gentium efferi, utpote quod tam difficilem et simul tam ab omnibus exoptatam inter opiniones nimis rigidas et nimis benignas mediam indicet viam: imo, ipso Pontificio Oraculo probante, in eo *nil censura dignum* fuisse repertum<sup>2</sup>, adeo ut *opiniones quas in sua Theologia Morali profitetur B. Alphonsus, sequi tuto possimus ac profiteri*<sup>3</sup>; illud cito mihi in votis fuit, ut Clericorum nostrorum Theologiæ Moralis studio proludentium usui posset facile accommodari et præ manibus ad pensum quotidianum ipsis exhiberi. Sed quid? annorum complurium experientia, et virorum præstantium auctoritas aperte me docuit id feliciter obtineri non posse, si iisdem Auctoris Nostri textus, qualis est, traderetur, tum ob nimiam rerum copiam, tum ob methodi ac ordinis in iis evolvendis desiderium. Adde tam ingentem illum citationum

<sup>1</sup> Bulla Canonizationis, § 7.

<sup>2</sup> Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis confirmato a Pio VII, 18 maii 1805.

<sup>3</sup> Ita Sacræ Pœnitentiariæ responsum confirmatum a Gregorio XVI die 22 julii 1831. — V. Gousset, jampridem Vicarius Generalis, nunc Archiep. Card., *Justification de la Théologie morale du B. Alphonse de Liguori*.

quasi cumulum, qui si Theologo jam in scientia versato gratus esse solet ac utilis, non item tyroni. Adde tot illas opinionum diversitates fusiori calamo exaratas quas facillime juvenes fastidiunt. Adde tandem defectum definitionum complurium, divisionum, dogmatum et scholasticorum principiorum, quæ licet apud omnes in confesso sint, nondum tamen studiosæ juventuti innotescunt.

Neque magis ad rem facere videntur *Compendia* illa, quæ ex magno suo Opere Auctor ipse confecit<sup>4</sup>, vel ab aliis confecta sunt<sup>5</sup>; idem enim in iis plus minusve occurrit desiderium, ut legenti patebit. Hoc ipsum jampridem iudicium tulerant et votum expresserant eximii Romani Censores Theologi, P. Michael Dominicus Zecchinelli, S. J.; et P. Joachim Ventura Theatinus Juris Publ. Eccl. Professor. Primus ille

<sup>4</sup> 1. *Istruzione e pratica per li Confessori*; 2. *Homo Apostolicus*; 3. *Il Confessore per la gente di campagna*; 4. *Pratica del Confessore*; 5. *Praxis Confessarii*.

<sup>5</sup> Nobis innotescunt: 1. *Excerpta ex libro cui titulus, Homo instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones, auctore S. Alphonso M. de Liguorio, seu sensa ejusdem. Vesontione et Novariæ*; 2. Galani, *B. Alphonsi Theol. Moralis in compendium redacta*. Bassani, 1821; 3. *Compendium Theol. Moralis S. Alphonsi, sive Medulla Hermanni*. Busembaum, Iriæ 1840; 4. Neyraguet, *Compendium Theologiæ Moralis S. Alphonsi M. de Liguorio, complectens tum operis Moralis, tum operis cui tit. Homo Apost. substantiam, solamque auctoris doctrinam, etc.* Lugduni, 1841; 5. Panzuti, *Theologia Moralis S. Alphonsi Episcopi atque fundatoris Congr. SS. Redemptoris in Institutiones redacta ad usum studiosæ juventutis ejusdem præsertim Congr. Neapoli, tertio edita*, 1840; 6. Gousset, *Théologie morale à l'usage des curés et des confesseurs*; 7. Moullet, *Compendium Theol. Moralis*. Prati, 1846; 8. Lexicon, *Theol. Moralis ex operibus S. Alphonsi M. de Liguorio*. Vercellis, 1846; 9. Gury, *Compend. Theologiæ Moralis*; 10. Grassi, *Universa Theologia Moralis juxta doctrinam S. Alphonsi de Liguorio*, Gesii, 1852.

post datas Theologiæ Liguorianæ promeritas laudes, affirmat optandum..., ut res tam ampla et multiplex in eam doctrinæ formam redigeretur, quæ junioribus præsertim Clericis ad rem moralem tenendam aptior esset; et cujus usus instruendis maxime ad excipiendas fidelium Confessiones Sacerdotibus facilius fieret et expeditior. Alter vero sic habet: Optandum procul dubio erat, ut Moralis Doctrina B. Alphonsi Mariæ de Liguorio, pro qua singulare illud extat et plane gravissimum Sanctissimæ Apostolicæ Sedis Suffragium, quod nempe in ea nihil censura dignum invenitur, ad usum Ecclesiasticæ juventutis rei moralis potissimum studiosæ in commodiorem formam redigeretur<sup>1</sup>. Quapropter si quid est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum: aut si qua exercitatio in rebus scholasticis, in quibus me non inficior mediocriter esse versatum; id omne a me in tantum opus esse conferendum existimavi. Et lubenti sane animo collatum est, ita ut, ipso sancto Alphonso e cœlis certe opitulante, suum jam finem attigerit.

Vides ergo, amice Lector, tum opus ipsum, tum ejus finem et metam, tum denique auctoris mentem et scopum. Singulorum hic tibi Tractatum exhibetur more stricte scholastico distributio: datæ suo loco scholasticæ definitiones ac divisiones: singulæ materies ad sedem propriam revocatæ: constitutæ ac suis argumentis firmatæ dogmaticæ theses: varii præcipui nominis Auctores in unaquaque materia graviori laudati. In singulis tamen scrupulose semper exhibita

<sup>1</sup> V. In citato opere Blanzii Panzuti hæc Romanorum Censorum vota.

ipsius Sancti Alphonsi doctrina, inspecto tum fusiori Opere Theologiæ Moralis, tum etiam aliis ejusdem Opusculis Moralibus præcitatæ, in quibus (ut Auctor ipse fatetur in præfatione) alia habentur de novo adjecta, alia vero clarius explanata.

Opportuna sic etiam occasio facta est Decisiones S. Apostolicæ Sedis recentiores tradendi: ipsas Leges Civiles ubicumque opus fuerit in medium proferendi; demum Constitutiones Synodales Novarienses<sup>1</sup> suis locis adnotandi. Uno verbo id unum curavit tenuitas mea, ut studiosis Juvenibus, qui mihi semper cordi fuerunt, nihil deesset ad eorum instructionem atque profectum. Huic desiderio non omnino me defuisse<sup>2</sup>, opusque meum haud ingratis fuisse exceptum, vel

<sup>1</sup> Quas quidem sapientes Constitutiones a felicis memoriæ Eminentissimo Cardinali Morozzo Novariensi Episcopo editas et nostris et alienis putamus posse congruere. Et revera plurimi habentur etiam apud exteras Dioceses. — Vide Abrate, *Lo spirito del parroco*. Roma 1840.

<sup>2</sup> Plura etiam vulgata sunt sapientum judicia, qui Opus hoc summa benignitate prosequi non dubitarunt. — V. *Il Cattolico, Giornale Rel. Lett.* Lugano, vol. XXV, p. 21; XXVI, p. 105. — *L'Amico Cattolico, Giornale Rel.* Milano, vol. XI, p. 297. — *Courrier des Alpes*, 19 févr. 1846, n. 22. — *Ami de la Religion*, Paris, vol. CXXXI, p. 797, 31 déc. 1846. — *Annali delle Scienze Religiose*, vol. V, fascic. 13. Roma 1847. — *Civiltà Cattolica*, vol. VI, p. 580, 1851. — *L'Université catholique, recueil religieux*, etc., an. 1855, n. 118. Paris. — *L'Armonia della religione colla civiltà*, anno 1856, n. 195. Accedit quod, cum obtulissem unum Operis hujus Exemplar tunc Regnanti Pontifici Gregorio XVI, Is mihi scribere dignatus est sub die 9 maii 1846 se illud lubentissimo animo excepisse, meque vehementer in Domino commendare, quod in Ecclesiasticæ juventutis utilitate procuranda studuerim. Sed omnium vicit expectationem singularis humanitas regnantis Pontificis Maximi Pii IX, qui non solum scopum et laborem meum summopere commendavit; sed mihi veniam fecit, ut tertiam hujus Operis editionem suo Amplissimo Nomine decorare potuerim.


ex eo patet, ni fallor, quod brevissimo tempore præteritarum editionum exemplaria omnia elapsa sint, licet plurima; quin interea cessant expostulari quotidie.

Novam iccirco editionem libenter aggredior bonam in spem elatus fore, ut hanc quoque, quæ nova quasi veste induta in medium prodit, benigne sint excepturi Christianæ Ethices amatores. Etenim non solum in ea habentur alia clarius explicata, alia in melius reformata, maculæ quæ irrepserant abstersæ, menda quæ effugerant castigata; sed plura inveniuntur de novo disputata, notæ plurimæ ad praxim maxime spectantes adjectæ, demum novæ leges, nova decreta, ac præcipue monita præclarissima, quæ Immortalis ac feliciter Regnans Pontifex suis Encyclicis dabat, locis propriis diligenter exhibita. Quod quidem in ceteris quoque editionibus me facturum polliceor quoad Deus dederit; sacer est enim mihi Magni Pii hortatus, ut nempe pergam quo cœpi animo, atque labore.

Sed præfari plura quid prodest? Lubenti ergo animo accipe, benevole Lector, qualecumque opus hoc meum, quod comitati tuæ commendo. Sed potissimum omnia et singula in eo contenta Supremo Sanctæ Apostolicæ Sedis Judicio humillime et ex præcordiis submitto probans quæ Ipsa probaverit, et ab Ipsa reprobata condemnans.

Codex generalis Austriacus civilis, qui cœpit obligare ab anno 1816, citabitur sub litteris *C. A. civ.*; — Galliarum Codex, qui perfectus fuit 1804, sub litteris *C. G.*; — Codex Duarum Siciliarum, qui cœpit obligare 1 sept. 1819, sub litteris *C. S.*; — Codex Parmensis, qui obligare cœpit die 10 juli 1820, sub litteris *C. P.*; — Præscriptio civilis Status

Romani, seu Ecclesiastici, quæ cœpit obligare 1855, sub litteris *C. R.*; — Codex Mutinensis, qui obligare cœpit anno 1852 sub litteris *C. M.* — Leges Status Hetruriæ ab anno 1814 ad 1844 promulgatæ, sub litteris *C. H.*



# THEOLOGIA

## MORALIS UNIVERSA

### QUÆSTIO PROLEGOMENA

#### AC TOTIUS OPERIS PARTITIO

##### 1. Q. 1. *Quid est Theologia Moralis?*

R. Theologia Moralis, si ipsum per se vocabulum inspiciamus, est illa Theologiæ pars, quæ circa mores versatur<sup>1</sup>. Quemadmodum enim ea, quæ disputat circa Fidei dogmata, *Theologia Dogmatica* appellatur, et qui illi vacant, *Dogmatici*; ita hæc quæ hominum mores considerat, *Theologia Moralis*, et qui illi dant operam, *Moralistæ* vocantur. Ipsa vero moralis Theologia ratione rei definiri potest: *Illæ disciplinæ Theo-*

<sup>1</sup> Notum est præter generales Theologiæ divisiones tum in naturalem et supernaturalem; tum in dogmaticam seu speculativam, et moralem seu practicam; tum in positivam et scholasticam; tum in polemicam seu disceptatricem, alias speciales assignari ab accuratioribus tractatoribus, habita ratione objecti specialis, quod suscipitur investigandum. Sic distinguitur *Theologia mystica, ascetica, œgyptica, patristica, casuistica, symbolica, liturgica, synodica, homilistica, catechetica, historica*: prout vel dona mysteriosa et supernaturalia; vel perfectionis exercitium et media edocet; vel Scripturæ sensum investigat; vel ex scriptis Patrum argumenta eruit; vel Casuistarum rationem sequitur; vel symbola aut liturgiam, aut concilia evolvit; vel de homilia, aut catechesi, aut historia tractat. — V. Mazzaelli, *Buon uso della logica*, opuse. IV: *Theologia*. — Martinet, *Instit. Theol.* Paris, 1859, vol. I. — Bouvier, *Institutiones Theol.* ad prolegomena, ubi historiam quoque totius Theologiæ pressius enarrat. — Perrone, *Prælectiones Theologicæ... in compendium ab eodem redactæ*, v. I: *Historiæ theologiæ cum philosophia comparatæ synopsis*. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v<sup>o</sup> Theologia.

logicæ pars, quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam æternam.

Dicitur 1<sup>o</sup> quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit. Quibus verbis habetur objectum Theologiæ nostræ, tum materiale circa quod nempe ipsa versatur, et sunt actiones humanæ in se spectatæ; tum formale, nempe ratio sub qua ipsum materiale objectum attingit, et est ipsarum actionum dirigibilitas ad honestatem. Dirigit autem mediis tutissimis ac sibi propriis, quæ sunt: — 1. *Scriptura*, in ea enim Dei verbum continetur falli ac fallere nescium: — 2. *Sancti Ecclesiæ Patres*, qui nobis dati sunt ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi<sup>1</sup>; sunt enim illi clarissimi viri, qui per duodecim prima Ecclesiæ sæcula, nempe usque ad D. Bernardum inclusive, sanctitate, ingenio, susceptisque ob defensionem et illustrationem sacræ doctrinæ laboribus ita claruere, ut gloriosum patris nomen ab Ecclesia obtinuerint; — 3. *Decreta summorum Pontificum*, qui sunt totius Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patres, atque Doctores<sup>2</sup>; — 4. *Concilia generalia*, quorum auctoritas patet ex illis Domini verbis: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo ibi sum, in medio eorum*<sup>3</sup>; exhibent enim totam Ecclesiam infallibiliter docentem. His adde Concilia particularia, quæ sunt aptissima ad doctrinam Ecclesiæ declarandam tempore quo celebrata sunt: ideo magis si accesserit approbatio S. Sedis, quæ nonnumquam illorum decreta inseruit in Corpore juris canonici; — 5. *traditio constans et firma*, cum error stabilitatem nesciat<sup>4</sup>; — 6. *jus tum canonicum, tum civile* si tamen

<sup>1</sup> Ephes. iv. — V. Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> Pères. Quamvis Origenes et Tertullianus circa eminentem sanctitatem et Ecclesiæ testimonium deficiant, receptum tamen est, ut ob ipsorum eminentem doctrinam et antiquitatem inter Patres adnumerentur. Qui Patres vero talem habent doctrinam, ut per eam errorum tenebræ fuerint penitus profligatæ, obscura mire dilucidata, dubia aperte declarata, scripturarum ænigmata funditus reserata, insuper *Doctoris Ecclesiæ* nomine ab Ecclesia donari solent. — V. Benedictus XIV, *De Canonizatione SS.*, t. IV, p. II, c. xi. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v<sup>o</sup> Patres.

<sup>2</sup> Concilium Gener. Florentinum. — <sup>3</sup> Matth. xviii.

<sup>4</sup> Huc revocatur tum *sacra Liturgia*, quæ traditionis et Ecclesiæ fidei

canonico non contradicat); cum ideo lata fuerint, ut essent totidem morum atque judiciorum regulæ; — 7. *auctoritas Theologorum*; nam in quacumque arte peritis credendum est; — 8. demum *ratio*, tam prout a natura nobis indita est, et dicitur *naturalis*; quam prout est principiis Theologicis imbuta, et dicitur *Theologica*. Utriusque vero magna auctoritas est, si debito modo sumatur; cum ipsius rei viscera quodammodo scrutetur<sup>1</sup>. Hæc sunt loca Moralis Theologiæ: ne tamen in iis interpretandis occurrat abusus, tyrones nostros mittimus ad eruditissimum P. Zachariam S. J. in sua *Dissertatione prolegomena*<sup>2</sup>. Quæ media cum illis quidem convenire videntur quibus ceteræ Theologiæ partes utuntur; re tamen discrepant, cum aliæ credenda, nostra vero quæ sunt agenda, respiciat<sup>3</sup>.

Dicitur 2<sup>o</sup> in ordine ad vitam æternam; hæc enim omnium rerum consummatio est. Unde si finis proximus disciplinæ nostræ est honestas in mores inducenda; finis ultimus erit ipsa consecutio felicitatis æternæ. Qui enim se per bona opera exercet, dicente S. Gregorio, restat ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat; et nequaquam se a vitiis pro hujus mundi honestate contineat<sup>4</sup>. Ex quibus patet quanta sit hujusce

testis est (V. Knoll, *Institutiones theologiæ theoreticæ*, v. I: introductio; Bouix, *De Jure liturgico*; Zacharia, *Dissert. De Usu librorum liturgicorum in rebus theologicis*); tum *historia ecclesiastica*, quæ non est nisi continuatio historiæ sacræ religionis et Ecclesiæ (quam Moyses exorsus est, et Lucas ultimo versu Actuum Apostolorum explevit). Est historia ecclesiastica probatio aptissima, cum sit ipsa religio corporata, vivens subiectaque omnium oculis in serie suorum factorum visibilium.

<sup>1</sup> Hæc utitur singulari modo D. Thomas. — V. *Commentarius apologeticus de usu philosophiæ in Theologicis* D. Thomæ Operibus Fr. D. Th. Valfredi, Genævæ 1777. — V. Amico Cattolico, *Giornale*. Milano, tom. XI, *Dell'uso della ragione in materia di Religione*. — Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> Raison. — Riccardi, *Andiamo alla fede colla ragione*. — *Annali Relig.*, ser. II, vol. IX.

<sup>2</sup> Extat sub initio Theologiæ S. Alphonsi, Edit. Taurinensi, typ. Marietti, qui aliam nunc Editionem confecit, quæ est omnium accuratior, continens quidquid Sanctus in ceteris addidit, reformavit, vel explicavit (*Edit. stereotyp.*, 2 tomis an. 1847).

<sup>3</sup> V. Zacharia laudatus. — Stapf, *Theologia Moralis in Compendium redacta*, ed. sexta, Ceniponti, t. I, *Indoles Theologiæ Moralis*, t. I, c. iii.

<sup>4</sup> Hom. 15 in Evangel.

disciplinæ excellentia, et quam late pateat; siquidem omnia officia nostra in hoc mundo rite nos docet, et instruit qua ratione ad portum æternæ salutis pertingere possimus.

2. Q. 2. *Quomodo universa Moralis Theologia dividitur?*

R. Cum tota Theologia Moralis versetur circa actus humanos, cumque in omni actu humano considerandæ se nobis offerant: *causæ*, quæ ipsum efficiunt et constituunt: *regulæ*, quæ ipsum dirigunt: demum *motiva*, quæ ad ipsum movent atque alliciunt; ideoque divisio hæc divisionem suppediat totius nostræ Theologiæ Moralis.

Primo a *causis* incipiendo, quæ actum humanum vere constituunt in suo esse tum physico tum morali, nobis occurrunt *intellectus* et *voluntas*, ad quam accedit *libertas* et *moralitas*. — Et en prima Disputatio, quam tamen cum aliis inscribimus: *De Actibus humanis*.

Secundo progrediendo ad *regulas*, quæ humanum actum moderantur, illæ nobis suppeditant Disputationem *De Conscientia* tamquam regula prima humanorum actuum directrice. Sicque habetur 1<sup>us</sup> Tractatus: *De Actibus humanis ac de Conscientia*. — Regula proxima et interna ad remotam et externam cito nos ducit, quæ *lex* est; ideoque sequitur 2<sup>us</sup> Tractatus: *De Legibus*, cui quidem disputationi sponte quasi sua accedit altera: *De Præceptis Ecclesiæ*, quibus speciatim Christianorum mores informantur — Jam vero tam a conscientia dictamine, quam a legibus peculiaria quædam officia oriri videmus, quibus Christianus in quolibet statu obstringitur. Ex quo prodit 3<sup>us</sup> Tractatus: *De Obligationibus particularibus*.

Tertio ad *motiva* pervenientes, quæ actum humanum provocant et alliciunt, agendum est primo de iis motivis, quæ actum provocant ad malum, et sunt vitia et peccata. Sicque erit 4<sup>us</sup> Tractatus: *De Peccatis*, cui adjungetur Disputatio de poenis, quibus quædam peccata graviora ab Ecclesia puniri solent, nempe *de Censuris*. Secundo agendum est de iis, quæ actum humanum provocant ad bonum. Sed cum bonum duplicis sit ordinis: naturalis et supernaturalis, tractandum prius de iis, quæ actum provocant ad bonum in *ordine naturali*: et sunt virtutes morales, præsertim Religio ac Justitia. Erit igitur

5<sup>us</sup> Tractatus: *De Virtute Religionis*; et 6<sup>us</sup> *De Virtute Justitiæ*, cui addimus 7<sup>um</sup>, *De Restitutione*, quæ ex ipsius justitiæ violatione oritur. Ne quid autem desiderandum remaneat, brevem ibi adstruemus Appendicem, *De Justitiæ Filiabus, ac ceteris Virtutibus Cardinalibus*. — Inquirendo autem motiva, quæ actum alliciunt ad bonum in *ordine supernaturali*, occurrunt virtutes Theologicæ ac Sacramenta. Erit ergo 8<sup>us</sup> Tractatus: *De Virtutibus Theologicis*; et Tractatibus 9<sup>o</sup>, 10<sup>o</sup>, 11<sup>o</sup> et 12<sup>o</sup>, materiam omnem *de Sacramentis* tum in *genere*, tum in *specie* complectemur. Atque sic tandem, Deo opitulante, Theologiæ Nostræ dabimus finem.

3. Q. 3. *Quanta est Moralis Theologiæ necessitas; et quænam præcipuæ dotes in studioso?*

R. Non omnes Ecclesiasticos oportet esse magnos oratores, præclaros doctores, eruditos historicos: omnes tamen morali Theologia valde instructi esse debent, cum hæc ars Ecclesiasticorum omnium sit: secus quomodo poterunt rite Sacramenta ministrare, et salutis scientiam edocere? hinc doctus Mabillonius: *Moralis Theologiæ studium præ aliis excolendum...; huic quamdiu vivitur, omnino danda erit opera*<sup>1</sup>.

In studioso aulem, ne inaniter laboret, requiritur præcipue *rectus finis*, nempe ut quærat quæ sunt Dei, non quæ sua sunt; *vehemens studii amor*, hic enim est vehiculum scientiarum omnium; *frequens oratio ad Deum*, a quo omnis scientia est. Hinc S. Nilus aiebat: *Si es theologus, vere orabis; si vere oraveris, theologus vere eris*<sup>2</sup>.

## MONITUM PRIMUM

4. Ne quis inter Tyrones nostros animo perturbetur ad quasdam voces scholasticas quæ sæpius occurrunt, juverit sub initio una vice pro omnibus animadvertere, quod sicut in Philosophia, in Jurisprudentia, in Medicina, ceterisque scientiis omnibus, ita et in Theologia quædam fuere jampridem inducta breviora vocabula, quæ ex tacita quadam Auctorum conventionem vim habent significandi, et communi eorum consensu adhibita sunt, ad evitandas longiores verborum circumlocutiones: *thechnica* (id est *propria alicujus scientiæ vel artis*) a Græcis

<sup>1</sup> *De studiis monast.*, p. III, c. II.

<sup>2</sup> F. Riccardi, *Pratica de' buoni studi*, c. I.



appellantur. Cum porro eorum usus in Scholis sit antiquissimus, cum scriptorum et doctorum omnium auctoritate imitantur, cum denique ubi semel fuerint bene percepta, in proprium finem mirifice inserviant; injustus profecto esset et irrationalis quicumque vellet eadem rejicere et aspernari. Ita igitur habenda sunt, ut valeant erosorum nummorum instar, nempe explicari debent ubi sit opus; rejici tamen non debent unquam.

Novitatum amatores in *Thecnologia Scholastica* audiant celeberrimum Canum (l. II, de Loc. Theol.); *Scholæ propria verba peculiarisque loquendi formas submovere non audeo; nam etsi disputare cupio ornatius, quam solent nostri; at non debeo tamen labores duos asferre theologis, unum in rerum, alterum in verborum intelligentia.* — Vid. E. Avogadro La Motta, *Saggio intorno al socialismo*, ecc., vol. II, Torino Tip. Speirani 1854.

Thecnicorum vocabulorum vim explicant passim AA. — Sic quoad vocabula maxime liturgica V. Maeri, *Notizia dei vocaboli ecclesiastici.* — Quoad nomina in Theologicis disputationibus a veteribus, et præcipue a D. Thoma consecrata, V. Zama Mellini, *Lessico peripatetico*; item *Lexicon philosophiæ peripateticæ* auctore Nuntio Signorriello, Neapoli 1855. — Quoad verborum significationem in re canonica atque civili, V. Vicat, *Vocabularium juris utriusque.* — Quoad voces a græca lingua mutatas, V. Marco Aurelio Marchi, *Dizionario Tecnico-Etimologico-Filologico.* — Quoad proverbia quæ sunt in usu, V. *Adagia quæcumque, Pauli Manutii studio*, etc.; labor a Tridentinis Patribus Manutio mandatus. Hic etiam non parum inservit tum *Opus Bergier, Dictionnaire de Théologie*; tum opus Lucii Ferraris, *Prompta Bibliotheca canonica, juridica, moralis, etc.*, quod studio RR. PP. Montis Cassini a mendis expurgatum atque additionibus adauctum nuper impressum est; — *Dictionnaire des Dates*; — tandem Appendices nostræ ubi præcipua explicamus thecnica vocabula.

## MONITUM SECUNDUM

Adnotationes quæ magis ad ornatum pertinent, atque casus singulares respiciunt, et hodiernam maxime praxim, in fine cujuslibet Tractatus sub totidem alphabeti litteris ponimus, ut ita in textu Doctrina nostra majori gaudeat unitate et sub uno veluti obtutu facilius tota conspiciatur. — Quod si plures citamus Auctores, id non est ad vanam ostentationem, sed ut purissimos fontes indicemus iis, qui cupiunt materiam aliquam undequaque excutere ac pensitare.

## TRACTATUS PRIMUS

## DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA

## DISPUTATIO PRIMA

## DE ACTIBUS HUMANIS

## 5. Q. 1. Quid est actus generatim et quotuplex?

R. ad 1 : Actus generatim acceptus nihil est aliud, quam *animi motus*. Homo nempe vi quadam motrice sibi propria aliquos efficit motus tum internos et in se ipso, tum externos et in corpore, quorum principium est semper ejusdem anima. Hinc Sanctus Augustinus actum charitatis vocal *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum*<sup>1</sup>.

R. ad 2 : Actus qui ab homine fiunt, triplicis generis distinguuntur, inspecto triplici modo, quo fieri possunt. — Alii videlicet fiunt ab homine mere naturaliter, quatenus nempe est animal simpliciter, uti est respiratio, et isti dicuntur *actus mere naturales* seu *organici*; suntque homini cum belluis communes : unde per se nullo modo ad mores pertinent. — Alii fiunt quidem ab homine, quatenus est animal rationale, non tamen ab eo fiunt agente modo rationali, id est per intellectum et voluntatem : talis est actus, quo quis sine ulla mentis advertentia ridet, loquitur, vel frontem sibi palpat<sup>2</sup>; et isti dicuntur *actus hominis, actus inde-*

<sup>1</sup> l. III, *De Doct. Christ.* — V. Taparelli, *Saggio Teoretico di diritto naturale*, ecc. Tom. I.

<sup>2</sup> Huc spectant etiam actus illorum, qui rationis usu vel exercitio carent, ut pueri, dormientes, deliri. Item actus illorum, qui subito iræ impetu trahuntur, non advertendo.

appellantur. Cum porro eorum usus in Scholis sit antiquissimus, cum scriptorum et doctorum omnium auctoritate imitantur, cum denique ubi semel fuerint bene percepta, in proprium finem mirifice inserviant; injustus profecto esset et irrationalis quicumque vellet eadem rejicere et aspernari. Ita igitur habenda sunt, ut valeant erosorum nummorum instar, nempe explicari debent ubi sit opus; rejici tamen non debent unquam.

Novitatum amatores in *Thecnologia Scholastica* audiant celeberrimum Canum (l. II, de Loc. Theol.); *Scholæ propria verba peculiarisque loquendi formas submovere non audeo; nam etsi disputare cupio ornatius, quam solent nostri; at non debeo tamen labores duos asferre theologis, unum in rerum, alterum in verborum intelligentia.* — Vid. E. Avogadro La Motta, *Saggio intorno al socialismo*, ecc., vol. II, Torino Tip. Speirani 1854.

Thecnicorum vocabulorum vim explicant passim AA. — Sic quoad vocabula maxime liturgica V. Maeri, *Notizia dei vocaboli ecclesiastici*. — Quoad nomina in Theologicis disputationibus a veteribus, et præcipue a D. Thoma consecrata, V. Zama Mellini, *Lessico peripatetico*; item *Lexicon philosophiæ peripateticæ* auctore Nuntio Signoriello, Neapoli 1855. — Quoad verborum significationem in re canonica atque civili, V. Vicat, *Vocabularium juris utriusque*. — Quoad voces a græca lingua mutatas, V. Marco Aurelio Marchi, *Dizionario Tecnico-Etimologico-Filologico*. — Quoad proverbialia quæ sunt in usu, V. *Adagia quæcumque, Pauli Manutii studio*, etc.; labor a Tridentinis Patribus Manutio mandatus. Hic etiam non parum inservit tum *Opus Bergier, Dictionnaire de Théologie*; tum opus Lucii Ferraris, *Prompta Bibliotheca canonica, juridica, moralis, etc.*, quod studio RR. PP. Montis Cassini a mendis expurgatum atque additionibus adauctum nuper impressum est; — *Dictionnaire des Dates*; — tandem Appendices nostræ ubi præcipua explicamus thecnica vocabula.

## MONITUM SECUNDUM

Adnotationes quæ magis ad ornatum pertinent, atque casus singulares respiciunt, et hodiernam maxime praxim, in fine cujuslibet Tractatus sub totidem alphabeti litteris ponimus, ut ita in textu Doctrina nostra majori gaudeat unitate et sub uno veluti obtutu facilius tota conspiciatur. — Quod si plures citamus Auctores, id non est ad vanam ostentationem, sed ut purissimos fontes indicemus iis, qui cupiunt materiam aliquam undequaque excutere ac pensitare.

## TRACTATUS PRIMUS

## DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA

## DISPUTATIO PRIMA

## DE ACTIBUS HUMANIS

## 5. Q. 1. Quid est actus generatim et quotuplex?

R. ad 1 : Actus generatim acceptus nihil est aliud, quam *animi motus*. Homo nempe vi quadam motrice sibi propria aliquos efficit motus tum internos et in se ipso, tum externos et in corpore, quorum principium est semper ejusdem anima. Hinc Sanctus Augustinus actum charitatis vocal *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum*<sup>1</sup>.

R. ad 2 : Actus qui ab homine fiunt, triplicis generis distinguuntur, inspecto triplici modo, quo fieri possunt. — Alii videlicet fiunt ab homine mere naturaliter, quatenus nempe est animal simpliciter, uti est respiratio, et isti dicuntur *actus mere naturales* seu *organici*; suntque homini cum belluis communes : unde per se nullo modo ad mores pertinent. — Alii fiunt quidem ab homine, quatenus est animal rationale, non tamen ab eo fiunt agente modo rationali, id est per intellectum et voluntatem : talis est actus, quo quis sine ulla mentis advertentia ridet, loquitur, vel frontem sibi palpat<sup>2</sup>; et isti dicuntur *actus hominis, actus inde-*

<sup>1</sup> l. III, *De Doct. Christ.* — V. Taparelli, *Saggio Teoretico di diritto naturale*, ecc. Tom. I.

<sup>2</sup> Huc spectant etiam actus illorum, qui rationis usu vel exercitio carent, ut pueri, dormientes, deliri. Item actus illorum, qui subito iræ impetu trahuntur, non advertendo.

liberati, vel etiam actus aut motus primo-primi: qui pariter nihil referunt ad mores. — Alii denique fiunt ab homine agente ut homo est, seu prout a brutis distinguitur, cum debita nempe advertentia mentis et voluntatis deliberatione. Quia vero isti soli actus libere et determinate producantur, et soli capaces sunt bonitatis vel malitiæ ac digni præmio vel pœna, ideo soli a Theologis in Schola, duce Angelico Præceptore, nuncupantur *actus humani*; ad rem enim habet: *Actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones proprie vocantur humanæ, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: si quæ autem aliæ actiones homini convenient, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanæ; cum non sint hominis in quantum est homo.*<sup>1</sup>

Diximus a Theologis in Schola; nam actus humanus, si philosophice ac generatim spectetur, definiri potest: *Actus ab homine procedens ex intellectus cognitione, et voluntatis motu.* Ponimus voluntatis motu, ut indicemus actum humanum in genere haberi quocumque modo voluntas moveatur, etiamsi necessario. Hoc sensu et actus visionis beatificæ et actus quo quis suam in genere beatitudinem persequitur, licet necessarij, sunt tamen actus humani; cum orientur ab illis facultatibus, quibus homo a brutis distinguitur, id est præluente intellectu, atque appetente voluntate.

Verum cum hic a nobis non considerentur humanæ actiones, nisi prout legi directivæ subjectæ sunt, atque ad mores pertinent; ideo merito uti tales eas habemus, quæ non tantum ab intellectus cognitione et voluntatis motu, sed etiam a voluntatis consilio ac deliberatione procedunt, sive a libero nostro arbitrio, quod quidem fundamentum est imputabi-

<sup>1</sup> 1. 2, q. 1, a. 1.

litis. Hinc illud D. Thomæ: *Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur*<sup>1</sup>; et iterum: *Idem sunt actus humani et morales*<sup>2</sup>. Et sub hoc respectu, ait Antoine, *sunt quasi synonymæ voces humani, morales, liberi.* Ex quo patet ad actum humanum tria requiri, intellectum, voluntatem et libertatem: intellectum qui cognoscit, voluntatem quæ appetit, demum libertatem quæ deliberat et eligit.

6. Q. 2. *Quotuplex est actus humanus proprie dictus?*

R. Actus humanus proprie dictus dividitur: 1° in *interiorem* qui nullo signo externo patescit, et in *exteriorem* qui aliquo modo panditur etiam exterius<sup>3</sup>; 2° in *bonum et meritorium* si nempe consonat cum recta ratione et lege; in *malum et demeritorium*, si ab iisdem discordat.

Actus bonus et meritorius duplex enumeratur: *naturalis* et *supernaturalis*. Primus est qui poni potest solis etiam naturæ viribus, et ideo aliquod præmium temporale mereri: uti est in ipsis infidelibus amor parentum, miserorum commiseratio, etc. Hinc *bene fecit Deus obstetricibus Ægyptiacis*, quæ naturali misericordia motæ conservabant mares Hebræorum contra iniquum regis præceptum<sup>4</sup>. Alter totus innititur auxilio divinæ gratiæ, et præmium meretur supernaturale, uti sunt actus fidei, spei et charitatis theologicæ. — Iterum actus bonus meritorius duplex distinguitur, *meritorium* nempe *de condigno*, cui merces debetur ex justitia; et *meritorium de congruo*, cui non debetur merces, nisi ex

<sup>1</sup> In 2, D. 24, q. 5, a. 2. — <sup>2</sup> 1. 2, q. 2, a. 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. Præamb.*, nn. 1 et seq.

<sup>3</sup> Les premiers (les actes intérieurs) conservent leur dénomination, tandis qu'ils demeurent concentrés au dedans de nous; tels sont nos pensées, nos désirs, nos affections, nos jugements, avant que d'être manifestés par la parole ou par quelque autre signe. Les actes extérieurs sont ceux qui se produisent au dehors, comme nos discours, nos démarches, et, en général, toutes celles de nos actions où le corps est pour quelque chose. Cette distinction est importante pour le canoniste; car les actes qui ne sont qu'intérieurs, quelque criminels qu'ils soient, ne sont point sujets aux peines ecclésiastiques: « De internis non judicat Ecclesia. » Ita Gousset, *Théologie morale à l'usage des curés et des confesseurs*, t. 1, n. 2.

<sup>4</sup> Exodi 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. Præamb.*, n. 4.

quadam decencia. Sic v. g. militi strenue bellanti stipendium debitum est de condigno; aliquod vero præmium, nonnisi de congruo.

7. Q. 3. *Quænam et quot sunt principia actuum humanorum?*

R. Principia actuum humanorum dicuntur ea veluti elementa, ex quibus actus ipsi constant, et in natura sua constituuntur. Jam vero in quolibet actu humano tria consideranda sese nobis exhibent, nempe *causæ* quæ actum ipsum efficiunt; *regulæ* quæ ipsum dirigunt; tandem *motiva*, quæ ad ipsum movent. Patet ideo tria esse actuum humanorum principia; 1. *efficientia*, et sunt intellectus et voluntas, quibus necessario conjunguntur libertas uti fundamentum, et moralitas uti effectus; 2. *dirigentia*, et sunt conscientia et lex; 3. demum *allicientia*, et sunt vitia atque virtutes.

#### CAPUT PRIMUM

#### DE INTELLECTU, VOLUNTATE EJUSQUE ACTIBUS ET IMPEDIMENTIS

8. Q. 1. *Quid est intellectus?*

R. Illa animæ nostræ facultas quæ circa verum cognoscendum versatur, *intellectus* nomine venit. Ab intellectus operatione oritur cognitio sive intelligentia, sine qua patet nullum dari actum humanum proprie dictum: hinc Deus ab ipsa creatione hanc facultatem hominibus largitus est: *Disciplina intellectus vestivit eos*<sup>1</sup>. — Duplex distinguitur intellectus cum D. Thoma; alius nempe *speculativus*, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; alius *practicus*, qui quod apprehendit, ordinat ad opus aliquod patrandum<sup>2</sup>.

9. Q. 2. *Quid est voluntas?*

R. Voluntas definiri potest: *Illam animi nostri facultatem quæ propositum ab intellectu bonum sectatur, vel malum aversatur. Ut perspicue hæc definitio intelligi possit, sciendum est duplicem in homine esse facultatem, unam nempe*

<sup>1</sup> Eccl. xvii. — <sup>2</sup> 1, p. q. 79, a. 2.

*cognoscentem, alteram appetentem.* Facultas cognoscens appellatur *mens* vel *intellectus*, et ejus officium est res ut in se sunt percipere atque cognoscere. Facultas vero appetens dicitur *voluntas*, et officium ejus est exhibitum sibi a mente seu ab intellectu bonum appetere, et malum aversari. — Clarius res explicabitur si dicatur: unus idemque hominis animus, prout rem nude et simpliciter percipit, *intellectus* nomine designatur; prout in eam tamquam sibi bonam inclinatur, vel ab ea tamquam sibi mala refugit, dicitur *voluntas*. Cum vero nihil appeti possit aut amari uti bonum, nihil abominari aut odio haberi uti malum, nisi idem prius sit cognitum, quia ex vulgari adagio *voluntas non fertur in incognitum, et ignoti nulla cupido*; ideo in voluntatis definitione fit mentio intellectus, tamquam illius facultatis, quæ bonum vel malum voluntati ipsi proponit (A)<sup>1</sup>.

Duplex autem distinguitur actus voluntatis: unus qui perficitur a voluntate ipsa absque adminiculo alterius facultatis, ut est odium, amor, volitiones et nolitiones pure internæ, et dicitur actus *elicitus* seu *immediatus*. Alter qui procedit quidem a voluntate, sed complementum non habet, nisi per ministerium facultatis alterius, dependenter tamen ab ipsa voluntate, ut est meditatio, ambulatio, et dicitur actus *imperatus* seu *mediatus*; quia nempe perficitur quidem a voluntate, sed mediante alia facultate sive interiori, uti sunt intellectus, phantasia, memoria; sive exteriori uti sunt membra corporis, atque sensuum organa. Sic meditatio provenit a potentia interiori, id est intellectu; deambulatio vero a potentia exteriori, id est a potentia motrice corporis (B).

10. Q. 3. *Quid est voluntarium?*

R. Quilibet motus voluntatis in rem aliquam per intel-

<sup>1</sup> Diligentissime cavendum est, ne duæ hominis facultates, intellectus nempe atque voluntas simul una confundantur; sunt enim omnino diverse et essentialiter a se invicem discriminatæ: *Hegel, de la volonté et de l'intellect, ne fit qu'une seule faculté; et il détruit ainsi dans les actions humaines la liberté, le mérite et le démérite.* Ita clariss. La Motta, *Saggio intorno al Socialismo, ed alle dottrine e tendenze socialistiche.* Torino, 1854, vol. I.

lectum præcognitam, voluntarii nomine designatur. Sed Theologis communiter cum Angelico illa semper arrisit voluntarii definitio, quam tradidit Aristoteles: *Voluntarium est id, quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio*<sup>1</sup>. — Dicitur 1. a principio intrinseco, id est ab intellectu et voluntate; hæc enim sunt principia interiora hominis agentis; 2. cognoscente singula in quibus est actio, nempe objectum, finem et circumstantias, quæ actionem comitantur; nam voluntas non fertur in incognitum. Hinc si quæ actionis circumstantia ab agente prorsus ignoretur, actio relate ad circumstantiam illam non erit voluntaria, hoc ipso quia non cognita. Sic si quis percutiat hominem ignorans eum esse Sacerdotem, reus quidem erit iniustitiæ, non sacrilegii, quia sacram illam Sacerdotis qualitatem in homine percusso ignorabat.

Ex hac definitione patet voluntarium differre a naturali, spontaneo et volito: 1. a naturali, quia licet naturale sit a principio intrinseco; est tamen sine prævia cognitione. Sic naturalis est sanguinis circuitio; 2. a spontaneo, quia spontaneum est quidem a principio intrinseco et cum aliqua cognitione finis; sed materiali, imperfecta, et sine advertentia ad media illa, quibus finis ipse obtinetur. Sic ebrio spontanea est vini potatio, cujus finis ipsi aliquatenus quidem innotescit, non tamen uti talis; cum cæco quodam impetu tendat in vinum<sup>2</sup>; 3. a volito denique, quia volitum est voluntatis objectum, quod tamen a nullo voluntatis ipsius influxu procedit. Sic pluvia est volita ab agricola, nec tamen dici potest eidem voluntaria; cum ea non sit in illius potestate.

II. Voluntarium multiplex distinguitur:

1. Aliud est voluntarium necessarium; et aliud voluntarium liberum, seu contingens. Primum est illud, quod sic a voluntate proficiscitur, ut positus omnibus ad agendum præ-

<sup>1</sup> L. III Ethic. — Et S. Thomas, I. II, q. 6, a. 1 et seq.

<sup>2</sup> Ad tuendum dogma catholicum de hominis libertate contra Lutheranos, Calvinistas et Jansenistas errores attente et diligentissime retinere oportet differentiam quæ est spontaneitatem inter et libertatem; neque putandum sermonem hic esse de verbis, cum ex adverso quæstio sit de re et doctrina momenti gravissimi.

ponendis, non possit non agere. Sic beati in cælo Deum necessario diligunt: sic homo in terris necessario prosequitur felicitatem. Secundum vero est illud, quod sic procedit a voluntate, ut positus etiam ad agendum præponendis, adhuc tamen possit non agere, si ita ei libuerit. Sic adolescens post parata omnia ad ludendum paranda, potest adhuc a ludò se abstinere, si velit<sup>1</sup>.

2. Aliud est voluntarium perfectum; aliud voluntarium imperfectum; aliud voluntarium simpliciter, et aliud voluntarium secundum quid. — Voluntarium perfectum est illud quod procedit a voluntate cum perfecta cognitione, qua rationes boni et mali innotescant. Sive est illud quod fit ex plena cognitione rei: uti si quis perfecte sciens et volens carnes manducet die vetito. Voluntarium imperfectum seu semivoluntarium quod a voluntate procedit cum cognitione imperfecta, qua nempe clare non innotescant boni et mali rationes ad usum libertatis perfectum, sed obscure tantummodo. Tales sunt actiones hominis non perfecte vigilis, sed semisopiti, aut ad alia distracti. — Voluntarium simpliciter, quod dicitur etiam plenum procedit a plena voluntatis inclinatione sine repugnantia ulla: sic actu simpliciter voluntario adolescens ad animi sui solatium vult ludum, cum possit aliud solatii genus sibi eligere, v. g. deambulationem. Voluntarium secundum quid seu non plenum provenit quidem a voluntatis consensu, sed conjunctam semper habet aliquam ipsius voluntatis repugnantiam: sic actu voluntario secundum quid nauta, urgente naufragii periculo, projicit merces suas in mare. Actus iste ex una parte est voluntarius, quia ita se gerit ad salvandam vitam; sed ex alia parte repugnantiam includit, quia si posset, merces servaret sibi libenter.

<sup>1</sup> Ratio voluntarii perfectius reperitur in actibus necessariis, quam in liberis; quo enim fortior est amor, eo major propensio est. Unde S. Thomas, q. 22, de verit., 2. a. 5, ait: *Non pertinet ad impotentiam voluntatis, si naturali inclinatione de necessitate in aliquid feratur, sed ad ejus virtutem, sicut grave tanto est virtuosius, quanto majori necessitate deorsum fertur; pertineret autem ad ejus infirmitatem, si ab alio cogere-retur... Necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis.* Voluntarium tamen in Scholis regulariter sumitur pro libero.

5. Aliud est voluntarium *actuale*; aliud *virtuale*; aliud *habituale*; aliud *interpretativum*. — Voluntarium *actuale* (quod dicitur etiam *formale et implicitum*) est illud, in quod immediate ac directe voluntas hic et nunc fertur. Sic voluntaria actualiter mihi est, v. g. hæc mea responsio ad quæsitum propositum. — *Virtuale et implicitum* est actus voluntatis jam quidem præteritus, qui tamen in aliqua re, quæ humano modo fiat, moraliter perseverare censetur tamquam in suo effectu<sup>1</sup>. Sic v. g. in viatore, qui *cupit optatum cursu contingere metam*, passus singuli quos movet ad illam, sunt ipsi virtualiter et implicite voluntarii, etiamsi ad singulos non attendat, imo iter agens de rebus omnino diversis cogitet. Ratio est, quia passus illi proficiscuntur a voluntatis actu, quo viator ab initio voluit iter ad metam illam suscipere. — *Habituale* est actus voluntatis præteritus, qui tamen non perseverat in aliquo sui effectu, qui fiat humano modo. Sic Principi etiam dormienti voluntaria hoc sensu est pugna, quam vigilans militibus indixit, si mandatum non retractaverit. — Demum *interpretativum* est, ut ita dicam, quasi inclusus et delitescens consensus: sive est actus voluntatis, qui nec est nec fuit, sed esset utique si haberetur aliqua cognitio, quæ hic et nunc deest: sic si ego quid tollam de facultatibus amici mei animo restituendi probe sciens, si ipse adesset, certe mihi commodaturum quod sumo, hæc acceptio esset amico meo voluntaria interpretative<sup>2</sup>.

4. Aliud est voluntarium *expressum*, aliud *tacitum*; aliud *directum* (seu *positivum*), aliud *indirectum* (seu *negativum*). — *Expressum* est quod distincte declaratur: ut si quis interrogetur an velit, et respondeat *volo*. *Tacitum* est quod ex facto aliquo, vel ex facti omissione colligitur: ut si rogem te, ut meum munus accipias, et ipse taceas: tum silentium pro tacita assensione habetur<sup>3</sup>. Tandem quoad voluntarium

<sup>1</sup> Voluntarium *actuale* dicitur *voluntarium in actu signato*; voluntarium vero *virtuale voluntarium in actu exercito*. — V. Basæus, *Florum Theologiae practicæ Compendium*.

<sup>2</sup> Ex quo patet, voluntarium interpretativum non esse veri nominis voluntarium.

<sup>3</sup> Hinc regula juris in 6, n. 45: *Qui tacet, consentire videtur*. Hoc ta-

*directum et indirectum* audiatur Gousset: « Le volontaire est *direct* quand l'acte est volontaire en lui-même, quand la volonté se porte directement, sans intermédiaire, à cet acte: tel est, par exemple, l'homicide dans un homme qui, voulant la mort de son ennemi, lui a donné lui-même ou lui a fait donner le coup mortel. Le volontaire est *indirect* lorsque l'acte n'est volontaire que dans sa cause: ce qui a lieu toutes les fois que l'on prévoit que tel ou tel effet doit résulter de l'acte qu'on se propose de faire, d'une démarche ou d'une omission qu'on se permet volontairement. Cet effet, étant prévu, devient indirectement volontaire pour celui qui agit, ou qui s'abstient lorsqu'il est obligé d'agir. Ainsi, par exemple, les blasphèmes, les injures proférées dans un état d'ivresse, sont volontaires d'un volontaire *indirect*, dans celui qui s'est enivré volontairement, sans surprise, se rappelant plus ou moins distinctement qu'il est sujet à blasphémer ou à s'emporter quand il est dans le vin. » (*Théol. morale*, t. I, n. 8.)

12. Q. 4. *Quid requiritur, ut actio vel ommissio sit et voluntaria, et culpabilis?*

R. Ut actio vel ommissio sit *voluntaria*, sufficit ut aliquomodo a voluntate profluat: id est sufficit, ut aliquid sit voluntati propositum, ac illud voluntas velit vel respuat. Hinc deducitur ad omissionem vel actionem voluntariam præcisè sumptam non requiri, ut res præcepta sit: præceptum enim actus voluntarios dirigit, non efficit: v. g. occurrente mihi auditione Missæ feriali die, si eam de facto omittam vel audiam, illius ommissio vel auditio voluntaria mihi est, quin tamen sit præcepta vel prohibita.

Ut actio vero vel ommissio sit non solum voluntaria, sed etiam culpabilis, requiritur: 1. ut quis potuerit agere, vel ab actione se abstinere: *quis enim peccat in eo, quod nullo*

men intelligendum de iis in quibus dissentire tenemur; secus valet alia regula: *Is qui tacet, non fatetur*. « Ainsi, le silence qu'on garde, en entendant des médisances ou des blasphèmes, ne doit pas toujours être pris pour un signe d'approbation. Souvent, dans le cas dont il s'agit, l'on se tait par prudence ou pour éviter un plus grand mal. » Gousset, *Théol. morale*, n. 15.

*modo caveri potest*? 2. ut debuerit agere vel se abstinere ab actione; nullum enim peccatum est, quod non sit contra legem aliquam juxta illud: *Ubi enim non est lex, nec pravaricatio*<sup>2</sup>. Sic si Missam libere omittam festo die, ejus omissio est etiam culpabilis; cum sit contra præceptum. Sicut est culpabilis mea actio, si festo die sine legitima causa operibus servilibus vacem, cum id ecclesiastica lege vetitum sit.

13. Q. 5. *Quid requiritur, ut effectus ex actione vel omissione nostra proveniens sit nobis voluntarius?*

R. Ut sit nobis voluntarius effectus alicujus actionis satis est, ut sit vel in se intentus, vel ut cognoscatur ex propria actione directe procedere; ubi enim quis vult causam, censetur etiam velle effectum, quem ex ea causa scit esse futurum, licet eum non intendat. Sic qui longum et asperum iter pedibus aggreditur, est ei voluntaria defatigatio, etsi eam haud intenderit; cum hæc sit naturalis illius itineris effectus.

Ut vero sit voluntarius effectus omissionis requiritur insuper, ut sit obligatio illum impediendi, prout communius docent cum Billuart<sup>3</sup>; quia nulla adsignari potest ratio, cur in voluntatem tamquam in causam refundatur effectus omissionis sine tali obligatione; cum simplex negatio in actionem non influat. Hinc Deo voluntaria non sunt peccata hominis; quia licet possit, non tamen tenetur ea impedire.

<sup>1</sup> S. Augustinus, l. III, *De Lib. Arb.*, c. xviii, n. 50.

<sup>2</sup> Rom. iv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, c. v, *Tract. præamb.*, n. 11.

<sup>3</sup> Excipe, nisi forte omissio ordinetur per modum mediæ ad hunc effectum; quia tunc manifestum est, quod talis effectus esset directe intentus et volitus: consequenter directe et positive voluntarius: ut si quis eo sine, ut patitur frigus mortificationis causa, omittat accedere ad ignem; frigus est ipsi positive voluntarium, quia per se intentum et volitum. Uno verbo hic non agitur de omissione directe voluntaria, quando nempe actu omittens vult actu positive omittere. Sed de omissione indirecte voluntaria, quando scilicet aliquis advertens ponit actum impossibilem cum actu qui omittitur: esset si quis v. g. audiat Missam mox esse celebrandam et possit eam audire (sed non teneatur), eligit tamen manere domi vel ludere; at absque eo, quod dicat *volo omittere Missam*. Billuart. Hæc tamen argumentatio aliis non placet, et contendunt obligationem impediendi requiri tantum ad faciendos effectus omissionis culpabiles; non vero simpliciter voluntarios, qui satis enascuntur ex voluntate simpliciter permittente.

Et quamvis omissio illa sit voluntaria, non inde tamen est voluntarius ille omissionis effectus; cum nulla sit inter utrumque necessaria connexio. Neque enim peccata a voluntate Dei proveniunt, ut a principio intrinseco; sed ab hominum perversitate.

Hinc dum ego v. g. omitto separare duos rixantes, occisio inde secuta neque a mea voluntate neque a mea omissione causatur, sed a gladio occisoris: item quando nauta omittit gubernare navim, neque ejus voluntas, neque ejus omissio submergit navim, sed tempestas. Ut ergo talis effectus refundatur in voluntatem ut in causam, et dicatur indirecte voluntarius, debet adsignari aliquid quo fit, ut pertineat aliquo modo ad voluntatem: at aliud adsignari non potest, nisi præceptum effectum illum impediendi; ergo sine tali præcepto nullimode erit nobis voluntarius effectus ex omissione nostra proveniens.

14. *Quid (quæres) requiritur, ut actus ex actione, vel omissione proveniens sit etiam culpabilis in causa, seu voluntarius moraliter?*

R. Ut actus ex actione vel omissione proveniens sit non tantum voluntarius, sed etiam culpabilis, tria hæc requiruntur:

1. Ut agens teneatur causam illam auferre vel omittere; *ubi enim non est lex, nec pravaricatio*. Nemo autem tenetur causam auferre, cum illius ponendæ jus habet repositum in necessitate vel utilitate, quia ex juris regula *prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus*. Sic nulla culpa est in illo, qui dum ob propriam et aliorum utilitatem studet materiis sexti Decalogi præcepti, turpes quasdam patitur sui corporis perturbationes, dummodo illas voluntate sua aversetur, neque prudens adsit periculum eas approbandi; istis enim in casibus potius habetur passio, quam actio.

2. Ut agens talem effectum impedire possit: *quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* neque sane *ad impossibilia datur obligatio*. Quod vel ipsa civili lege firmatur ex qua, licet quisque teneatur de damnis latis a sibi subjectis, quia tamen difficulter liber homo coerceri potest; ideo si

valeat probare, se damnum impedire non potuisse, ab onere liberatur<sup>1</sup>.

5. Ut qui ponit vel omittit causam, advertat saltem in confuso talem effectum ex causa illa secuturum esse; quia *nil volitum, quin aliquo modo sit præcognitum*<sup>2</sup>. Nempe requiritur ex Angelico, ut eventus sequens sit *præcogitatus*<sup>3</sup>, sive *prævisus et intentus*, ut ipse se explicat<sup>4</sup>: tunc vero, ait Sylvius, effectus censetur intentus non solum quando ex proposito intenditur, sed etiam quando sic prævidetur secuturus, ut potuerit ac debuerit impediri; tunc enim est indirecte voluntarius. Hinc si non imputatur Noemo ebrietas, quia vehementissimam vini vim haud sciebat, ideoque nec poterat illam advertere; imputatur tamen Davidi scandalum ex ejus peccato profectum; fuit enim ab eo indirecte volitum, cum utique sciret omnium oculos in regem esse coniectos.

In foro tamen externo, cum animus inspicere a iudice non possit, res tota resolvitur ex communiter contingentibus; quæ enim communiter contingunt, prævisa censentur. Hinc ex lege civili proprietarius alicujus animalis tenetur absolute de damnis ab illo illatis; cum enim animalia cæco ductu ferantur, quisque scire debet ipsis esse continuo invigilandum<sup>5</sup>.

15. Q. 6. *Quænam sunt voluntarii impedimenta?*

R. Ea omnia, quæ voluntatis motus vel impediunt vel minuunt vel quomodocumque lædunt, dicuntur voluntarii impedimenta, quatenus voluntatis actibus adversantur; eaque involuntarium constituunt. Porro involuntarium proprie loquendo definitur: *Id, quod est aliquo modo contra inclinationem voluntatis*. Sic v. g. homini in carcere detento involuntaria est pœna illa, qua sua libertate privatur.

Hæc autem impedimenta quæ causant involuntarium quatuor numerantur, quorum duo propensionem voluntatis opponuntur, et sunt *violentia et metus*; duo vero opponuntur

<sup>1</sup> Cod. Pedemont. Art. 1502. — C. A. civ. 1514. — C. G. 1584. — C. S. 1538. — C. M. 1595.

<sup>2</sup> F. S. Alphonsus, *Opus Morale*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 10.

<sup>3</sup> 1. 2, q. 25, a. 1. — <sup>4</sup> Q. 75, a. 8.

<sup>5</sup> Cod. Pedemont. Art. 1505. — C. A. civ. 1520, etc. — C. G. 1585. — C. S. 1539. — C. M. 1596.

intellectus cognitioni, nempe *ignorantia et concupiscentia* (C).

Art. I. — De violentia et metu.

16. Q. 1. *Quid est violentia?*

R. Violentia (seu vis et coactio<sup>1</sup>) definitur: *Id quod est a principio extrinseco, repugnante omnino eo qui vim patitur*. Ex quo patet ad violentiam requiri: 1. ut ea sit a principio extrinseco, quia nemo proprie dici potest sibi ipsi violentiam inferre; 2. ut patiens repugnet *pro viribus*, id est omni conatu; nam si quis *secundum passionem* se habeat, scilicet cum voluntate patiendi ab alio, non conferret quidem ad violentiam agendo, sed conferret *volendo pati* (ait Angelicus): unde tunc non potest dici vera violentia, aut non nisi imperfecta<sup>2</sup>.

17. *An voluntas (quæres) quoad actus suos violentiam pati possit?* — R. Vel agitur de actibus imperatis, vel de elicitis tantum:

Si de imperatis, clare patet voluntatem posse violentiam pati seu posse impediri in suo exercitio; sane actus imperati sive interni sive externi a voluntate ipsa exercentur ministerio alterius potentiae, quæ quidem aliquando esse potest contra voluntatis inclinationem. Esset v. g. si voluntas imperaret intellectui, ut aliquid speciale consideret; sed intellectus aliis sit distractus: vel si imperaret motum pedibus, qui tamen catenis obstricti moveri nequeant.

Si vero agitur de actibus elicitis, tunc dicimus voluntatem non posse violentiam pati. Re quidem vera eliciti actus sunt ipsamet inclinatio voluntatis; ergo non possunt esse violenti, seu contra ipsam inclinationem voluntatis: alioquin voluntas

<sup>1</sup> Strictè loquendo, *involuntarium, coactum ac violentum* in hoc differunt, quod *primum* dicitur de solo agente rationali; *secundum* de solis rebus animatis sive ratione præditis, sive non; *tertium* vero dicitur etiam de rebus inanimatis, imo magis proprie dicitur de ipsis tantummodo. — V. Taparelli, *Saggio Teoretico*, § 193 et 724. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v<sup>o</sup> Vis.

<sup>2</sup> 1. 2, q. 6, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 45.



eodem tempore vellet et nollet<sup>1</sup>. Hinc D. Anselmus ait : *Inivtus nemo potest velle; quia non potest velle nolens velle*<sup>2</sup>. Et Seneca ipse gentilis aiebat : *Corpora obnoxia sunt dominis, mens sui juris est*<sup>3</sup>. Et Scriptura : *Velle adjacet mihi (D)*<sup>4</sup>.

18. Q. 2. *An violentia tollat voluntarium, et excuset a culpa?*

R. Violentia proprie dicta tollit utique omne voluntarium in ea, quæ ponitur, actione; quando enim patientis voluntas resistit agenti extrinseco pro viribus, et potentia tam interna quam externa, tunc opus agentis extrinseco nullo modo volitum est a patiente; ac proinde eidem est involuntarium simpliciter et absolute, ac nullimode imputabile. — Hinc D. Augustinus excusat a peccato fœminas illas, quæ, Roma a Gothis capta, vim barbare passæ sunt; quia pro totis viribus repugnaverant<sup>5</sup>. Hinc etiam excusatur mulier illa, cognomento Bona, quæ a marito ad idolis sacrificandum per vim trahabatur, aliis tenentibus ejus manus : *Non ego feci, merito clamabat, vos fecistis*<sup>6</sup>.

Diximus proprie dicta; si enim violentia non sit secundum se tota, non tollit, sed minuit dumtaxat voluntarium. Nam ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte aliqua ratio voluntarii; et secundum majorem vel minorem resistantiam, actio erit magis vel minus voluntaria et culpabilis<sup>7</sup>.

<sup>1</sup> Quod si aliquando videatur voluntas a tentatione cogi ad peccatum, hoc non est vera violentia; sed illecebra est et incitamentum, nam voluntas semper est quæ peccat.

<sup>2</sup> *De Lib. Arb.*, c. vi. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 19. — <sup>3</sup> *V. De Consolat.*, c. xi. — <sup>4</sup> Rom. vii.

<sup>5</sup> *L. I, De Civ. Dei*, c. xvi. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 17. — <sup>6</sup> S. Cyprianus, *Epist.* xviii.

<sup>7</sup> Aliquando non requiritur resistantia omnino absoluta, continua et externa illata coactioni, scilicet ubi ex una parte inutilis foret, et ex alia parte non indicat consensum, neque est de necessitate ad scandalum vel religionis injuriam avertendam. Sic martyres ducti ad templa paganorum non pecebant, quamvis propriis pedibus ambularent. Quod si ultro occurrerent morti, per violentiam ipsis a tyrannis illatæ, non cogebantur ad perlicendum malum; sed ad perferendum dolorem : quod malum non est : unde aliene iniquitatis subjectum erant, non instrumentum.

19. Q. 3. *Quid est metus, et quotuplex?*

R. ad 1 : Metus seu timor definiri potest : *Mentis trepidatio ex repræsentatione mali vel futuri vel impendentis*. A quibusdam autem brevius definitur : *Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio*. Metus differt a vi seu violentia, quod hæc sit semper et solummodo a principio extrinseco; ille vero proveniat tam a principio intrinseco, qualis est v. g. metus mortis proveniens ex morbo; quam a principio extrinseco, qualis est v. g. metus naufragii, metus inferni et pœnarum. Item in eo differt, quod vis corpori, metus animo inferatur.

R. ad 2 : Quadrupliciter potest metus considerari juxta illud :

*Causa, modusque ineunt, tempus, natura timorem.*

1. Nempe ratione causæ, a qua metus incutitur : quæ causa vel est *naturalis* sive *intrinseca*, v. g. infirmitas, sive *extrinseca*, v. g. naufragium, pestis, fulmen; vel *supernaturalis*, v. g. terribile Dei judicium; vel *libera*, v. g. homo minitans.

2. Ratione modi, quo incutitur : et tunc metus est vel *justus* vel *injustus*, prout juste vel injuste ipse incutitur.

3. Ratione temporis, quo incutitur : et alius est metus *antecedens*, qui movet ad agendum, ita ut actio dicatur posita ex metu; alius *concomitans*, ita ut actio dicatur posita tantum cum metu. Quæ duo sunt omnino diversa; nam metus *antecedens* habetur cum ipse dat causam actioni. Sic v. g. viator, qui in grassatione dat latroni crumenam agit metu antecedenti; quia timet mortem, et hoc timore pro morte vitanda movetur ad crumenam tradendam. Metus autem *concomitans* habetur, quando non ipse quidem dat causam actioni, sed eam tantummodo comitatur. Sic latro qui crumena viatorem expoliat, agit metu concomitanti; nam etiam hic timet, ne scilicet deprehendatur : non tamen ab hoc timore, sed ab ipsa divitiarum cupiditate latro ad furandum movetur.

4. Ratione suæ naturæ : et metus vel est *gravis*, vel *levis*. *Levis* (qui et *vanus* dicitur) est ille, quo timetur malum leve ;

vel etiam grave, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, aut quod rationabiliter non imminet: ut si sereno coelo timeas fulmen. *Gravis* autem vel talis est *absolute*, ut cum malum grave in se timetur ex gravi et vere probabili causa: qui metus dicitur cadere in virum constantem, quia illo etiam viri graves ac firmi commoveri ac turbari solent. Hujusmodi est metus mortis, exilii, duri vel diurni carceris, mutilationis membrorum, servitutis, verberum enormium, magnæ honorum jacturæ, notabilis famæ detrimenti<sup>1</sup>, etc.

— Vel metus gravis est *relative*, quo scilicet non movetur quidem vir constans et fortis, movetur tamen meticulosus, uti puer, senex, foemina. Sic metus nonnullorum baculi ictuum quos vetus miles spernit, gravis esse potest si incutiatur viro formidoloso ac pavido.

Huc revocatur *metus reverentialis*, timor nempe, quo quis veretur resistere ei, cui subjicitur. Hic erit gravis vel levis, habita ratione personæ reverendæ ac personæ reverentis. Quamquam bene observat Pontius, quod hic metus sine apprehensione alterius mali (puta gravium minarum), non tam est metus, quam simplex reverentia, quæ de se non inducit metum alicujus mali, sed inducit tantummodo quamdam erubesceniam<sup>2</sup>.

20. Q. 4. An metus tollat vel minuat voluntarium?

R. Si metus levis sit, nulli dubium est quod nec tollit nec

<sup>1</sup> Notandum diligenter est, ad metum gravem requiri, præter gravitatem mali quod timetur, hæc tria: — 1. ut prudenter, sive ex gravi motivo malum imminere credatur; nam si ab eo imminet, qui aut nequeat aut non soleat malum inferre, hujus apprehensio, utpote inanis, gravem metum minime efficiet; — 2. ut malum impendens nequeat tam facile averti: non enim adeo timeamus quod facile cavere possumus; — 3. ut malum illi imminet qui timore turbatur, aut iis qui vinculo vel necessitudinis arctissimo, vel propinquitatis ad quartum gradum conjunguntur cum eo, qui metum patitur; nam quod nostris fit, nobis fieri censemus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 20.

<sup>2</sup> Ultra proprium patrem, Episcopum atque magistratum, dicit Sanchez cum aliis, dari etiam metum reverentialem respectu soceri, avi, tutoris, et matris, si tamen sit austeræ et minas exequi soleat; et etiam fratris majoris aut patris, si cum eis habitetur, et alimenta ab eis præbeantur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 717; et l. VI, n. 1056. — *Homo Apostolicus*, tract. III, n. 16.

minuit voluntarium. Hinc illud juris: *Vani timoris justa excusatio non est*<sup>1</sup>. Sane metus levis nec intellectus cognitionem nec voluntatis electionem lædit; parum enim pro nihilo reputatur.

Imo neque per metum gravem voluntarium absolute tollitur, si casum particularem excepias, quo ita sit gravis, ut mentem e suo statu dejiciat: quia non tollitur neque intellectus cognitio, neque voluntatis propensio, quamvis hæc minuatur. Ideo D. Bonaventura aiebat: *Coacta voluntas, voluntas est*. Hoc patet exemplo mercatoris projicientis merces in mare, quod profecto non ageret, si ea sibi absque vitæ periculo servare posset: in illis tamen circumstantiis id voluntate facit. Unde Augustinus: *Si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitatus facere dicitur, si facit, voluntate facit*<sup>2</sup>. Hinc a quacumque causa proveniat metus, per se non impedit quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius. Non impedit metus a causa supernaturali proveniens; hinc Tridentinum docet attritionem ex metu poenarum exortam plenamque terroribus non esse *dolorem coactum, sed liberum ac voluntarium*; et sane attritio a libera causa libere eligitur ad gehennam fugiendam<sup>3</sup>. Non impedit metus ab agente intrinseco vel extrinseco naturali incussus: sic valet votum ex metu mortis in medio naufragii aut in gravi morbo emissum. Neque tandem per se impedit metus etiam gravis a libera causa veniens: hinc contractus qui fiunt ex metu gravi a tertio incusso de jure naturæ censentur validi, utpote satis voluntarii; quamvis ob injuriam illatam merito rescindi possint.

21. An (quæres) metus gravis excuset a culpa? — Distinguendum est: vel quæ metu gravi fiunt, intrinsece et per se mala non sunt, ut esset tempore vetito manducatio carnis. Vel sunt per se et intrinsece mala, uti esset v. g. apostasia a fide, perjurium, libidini indulgere, etc.

Si 1, ordinarie loquendo, a tota culpa metus gravis excu-

<sup>1</sup> Reg. 184, ff. *de reg. jur.* — V. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v. Metus.

<sup>2</sup> *De Spirit. et Litt.*, c. xxxi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 22. — <sup>3</sup> Sess. xiv, cap. iv, et can. 5.

sat, non quasi tollat voluntarium sufficiens ad peccatum; sed quia lex quælibet positiva obligare non solet cum gravi incommodo juxta communem ac receptam sententiam: hinc qui ex metu mortis vel gravis damni omittit audire Sacrum die festo, non peccat. — Diximus *ordinarie loquendo*; quia si quis metu gravi compelleretur ad legem aliquam positivam violandam in contemptum legitimæ potestatis aut Religionis, vel cum gravi scandalo proximi aut damno publico, gravis metus tunc non excusaret a culpa transgressionis; plus enim refert Religionem et potestatem legitimam non contemni, scandalum omitti et bonum publicum curari, quam evitari damnum privati. Unde ad rem Apostolus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*<sup>1</sup>. Hinc etiam non licebit, v. g. militi ex metu mortis fugam arripere tempore belli vel pugnam detrectare; item neque parochio tempore pestis oves suas deserere, etc.

Si 2, certum est, metum utcumque gravem (dummodo talis non sit, ut usum adimat rationis) nunquam excusare a tota culpa; hæc enim cum includant intrinsecam et essentialem malitiam, si fiant voluntarie, nunquam culpa carere possunt. Exemplum est in Christiano illo, qui metu mortis fidem Christi negaret, de quo ad rem D. Bernardus: *Cogebatur christianus negare Christum et quidem dolens, non tamen nisi volens*<sup>2</sup>. Sane ut metus sit nobis gravis et rationalis, malum quod timetur gravius esse debet malo quod eligitur; cum vero nullum gravius malum existere possit quam quod intrinsece malum est, scilicet offensa Dei, patet nunquam posse excusari peccatum ex metu alterius cujuslibet mali patratum; agens enim ex hoc metu recedit a summo et infinito bono, ne finitum malum patiat. Hinc Christus: *Dico autem vobis ne terreamini ab illis qui occidunt corpus, nec habent amplius quid faciant; ostendam autem vobis quem timeatis: timeate eum qui, postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam ignis*<sup>3</sup>. Cum vero metus

<sup>1</sup> I Corinth. viii. — <sup>2</sup> De Gr. et Lib. Arb., c. xii.

<sup>3</sup> Luc. xi. — V. Instit. Th. Mor. Semin. Mediol.

hujusmodi voluntarium valde lædat, ideo licet totam culpam non tollat, minuit tamen; et in jure Canonico dicitur *culpam extenuare*<sup>1</sup>. Attamen culpa non ita minuitur, ut ex mortali fiat venialis: quia per se loquendo metus gravis talem adhuc relinquit cognitionem eorum, quæ fiunt, ut sufficiat ad peccatum mortale.

Excipe nisi metus tantam in aliquo produceret mentis perturbationem, ut eam dumtaxat relinqueret cognitionem, quæ in semi-dormientibus invenitur: tunc peccatum ex mortali fieret veniale, defectu nempe sufficientis deliberationis.

## Art. II. — De ignorantia et concupiscentia.

### 22. Q. 1. Quid est ignorantia et quotuplex?

R. ad 1: Ignorantia generatim sumpta, ait Billuart, est carentia scientiæ in subjecto capaci; sive, ut ait D. Thomas, *ignorantia importat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire*<sup>2</sup>: seu quorum quis fuisset capax pro tali tempore et statu, uti si adultus ignoret ea, quæ noscere potuisset — Differt ignorantia tum a *nescientia*, quæ indicat simplicem negationem scientiæ; tum ab *errore*, qui est positiva probatio falsi, tum ab *inadvertentia*, quæ est carentia actualis cognitionis; tum ab *inconsideratione*, quæ est privatio debiti inspectionis; tum demum ab *oblivione*, quæ est privatio recordationis rei alias jam notæ.

R. ad 2: Multiplex est ignorantia:

1. Ex parte objecti alia est *juris*, alia *facti*. — Ignorantia *juris* in eo locum habet, qui nescit a lege divina vel humana quidpiam præcipi aut prohiberi. Sic qui perfecte quidem nescit hodie esse diem veneris, et cibos sibi oblatos esse carnem, sed ignorat carnis esum tali die esse ab Ecclesia prohibitum, laborat ignorantia *juris*. — Ignorantia *facti* est in eo, qui legem quidem compertam habet, sed nescit hoc factum

<sup>1</sup> C. Sacris 5 de his quæ vi.

<sup>2</sup> 1, 2, q. 76, a. 2. — V. Liguori, Op. Mor., l. V, Tract. præamb., n. 26. In moralibus autem error et ignorantia promiscue usurpantur. — Ferraris, Bibliotheca Canonica, etc., v<sup>o</sup> Ignorantia, ubi plura disserit.

legi esse contrarium. Sic qui novit quidem legem carnis esum vetantem die veneris, sed nescit cibum in mensa sibi appositum esse carnem, iste versatur in ignorantia facti.

2. Ex parte voluntatis alia est *antecedens*, alia *consequens*, alia *concomitans*. — *Antecedens* ea est, quæ assensum voluntatis antecedit, neque nullo modo volita est; causa tamen est volendi id, quod quis non vellet si sciret. Uti si quis interficiat hominem putans esse feram, non interfectorius, si sciret esse hominem. — *Consequens* est illa, quæ a libera voluntate procedit, ac directe vel indirecte volita est. Uti si quis ideo omittat consilium petere, ne forte audiat illicitum esse id, quod ipse vult perpetrare. — *Concomitans* vero est illa, qua quis ignorat quod agit, sed adhuc ageret, licet non ignoraret. Talis est illius ignorantia, qui v. g. percutit Titium putans esse Caium, adhuc tamen percussurus, si sciret illum esse Titium.

3. Ex parte intellectus alia est *invincibilis*, alia *vincibilis*. — *Invincibilis* illa est, quæ communi adhibita diligentia vinci non potest, cum nulla cogitatio nec erroris dubium veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur, vel cum actionis causam ponit; ac proinde independens est a voluntatis consensu. — *Vincibilis* vero ea est, quæ morali ac communi adhibita diligentia (quam scilicet viri prudentes in similibus adhibere solent), debet et potest vinci ab operante, vel quia errorem jam advertit, vel saltem dubitat de errore, advertitque simul ad obligationem errorem illum vincendi, sed negligit illum vincere.

Ipsa autem ignorantia vincibilis subdividitur in *affectatam*, *crassam* et *pure vincibilem*. *Affectata* ea est, quam quis affectat habere, seu in qua dato studio versari vult; ut si quis velit de industria ignorare legis præcepta, vel ut excusationem habeat peccati commisi, vel ne a peccato committendo retrahatur, juxta illud: *Noluit intelligere, ut bene ageret*<sup>1</sup>. Hæc ignorantia est in illis, qui data opera neque conciones et catecheses adeunt neque consilium petunt, ne a malo proposito deterreantur. *Crassa* est in eo, qui licet ignorantiam

<sup>1</sup> Psal. xxxv.

studiose non quærat, nullam tamen diligentiam adhibet in veritate indaganda; hæc dicitur etiam *supina*, quia crassi et pingues et qui supini jacent, desides esse solent. Denique *pure vincibilis* seu simplex dicitur, cum quis adhibet aliquam diligentiam in veritate indaganda, sed valde modicam, inspecta rei gravitate<sup>1</sup>.

23. Q. 2. *An ignorantia tollat vel minuat voluntarium et peccatum?*

R. Discurrendo per præcipuas ignorantiae species. Igitur:

1. *Ignorantia antecedens* tollit omnino voluntarium; cum ipsa sit a voluntatis consensu omnino independens: imo contra totalem inclinationem voluntatis. Cum autem talis ignorantia non sit volita, neque peccaminosa esse potest.

2. *Ignorantia concomitans* non causat neque voluntarium neque involuntarium; quia neque inducit ad volendum, neque ad non volendum; sed per accidens omnino se habet ad opus quod agitur, nihilque in illud influit.

3. *Ignorantia consequens*, si pure vincibilis (quod valet cum proportione etiam de crassa) non tollit quidem voluntarium neque peccatum, quia est saltem indirecte volita in sua causa, id est in negligentia discendi; sed illud minuit, quia minuit aliquantulum intellectus cognitionem. Si vero sit affectata, non minuit voluntarium, imo est indicium voluntarii valde intensi, sub quo respectu et peccatum auget: *Cum ergo aliquis directe vult ignorare, ait Angelicus, ut a peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum nec in toto nec in parte, sed magis auget; ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit ad hoc, quod libere peccato adhaereat*<sup>2</sup>.

24. Q. 3. *Quid est concupiscentia et quotuplex?*

R. ad 1: *Concupiscentia* communiter definitur: *Motus appetitus sensitivi*, seu motus, qui operatur non tantum in anima; sed etiam in aliqua sensibili corporis parte, saltem in corde, illud nempe intensius movens ad bonum reale vel apparens, aut ab eo quod repræsentatur uti malum, intensius

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 3, 26 et 168. — <sup>2</sup> Q. 3, *De malo*, a. 7.

retrahens. Hoc ut plenius intelligatur, sciendum est, sæpe nos in corpore nostro quasdam commotiones pati, quæ ad aliquid nos vehementer impellunt et excitant: hæc porro *passiones* dicuntur, quæ absit, ut in se malæ sint; sunt enim ab auctore naturæ, et esse possunt incitamenta virtutum: sic v. g. miles desiderio veræ gloriæ excitatus fortius dimicat. — Quia tamen in præsentī naturæ corruptæ statu plerumque homines ultra limites, intra quos stat virtus, abripiunt; ideo passionibus vulgari sensu uti malæ motiones habentur, quas quidem Theologi sub nomine *concupiscentiæ*, seu *fomitis peccati* designant. Unde nomine *concupiscentiæ* hic intelligimus quemdam motum appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis, qui tendit in bonum delectabile: et hoc sensu ab Angelico definitur *concupiscentia: Pronitas ad inordinate appetendum (E)*<sup>1</sup>.

R. ad 2.: Concupiscentia duplex est: altera *antecedens*, quæ omnem voluntatis actum antevertit, et in eundem influit: sic v. g. viso inimico, statim excitatur appetitus vindictæ; *consequens* altera, quæ ex præcedenti voluntatis actu consequitur, a quo ipsa pendet tanquam effectus a causa: uti si quis libros obscenos legeret ad libidinem excitandam. — Utraque autem vel gravis est vel gravissima: illa rationis usum turbat aliquantisper; hæc eundem penitus extinguit.

25. An (quæres) *concupiscentia tollat vel minuat voluntarium, atque peccatum?*

R. Si agitur de concupiscentia gravissima, patet per eam voluntarium tolli omnino, ideo etiam peccatum; cum enim hæc auferat ipsum rationis usum, nullum potest amplius superesse voluntarium, nulla imputabilitas. Si autem agitur de concupiscentia gravi, distinguendum est: vel hæc gravis concupiscentia est *antecedens*, vel est *consequens*.

1. Si sit *antecedens*, ordinarie loquendo voluntarium sub aliquo respectu auget, sub alio vero minuit. Auget ratione

<sup>1</sup> De malo, q. 4, a. 2. — V. Liguori, Op. Mor., l. V, n. 23, Tract. præamb. — La concupiscentie, en général, est un désir ardent, un mouvement intérieur, un penchant qui nous porte plus ou moins fortement vers un objet sensible et agréable à la nature. Gousset, Théol. Mor., t. I, n. 21. — V. Balmès, l'Art d'arriver au vrai, c. xxii, n. 37.

objecti, quod voluntatem inflamat, efficitque, ut in objectum illud majori cum inclinatione feratur. Minuit autem ratione circumstantiarum; quia minuit cognitionem eorum, in quibus est actio, et impedit quominus mens rapta ab objecto illo delectabili, in quod tendit, perpendere valeat turpitudinem actus, offensam Dei, salutis perniciem, etc.: quo sensu et peccatum ipsum minuit. — Diximus *ordinarie loquendo*; quia fieri quandoque potest, ut qui agit ea concupiscentia, agat cum aliqua repugnantia. Sic v. g. ageret avarus libidinosus, qui ad seducendam mulierem deberet ingentem summam profundere: hæc tamen repugnantia non oriretur a concupiscentia ipsa, sed ex alia circumstantia, nempe illius hominis tenacitate: ideo tunc peccatum non minuitur.

2. Si vero sit *consequens*, ea aliquantulum quidem minuit voluntarium ex parte cognitionis, quia agentem excæcat; sed illud auget ex parte propensionis, quia agentem facit in actionem suam magis propensum. Cum autem prædicta voluntarii imminutio ex parte cognitionis oriatur a voluntate ipsius agentis, hinc concupiscentia consequens proprie non minuit, sed magis auget peccatum. Ideo Angelicus: *Passio consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quod quanto aliquis majore libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat*<sup>1</sup>.

26. Q. 4. An liceat se negative habere circa motus indeliberatos concupiscentiæ, neque illis positive resistendo, neque illis consentiendo?

R. Certum est motus indeliberatos concupiscentiæ seu sensualitatis non esse imputabiles; cum nullus eis accedat voluntatis consensus. Hinc Tridentinum docet, concupiscentiam non posse nocere non consentientibus, imo coronatum iri qui legitime certaverit<sup>2</sup>. Quia tamen illi actus ad peccatum de facili inducunt et eor subvertunt, ideo recta ratio vult, ut illis positive resistatur, saltem per aliquem simplicem displi-

<sup>1</sup> 1, 2, q. 77, a. 6. — <sup>2</sup> Sess. v, c. v.

centiæ actum. Excipe nisi quis ex positiva resistantia didicerit eos fieri majores; tunc melius est, ut se ad alia convertat.

Sed (quæres) graviterne, an leviter peccet qui positive non resistit, sed negative se habet ad motum appetitus sensitivi circa objectum sub mortali prohibitum, quando ex positiva resistantia non timet illum fieri majorem? Certum est, esse mortale motum illum permittere, si inde timeatur periculum consensus; nam eadem obligatione, qua quis tenetur vitare peccatum, tenetur etiam vitare periculum peccandi. Hoc autem periculum judicabitur adesse, tum ex qualitatibus poenitentis, si v. g. sit tenuis virtutis, qui jam alias consenserit; tum ex materia delectationis si multum sit periculosa in se, ut communiter censetur, si superveniat delectatio venerea; quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque si positive non repellantur (saltem per actum simplicis displicentiæ) trahunt secum consensus voluntatis. Quo tamen consentiendi periculo præcluso, vera sententia docet cum Angelico, non esse mortale, sed veniale tantum motibus illicitis positive non resistere. Et sane peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione; quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, quæ cum non consentit positive, non committit mortale. Committitur tamen veniale, in quantum homo cavere debet, ne appetitus malus turbet vel leviter, atque trahere incipiat post se voluntatem (F)<sup>1</sup>.

27. Quod de concupiscentia dictum est, valet etiam ac magis de habitu, qui est quædam agendi facilitas, ac promptitudo iteratis actibus comparata. Hac qui tenentur, absit ut a peccatis excusentur: uno potius gravius peccant, quia propensius in malum feruntur. Hinc monet Bouvier: *Discant juvenes libidines suas coercere; experientia enim eo stat, eas in teneris annis non egre refrænari: tunc facilis et jucunda est perseverantia. Qui vero liberius eis indulgent, graves sibi imponunt catenas, quas postea difficile solvent.* Siquidem, ut ait Augustinus, dum consuetudini non resistitur fit necessitas; seu consuetudo et habitus vertitur in naturam, quin desinat esse peccatum. Nescio, habet D. Bernardus, quo pravo et miro modo ipsa sibi voluntas peccato in deterius mutata, neces-

<sup>1</sup> 2, 2, q. 74, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 6.

sitatem faciat; ut nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem.

## CAPUT SECUNDUM

### DE LIBERTATE

#### 28. Q. 1. Quid est libertas?

R. Libertas in genere est immunitas a servitute et subjectione: unde totuplex libertas quotuplex servitus. Triplex autem præcipue adsignari solet: *Triplex nobis* (ait S. Bernardus) *proposita est libertas: a necessitate, a peccato, a miseria. Primam contulit nobis Deus in conditione naturæ; in secundam restauramur a gratia; tertia nobis reservatur in patria*<sup>1</sup>. Agendo autem de actibus humanis, duplicem libertatem distinguunt Moralistæ, unam a coactione, alteram a necessitate.

Prima est immunitas ab omni violentia seu ab omni principio extrinseco ad aliquid determinante contra voluntatis propensionem; sive est libertas qua quis sponte et libenter agit, etsi agat ex necessitate suæ naturæ: talis est libertas qua Deus seipsum diligit, qua beatus Deum amat, qua homo prosequitur bonum generatim. — Secunda est immunitas ab omni principio seu causa sive exteriori sive interiori necessario determinante ad unum, licet ea determinatio sit juxta voluntatis inclinationem<sup>2</sup>; sive est libertas, qua voluntas non

<sup>1</sup> *De Grat. et Lib. Arbitrio.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 54.

<sup>2</sup> *Coactio* est vis externa contra voluntatis inclinationem illata: uti si quis nolens detrudatur in carcerem: unde libertas a coactione importat dumtaxat immunitatem a tali vi, et dicitur etiam *spontaneitas*. *Necessitas* autem est ineluctabilis determinatio ad unam juxta inclinationem voluntatis orta ex naturali instinctu. Unde libertas a necessitate importat immunitatem ab hac quoque determinatione, quæ est juxta voluntatis inclinationem, et dicitur etiam libertas *electionis, indifferentiæ et arbitrii*. — V. Barruel, *Les Helviennes ou Lettres provinciales philosophiques*.

solum sponte ac libenter agit, sed etiam cum tali suorum actuum dominio, ut possit æque non agere, seu eligere vel non eligere: et hæc sola est, quæ proprie libertatis nomen sibi vindicat et liberum arbitrium nuncupatur. Definatur autem hæc libertas *vis electiva, seu facultas eligendi vel non eligendi pro libitu*<sup>1</sup>.

Eligere autem duos saltem terminos comparationis exigit, alioquin optio seu facultas eligendi non haberetur; qui enim determinatus ad unum est, non habet objectum, in quod electio cadat. Termini autem comparationis, circa quos voluntas se exercere valet, multiplicēs sunt: voluntas enim vel unum eligit e duobus contradictoriis quidem, sed non pugnantibus inter se, uti sunt amor et non amor: et dicitur *libertas contradictionis*, et etiam *exercitii*, quia per eam homo potest actum exercere, aut non; vel ad unum per electionem se determinat ex duobus omnino contrariis, et pugnantibus inter se, uti sunt amor et odium: et dicitur *libertas contrarietatis*; vel denique se determinat per electionem ad unum ex pluribus specie diversis, uti sunt oratio, studium, ludus: et dicitur *libertas specificationis vel disparitatis*.

29. Q. 2. *Utrum potentia peccandi sit de ratione liberi arbitrii?*

R. Potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii, imo est liberi arbitrii imperfectio. Sane quod suam habet originem a sola debilitate cognitionis et amoris, illud est liberi arbitrii imperfectio; atqui talis est potentia peccandi. Cur enim peccamus? nisi quia Deum nec perspicue et perfecte cognoscimus, nec diligimus quantum diligere debemus. Hinc in cœlo, ubi Deum videbimus *facie ad faciem*, cessabit peccandi facultas, nec tamen cessabit liberum arbitrium. *Quid erit liberius, inquit D. Augustinus, libero arbitrio, quando non poterit servire peccato?* Et S. Anselmus ait: *Si posse peccare esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent, quod est ab-*

<sup>1</sup> D. Thomas, 2, d. 24, q. 1, a. 1, ad. 2.

<sup>2</sup> De Corrupt. et Grat., c. xi.

*surdum*<sup>1</sup>. Merito ergo Apostolus: *Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas*<sup>2</sup>.

Quoties igitur libertas describitur potens ad bonum ac malum, non illius essentia proprie attingitur, quæ solum sistit *in vi eligendi*; sed consideratur prout nunc est in hominibus viatoribus (G).

30. Q. 3. *In quonam veræ libertatis, seu liberi arbitrii essentia sita est?*

R. Bucerus, Baius, Jansenius, aliique post Tridentinum hæretici docuerunt ad liberi arbitrii essentiam requiri immunitatem *a coactione*, non vero *a necessitate*. Sed hoc falsum omnino; essentia enim veræ libertatis est reponenda in facultate eligendi vel non eligendi, sive in immunitate ab omni necessitate.

Prob. 1. *ex Sanctis Patribus*: S. Gregorius Nazianzenus ait: *Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet*<sup>3</sup>. Et S. Damascenus: *Arbitraria ac nobis libera sunt quæ in utramque partem æque contingere possunt, veluti moveri et non moveri, appetere et non appetere*<sup>4</sup>.

2. *Ex summis Pontificibus*: S. Pius V, Gregorius XIII diris devoverunt has Baii propositiones: 1<sup>a</sup> est *quod voluntate fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit*; 2<sup>a</sup> est: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*<sup>5</sup>.

3. *Ex Tridentino*: *Si quis, ait, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invecum in Ecclesiam, anathema sit*<sup>6</sup>. Atqui liberum arbitrium, sublata potentia agendi et non agendi, res esset de solo titulo, imo titulus sine re.

4. *Ex Theologis*: instar omnium sit ille Theologiæ Catholicæ sol fulgidissimus S. Thomas, qui scribit: *Dominium autem quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus*

<sup>1</sup> De Lib. Arb., c. 1. — De Libertate Angelorum; vid. Gazzaniga, ubi De libertate Christi.

<sup>2</sup> II Cor. iii. — F. Liguori, Op. Mor., l. V, Tract. præamb., n. 33. Hom. Apost., tract. III, n. 7.

<sup>3</sup> In Apolog. — <sup>4</sup> I. II Ort. fidei, c. xxvi. — <sup>5</sup> Na. 39 et 66.

<sup>6</sup> Sess. vi, can. 5.

*est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causa exterius agentis*<sup>1</sup>.

5. *Ex ratione*: liberum arbitrium, ipsa docente ratione, est vis electiva, id est potentia sese determinandi ad unum per electionem; atqui potentia hæc omnem excludit necessitatem intrinsecam antecedentem: *eligi enim proprie non dicitur, nisi quod potest tam fieri quam non fieri, tam poni quam omitti*. Adde: liberum arbitrium et voluntarium stricte differunt; sed non differunt nisi, quod liberum superaddat voluntario immunitatem ab omni necessitate simplici.

31. Q. 4. *An admittenda sit in homine etiam post Adæ peccatum libertas a necessitate seu liberum arbitrium?*

R. Etsi quilibet homo suo in animo invictissima gerat argumenta veræ libertatis, quam *cantant et in montibus pastores et in theatris poetæ, et indocti in circulis et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis et in orbe terrarum genus humanum*<sup>2</sup>; non defuere tamen qui in eam de medio tollendam icto quasi sædere conjuraverint. Tales fuere: — 1. Stoici, qui ferream necessitatem admittebant; — 2. Manichæi, qui homines ad bonum aut ad malum a principio summe bono, vel summe malo impelli docuerunt; — 3. astrologi sic dicti *judicarii*, qui in diversos siderum influxus humanas refundebant actiones; — 4. Lutherani et Calvinistæ, qui pronuntiare non erubescunt hominem ad bonum per Dei gratiam, ad malum autem per concupiscentiam protrudi vi quadam ineluctabili; — 5. omnes ferme hodiernæ incredulitatis magistri, uti Collinij, Hobbesius, Helvetius, Spinosus, alique; — 6. et maxime Jansenistæ, qui Jansenii magistri vestigiis inherentes docent per Adami peccatum liberum arbitrium extinctum fuisse; ideoque in præsentis statu naturæ lapsæ homini inesse solam libertatem a coactione<sup>3</sup>.

Sed cum in Lutheranis et Calvinistis errorem hunc jam

<sup>1</sup> L. I. cont. Gent., c. LXVIII. — <sup>2</sup> Augustinus, *De Duab. Animab.*, c. XI.

<sup>3</sup> Immanem hanc jansenistarum doctrinam ab Hobbesii impietate desumptam fuisse evidentissime probat Comes de Maistre in suo *Libro de l'Église gallicane*, c. IV, *Analogie de Hobbes et de Jansenius*.

proscripsisset Tridentinum, quid Janseniani versipelles semper et falsi? Ut fucum facerent et simpliciores deciperent, verba adhibuerunt apparenter catholica, sed in se prorsus hæretica. Concedunt nimirum, dari adhuc in hoc statu naturæ lapsæ liberum arbitrium; sed simul volunt eo nomine indicari solam libertatem a coactione vel a necessitate invariabili. Nempe concedunt libertatem variare quidem, quatenus modo ad bonum, modo ad malum inclinatur; sed eorum mens est, hominem aut ad unum aut ad aliud insuperabiliter inclinari<sup>1</sup>. Contendunt autem hanc libertatem in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum sufficere. Quæ omnia eo semper natura sua tendunt, ut liberum arbitrium omnino tollant, atque omnibus vitis latam viam aperiant. Sit ergo:

32. *Propositio 1<sup>a</sup>: De fide est, in præsentis statu naturæ lapsæ, hominem habere libertatem a qualibet necessitate intrinseca, antecedente, etiam voluntaria et variabili ad sensum Jansenistarum.*

Prob. 1. *Ex Scripturis*: in *Deuteronomio* sic Moyses Dei nomine Israelitas, utique in statu naturæ lapsæ constitutos, alloquitur: *Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem: elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus*<sup>2</sup>. Jam vero si Israelitæ caruissent libertate ab omni necessitate etiam voluntaria et variabili, ad sensum Jansenistarum, exhortatio illa fuisset nugatoria ac ridicula; cum vita vel mors non ab eorum electione, sed vel a gratia vel a concupiscentia semper esset repetenda. Et Josue ad Judæos conversus ait: *Si malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet*<sup>3</sup>.

2. *Ex Patribus*: S. Augustinus scribit: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium*

<sup>1</sup> Quare in eorum sententia quidquid a nobis fit sive bonum sive malum, illud est ex necessitate intrinseca, antecedente, insuperabili; quia gratiæ divinæ delectatio major seu intensior movet insuperabiliter voluntatem ad bonum, antecedenter ab omni ejus libero actu; delectatio vero major concupiscentiæ movet insuperabiliter voluntatem ad malum.

<sup>2</sup> Deut. XXX. — <sup>3</sup> Jos. XXIV.



de humano genere<sup>1</sup>? Et sanctus Athanasius inquit: *Anima libera est et sui arbitrii; potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari*<sup>2</sup>.

3. *Ex auctoritate SS. Pontificum*; enim vero S. Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII, Innocentius X toto semper pectore adversus Jansenii et Jansenistarum doctrinas pugnavere Bullis et Constitutionibus Apostolicis, uti erudite probat Canonicus Mozzi<sup>3</sup>.

4. *Ex Tridentino*, definivit enim: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana inventum in Ecclesiam, anathema sit*. Iterum: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere... anathema sit*<sup>4</sup>.

5. *Ex ratione ipsa*. Sane si homo lapsus careret libertate, de qua dicimus: 1. homo teneretur ad impossibile: teneretur nempe observare præcepta divina, quæ tamen necessario frangeret, quoties ea non servaret, utpote a majori concupiscentia victus insuperabiliter; 2. homo in statu naturæ lapsæ non amplius mereretur et demereretur; cum sine libertate ab omni necessitate intrinseca antecedenti dari nequeat neque meritum, neque demeritum; 3. tandem homines scelesti justam haberent excusationem suorum criminum, videlicet in necessitate antecedenti peccandi. Viri autem probi frustra conatum adhiberent ad virtutem colendam, nec magis laude digni forent, quam improbi; siquidem utrique facerent quod non possent non facere. « Quel est l'insensé, ad rem Taparelli, qui ne distingue entre les chaînes du galérien et celles du fou? En quoi consiste la différence si ce n'est dans le libre arbitre, par lequel le premier est un coupable, tandis que dans l'aberration du second nous ne voyons qu'un malheureux? »

<sup>1</sup> L. I ad Bonif., c. II. — <sup>2</sup> Orat. contra Idola.

<sup>3</sup> *Compendio storico cronologico dei più importanti giudizi portati dalla Santa Sede Apostolica sopra il Bajanesimo, Giansenismo e Quesnelismo*. — <sup>4</sup> Sess. VI, cap. V, et can. 8.

<sup>5</sup> *Saggio teoretico*, ecc., § 47. At plura solent opponi tum ex Patribus, tum ex Scriptura: quæ omnia facillime solvantur, si hoc maxime adverta-

33. *Propositio 2<sup>a</sup>: De fide est ad merendum vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate*.

Prob. 1. *Ex Scripturis*: ex Ecclesiastico solus ille meretur mercedem æternam, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit<sup>1</sup>. Ex Apostolo ille solus meritum consequitur et laude dignus est, qui non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis judicavit in corde suo servare virginem suam<sup>2</sup>.

2. *Ex SS. Patribus*: S. Hieronymus ait: *Ubi necessitas est, nec corona est*<sup>3</sup>. Sed audiendus S. Augustinus, quem tanto obsequio se prosequi affectant Jansenistæ: *Dicere animas et esse malas et nihil peccare, plenum est dementiæ. Dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insanix. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus*<sup>4</sup>. Hoc testimonium decretorium est contra Jansenistas; cum indicet distinctionem libertatis a necessitate et libertatis a coactione, atque expresse teneat magnum esse deliramentum in eo, qui asserit animum nostrum peccare sine voluntate, id est sine libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi. Quod certe dicendum esset, si ad merendum

tur. Nempe Patres a toto contextu sunt dijudicandi; cum enim eorum temporibus exorta nondum esset hæc quæstio, non ita rigore sunt locuti. Hinc aliquando voluntarium ac spontaneum pro libero sumunt; item necessitatem cum vi et coactione confundunt. Scriptura vero, quando videtur hominibus electionem denegare, vel loquitur de motu indeliberato, ut Rom., vi: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*. Vel loquitur de voluntate efficaci, ut Math., vi: *Non potest arbor bona malos fructus facere*; nempe homo habens voluntatem efficacem, quandiu illam habet, non potest malum agere. Vel tantam vult innuere, hominem propriis viribus nihil posse in ordine salutis; quo sensu iterum Rom., ix: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. — V. Billuart, Perrone, Knoll; item Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> Libre arbitre. — <sup>1</sup> Cap. XXXI. — <sup>2</sup> I Cor. vii. — <sup>3</sup> L. II, contra Jovin.

<sup>4</sup> L. De Duab. Animab., c. II.



vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas ab omni necessitate. — Augustini sententiam fidelissime sectatur Angelicus sic dicens: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogere...* Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus<sup>1</sup>.

3. *Ex communi consensu*: Cur quidquid bene vel male agunt amentes et furiosi, nullo modo iisdem tribuitur laudi vel culpæ, licet sponte et voluntarie agant? profecto quia constans est et universalis omnium gentium non excæcatorum consensus, homines ideo tantum esse laude aut vituperatione, præmio aut pœna dignos, quia in iis quæ agunt, immunes sunt ab omni necessitate. Hinc merito uti hæreticam Innocentius X damnavit hæc thesim Jansenii: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Et S. Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII unanimiter proscripserunt illam Bau propositionem: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*<sup>2</sup>.

34. *Sed (dices) si ita est, in quonam ergo liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum dicitur læsum, et viribus attenuatum?*

— Dicitur læsum et viribus attenuatum non solum, quia per Adæ peccatum voluntas hominis expoliata fuit dono justitiæ originalis et speciali illa providentia, quæ sic regebat hominem, ut sua in potestate teneret omnes corporis et animi motus; sed maxime quia propter ignorantiam, propter vitium corporis temperamentum, et effrenatam concupiscentiam indesinenter ad malum impellentem, voluntas nostra bonum honestum ita fastidit, ut nihil salutare velle et agere possit sine auxilio gratiæ potentioris ea, qua indigerit Adam in statu originalis. Imo sine gratiâ homo lapsus ne potest quidem actus honestos

<sup>1</sup> Quæst. vi, De Malo, a. 1.

<sup>2</sup> Non tamen absolute requiritur ad merendum vel demerendum libertas contrarietatis; adhuc enim vera libertas a necessitate habetur in eo, qui actum potest ponere aut non ponere, vel unum eligere ex duobus specie diversis: ideoque sufficit libertas contradictionis et specificationis. Ita Sancti qui fuerunt in gratia confirmati, vere liberi erant ac merebantur, quamvis essent impeccabiles, et malum agere non possent; neque enim posse peccare est de essentia veræ libertatis.

mere naturales arduos exercere, quos tamen cum ordinario Dei concursu actuali elicere potuisset in statu innocentie. Hinc ad rem D. Augustinus: *Libertas perit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit (H)*<sup>1</sup>.

35. Q. 5. *Quodnam est subjectum et objectum libertatis?*

R. ad 1: Subjectum libertatis aliud est immediatum, et est facultas illa, quæ dicitur libera; aliud mediatum seu denominationis, et est natura seu suppositum, cui libertas convenit. Hoc posito dicimus: libertatis subjectum immediatum est sola voluntas; quia libertas est vis electiva, eligere autem solius est voluntatis; mediatum vero est omnis et sola natura intellectualis; nam omnis et sola natura intellectualis cognoscit finem et media, uti media ad finem conductiva; et ipsa sola potest unum præ alio eligere. Etiam animalia bruta (inquit Angelicus) quædam agunt iudicio, sed non libero; quia non ratiocinatione, sed ex naturali instinctu hoc judicant. Sed homo agit iudicio, et iudicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione qualibet rationis: ideoque agit libero iudicio potens in diversa ferri<sup>2</sup>.

R. ad 2: Objectum libertatis dicimus illud omne, circa quod humanæ voluntatis libertas potest exerceri. Jam vero finis ultimus ut talis consideratus seu bonum in communi, non potest esse objectum et exercitium humanæ libertatis: felices enim omnes esse volumus non ex electione, sed ex naturæ ipsius impulsu. — Illud ergo constituemus in omnibus bonis particularibus sive veris sive apparentibus; bona enim particularia sive vera sive apparentia nobis exhibentur cum

<sup>1</sup> Ad Bonif. contra Pelag. Nempe ut proprie loquamur cum doctissimo Perrone (*Prælect. Theol. Compendium*, vol. I), dum homo per peccatum excidit e statu originalis justitiæ, nihil amisit ex essentialibus nature suæ, sed solum dona eidem naturæ gratuito ex pura Dei liberalitate superaddita: seu, quod idem est, si statum peccati excipias, homo nunc nascitur prout a Deo constitui poterat sine gratiâ, sine immortalitate, sine immunitate a concupiscentiæ lucta. En mens Tridentini dum definit: *Si quis non confitetur... totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit* (sess. v, Decret. de pecc. orig.). Id est læsus fuit homo per lapsum tum in supernaturalibus, tum in naturalibus gratuitis, non vero in naturalibus essentialibus et naturæ humanæ propriis. Hinc patet ignorantiam, concupiscentiam aliaque incommoda, quibus urgemur, non alio sensu vocari posse læsiones seu vulnera nature, quam habito respectu ad statum primævum protoparentum, minime vero absolute et in se.

<sup>2</sup> 1, p. q. 85, a. 1. — V. Tullius, l. I, De Offic., c. iv. — Bossuet, *Traité de la connaissance de Dieu et de soi-même*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 52. — Balmes, *Étique*.

admixture alicujus mali sive veri sive apparentis, aut saltem uti finita, defectibilia et insufficientia. Ea itaque possunt a nobis eligi vel non eligi, retineri vel respui: et sub hoc sensu dicuntur constituere objectum et exercitium libertatis humanæ<sup>1</sup>.

36. Q. 6. *Quodnam est libertatis impedimentum?*

R. Quod adversatur libero, dicitur libertatis impedimentum. Hoc autem est *necessarium*, quod generice definitur: *ad unum determinatio*. Quæ quidem determinatio seu necessitas multiplex est:

1. Alia est *physica*, alia *moralis*. Illa est, cui nullimode potest resisti. Hæc, cui resisti potest absolute, sed difficulter.

2. Alia est *exercitii*, alia *contrarietatis*. Illa determinat ad actum, quin potestatem relinquat ab eo abstinendi: hac necessitate se ipsum amat Deus; neque enim potest abstinere ab amore sui. Hæc vero determinat ad unam actus speciem sine potestate ad oppositum: hac necessitate Christus ferebatur in bonum, ita ut non posset agere malum.

3. Alia est *antecedens*, alia *consequens*. Antecedens (seu absoluta) est quæ antecedit usum rationis ac voluntatis: ut contingit in motibus primo-primis. Consequens (seu hypothetica) est quæ sequitur liberum voluntatis consensum ac determinationem: sic necesse est velle studere, cum quis se determinavit ad studendum.

4. Tandem alia est *coactionis*, et hæc idem est ac violentia, quæ oritur a principio extrinseco, et est determinatio ad aliquid contra propriam inclinationem, ut cum quis nolens in carcerem truditur. Alia est *inclinationis* seu *naturalis*, quæ nempe sita est in quadam determinatione, seu propensione voluntati insita ab ipsa natura: uti est necessitas beatitudinis. Hac necessitate beati Deum diligunt.

<sup>1</sup> F. S. Thomas, 1, 2, q. 10, a. 2.

## CAPUT TERTIUM

## DE MORALITATE EJUSQUE FONTIBUS

37. Q. 1. *Quid est actuum humanorum moralitas?*

R. Omnes cum D. Thoma Theologi in quolibet actu humano duplicem quasi naturam sive *esse* distinguunt, nempe *physicum* et *morale*. Actus humanus spectatus secundum suum *esse physicum*, sive in genere naturæ, est actus, qui a libera hominis voluntate proficiscitur. Actus vero humanus secundum suum *esse morale*, sive in genere moris, est ipse actus prout congruit vel repugnat regulis morum; ideoque actuum humanorum moralitas in genere est *eorum convenientia cum regulis morum, vel ab iisdem discrepantia*. Hinc tritum illud: *Actionem humanam fieri vel moraliter bonam, si cum morum regulis congruit; vel moraliter malam, si ab iisdem discordat*.

38. Q. 2. *Quænam sunt regulæ morum, et in quo constituendæ?*

R. Conveniunt omnes, quod morum regulæ debeant esse rectæ, certæ et obligatoriæ. *Rectæ*, secus non essent laudandæ nec tenendæ. *Certæ* quoad praxim, alioquin homo se committeret errandi periculo. *Obligatoriæ*, ut valeant homines obstringere. — Sed in quonam præcise constituendæ sint, non conveniunt: nos omissis obscuris quibusdam scholarum loquendi formulis, cum Continuatore Tournely aliisque communiter dicimus, morum regulas esse constituendas *in recta ratione*, ita ut bonitas moralis actus humani sita sit in conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione; malitia autem consistat in ejus discrepantia seu diffinitate a recta ratione<sup>1</sup>. *Rectum factum nullo modo esse potest*, ait Augustinus, *quod non a recta ratione proficiscitur*<sup>2</sup>.

Cum autem recta ratio duplex distinguatur, una increata quæ in mente divina existit, et lex æterna dicitur, altera creata quæ est lumen a Deo creaturæ rationali impressum,

<sup>1</sup> F. Liguori, *Op. Mor.*, 1. V, *Tract. præamb.*, n. 54.

<sup>2</sup> *De Util. credend.*, c. XII.

seu ipsa legis æternæ cognitio; ideo nil mirum, si vulgo etiam duæ adsignentur morum regulæ, nempe ratio humana tanquam regula proxima, et lex æterna tanquam regula remota juxta illud D. Thomæ: *Regula voluntatis humanæ est duplex: una propinqua et homogenia, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei*<sup>1</sup>. Utamque regulam probant *Scripturæ*; de ista legitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*<sup>2</sup>. De illa autem habetur: *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ; hoc est enim conservatio mandatorum*<sup>3</sup>.

39. Hinc collige: — 1. morum regulam non constitui a libertate, licet et ipsa concurrere debeat; quia liber concipitur actus, antequam sit moralis; — 2. neque ipsam pariter esse collocandam in solo utili ac delectabili; si enim quod placet, illud semper prosequi et amplecti liceret, omnia passim pessumdarentur, propria cupiditas modum non haberet, et quanto quis esset audacior, tanto esset honestior: quod rectæ rationi repugnat. Consentientes habemus philosophos morales, uti sunt Genuensis<sup>4</sup>, Muratori<sup>5</sup>, Galuppi<sup>6</sup>, Olivieri<sup>7</sup>, Cardella<sup>8</sup>, Liberatore<sup>9</sup>, Balmes<sup>10</sup>, etc.

40. Q. 5. Quot sunt moralitatis species?

R. Duæ solent moralitatis species ab omnibus indicari: *bonitas* nempe et *malitia*. Bonitas consistit in ipsa conformi-

<sup>1</sup> 1, 2, q. 71, a. 6. Ex quo patet, rationem creatam hanc regulam constituere non quidem per se, sed prout substat legi æternæ. Hinc Angelicus 1, 2, q. 19, a. 4, ait: *Quod ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex quâ ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina, unde in Ps. iv dicitur: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, quasi diceret, lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est a vultu tuo derivatum.*

<sup>2</sup> Ps. cxviii. — <sup>3</sup> Eccl. xxxi.

<sup>4</sup> De principiis legis naturæ. — <sup>5</sup> Philos. moral., c. xxiii.

<sup>6</sup> Filos. mor., ecc. — <sup>7</sup> Filos. mor. — <sup>8</sup> Trattato d'Etica.

<sup>9</sup> Elem. di Filos.

<sup>10</sup> *Ethique*, etc. Vid. it. Barruel, *les Helviennes*. — Manzoni, *del Sistema che fonda la morale sull'utilità*. Item Taparelli, *Saggio Teoretico*, § 1, et segg.

tate actionis humanæ cum morum regulis; malitia in ejusdem conformitatis defectu<sup>1</sup>.

Sub duplici autem respectu considerari potest bonitas vel malitia moralis, *objective* et *subjective*. Objective spectata est ipsa actionis conformitas vel discrepantia in se, et in ipso objecto considerata independenter ab agentis voluntate: hæc dicitur bonitas, vel malitia materialis. Subjective vero accepta ea est, quæ in ipsa voluntate agentis consideratur, et libere ab eo voluta est: hæc autem bonitas, vel malitia formalis solet in scholis appellari.

41. *Quidnam sunt* (quæres) *fontes moralitatis*? Fontes moralitatis dicuntur ea omnia, quorum vi actus humanus evadit moraliter bonus, vel malus. Tres autem solent enumerari, *objectum* nempe, *finis* et *circumstantiæ*: nam ex his tribus habet actus, ut sit bonus vel malus, melior vel peior.

#### Art. I. — De morali actionis objecto et fine.

42. Q. 1. *Quodnam est morale actionis objectum*?

R. Morale actionis objectum est id, circa quod primo et immediate versatur actus moralis: quare *objecti* nomine non intelligimus illud omne quod voluntati exhibetur in ordine ad mores; tunc enim complecteretur et finem et circumstantias. Sed sumitur stricte pro omni re ac persona, quæ primitus et per se attingitur ab actu: sic v. g. res aliena est objectum furti; persona humana est objectum homici-

<sup>1</sup> Disputant utrum etiam tertia species sit admittenda, nempe *indifferentia*, seu illud esse, quod ex se et natura sua non habet, quod sit vel bonum vel malum moraliter, ideoque quod sit conforme vel difforme cum morum regulis. — Alii cum Alasia affirmant; hi enim sumunt indifferentiam incomplete seu in abstracto et in se, non autem in individuo: quo sensu actus bene potest dici indifferens secundum speciem; quia ex specie sua non habet ut sit bonus vel malus, sed capax alterutrius, uti est deambulatio. — Alii negant cum Gonet; nam, inquiunt, omnis species moralitatis necessario terminare debet in aliquo individuo: at res quælibet in individuo spectata, si cum deliberatione fit, debet necessario congruere vel opponi morum regulis: si congruit, bona est; si non congruit, mala; non est ergo tertia species admittenda.

dii<sup>1</sup>. — Porro certum est actum humanum ab objecto suam moralitatem sumere, et quidem **primariam**. Ita Angelicus, alii- que communiter.

1. *Actus humanus sumit suam moralitatem ab objecto.* Sane actio ab eo sumit suam moralitatem, a quo habet, ut sit bona aut mala; atqui ab objecto habet actio, ut bona sit vel mala. Unde legimus de peccatoribus: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*<sup>2</sup>. Et D. Augustinus: *Talis quisque est, qualis est ejus dilectio: terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? quasi Deus es*<sup>3</sup>.

2. *Sumit moralitatem primariam.* Illa moralitas primaria dici debet quæ actui ante aliam quamcumque convenit, et quæ etiamsi aliæ mutantur, semper tamen eadem ipsa remanet; atqui moralitas ab objecto sumpta ante aliam quamcumque actui convenit, cum actus sine ea concipi nequeat, bene vero sine aliis: et aliæ mutari possint, ista vero nunquam mutetur. Sic furtum, quod quis in ecclesia committit ad se inebriandum, primario concipitur malum ratione objecti, quatenus est ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino: quæ injustitia furto inhæret, etiam mutato fine qui est ebrietas, et circumstantia, scilicet loci sacri.

43. *Quidnam (quæres) requiritur, ut actus humanus bonitatem vel malitiam ab objecto desumat?* — R. Ut actus humanus sumat bonitatem ab objecto, non sufficit, quod ista bo-

<sup>1</sup> Animadvertendum est, tale objectum non accipi *physice*, et secundum naturalem suam entitatem, sub quo respectu semper est bonum *bonitate nature*, ut aiunt, *et entis*, et potest dare speciem tam actui bono, quam malo: sic v. g. pecunia potest esse objectum materiale tam furti, quam restitutionis; tam avaritiæ, quam elemosinæ. Sed considerari *moraliter* quatenus convenit cum recta ratione et morum regulis, vel ab iisdem discordat; si convenit intrinsece et ex natura sua, uti amor Dei, erit immutabiliter bonum; si extrinsece tantum et vi legis positivæ, uti jejunium, poterit esse aliquando bonum, aliquando malum, ex fine nempe et circumstantiis. Hinc alii volentes strictiori loquendi formula uti, dicant actum humanum desumere suam moralitatem non ab ipso objecto, sed a modo tendendi in illud sive rationi consono sive dissono. Et hoc modo explicant odium Dei quod habet objectum optimum, et tamen est moraliter pessimum; quia voluntas fertur in Deum omni amore prosequendum modo rationi maxime dissono, scilicet odio habendo. (Ita Continuator Tournely.)

<sup>2</sup> Oseeæ ix. — <sup>3</sup> Tract. 2 in Joann.

mitas sit cognita; sed requiritur insuper, ut directe et explicitè sit volita. Quare? *Quia*, inquit Angelicus, *ad hoc, ut sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, hoc est quod velit bonum, et propter bonum*<sup>1</sup>. Hinc qui jejunaat, ut parcat sumptibus, nihil apud Deum meretur, quia bonum non intendit prout bonum est; nam bonum non nisi ex integra causa. Ceterum necesse non est, ut operans *in actu signato*, ut aiunt (seu reflexe) bonitatem actus intendat, v. g. ut dicat secum: *Volo id agere quia bonum est*; hoc enim esset onus importabile. Sed sufficit, ut eam intendat *in actu exercito*, nempe ut velit actum qua ratione bonus est: uti v. g. si in elemosyna intendat sublevare pauperem; jam enim vult bonum sub ratione boni.

Ut autem actus humanus malitiam desumat ab objecto, sufficit, ut ista sit cognita ac volita implicitè et indirectè; agit enim contra rectam rationem quicumque aliquid appetit, quo cum percipit conjunctam esse malitiam, licet hæc secundum se ipsi non placeat. Nec refert, quod, agendo de bonitate actus, ipsa bonitas directe appetenda sit: disparitas in eo est, quod bonitas moralis sive honestas est appetibilis secundum se, et ideo secundum se seu directe appetenda est: malitia vero exigit non solum quovis tempore ac loco, et a quavis persona fugi; sed etiam quovis modo, ac ideo etiam indirectè et implicitè: secus non omni modo vitaretur. Hinc qui se voluntarie inebriat, licet non velit directe privationem rationis et ipsam ebrietatis malitiam, sed solam intendat delectationem quam percipit ex ipso potu, turpiter tamen agit et peccat.

44. Q. 2. *Quid est finis?*

R. Finis definiri solet: *Illud, cujus gratia aliquid fit*. Hinc finis in agente dicitur etiam ejusdem intentio. — Trifaria est finis divisio: 1. in finem operis, et finem operantis; 2. in finem primarium, et finem secundarium; 3. in finem intermedium, et finem ultimum<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> 1, 2, q. 19, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 37

<sup>2</sup> Finis solet etiam dividi in finem *cujus gratia*, et in finem *cui*: prior est res, cui obtinendæ agens dat operam; secundus est persona seu ob-

*Finis operis* est ille ad quem opus ex natura sua, et independenter ab arbitrio et voluntate operantis dirigitur: qui inde dicitur finis proprius et intrinsecus. Sic levamen pauperis est finis eleemosynæ. *Finis operantis* est ille, qui ab ipsius operantis arbitrio eligitur et intenditur, et dicitur finis extrinsecus, finis proximus, qui in re morali maxime attenditur. Sic finis medici medicinam suppeditantis potest esse vel ægroti sanitas, vel pecuniæ aut gloriæ consecutio. — *Finis primarius* dicitur ille, qui influit in actum uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret. *Secundarius* dicitur ille, qui allicit tantum ad agendum, quin tamen sit actionis causa efficiens: sic canonicus interessendo choro, sacerdos celebrando missam primarie intendunt Dei cultum, secundarie stipendium. *Finis ultimus* est ille, ad quem omnia referuntur: est porro felicitas, in quam homo necessario fertur. *Finis* demum *intermedius* est qui ad alium refertur<sup>1</sup>.

46. Certum est autem hominem libere agentem aliquem semper finem sibi proponere, ideoque semper agere debere propter finem aliquem. Nam agere libere est aliquid eligere: eligere vero est aliquid sibi proponere: hoc autem quid est aliud, quam agere propter finem? Finis autem duo refert: *causam* quæ impellit ad operandum; ac *terminum*, quia, obtento fine, agens quiescit. Est porro finis ultimus in executione, licet sit primus in intentione; quia ut finis obtineatur, debent certo præire media<sup>2</sup>.

jectum, cui appetitur *finis gratia*. Sic in medico sanitas est finis *cujus gratia*, ægrotus est finis *cui*. — Item in finem *qui*, et finem *quo*: ille est quem consequi intendimus; iste est ipsius finis possessio. Sic Deus est finis *qui* hominis; visio beatifica finis *quo* seu formalis. Hæc divisio non est in duos fines, sed in duas res unum finem integrantes.

<sup>1</sup> Sic media, quibus studeat avarus ad augendam suam pecuniam, in qua collocat suam beatitudinem seu ultimum finem, dici possunt totidem *fines intermedii*. Ubi notamus hos fines plures esse posse, non tamen dari plures fines ultimos totales. Sane finis ultimus est, ad quem omnia referuntur; at si duo essent isti fines, non omnia dici possent ad ipsos referri, neque super omnia appeti et amari; quia amor esset divisus inter duos. Huc facit illud Matth., vi: *Nemo potest duobus dominis servire*.

<sup>2</sup> S. Thomas, 1, 2, q. 1, a. 2.

46. Q. 5. *An actus humanus bonitatem et malitiam desumat a fine?*

R. affirmative: Actus humanus suam bonitatem et malitiam sumit a fine; inquit enim Scriptura: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*<sup>1</sup>. Oculi autem nomine intentionem seu finem designari, sic aperte tradit S. Augustinus: *Oculum hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quicquid facimus: quæ si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint; quæ omnia opera totum corpus appellavit*<sup>2</sup>. Idem adducens exemplum Catilinæ, qui uti Apostoli frigus, sitim, famem ferebat, ait<sup>3</sup>: *Unde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo, quem diversissimum sequebatur*<sup>4</sup>?

47. *Quid (quæres) dicendum si objectum sit bonum, sed malus finis: aut vice versa bonus sit finis, sed objectum malum?*

R. ad 1: Si finis est malus, totus actus malus erit juxta illud: *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Qui enim malo fine agit, vult bonum, sed sub ratione mali; ideo prout est volitum ab ipso, malum est<sup>5</sup>; nam *bonum ex integro*. Sane ratio improbat, ut eligatur bonum ob finem malum: hinc Deo displicuerunt dona Caini licet pingua, quia a malo fine provenientia.

R. ad 2: Si actus ab agente cognoscatur uti objective atque in se malus, non potest fieri bonus ob bonum finem quo

<sup>1</sup> Matth. vi. — <sup>2</sup> L. II de Serm. Domini.

<sup>3</sup> De moribus Manichæorum, l. II, c. xiii, n. 28. — <sup>4</sup> V. Liguori, Op. Morale, l. V, Tract. præamb., n. 58.

<sup>5</sup> Finis autem efficit actum humanum: 1. ex indifferente bonum vel malum, uti patet v. g. deambulatione, quæ vel bona vel mala intentione suscipitur; 2. ex bono meliorem, uti patet v. g. in eo, qui eleemosynam erogat, ut gratiam obtineat juste, caste, et temperatè vivendi; 3. ex bono malum, uti patet v. g. in eo, qui dat puellæ eleemosynam ad eam seducendam; 4. ex malo pejorem uti patet v. g. in eo, qui furatur ad se inebriandum; 5. denique ex malo bonum quoad operantem, uti patet v. g. in eo, qui facit actum materialiter malum, sed non nisi fine ei invincibiliter bono.

<sup>6</sup> S. Thomas, 1, 2, q. 49, a. 7.

ponitur; tum quia *bonum ex integra causa*, ut ait Dionysius, vel quis alius<sup>1</sup>; tum quia eos damnat Apostolus, qui dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona*<sup>2</sup>. Hinc D. Thomas: *Non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum*<sup>3</sup>. Neque obstat illud: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*<sup>4</sup>; quia non potest esse oculus simplex, nisi intentio fuerit recta; nec recta intentio, nisi bonus finis bene intendatur; nec bene intendi, nisi per media bona. Idem dicendum est de illo Augustini: *Bonum opus intentio facit*<sup>5</sup>, et de aliis similibus.

Non tamen negandum, bonum finem minuere malitiam actus mali; qui enim sic agit, minori affectu fertur in peccatum, et plerumque ignorantia aliqua iste laborat.

48. Q. 4. *An in eodem actu possit esse duplex bonitas vel malitia?*

R. affirmative: In eodem actu potest esse duplex bonitas vel malitia; potest enim idem actus congruere vel pugnare cum sua regula duplici ex capite. Quo in casu duplex habebitur bonitas vel malitia, ob exercitium videlicet aut violationem duarum virtutum distinctarum. Hinc qui furatur rem sacram, peccat et contra justitiam, quæ vult ut nemo lædatur; et contra religionem, quæ vult ut res sacræ non distrahantur. Hinc qui jejunit ex præcepto, magis meretur, quam qui id facit ex sola devotione; quia ille duarum virtutum intuitu movetur ad bene agendum, obedientiæ et temperantiæ. Ita Angelicus<sup>6</sup>.

Ex his etiam inferitur pro praxi: — quod Confessarius penitentem, qui se accusat v. g. de furto, debet interrogare circa finem ab ipso intentum; nam si hoc furto intenderit pecuniam sibi comparare ad se inebriandum, nova esset in eo malitia. Ita si detraxerit proximo, quærat an fortasse hac ratione intenderit impedire eum a lucro vel aliqua dignitate consequenda; — 2. quod valde præstat, ut bonum faciens plures sibi proponat fines, quoad res ipsa dederit, v. g. si

<sup>1</sup> De Divinis Nominibus. — <sup>2</sup> Rom. iii. — <sup>3</sup> De malo, q. 2.

<sup>4</sup> Matth. vi. — <sup>5</sup> In Ps. xxxi. — <sup>6</sup> Cont. gent., c. cxxxviii.

eleemosynam tribuat, intendat fratrem sublevare, Deum colere, pro peccatis satisfacere, etc., ita ut multiplicatis bonis intentionibus multiplicentur et merita.

49. *Quid (quæres) resolvendum si actus habeat duplicem finem, unum nempe bonum, alterum vero malum?* — Si actus habet duplicem finem, unum bonum, alterum vero malum, videndum est, utrum finis malus sit secundarius, an primarius: nempe utrum hæc circumstantia mali finis superveniat actioni jam bonæ, quin substantialiter in ipsam influat: ut esset v. g. si quis ex sincero misericordiæ affectu pauperi velit dare eleemosynam; sed quia pauper petit in publico, subintrat etiam stimulus vanæ gloriæ, quin illum repellat. An vero hæc circumstantia antecedenter se habeat, et influat in totum operis corpus, ipsum causando: ut si quis v. g. ideo jejunit vel faciat eleemosynam, ut laudetur ab hominibus.

Si 1, bonitas actionis imminuit quidem aliquantisper, sed non tollit substantialiter; quia finis malus se habet tantum concomitanter, quin in ipsam actionis substantiam influat: ut est quædam complacentia sui in eo qui opus bonum exercet. Si secus esset, ait Billuart, vix ullus vel in ipsis Sanctis reperiretur actus bonus, cum tam facile opus quodlibet bonum circumstantia aliqua leviter mala infici contingat.

Si 2, actus erit totaliter malus, quia tunc ideo actus ille eligitur, ut sit instrumentum ad malum, quod recta ratio improbat. *Cum aliquis, ad rem Angelicus, vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab eo omni quod in eo est malitiam habeat*<sup>1</sup>. Hoc sensu ait Apostolus: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*<sup>2</sup>. Erit autem tunc actus malus leviter vel graviter pro levitate vel gravitate finis; cum ipse sit regulariter tota ratio malitiæ illius.

<sup>1</sup> In 2, d. 58, q. 4, a. 4 ad 4. — <sup>2</sup> I Cor. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 59; et l. VI, n. 270 et 685. — Contenson, *Theol. cordis*, ubi hæc de re eleganter pro more suo.

## Art. II. — De Circumstantiis

30. Q. 1. Quid est circumstantia, et an ab ea actus humanus bonitatem et malitiam sumat?

R. Circumstantia sic dicta quasi *actum circumstans*, definiiri potest: *Accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico tum morali*. Ideo duo requiruntur ad circumstantiam: 1. ut non tribuat actui primam essentiam, quia circumstantia est aliquid entitati actus extrinsecum, ita ut sine illa actus ipse et concipi et subsistere possit tam physice quam moraliter: talis est in furto circumstantia loci sacri; 2. ut moraliter actum afficiat, seu ut aliquam moralitatem in actum referat. Sic v. g. sicuti ad furtum refert, quod in loco sacro patratum fuerit; ita nihil interest quod manu dextra vel læva illud commissum fuerit. Est commune cum Angelico<sup>1</sup>.

Quod autem actus humanus sumat bonitatem et malitiam a circumstantiis, patet: 1. ex *Evangelio*, ubi mulier laudatur quæ duas tantum monetulas misit in gazophylacium; imo divitibus ipsis plus offerentibus fuit a Christo prælata ob circumstantias tam illius paupertatis, quam boni desiderii amplius tribuendi<sup>2</sup>; 2. ex *Tridentino*, quod definit jure divino in Confessione declarandas esse circumstantias peccati speciem mutantis<sup>3</sup>; quod frustra præceptum esset, si circumstantia malitiam actui non tribueret; 3. ex *ratione*, quæ dicit ex circumstantiis revera actum sæpius evadere pejorem: ut si quis percuteret proprium patrem, ageret non solum contra justitiam, sed etiam contra pietatem.

31. Q. 2. Quomodo circumstantiæ distinguuntur?

R. Circumstantiæ sunt triplicis generis. Aliæ mutant speciem: aliæ non mutant, sed duntaxat novam addunt speciem: aliæ denique bonitatem vel malitiam augent, vel minuunt intra eandem speciem.

1. Circumstantiæ, quæ mutant speciem, illæ sunt, quæ

<sup>1</sup> 1, 2, q. 18, a. 5. — V. Liguéri, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 50.

<sup>2</sup> Marc. xii. — <sup>3</sup> Sess. xiv, c. v.

actum humanum ex una specie trahunt ad aliam, v. g. ex bono cum reddunt malum, quatenus nempe primam speciem ita præfocant, ut impediunt quominus se prodere valeat: sic eleemosyna data mere ob vanam gloriam mala est, et ita mala, ut bonitas ex objecto omnino evanescat; sumitur enim uti medium ad malum finem.

2. Circumstantiæ, quæ addunt speciem, sunt illæ quæ bonitati vel malitiæ objectivæ novam bonitatem vel malitiam addunt. Sic v. g. bonitati eleemosynæ, si hæc fiat ad obtinendam a Deo gratiam juste et piè vivendi, talis intentionis circumstantia addit novam bonitatem. Sic item malitiæ furti, quod committitur in loco sacro, illa circumstantia loci addit novam malitiam, malitiam nempe sacrilegii.

3. Circumstantiæ, quæ tantummodo bonitatem vel malitiam augent, aut minuunt intra eandem speciem, sunt illæ quæ bonitatem ipsam, vel malitiam actus humani faciunt tantum majorem aut minorem. Sic major vel minor pecuniæ quantitas in eleemosyna facit majorem vel minorem eleemosynæ bonitatem: ita major vel minor pecuniæ quantitas furto sublata facit majorem vel minorem furti malitiam. Istæ dicuntur etiam circumstantiæ *aggravantes* vel *attenuantes*.

Id autem duplici modo contingere potest: graviter, seu ut aiunt, *notabiliter*; et leviter, seu *non notabiliter*. Circumstantia notabiliter augens in materia quantitatis, seu quæ sita est in numero, pondere et mensura, tunc censetur, quando seorsim sumpta et disjuncta ab ipso actu sufficit ad constituendum peccatum mortale: v. g. si supponamus libellas tres in furto constituere materiam gravem, in furto libellarum sex erit circumstantia graviter augens quantitatem trium libellarum. In aliis vero materiis censetur adesse circumstantia notabiliter augens, quando excedit modum ordinarium peccandi: v. g. si quis per mensem, vel per annum integrum perseveret in odio; vel si quis totam noctem transigeret peccando cum muliere; vel inimicum occideret ipsum membratim concidendo. — Si horum nihil occurrat, circumstantia censetur leviter augens: ut si quis furaretur quatuor libellas; vel si post gravem rixam aliquantulum temporis permanserit in odio<sup>4</sup>.

<sup>4</sup> Ceterum hic diligenter advertendum est, quod circumstantia quæ peccatum transfert de veniali in mortale, licet speciem *moralem* non mutet, mutat tamen speciem *theologicam*, ut vocant, et *demeritoriam*. Sic v. g. furtum libellæ unius *specie morali* non differt a furto libellarum mille;



52. Q. 3. *Quot numerantur circumstantiæ?*

R. Septem numerantur circumstantiæ notissimo illo Tullii versiculo:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*

*Quis* indicat qualitatem et conditionem personæ operantis: v. g. ecclesiasticæ an laici, liberine an conjugati? *Quid* designat quantitatem, et qualitatem objecti: v. g. utrum res ablata sit sacra necne, gravisne an levis? *Ubi* denotat qualitatem loci, in quo peccatum commissum est: v. g. an in templo Dei, an extra? *Quibus auxiliis* denotat media, et instrumenta operandi: v. g. an ope dæmonis aut maleficii amore quis impurum inspiraverit? *Cur* exprimit finem extrinsecum operantis: v. g. utrum quis ad sacram Synaxim accedat pietatis, an vanæ gloriæ causa? *Quomodo* indicat modum actionis accidentalem: v. g. intensene, an remisse, an cum plena an semiplena advertentia? *Quando* denotat tam qualitatem temporis accidentalem: v. g. an frequentaverit popinas die festo? quam temporis ejusdem durationem: v. g. an odium et detractio longo tempore perduraverit?<sup>1</sup>

53. Q. 4. *An actus externus addat bonitatem vel malitiam actui interno?*

R. Affirmant Scolistæ, quia externe operari bonum vel

nam utrumque virtuti justitiæ eadem ratione opponitur. Sed differt *specie theologica*, quatenus furtum leve non meretur gratiæ et gloriæ privationem, ut furtum grave.

<sup>1</sup> Alii inter circumstantias numerant etiam *quoties*; non tamen ad rem per se loquendo, ut observat Alasia; nam hoc adverbium nihil novi actui superaddit, sed indicat duntaxat multiplicationem ejusdem actus æqualiter contingentem. Excipe, nisi per accidens multiplicatio evadat circumstantia, quatenus inducit majorem inclinationem, et intensionem ad actum. De circumstantiis vid. Suarez *De Pœnitentia*, disp. 22, sect. 6. — *De Actibus*, n. 75. — Kenrich, *De Actibus humanis*, n. 46.

<sup>2</sup> Notandum autem, quod actus humanus potest esse alio melior vel pejor intra eandem speciem: et quidem *essentialiter*, *intensive* et *extensive*. Melior est vel pejor essentialiter, id est ex fine, si ex perfectioni vel pejori motivo fiat. Intensive, id est ex circumstantiis, si fiat cum majori conatu, ardore ac vehementia. Extensive, nempe ex parte objecti, si ad complura objecta bona vel mala se extendat; ut si quis alicui uno actu plura desideret bona vel mala.

malum est certe aliquid majus, quam illud tantum concupiscere. Attamen Thomistæ cum communiore negant docentes, actum externum per se, prout nempe est mera executio actus interioris, nullam addere actui interno bonitatem, vel malitiam moralem. Constat ex Scripturis, ubi voluntas efficax pro facto reputatur; ait enim Deus Abrahamo: *Quia non pepercisti filio tuo*<sup>1</sup>, et tamen pepercit. Ratio autem est, quia actus externus nullam habet imputabilitatem propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni, quamvis sit illius veluti consummatio. Unde in solatium piorum, qui desideriiis bonis flagrant, quin ea implere possint, ait D. Thomas: *Tantum meretur qui habet voluntatem perfectam aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud*<sup>2</sup>. Diximus *per se*, quia per accidens actus externus bonitatem vel malitiam sæpius addit actui interno; atque ita in praxi Thomistæ consonant cum Scotistis. Sic Angelicus postquam dixisset, actum externum nullam actui interno bonitatem vel malitiam tribuere, exceptit: *nisi contingat ipsam voluntatem* (per actum exteriorem) *secundum se fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis*<sup>3</sup>. Porro regulariter ita evenit: et sane quoties contigit actum externum esse causam et occasionem, ob quam actus internus pejor evadat, vel quia actus ipse internus multiplicatur, donec per exteriorem obtineat executionem suam; vel quia majorem habet durationem, cum statim actus exterior perfici nequeat?

Præterea nonne per actum exteriorem magis hebetantur

<sup>1</sup> Gen. xxii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V. *Tract. Præamb.*, n. 49.

<sup>2</sup> In 2, d. 40, q. 1, a. 3. Attamen docet idem S. Doctor ex bono actu exteriore provenire aliquod præmium, non quidem essentialiter, sed accidentale. Sic Martyres qui facti pro Christo passi sunt, habent præmium accidentale, seu quandam veluti *aureolam* super illos, qui martyrium quidem exoptarunt, sed revera non potuerunt eodem coronari, licet æqualis amoris fervore in Christo mortui sint. Quod quidem valet etiam de doctoribus et virginibus; laureola enim ex D. Thoma, *Suppl.* 96, a. 1. est: *Præmium seu gaudium quoddam accidentale ob excellentem victoriam de hoste in hac vita reportatam*. Porro sicut triplex est hostis, mundus, caro et diabolus; ita triplex excellens victoria cui laureola tribuitur, *martyrum* qui mundum, *virginum* quæ carnem, *doctorum* qui diabolum vicere. — V. Ferraris, *Bibl.*, etc., v<sup>o</sup> Martyrium. — Liguori, *Dissertationi theologico-morali*, diss. 9, § 7.

<sup>3</sup> 1, 2, q. 20, a. 4.

sensus et promiores fiunt ad malum potentiae ipsae exteriores? scandala interdum nascuntur? contrahuntur censurae? oritur obligatio restituendi? Ideo quia regulariter aliquid ex his accidit, bene ait Habert, cum qui externe operatur peccatum, majus malum committere, quam qui illud tantum concupiscit. Adde: actus externus est interioris complementum, et ex toto unus exurgit actus moralis, ideoque semper est in confessione aperiendus. Merito ergo haec propositio ab Alexandro VII damnata est sub n. 25: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecipio dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

54. Dices: *Susceptio realis Sacramenti confert majores effectus, quam sola voluntas illud suscipiendi; ergo actus externus actui interno aliquid substantiale superaddit.* — R. Quod realis sacramenti susceptio conferat majores effectus, quam sola illud suscipiendi voluntas, provenit ex privilegio Christi, qui vult ut externa sacramenti susceptio valeat ex opere operato; non vero ratione majoris bonitatis in suscipiente.

55. Q. 5. *An extent actus humani indifferentes?*

R. 1. Certum de fide est, non omnes actus humanos esse indifferentes in se secundum suam speciem, seu objectum; cum quidam sint de se boni, uti v. g. actus Fidei, Spei et Charitatis: quidam de se mali, uti v. g. fornicatio, odium Dei. Ratio, quia sunt quaedam objecta de se rationi consona, et quaedam dissona.

R. 2. Etsi non de fide, attamen certum est, dari actus quosdam in specie et in abstracto prorsus indifferentes; actus enim humanus consideratus in sua tantum specie et in abstracto, est ejusdem naturae, cujus est objectum. Atqui varia dantur objecta, quae ex se et intrinsece neque bona

<sup>1</sup> Actus humanus potest considerari vel in propria tantum specie, uti loquuntur Scholastici, et in abstracto; vel in individuo et in concreto. In specie et in abstracto est actus consideratus in ordine ad solum objectum, ad quod extenditur, uti deambulatio in se, abstrahendo a quolibet deambulationis fine, et a circumstantiis quibuscumque. In individuo et in concreto est actus consideratus non solum in ordine ad objectum, sed etiam ad agentis finem et circumstantias. — V. Liguori, *H. Ap.*, tr. III n. 24.

sunt, neque mala, sed plane indifferentia ad bonitatem vel malitiam, ut ambulare, flores colligere, etc. Ergo dantur etiam actus humani indifferentes in specie. Hinc Hieronymus: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare*<sup>1</sup>.

R. 3. Tota quaestio est, an dentur aut dari possint actus indifferentes in individuo agente cum deliberatione. Affirmant Scotistae; nam actus, qui nec bonitatem nec malitiam contrahunt ex objecto, fine et circumstantiis, sunt indifferentes in individuo; atqui dantur tales actus: ut est v. g. spuere, confricare manus, etc. Nulla sane est obligatio hae ponendi, nec qui ea ponit, intendit finem positive honestum; ergo istae actiones in individuo ipso sunt omnino indifferentes quoad mores.

Verum probabilius docent Thomistae cum Bellarmino, Suarez, Valentia, etc., nullos omnino dari actus humanos indifferentes in individuo, quoad bonitatem scilicet vel malitiam moralem in ordine naturali. *Omne verbum otiosum*, ait Christus, *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*<sup>2</sup>; est autem *otiosum verbum* (interprete Gregorio M.) *quod aut ratione justae necessitatis, aut intentione pia utilitatis caret*<sup>3</sup>. Omnis ergo hominum sermo, qui non habeat talem necessitatem vel intentionem, habet insitum vitium; ergo nulla vel minima res in individuo indifferens esse potest. Et Angelicus sic nervose argumentatur: *Oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necessesse est autem, quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse vel malum*<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Epist. 89. — <sup>2</sup> Matth. XII. — <sup>3</sup> I. VIII Mor., c. XVII.

<sup>4</sup> 1, 2, q. 18, a. 9. — V. Taparelli, *Saggio Teoretico*, vol. I.

Diximus quoad bonitatem vel malitiam in ordine naturali; nam quoad meritum vel demeritum in ordine ad vitam æternam, utique dantur actus indifferentes in individuo. Sic actus fidei et spei, quibus impii divina gratia excitati tendunt ad justitiam, nec merentur salutem æternam, quia impii gratia sanctificante sunt destituti; nec digni sunt morte, quia illi actus sunt dona Dei ac Spiritus sancti impulsus, non quidem habitantis, sed moventis<sup>1</sup>. Hinc in Concilio generali Constantiensi damnata fuit hæc Joannis Hus contraria propositio: *Nulla sunt opera indifferentia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quod sunt virtuosa vel vitiosa.*

56. Dices: *Ambulare in horto, flores colligere vel olfacere, sputa ejicere, fricare barbam vel manus ad frigus pellendum, etc., non sunt actus mali in se; attamen non referuntur ad bonum; ergo sunt indifferentes.* — R. Similes actus plerumque indeliberate et ex sola imaginatione fiunt, ideo non sunt morales. Quod si fiant deliberate, tunc vel ponuntur juxta dictamen rationis modo naturæ nostro congruenti et proprio pondere ad divinum naturæ auctorem referuntur, et boni sunt; vel ex aliquo fine inhonesto aut aliqua vitiosa circumstantia ponuntur, et tunc mali sunt. Etiam ludere ad recreandum animum et sublevandum corpus spectat ad virtutem, cum id referatur ad debitum finem a Deo intentum<sup>2</sup>.

57. *Ergone (addes) erunt omnes vel minimæ actiones in Deum referendæ de necessitate, ut bonæ sint, non peccaminosæ?*

R. 1: Si agatur de relatione naturali, commune est atque tenendum omnes actus deliberatos ad Deum esse referendos; Deus enim est ultimus hominis finis, et ut talis super omnia diligendus: *Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus*<sup>3</sup>; porro hæc intelligi nequeunt absque debita operum nostrorum in Deum relatione. *Virtualiter omnia referre in Deum cadit sub præcepto charitatis, quum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum finem ultimum*: ita Angelicus<sup>4</sup>. Sed facilis est vel ipsis gentilibus hæc naturalis

<sup>1</sup> Ita Tridentinum, sess. vi, c. vi; et sess. xiv, c. iv. — Quamquam non nisi improprie tales actus indifferentes dicuntur; cum non tantum deliberate fiant, sed etiam ad aliquod consequendum nos moveant. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V. *Tract. præamb.*, n. 41.

<sup>2</sup> D. Thomas, In 2, d. 40, a. 5. — <sup>3</sup> Apoc. 1.

<sup>4</sup> Q. 2, *De charit.*, a. 2, ad. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 44.

relatio actionum ad Deum; etenim eo ipso quod quis a pravo fine abstinet, non obstante naturæ in malum proclivitate, actum suum ad Deum tanquam principium omnis recti ordinis implicate referre censetur: unde propter Deum agere facile possumus, quin semper de Deo cogitemus. Sic operarius nonne tota die operatur mercedis amore, licet tota die nequeat de ipsa cogitare? Sic nonne peregrinus qui iter agit patriam suam versus, semper dicitur ad patriam suam tendere, licet non semper de ea cogitet? Quare tametsi aliquis accedens ad mensam non cogitet actu de vitæ conservatione sed solum de fame sedanda, non ideo peccare dicendus est; qui enim vult famem explere, saltem virtualiter et implicate id vult propter ipsam conservationem, sicque cibum non appetit inordinate.

R. 2: Si vero agatur de relatione supernaturali, seu ex motivo christianæ fidei apprehensa, disputant; sed videtur affirmandum dari præceptum omnes humanas actiones ad Deum supernaturali relatione referendi, non quidem actualiter, quod est impossibile, nam in hac vita non est possibile, ut dicit D. Thomas, *quod de Deo semper cogitetur*<sup>1</sup>; sed virtualiter, id est vi intentionis prius elicite; et ideo valde congruit, ut sapius in die, saltem mane, generaliter Deo offerantur omnes actus nostri, ut ita omnis actus etiam indifferens in specie fiat bonus et virtuosus in individuo. Audiatur Gousset: « Cette question n'est point décidée. Mais l'affirmative nous paraît assez fondée, pour ce qui regarde les chrétiens. Suivant l'Apôtre, nous devons faire tout pour la gloire de Dieu: « Omnia in gloriam Dei facite »<sup>2</sup>. Or, il nous semble qu'un chrétien ne peut agir pour la gloire de Dieu, à moins qu'il n'agisse au nom de Jésus-Christ, et en union avec lui, conformément à cet autre précepte, promulgué par le même apôtre: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini « Jesu Christi »<sup>3</sup>. »

« Cette obligation n'est point trop rigoureuse pour le chrétien; il ne lui en coûte pas plus d'agir d'une manière analogue à sa fin dernière, qui est une fin surnaturelle, que de rapporter ses actions à Dieu par un motif purement naturel. » Il nous paraît même à peu près impossible qu'un chrétien fasse une bonne œuvre, sans que les motifs qui « lui sont suggérés par la foi y entrent pour quelque chose (H) »<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Q. unic., *De charit.*, q. 11. — V. Gury, Gonet, etc.

<sup>2</sup> I Cor. x. Patres autem in hisce Apostoli verbis agnoverunt præceptum, non consilium, prout habet S. Alphonsus noster. — V. Continuatorournely, qui fuse agit.

<sup>3</sup> Coloss. iii.

<sup>4</sup> Bergier, *Dictionnaire*, v° Actes humains.

Diximus quoad bonitatem vel malitiam in ordine naturali; nam quoad meritum vel demeritum in ordine ad vitam æternam, utique dantur actus indifferentes in individuo. Sic actus fidei et spei, quibus impii divina gratia excitati tendunt ad justitiam, nec merentur salutem æternam, quia impii gratia sanctificante sunt destituti; nec digni sunt morte, quia illi actus sunt dona Dei ac Spiritus sancti impulsus, non quidem habitantis, sed moventis<sup>1</sup>. Hinc in Concilio generali Constantiensi damnata fuit hæc Joannis Hus contraria propositio: *Nulla sunt opera indifferentia, sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quod sunt virtuosa vel vitiosa.*

56. Dices: *Ambulare in horto, flores colligere vel olfacere, sputa ejicere, fricare barbam vel manus ad frigus pellendum, etc., non sunt actus mali in se; attamen non referuntur ad bonum; ergo sunt indifferentes.* — R. Similes actus plerumque indeliberate et ex sola imaginatione fiunt, ideo non sunt morales. Quod si fiant deliberate, tunc vel ponuntur juxta dictamen rationis modo naturæ nostro congruenti et proprio pondere ad divinum naturæ auctorem referuntur, et boni sunt; vel ex aliquo fine inhonesto aut aliqua vitiosa circumstantia ponuntur, et tunc mali sunt. Etiam ludere ad recreandum animum et sublevandum corpus spectat ad virtutem, cum id referatur ad debitum finem a Deo intentum<sup>2</sup>.

57. *Ergone (addes) erunt omnes vel minimæ actiones in Deum referendæ de necessitate, ut bonæ sint, non peccaminosæ?*

R. 1: Si agatur de relatione naturali, commune est atque tenendum omnes actus deliberatos ad Deum esse referendos; Deus enim est ultimus hominis finis, et ut talis super omnia diligendus: *Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus*<sup>3</sup>; porro hæc intelligi nequeunt absque debita operum nostrorum in Deum relatione. *Virtualiter omnia referre in Deum cadit sub præcepto charitatis, quum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum finem ultimum*: ita Angelicus<sup>4</sup>. Sed facilis est vel ipsis gentilibus hæc naturalis

<sup>1</sup> Ita Tridentinum, sess. vi, c. vi; et sess. xiv, c. iv. — Quamquam non nisi improprie tales actus indifferentes dicuntur; cum non tantum deliberate fiant, sed etiam ad aliquod consequendum nos moveant. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 41.

<sup>2</sup> D. Thomas, In 2, d. 40, a. 5. — <sup>3</sup> Apoc. 1.

<sup>4</sup> Q. 2, *De charit.*, a. 2, ad. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, *Tract. præamb.*, n. 44.

relatio actionum ad Deum; etenim eo ipso quod quis a pravo fine abstinet, non obstante naturæ in malum proclivitate, actum suum ad Deum tanquam principium omnis recti ordinis implicate referre censetur: unde propter Deum agere facile possumus, quin semper de Deo cogitemus. Sic operarius nonne tota die operatur mercedis amore, licet tota die nequeat de ipsa cogitare? Sic nonne peregrinus qui iter agit patriam suam versus, semper dicitur ad patriam suam tendere, licet non semper de ea cogitet? Quare tametsi aliquis accedens ad mensam non cogitet actu de vitæ conservatione sed solum de fame sedanda, non ideo peccare dicendus est; qui enim vult famem explere, saltem virtualiter et implicate id vult propter ipsam conservationem, sicque cibum non appetit inordinate.

R. 2: Si vero agatur de relatione supernaturali, seu ex motivo christianæ fidei apprehensa, disputant; sed videtur affirmandum dari præceptum omnes humanas actiones ad Deum supernaturali relatione referendi, non quidem actualiter, quod est impossibile, nam in hac vita non est possibile, ut dicit D. Thomas, *quod de Deo semper cogitetur*<sup>1</sup>; sed virtualiter, id est vi intentionis prius elicite; et ideo valde congruit, ut sapius in die, saltem mane, generaliter Deo offerantur omnes actus nostri, ut ita omnis actus etiam indifferens in specie fiat bonus et virtuosus in individuo. Audiatur Gousset: « Cette question n'est point décidée. Mais l'affirmative nous paraît assez fondée, pour ce qui regarde les chrétiens. Suivant l'Apôtre, nous devons faire tout pour la gloire de Dieu: « Omnia in gloriam Dei facite<sup>2</sup>. » Or, il nous semble qu'un chrétien ne peut agir pour la gloire de Dieu, à moins qu'il n'agisse au nom de Jésus-Christ, et en union avec lui, conformément à cet autre précepte, promulgué par le même apôtre: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini « Jesu Christi<sup>3</sup>... »

« Cette obligation n'est point trop rigoureuse pour le chrétien; il ne lui en coûte pas plus d'agir d'une manière analogue à sa fin dernière, qui est une fin surnaturelle, que de rapporter ses actions à Dieu par un motif purement naturel. » Il nous paraît même à peu près impossible qu'un chrétien fasse une bonne œuvre, sans que les motifs qui « lui sont suggérés par la foi y entrent pour quelque chose (H)<sup>4</sup>. »

<sup>1</sup> Q. unic., *De charit.*, q. 11. — V. Gury, Gonet, etc.

<sup>2</sup> I Cor. x. Patres autem in hisce Apostoli verbis agnoverunt præceptum, non consilium, prout habet S. Alphonsus noster. — V. Continuatorournely, qui fuse agit.

<sup>3</sup> Coloss. iii.

<sup>4</sup> Bergier, *Dictionnaire*, v° Actes humains.

## DISPUTATIO SECUNDA

## DE CONSCIENTIA

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS CAPUT PRIMUM

## DE CONSCIENTIÆ NATURA ET OBLIGATIONE

58. Q. 1. *Quid est conscientia?*

R. Conscientia, si nominis ethymologia spectetur, idem sonat ac *cordis scientia*, quasi nempe sit scientia earum rerum, quæ in animo nostro sitæ sunt: ita D. Bernardus. — Vel ex S. Antonino sic dicitur a *conclusionem* et *scientia*, quasi idem sit ac *concludens scientia*. — Vel demum sic dicitur, quia importat ordinem scientiæ ad aliquid, ita ut idem sit ac *cum alio scientia*, ut juxta magis propriam significationem docet Angelicus, qui proinde conscientiam definit *applicationem scientiæ ad opus aliquod particulare*<sup>1</sup>.

Sed moraliter spectata conscientia communiter definitur: *Judicium rationis practicum, dictans ex principiis morum generalibus, quid in particulari hic et nunc agendum ut honestum et bonum; quid vero fugiendum ut inhonestum et malum.* — Brevius autem sic definiri potest conscientia: *Actus intellectus, dictans quid hic et nunc amplectendum sit, aut fugiendum.* Dicitur *actus*, non potentia vel habitus; cum conscientia sit applicatio scientiæ ad ea quæ agimus. Dicitur *actus intellectus*; nam conscientia est judicium de agendis: quod pertinet ad intellectum. Dicitur *dictans quid*, etc.: unde patet conscientiam, ut est regula actuum humanorum, versari præcipue circa actus futuros, licet aliquando versetur etiam circa præteritos, judicando utrum illi ponendi essent uti boni et honesti, an fugiendi ut

<sup>1</sup> 1, p. q. 79, a. 15; et q. 17, *De Verit.*, a. 2.

inhonesti et mali. In primo casu illos approbat et laude coronat, uti contingit in justis et beatis, qui cum Apostolo jure merito dicere possunt: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*<sup>1</sup>. In secundo vero casu eos redarguit atque vituperat, uti contingit in peccatoribus et in damnatis in inferno, ubi *vermis eorum* (dicente sancta Scriptura) *non moritur*<sup>2</sup>.

59. Ex hac conscientiæ definitione patet etiam discrimen inter *conscientiam* atque *synderesim*. Synderesis (sic dicta a verbo græco Συνηρησις, quod idem sonat ac *conservare*) est *judicium habituale speculativum* principiorum generalium, v. g. *peccatum esse vitandum, virtutem esse diligendam*, etc. Conscientia vero est *judicium actuale practicum*, quo principium generale applicatur actioni peculiari, v. g. *non debeo condiscipulum meum hac injuria lacessere: debeo hac in re superioribus meis tamquam Deo ipsi obtemperare*. (I)<sup>3</sup>, e tc.

60. Q. 2. *An conscientia habeat vim obligandi, et undenam?*

R. ad 1: Certum est conscientiam habere vim obligandi quam maximam: ratio est quia agere contra conscientiam præcipientem aliquid faciendum vel omittendum, semper includit voluntatem peccandi; cum hoc nihil sit aliud, quam facere id quod prohibitum judicamus. Hinc Angelicus: *Secundum hoc enim ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit*<sup>4</sup>. Sane si res ita non esset, ecurr voluisset Deus quemlibet hominum conscientia esse præditum? ecurr jussisset mortales singulos veracem, incorruptum et inexorabilem hunc nocte dieque

<sup>1</sup> II Cor. 1.<sup>2</sup> Marc. ix. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, n. 2. Remorsus conscientiæ inter præcipua Dei beneficia numerari debent; etenim pœnam atque vindictam præseferunt, ast vere paternam, et qua nulla datur salubrior; ostendunt nimirum hominem quidem a Deo, sed Deam nondum discessisse ab homine.<sup>3</sup> « Qui tum rationem practicam, tum moralem sensum sedulo excolit, ac ejusdem dictamen prompto animo exequi consuevit, illum sibi habitum comparat, quem *conscientiositatem* dicimus. » Stapf, *Theol.*, § 77. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Conscientia, ubi probamus quæ scripsit doctus auctor, non quæ aliena manus posuit.<sup>4</sup> Q. 17, *De Verit.*, a. 4.

*suum gestare in pectore testem?* Conscientiæ vim sentiebant et aperte fatebantur ipsi gentiles: *Magna vis est conscientiæ, Judices* (inquietabat Tullius pro Milone in Senatu), *et magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserunt, et penam semper ante oculos versari putent qui peccarint.*

R. ad 2: Hujus obligationis radicem sic explanat D. Bonaventura: *Conscientia est sicut præco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo; sicut præco cum divulgat edictum regis: ut hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi*<sup>1</sup>. Et Chrysostomus<sup>2</sup>: *Hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quod divinum est, et a Deo cervicibus nostris impositum.* Imo nullus est actus moralis sine conscientia; nam repugnat, ut actio alicui ad bonum vel ad malum imputetur, si de ea sibi ipse non sit conscius: at *conscire sibi conscientia est* (J).

61. Plus autem obligat conscientia, quam superioris præceptum. *Conscientia, ait Angelicus, non ligat, nisi vi præcepti divini...; comparare igitur ligamen conscientiæ ad ligamen, quod est ex præcepto prælati, non est aliud quam comparare ligamen præcepti divini ad ligamen præcepti prælati. Unde cum præceptum divinum obliget contra præceptum prælati, et magis obliget quam præceptum prælati, conscientia ligamen erit majus, quam ligamen præcepti prælati*<sup>3</sup>. Hinc in Scriptura dicitur: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus*<sup>4</sup>. Et D. Petrus ad Judæorum principes iniqua eidem præcipientes aiebat: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate*<sup>5</sup> (K).

CAPUT SECUNDUM  
DE CONSCIENTIÆ DIVISIONE

62. Conscientia potest considerari: 1. ratione temporis, quo iudicium illud practicum exercetur; 2. ratione objecti, circa quod idem

<sup>1</sup> In 2. d. 59. a. 1. q. 5. — <sup>2</sup> Hom. ad pop. Ant.

<sup>3</sup> Q. 17, De Verit., a. 5. — <sup>4</sup> Act. v. — <sup>5</sup> Act. iv.

versatur; 3. ratione obligationis legis, quam respicit; 4. ratione assensus in ipso agente. — Ratione temporis, vel istud actionem præcedit vel eam subsequitur: si 1, dicitur *conscientia antecedens*, et refertur ad actus futuros; si 2, dicitur *conscientia consequens*, et refertur ad actus præteritos. Ipsa conscientia consequens vel accusans est et remordens, vel excusans est et tranquilla: illa *remorsus*, ista *testimonium bonæ conscientiæ* nuncupantur<sup>1</sup>. — Ratione vero obligationis, conscientia est *præcipiens, prohibens, consulens, permittens*.

Cum iste duplex respectus nullam gravem exhibeat controversiam, agemus tantum de conscientia ratione objecti et assensus. Porro ratione objecti conscientia alia est *vera*; alia *erronea* (seu *falsa*); alia *perplexa*. Ratione assensus alia est *scrupulosa et laxa*; alia *certa et dubia*; alia *probabilis et improbabilis*.

Art. I. — De conscientia vera, falsa atque perplexa.

63. Q. 1. Quid est conscientia vera?

R. Conscientia vera ea est, *quæ ex veris principiis recte concludit aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera tale sit.* Hanc sequi tenemur; nam ipsa Deum nobis repræsentat vere præcipientem vel vetantem aliquid; ergo qui conscientia veræ obedire recusat, recusat obedire ipsimet Deo. Hinc Innocentius III habet: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*<sup>2</sup>.

Conscientia autem vera, stricte loquendo, non eadem est ac conscientia recta, quamvis nonnunquam promiscue usurpentur; nam *verum* dicitur juxta quod est, *rectum* autem juxta quod apprehenditur. Nempe *verum* est illud, quod revera in se tale est; *rectum* vero est illud, quod fit juxta prudentiæ regulas. Unde conscientia recta prædicari potest

<sup>1</sup> Nos rejicimus tamquam aperte falsam eorum sententiam, qui conscientiam antecedentem non admittunt, quasi nequeat hominis conscientia iudicare actionem antequam posita sit: nempe si *conscientiæ moralis* nomine intelligimus, prout hæcenus intellexerunt omnes Philosophi atque Theologi, *iudicium, seu dictamen practicum*, quid, quæso, impedit quominus ipsum possit exerceri etiam super actionem nondum positam, id est an bona et licite ponenda, an vero mala et omittenda? Nos enim loquimur de conscientia morali, non de conscientia psychologica, videlicet de sensu intimo.

<sup>2</sup> C. *Litteras* de restit. spol.

etiam de eo, qui laborat conscientia falsa invincibiliter; nam iste prudenter operatur, cum operetur ex intima persuasione insuperabili. Et ideo ejus conscientia est recta: « ut liquet, inquit Salmanticenses, exemplo Jacob accedentis ad Liam, qui tunc sibi hunc discursum vel formaliter vel virtualiter efformavit: *Licetum est accedere ad propriam uxorem; sed hæc est mea uxor, ut prudenter judicare debeo; ergo mihi licetum est nunc ad eam accedere*<sup>1</sup>. »

64. Q. 2. *Quid et quotuplex est conscientia erronea?*

R. Conscientia erronea (seu falsa) ea est, quæ dicitur tamquam verum et licetum, quod tamen in se falsum est et illicitum. — Duplex autem distinguitur: *invincibilis* et *vincibilis*. Invincibilis ea est, quæ moraliter vinci non potest; cum nulla cogitatio neque dubium erroris ne in confuso quidem veniat in mentem operantis, dum ponit actionem vel ejus causam. Vincibilis vero ea est, quam operans potest quidem et debet vincere, quia errorem jam advertit, vel saltem de eo dubitat, atque simul advertit ad obligationem illam vincendi; attamen vincere negligit. Hæc autem subdividitur pro ratione ignorantiae, a qua oritur, in *affectatam*, in *crassam* sive *supinam*, et in *pure vincibilem*.

65. Q. 5. *An peccet qui sequitur conscientiam erroneam?*

R. Vel conscientia est erronea vincibiliter, vel invincibiliter:

Si est erronea vincibiliter, qui agit semper peccat, sive juxta sive contra conscientiam operetur; nam si agit *juxta*, cum eam deponere possit et debeat, tenere operatur eam non deponendo; si vero agit *contra*, eligit quod judicat esse malum, et hoc profecto peccatum est. Verum gravius ordinari peccat qui agit *contra*, quia magis explicitum demonstrat affectum suum ad peccatum; quam ille qui *secundum* illam operatur: cum iste agat ex ignorantia quæ minuit peccatum. Exemplum esset, aiunt Salmanticenses, in illo qui vincibiliter credit sibi mentiendum esse ad tuendam

<sup>1</sup> Tract. xx, de Princip. Moral., c. iii, punct. 2.

vitam proximi. — Aliquando tamen gravius peccat qui *secundum* illam operatur, ut si conscientia vincibilis ei dictet, quod debeat furari ad elargiendam eleemosynam. — Aliquando vero æqualiter peccat sive agat *juxta* sive *contra*, uti esset si quis erronee judicaret, sibi dari præceptum obligans ex justitia ad furandum, ut creditori faciat satis. Ratio istorum est, quod gravitas violationis sumitur ex gravitate præcepti quod violari creditur.

Si est erronea invincibiliter, conscientia sic errans sequenda est; nam licet illa actio, quam dicitur conscientia, recta non sit in se est tamen recta juxta conscientiam agentis: ita ut quotiescumque conscientia ei suggerit sic agendum, teneatur juxta illam operari, et peccat contra agendo; nam *quod non est ex fide, peccatum est*<sup>1</sup>: nempe quod non est ex intima persuasione quod sit licetum, peccatum est, ut interpretantur communiter Patres apud Estium<sup>2</sup>, et patet ex contextu (L).

66. *Quodnam (quæres) peccatum est agere contra conscientiam vincibiliter errantem?* — R. Peccatum illius, qui contra conscientiam vincibiliter errantem operatur, habet eandem speciem et gravitatem, quam quis putat suæ actioni vel omissioni inhærere; quia iste vult interpretative talem malitiam ac gravitatem, qualem in objecto apprehendit. *Actus*, inquit Angelicus, *judicantur secundum voluntatem agentium*<sup>3</sup>; et D. Bernardus: *Tantum malum quantum crediderit*. Sic qui falso existimat tali die esse obligationem jejunii, et non jejunat, peccat mortaliter contra legem jejunii. Unde patet in praxi teneri pœnitentem in confessione aperire, si egerit contra conscientiam peccaminose errantem.

67. Agens tamen contra conscientiam vincibiliter erroneam non incurrit pœnas latas contra transgressores illius legis, contra quam ex errore putat se agere; quia pœnæ infliguntur transgressoribus legis veræ, non putativæ: sic

<sup>1</sup> Rom. xiv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 5.

<sup>2</sup> Chrysostomus, Theophilactus, Patres Concilii Lateranensis IV, c. xli. —

V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 6.

<sup>3</sup> Lectio 2 in c. xiv Epist. ad Rom.

v. g. qui percutit laicum putans illum esse clericum, non incurrit excommunicationem. Aliunde pœnæ respiciunt actum formalem externum, et strictè accipiendæ sunt.

68. Q. 4. *Quid agere debet laborans conscientia vincibiliter errante?*

R. 1. Qui laborat conscientia vincibiliter errante, debet eam deponere non temere, sed prudenter. *Temere* eam deponunt qui nullo præmisso examine eam illico contemnunt, ut liberior peccent; vel Doctores quærunt loquentes *sibi placentia*<sup>1</sup>; vel ratiunculis quibuscumque, modo libertati faveant, cito acquiescunt. — *Prudenter* autem eam deponunt qui Deum orant, ut det illis *intellectum ad scrutandam legem suam*<sup>2</sup>; qui sincero veritatis detegendæ studio consilium petunt a prudentibus et piis. Non tamen necesse est, ut multi consulantur Doctores, sed sufficit ut unus vel alter interrogetur, ratione materiæ gravitatis. Imo regulariter sufficit pro illiteratis et maxime pro scrupulosis iudicium sui confessarii, vel alterius superioris.

R. 2. Si conscientia vincibiliter erronea hic et nunc deponi non possit, et adsit agendi necessitas, tunc habita intentione sese instruendi suo tempore, erit illa pars seligenda, *in qua minus mali appareat*. Sic ulteriori culpæ non imputabitur, sed error ex vincibili fiet invincibilis; cum actu deponi nequeat, et ejus causa fuerit retractata. Si tamen proximo illatum sit damnum, debet resarciri; nam subsequens retractatio culpæ per actum contritionis non facit, ut primitus libere ac peccaminose posita non fuerit causa efficax damni; neque ut damnum non sit ex ea secutum. Damnum enim non tam est considerandum tempore quo fit, quam tempore quo ponitur efficax ejus causa: unde sola contritio non sufficit ad illud avertendum, sed de facto impediendum est, efficacitatem causæ auferendo; vel resarciendum.

Diximus: *in qua minus mali appareat*; nam si agens elegerit id quod sibi majus malum videtur, peccat juxta excessum mali apprehensi; cum libere hunc excessum is eligit.

<sup>1</sup> Is. xxxviii. — <sup>2</sup> Psalm. cxviii.

69. Conscientiam autem sui pœnitentis invincibiliter errantem judicare poterit confessarius: — 1. si res ignorata non sit circa prima principia moralia, vel circa conclusiones iis proxime connexas; hæc enim a natura ipsa in omnium cordibus insculpta sunt. Hinc si quis fateatur, se in anteacta vita inhonesta perpetrasse, sed illa non habuisse uti peccata, ne facile ei credas; — 2. si non sit circa obligationes proprii status: alioquin esset ignorantia culpabilis in causa. Hinc docet S. Thomas non excusari judicem qui in sententia ferenda errat, propterea quod leges ignorat, quas didicisse tenebatur ratione sui officii<sup>1</sup>; — 3. si pœnitens satis diligens sit et accuratus in iis adimplendis, quæ ab aliis hominibus ejusdem conditionis peragi solent; vel si advertens, se per ignorantiam violasse præceptum, doleat atque tristetur: per hæc enim recte præsumitur illius bona fides. Quæ si desint, merito judicabitur pœnitens errare vincibiliter.

70. Q. 5. *Quid est conscientia perplexa?*

R. Conscientia perplexa dicitur ea, *qua quis putat se peccare tam si hanc, quam si illam contradictionis partem elegerit*. Talis conscientia esset v. g. in illo, qui assistens infirmo, putat se peccaturum esse tam si infirmum deserat, ut Missæ intersit, quam si ex adverso Missam omittat, ut in cura infirmi domi moretur. — Qui laborat conscientia perplexa, si potest actionem suam sine gravi suo damno suspendere, tenetur, illam suspendere quousque peritos consuluerit; nam quisque vitare debet illud, quo putat Deum offendi. Si vero actionem suam suspendere non potest ut ordinarie evenit, tunc tenetur minus malum eligere; alioquin peccat in excessu, quia in eo liber est.

*Quid (inquies) si laborans conscientia perplexa nesciat discernere quodnam sit minus malum?* In hoc casu quamlibet partem eligat non peccat; quia est quidem liber physice ratione actus, liber tamen non est moraliter ratione peccati: neque sane peccatum esse potest *in eo, quod nullo modo caveri potest*<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Opusc., *De Consc.*, q. 17, a. 5.

<sup>2</sup> S. Augustinus, l. III. *de Lib. Arbitr.*, c. xviii, n. 50. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 10.



## Art. II. — De conscientia scrupulosa et laxa.

71. Q. 1. Quid scrupulus, ac conscientia scrupulosa?

R. A. S. Antonino scrupulus definitur: *Vacillatio quædam consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus et incertis. Conscientia ergo scrupulosa ea erit, quæ levibus fundamentis innixa formidat; seu potius iudicat talem actionem esse peccatum cum tamen non sit; vel esse peccatum grave, cum tantum sit leve. Ex his patet quis sit homo vere scrupulosus; errant enim toto cœlo qui scrupulosum vocant christianum illum, qui salutis suæ sollicitus et filiali in Deum suum amore perductus, scrutatur omnia opera sua<sup>1</sup>, ne forte in aliquo Deum ipsum offendat: iste non scrupulosus, sed timoratus appellandus est<sup>2</sup> (M).*

Cum plurima mala scrupuli causant: nempe animi pacem extinguunt; mentem excruciant; hominem ineptum faciunt ad pietatis officia; sensum Divinæ bonitatis imminuunt; nonnunquam gravibus vulneribus animam sauciant, quando videlicet tot anxietatibus victus scrupulosus efformat conscientiam gravis peccati, et operatur; in graves etiam corporis morbos, in amentiam, aut in desperationem aliquando scrupulosum adducunt<sup>3</sup>. Huc faciunt hi versus:

<sup>1</sup> Job. ix. Scrupulus dicitur est a parvis lapillis, latine *scrupis*, qui viatorum quandoque se pedibus ingerunt et fastidium generant valde molestum.

<sup>2</sup> « Conscientia tenera ac timorata cum scrupulis confundi non debet, prout hominibus profanis usitatum est, qui eos magna conscientie religionē duci, et ab ipsis etiam, ut ita dicam, peccatillis abhorreere conspiciunt, mox ut scrupulosos rident. » Ita *Ambrosius Stapf*, § 78. Et § 190 increpat profanum vulgus, quod hominem pium rideat, ideo quia aliqua scrupulositate laborat: « Etiam si tenerrimus flos iste hinc inde spinis scrupulorum sepiatur, scrupuli equidem materiam commiserationis præbent, sed flos ipse admirationem meretur. » — *Liguori, Op. Mor.*, l. I, n. 41 et seqq. — *Ferraris, Bibliotheca canonica*, etc., vº Scrupulus.

<sup>3</sup> Scrupulositas in Confessario valde noxia est; quod enim quis sit scrupulosus cum se ipso, *infirmitas* est; quod sit cum aliis scrupulosus, *contagio* est; cum id esse non possit sine ministerii irrisione, ac desperatione pœnitentium. Caveat ergo toto cœlo Confessarius a scrupulis, si velit utiliter muneris sui partes exercere: unde si illi proveniant ex ignorantia, studiis vacet; si ex nimia subtilitate, ne plus sapiat quam necesse est, sciens se non mathematicum agere, sed moralistam; si vero ex quadam, ut

*Pace caret, mentem excruciat, fit ineptus et æger,  
Aterno exosus, peccans, spe nudus et amens.*

72. Q. 2. Quænam sunt signa et characteres conscientie scrupulosæ?

R. Characteres et signa scrupulosi hæc præcipua sunt: — 1. si quis erronee putet se peccare in eo, in quo pii homines nullum omnino peccatum inveniunt; — 2. si confessario vel alteri viro pio et docto asserenti nullum ibi esse peccatum, aut non credat, aut ita credat, ut magno semper concutiatur timore eos, aliosque sine fine interrogans; — 3. si excutiendæ conscientie non faciat finem, et minutissima explicet, et confessiones diligenter actas ex toto vel ex parte repetat; — 4. si preces suas maxima cum animi anxietate et semper trepidans de peccato recitet, easque continuo de novo ordiatur; — 5. si signis ridiculis, gestibus, aliisque similibus utatur ad tentationes pellendas: v. g. oculos subito claudere, contrahere supercilia, annuere vel renuere capite, secum mussitare: *nolo; recede, diabole*. Hinc versus:

*Errat, non credit, timet, excutit, anxius orat;  
Ridiculis gestit signis, similimus illi est,  
Lambere qui turpes prohibet sua prandia muscas.*

73. Q. 3. Quibus mediis uti debet scrupulosus ad scrupulos pellendos?

R. Præcipua media ad scrupulos pellendos

*Sunt Deus et Sancti, scrupulis sua pharmaca, Rector.*

1. Nempe instantè ac confidenter se Deo commendare, qui *consolatur nos in omni tribulatione nostra*<sup>1</sup>; — 2. protectorem invocare aliquem Sanctum, qui in vita scrupulis fuerit agitatus, ut fuit inter cæteros S. Ignatius primis suæ conversionis annis; *similitudo* enim *miseriæ* homines magis movet<sup>2</sup>; — 3. scrupulorum causas destruere, ut illorum ita dicam, pervicacia, qua vult ut omnes idipsum sentiant quod ipse, sciat unumquemque suum donum habere, et alium quidem *sic*, alium vero *sic*, et ideo quærat quod justum est, non quod suum est. Ita liber a S. Alphonso, ac Benedicto XIV laudatus, *Istruzione per i novelli Confessori, Opera di un Missionario divisa in due parti*.

<sup>1</sup> II Cor. i. — <sup>2</sup> Augustinus, *Serm.* 9 ex 40 noviss.

pravus effectus cesset. Superbus ergo suæ prudentiæ non ininitatur; pertinax frangat suum iudicium; rudis instruat; otiosus operetur, timidus Dei bonitatem meditetur, melancholicus solatium capiat, corpore infirmus curetur (aliquando enim ex sanguinis incensione malum procedit), etc.; — 4. proprii directoris iudicio se totum committere; nam scriptum est: *Vir obediens loquetur victoriam*<sup>1</sup>. Imo hoc unicum dici potest scrupulorum remedium, quod summopere commendant S. Bernardus, S. Antoninus, S. Franciscus Salesius, S. Philippus Neri, S. Theresia, beatus Dionysius Carthusianus, Ven. Pater Avila, S. Alphonsus noster, alique sine numero. Sane cum scrupulorum ratio plane impotens sit, aliud non restat, nisi ut illi per rationem alienam gubernentur. In hoc nullum temperamentum admittatur.

74. Q. 4. *Quid conscientia laxa, quæ causæ, effectus et remedia?*

R. ad 1: Conscientia laxa est, qua quis ex motivis levissimis iudicat esse licitum quod est illicitum, vel esse malum leve quod est grave: qui huic conscientiæ indulget utique peccat, cum ea sit facile superabilis. Huc revocatur tum conscientia laxa simpliciter, quæ libertatem plus justo extendit; tum conscientia pharisaica, quæ magna parvi et parva magni facit (dicta a conscientia Phariseorum culicem scrupulose excolantium, sed camelum deglutientium<sup>2</sup>); tum conscientia cauteriata, quæ ex diuturno peccandi habitu peccata etiam gravissima nihili pendit, iudicando bonum malum, et malum bonum sine ullo remorsu<sup>3</sup>.

75. R. ad 2: Conscientiæ laxæ causæ sunt: *vita mollis*, quæ enervat; *neglectus orationis*, qui nos omnino dejicit; *inimicitia temporalium sollicitudo*, quæ nos terrenos facit; *peccandi consuetudo*, quæ tollit peccati horrorem; *familiaritas*

<sup>1</sup> Prov. xxiv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 2. 12.

<sup>2</sup> Matth. xxiii.

<sup>3</sup> I Tim. iv. Cauterium est a græco *caia*, *ardere*; conscientia ideo cauteriata dicitur, quia omnem peccati sensum amisit, sicut caro ferro candenti inusta, quæ insensibilis effecta est: et tunc iniquitas sicut aqua bibitur.

cum viliosis, quibus assuescimus; *luxuria*, quæ impedit, quominus christianus ad spiritualia tendat. Hinc versus:

*Mollities, missæque preces, nimis anxia mundi  
Cura, frequens lapsus, sociique, cupidinis arcus.*

76. R. ad 3: Effectus laxitatis sunt: *cæca animi tranquillitas* post peccatum; *insensibilitas* ad pia monita; *irrisio* piarum exercitationum; *impœnitens cor thesaurizans sibi iram in die iræ*<sup>4</sup>. Hæc in laxitatis amatore videre est. Hinc versus:

*Cæcutiens, durum, pia spernens, neque dolens cor.*

77. R. ad 4: Præcipua sunt laxitatis remedia: — 1. dierum aliquot secessus, dicente Domino: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus*<sup>5</sup>; — 2. frequens oratio cum novissimorum meditatione juxta illud: *Memorare novissimam tuam, et in æternum non peccabis*<sup>6</sup>; — 3. quotidiana conscientiæ discussio secundum illud: *Redite prævaricatores ad cor*<sup>7</sup>; — 4. optimorum librorum lectio; nam in lectione nos alloquitur Deus, sicuti nos in oratione alloquimur Deum; — 5. promptum confugium post peccatum ad Pœnitentiæ Sacramentum, ne animæ vulnus incrudescat; — 6. malorum fuga et conversatio cum bonis; nam *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficitur*<sup>8</sup>. Hinc illud:

*Secessus, prex, examen, pia lectio, crebra  
Sit confessio, sit fuga, sint hæc pharmaca laxo.*

### Art. III. — De conscientia certa et dubia.

78. Q. 1. *Quid est conscientia certa?*

R. Conscientia certa ea est, qua quis prudenter et absque rationabili errandi formidine iudicat aliquid in particulari

<sup>1</sup> Rom. iii.

<sup>2</sup> Os. ii. — V. Liguori, *epist. Sull' utilità degli esercizi in solitudine; it. Meditazioni per otto giorni.* — Bellecius, *Exercitia S. Ignatii.* — Cattaneo, Maffei, Pétitier, Diertins, etc., *Exercitia.* — Stapf, § 571 et seqq. *De exercitiis spiritualibus.*

<sup>3</sup> Eccl. vii. — <sup>4</sup> Is. xlvi.

<sup>5</sup> Prov. xiii.

esse bonum vel malum, licitum vel illicitum. Seu exactius : Est prudens ac firmum iudicium congruentiæ vel disconvenienciæ cum morum regulis de actu, quem ponere hic et nunc, vel prætermittere meditamur. Ex quo patet discrimen inter conscientiam veram et certam; veritas enim respicit objectum, ita ut tale in se revera sit, quale iudicatum fuerit. Certitudo autem moralis respicit subjectum, quatenus quis prudenter iudicat rem illam ita esse, licet forsitan in se talis non sit<sup>1</sup>.

79. Duplex vero distinguitur certitudo moralis : directa et reflexa. Directa oritur ex principiis propriis et intrinsicis rem ipsam efficientibus. Sic v. g. iudex hac certitudine innititur, quando condemnat reum, eo quod processus causæ subministret certissima criminis argumenta. Reflexa e contrario petitur a principiis generalibus rem ipsam efficientibus tantum extrinsece, ex quibus tamen recte arguitur licitum esse in praxi illud, quod in se et directe non potest demonstrari licitum. Sic iudex ex rationibus intrinsicis causam immediate efficientibus dubius est, an Titius sit absolvendus, an vero condemnandus; sed ex illo principio reflexo atque generali : *In dubio favendum est reo*, sine hæsitatione concludit Titium esse absolvendum<sup>2</sup>.

80. Sed (dices) principium reflexum non potest facere plusquam principium directum; atqui in hypothesi principium directum non parit certitudinem moralem; ergo neque reflexum.

Distinguo majorem : principium reflexum non potest facere plusquam principium directum, si sermo sit de veritate opinionis, concedo; si sermo sit de ejusdem usu, nego. Oportet nempe attente distinguere veritatem opinionis ab usu ejusdem; aliud enim est quærere, utrum hæc opinio vera sit objective, an non : et aliud est quærere, utrum liceat hac opinione uti in praxi, licet sit dubia. Jam vero quando disputatur de ipsa opinionis veritate, certe apparet, non posse majore

<sup>1</sup> Hinc est, quod conscientia potest esse certa, quin tamen sit vera, uti est conscientia invincibiliter errans : certa videlicet subjective; non tamen vera objective.

<sup>2</sup> Ista principia dicuntur reflexa, eo quod a proprio, immediato et directo eorum objecto ad aliud per rationationem quasi flectantur, ut per ea possit recte definiti pro praxi proposita controversia. — V. Lignori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 55 et 69.

rem effectum producere principium reflexum, quam principium directum. Sed res ita non est, quando disputatur de opinionis ejusdem usu; tunc enim potest contingere, ut principium directum opinionem relinquat in statu dubii quoad veritatem objectivam, id est in se; et principium reflexum eam constituat in statu certitudinis quoad honestatem subjectivam, id est in subjecto agente. Uti patet in milite, qui speculative dubius est de justitia belli quod gerit; sed practice concludit sibi fas esse nihilominus pugnare in bello ipso, innixus videlicet illo principio utique reflexo : *In dubio possidet præceptum superioris; ideo illi obediendum est*.

Sed (inquies) ex hoc sequeretur absurdum, quod nempe de eodem objecto haberi posset dubium simul et certitudo. — Nego sequelam; dubium enim et certitudo in hoc casu non sunt de eodem objecto. Videlicet dubium respicit veritatem opinionis in se, certitudo respicit honestatem actionis in illo, qui tali utitur opinione. Sic nonne posset miles esse dubius, an bellum sit injustum, et simul esse certus moraliter, quod licitum sibi sit illud ire ex principio reflexo jam declarato, quod constituit certitudinem honestatis moralis?

81. Q. 2. Quid est conscientia dubia, et quotuplex dubium?

R. Conscientia dubia est suspensio iudicii circa bonitatem vel malitiam alicujus actus in particulari. Id nempe evenit, quando conscientia assensum suum suspendit pro utraque parte dubii, et remanet anceps et hæsitans circa actionis suæ moralitatem. Cum porro conscientia sit iudicium rationis practicum, et hic non habeatur nisi iudicii suspensio, patet, conscientiam dubiam non esse conscientiam veri nominis, sed improprie tantum et usu Scholarum acceptam<sup>1</sup>.

82. Dubium dividitur :

1. In positivum et negativum. — Positivum est quando pro utraque parte stant rationes æquales, aut ferme æquales. — Negativum est cum ex neutra parte suppetunt rationes, vel non suppetunt nisi admodum leves. Sicut statera stat in suspensio sive in æquilibrio tam si nulla, quam si æqualia in utraque lance pondera ponantur<sup>2</sup> : a pari homo dubius hæret

<sup>1</sup> Unde alii sic placet conscientiam dubiam definire, ut sit : *Status animi, qui sibi conscius est, se non habere sufficientes rationes, ut certo iudice sibi persuadeat, se cognoscere moralitatem specialis actus, de quo quæritur*. At non recedendum a communi usu.

<sup>2</sup> Hæc similitudo est S. Basilii, *Ep. cerv* (edit. Maur.) ad Neocæsarenses.

in sua inquisitione, tam si nullas habeat hinc inde rationes, quam si habeat æquales pro duplici contraria opinione.

2. In dubium juris, et dubium facti. — *Dubium juris* est quando dubitatur vel de lege, vel de ejus obligatione, vel de legitima legislatoris potestate: v. g. an jejunium tali die revera in lege præceptum sit? an lex jejunii in tali casu obliget, necne? an legislator possit in tali casu jejunium præscribere? — *Dubium facti* est quando dubitatur circa aliquod factum, v. g. an medicina quam sumpturus sum, sit salutaris an venefica; an qui latet in sylva, sit homo an fera?

3. Ipsum dubium juris dividitur in speculativum et in practicum — *Speculativum* est quando dubitatur de bonitate vel malitia actionis in se, abstrahendo a præsentibus circumstantiis: v. g. an pingere die festo sit opus servile, necne? an tale bellum sit justum, an vero injustum? — *Practicum* est quando dubitatur, an actio singularis cum circumstantiis suis et in ordine ad fidem agentis sit licita, an illicita? v. g. an liceat mihi in his circumstantiis constituto facere opus servile die festo? an liceat mihi servo hac in re domino meo præcipienti obtemperare? Quare inter utrumque dubium intercedit discrimen quod intercedit sane latissimum inter verum et licitum? Dubium nempe *speculativum* licet in obliquo et secundario seu consequenter respiciat etiam licitum; in recto tamen et principaliter respicit verum. Dubium vero *practicum* respicit directe, immediate et primario ipsum licitum<sup>1</sup>.

Pro duplici hac dubii specie etiam ipsa conscientia dubia potest, imo debet cum S. Alphonso dupliciter dividi, nempe in conscientiam *dubiam speculative*, et in conscientiam *dubiam practice*.

83. Q. 5. *Utrum, stante dubio speculativo, possit haberi moralis certitudo de honestate actionis?*

R. Affirmative: stante dubio speculativo, potest haberi

<sup>1</sup> Oportet ut tyrones nostri bene penitusque percipiant prædictam differentiam inter dubium speculativum et dubium practicum, si multos velint in quæstionibus de conscientia dubia errores præcavere. Audiant itaque auctorem libri cui titulus: *Dottrine di S. Alfonso difese*, ecc., p. 58, ed. zione terza.

moralis certitudo de honestate actionis. Dubium enim speculativum non excludit practicam hanc moralem certitudinem; nam aliæ sunt rationes, quibus judicamus *de rei veritate*, sive de dubietate alicujus opinionis, v. g. an bellum quod geritur, sit justum necne? Et aliæ sunt rationes quibus judicamus *de honestate actionis*, v. g. an in bello prædicto liceat subditis, sic imperante Principe, præliari?

Res clarius patebit exemplo judicis, qui ex rationibus intrinsicis et directis dubius est, num Titius v. g. sit reus, an non? attamen ex illo principio reflexo ac generali, nempe *in dubio favendum esse reo*, Titium absolvit. Judex videlicet laborat quidem dubio speculativo, quia spectatis rationibus intrinsicis, dubius hæret, an reus sit absolvendus necne; sed tali dubio non obstante, efformat sibi conscientiam moraliter certam de honestate suæ actionis in reo absolvendo, illud amplexus principium: *In dubio favendum est reo*. Ex his patet quomodo actio, cujus honestas speculative et absolute dubia est, possit in praxi et relate ad operantem evadere moraliter certa, et practice tuta.

84. Q. 4. *Stante dubio practico de honestate actionis, licetne agere?*

R. Stante dubio practico de honestate actionis, nefas est agere, sed prius dubium deponi debet; nam *omne quod non est ex fide, peccatum est*<sup>1</sup>, sive quod non est ex intima persuasione, quod sit licitum, peccatum est. Atqui illud, quod fit in dubio practico de honestate actionis, nequit conjungi cum intima persuasione, quod sit licitum. Accedit, quod ille qui se exponit periculo peccandi, jam peccat, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit*<sup>2</sup>; atqui agens in dubio practico de honestate actionis se exponit periculo peccandi; ergo jam peccat. — Peccat autem peccato ejusdem speciei, cujus est peccatum de quo dubitatur. Hinc qui dubitat actionem suam esse furtum, furto peccat, et quidem graviter, si dubium sit de re gravi; cum talis se committat illius discrimini.

<sup>1</sup> Rom. xiv. — F. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 22.

<sup>2</sup> Eccli. iii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 25.

85. *Sed quid (dices) si quis apprehendat quidem id quod agit esse peccatum, sed non advertat mortalene sit, an veniale? — Alii cum Azorio hunc semper damnant de mortali, quia quantum in se est, ejus periculo se exponit. Alii cum Vasquez censent peccare graviter vel leviter prout res in se est gravis vel levis; quia illam eligendo, ejus quoque consecraria eligit. Verum satis probabiliter Valentia, et Navarrus cum aliis plurimis tenent, quod si homo iste sit timoratae consciëntiæ, qui neque in confuso advertat ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, nec objectum sit ex se mortale, non peccat nisi venialiter; ex his enim merito inferitur non apprehendi peccatum uti mortale. Mortale tamen erit, si secus esset; quia, uti ait S. Antoninus ex S. Thoma, periculo se exponit mortalis qui operatur in eo dubio<sup>1</sup>.*

86. *Quomodo (addes) practice dubitans de honestate suæ actionis se gerere debet, ut consciëntiam practice certam sibi valeat efformare?*

R. Si dubium est inane, illud despiciendo deponat; nulla enim obligatio inducitur sine rationabili fundamento. Si e contrario dubium grave est, tunc si dubitans sit rudis, consulat confessarium, vel alium prudentem; consilium enim petere est de ordinaria Dei providentia. Si vero litteris exultus sit, rem examinet ad dubium vincendum: quod si perduret, illud deponat inquirendo principium aliquod reflexum de honestate actionis, et juxta illud operetur.

Tamen si non valeat hic et nunc illud sibi efformare judicium, neque habeat a quibus consilium petat, et velit agere, eam debet partem eligere, quæ ab omni periculo peccati removet, alioquin peccaret in eo, quod se committeret discrimini<sup>2</sup>. Quod si neutra pars a peccato removeat, tunc

<sup>1</sup> II p., t. III, c. x.

<sup>2</sup> Hæc resolutio præ oculis semper habenda est in omnibus materiis dubiis, de quibus erit in totius Operis nostri decursu. Et mirum sane, quod nonnulli nos imprudentiæ accusent, quasi mens nostra sit, omne dubium illico contemnendum esse, et nullo præmisso examine, ac quasi oclusis oculis, nos tunc tuto posse, quod favet libertati, sequi. Hoc quidem imprudentissimum esset: at quis unquam docuit tale? Nos semper loquimur de

dubitans ab actione abstinere debet, ut patet. At si non possit se abstinere, quia nempe est inter duo contraria præcepta constitutus, eligat quod minus malum ipsi videtur: et si utrumque præceptum æque appareat grave, eligat quod vult; sic enim agendo non peccat, cum non detur peccandi necessitas.

87. Q. 5. *Quænam sunt principia, quibus innixa consciëntia evadere potest practice certa de actionis suæ honestate aut malitia?*

R. Principium primum et cæterorum principalissimum, cui innixa consciëntia evadere potest practice certa de actione, est quod *lex dubia non potest inducere obligationem certam*. Ad rem ait Benedictus XIV: *Il ne faut pas imposer un lien certain lorsqu'il n'y a pas de loi claire qui l'impose*<sup>1</sup>. Ex hoc enascitur aliud principium, quod nempe in dubio *melior est conditio possidentis*. Hinc in dubio morali videndum est, utrum possideat lex, an libertas hominis? Nos dicimus aliquando possidere legem, aliquando libertatem: et sic quando possidet lex, semper pro ea standum erit; quando possidet libertas, stari poterit etiam pro libertate, maxime si charitas et prudentia suggesserit. Ita ut qui hoc in casu adhuc voluerit legem implere, laudandus; si vero egerit contra, non sit damnandus uti reus peccati.

Porro ad dignoscendum pro qua parte in dubio morali stet possessio, videndum erit pro qua stet præsumptio<sup>2</sup>.

dubio, quod tale permanet, etiam post adhibitam pro rei gravitate diligentiam ad illud resolvendum tum illud intimius firmando, tum utriusque partis argumenta sedulo pensitando vel doctos pro temporis opportunità consulendo. En casus, quo quis valet aliquo principio reflexo practicam sibi consciëntiam efformare de honestate suæ actionis, dubium vincendo. Quod quidem una vice pro omnibus dictum esse volumus.

<sup>1</sup> *Notificatione* LXXX, alias XIII. — Vide etiam dicenda de *Legibus*, ubi de *Obligatione*.

<sup>2</sup> Præsumptio est suppositio, quæ fit, vel fieri debet, suadente causa; seu est judicium de aliquo particulari ignoto per aliud generale notum, ac ordinariè contingens: ideo præsumptio dicitur nasci *ex communitè contingentibus*. Hoc ipsa natura dicitur: sic cum homo sit natura sua bonus, ideo omnis homo in dubio bonus præsumitur; ac tunc tantum uti malus habetur, quando id clare dignoscitur: quo in casu cessat suppositum, et præ-

Præsumptio autem stat semper pro ea parte, quæ non tenetur per se ipsam factum probare, sed onus probandi transfertur in partem alteram; factum nempe non præsumitur nisi probetur: quod est tertium principium nobis traditum ab ipsa lege de probationibus: ideirco in dubio factum nunquam præsumitur, sed semper probandum est. Quod si factum ipsum sit certum, v. g. si matrimonium certe initum sit, et solum dubitetur, utrum rite initum fuerit an non, tunc aliud recurrit principium, quod quarto loco adsignari potest hisce verbis contentum: *In dubio omne factum præsumitur recte factum, sive præsumitur factum quod de jure faciendum erat, videlicet tunc standum est pro valore actus (N).*

**Art. IV. — De conscientia probabili et improbabili<sup>1</sup>.**

**88. Q. 1. Quid est probabilitas, et quotuplex?**

R. cum Antoine: *Probabilitas est motivum grave, sed absolute fallibile, reddens opinionem verisimilem<sup>2</sup>*; opinio enim in genere est apprehensio unius e duobus contradictoriis cum formidine alterius: ideo probabilitas aliquid opinioni superaddit, nempe motivum solidum, etsi adhuc cum formidine de opposito. — Quadruplex autem est probabilitas; alia intrinseca et alia extrinseca, alia facti et alia juris. *Intrinseca* est quæ innititur rationum momentis desumptis ab ipsa natura rerum, de quibus agitur. *Extrinseca* est quæ, prætermissis rationibus intrinsecis, tota fundatur in auctoritate Doctorum. *Probabilitas facti* est quæ versatur circa rei veritatem sive substantiam; uti cum quæritur, an Baptismus collatus cum lixivio sit validus, an nullus? Pro-

dicatur verum: inde natum est axioma: *Præsumptio cedit veritati.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 24.

<sup>1</sup> *Probabile* juxta vim nominis est id, quod probari potest. Olim sumebatur pro eo, quod erat unice certum: hoc sensu Nazianzenus doctrinam de necessitate Fidei in J. C. probabilem dixit (*Orat.* 22). In sacra Scriptura probabile sumitur pro eo, quod est ad probationem dignum juxta illud II, Tim. II: *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo.* Nunc Theologorum usu *probabile* dicitur quod absolute certum non est, gravibus tamen innititur fundamentis. — V. Bergier, *Dictionnaire*, vº Probable.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 40; et *Hom. Apost.*, tract. I, n. 21.

*abilitas* demum juris est quæ versatur circa honestatem actionis, v. g. an liceat Baptismum ministrare cum lixivio? (O).

**89. Q. 2. Quid est opinio probabilis, et conscientia probabilis?**

R. *Opinio probabilis* in genere morum est ille actus intellectus nostri, quo gravi quidem, sed fallibili fundamento innixi, et cum formidine oppositi, judicamus aliquid esse in se licitum vel illicitum. Conscientia vero probabilis est illa per quam aliquis innixus opinione probabili format sibi dictamen practicum suæ rationis ex certis principiis reflexis sive concomitantibus, ad licite operandum.

Duplici modo considerari potest quælibet opinio probabilis, vel in se et in sua probabilitate propria, vel respective et comparate ad opinionem aliam. *Opinio probabilis* (ait Staidel in *notis ad Theologiam Moralem Antoine*) considerari potest vel solitarie, et extra concursum alterius probabilis oppositæ, vel conjunctive, et in concursu alterius<sup>1</sup>.

**§ I. — De Opinione probabili considerata in se ipsa et in sua probabilitate propria.**

**90. Q. 1. An usus opinionis probabilis in se, et in sua probabilitate propria consideratæ sit licitus?**

R. Certum est nunquam licere in re morali opinionis illius usum, quam in Scholis appellant leviter et tenuiter probabilem, quæ nempe innititur quidem aliquo fundamento, sed non tam forti, ut possit ad se pertrahere assensum viri prudentis; in his enim *parum pro nihilo reputatur*. Accedit, quod Innocentius XI damnavit hanc sub n. 5 propositionem: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Quare tota quæstio reducitur ad usum opinionis, quæ vere, solide et satis graviter probabilis sit.

Non defuerunt Doctores (*rigoristæ* ideo dicti) qui tradiderunt esse prorsus illicitum in moralibus usum opinionis

<sup>1</sup> *Tract. de Consc.*, c. IV.

probabilis cujuscumque, imo etiam probabilissimæ. Ab istorum officina prodiit notissima illa propositio ab Alexandro VIII sub n. 3 damnata contra Sinnichium 1690: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. Verum illos refellit Angelicus inquires: Certitudo non est similiter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa; eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat*<sup>1</sup>. Sane cum opinio est vere probabilis, gravi nititur fundamento et assensum meretur viri prudentis; prudenter igitur agit qui eam sequitur. Hinc ipse Tullius: *Nos sequimur probabilia, nec ultra quam id quod verisimile occurrerit*<sup>2</sup>.

91. Dices: *Ad honestatem actionis necessaria est certitudo moralis de honestate ipsa; atqui ille, qui agit cum opinione tantum probabilis, etsi solida et satis gravi, non habet hanc certitudinem. Opinio enim probabilis, quanta-cumque sit ejus probabilitas, semper conjuncta est cum formidine oppositi, ideoque cum ipso dubio. Ergo.*

R. 1. *Indirecte.* Si quid hoc argumentum valeret, rejiciendus esset etiam usus opinionis probabilissimæ contra definitionem Alexandri VIII; nam ista semper conjuncta est cum aliqua formidine oppositi.

R. 2. *Directe negando minorem;* qui enim agit cum opinione vere et graviter probabili efformat sibi dictamen mo-

<sup>1</sup> 2, 2, q. 20, a. 2. Hoc argumentum facile extendi potest etiam ad usum opinionis vere et graviter probabilis, sive legi faveat sive libertati. Si in actibus humanis ex D. Thoma non requiritur certitudo demonstrativa; ergo vera et gravis probabilitas sufficiens erit. Sane licitus dici debet usus illius opinionis, quæ per se difformis non est rectæ rationi; atqui talis est opinio vere graviterque probabilis. Nam si foret difformis, non foretrectur motivo gravi, neque moveret animum viri sapientis. Denique fas est uti opinione, quæ excludit omne dubium practicum in agente; atqui talis est opinio vere graviterque probabilis. Ubi enim adest contra legem argumentum solidum et grave, jam illa evadit incerta et dubia; lex autem incerta et dubia non obligat: et sic liberum restat agenti illam sequi vel non.

<sup>2</sup> Lib. I *Tusc. quæst.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 54.

raliter certum de honestate actionis suæ ex principiis reflexis, ut patet exemplo judicis jam supra allato. Ad probationem distinguo: opinio probabilis semper conjuncta est cum formidine oppositi speculativa, ideoque cum ipso dubio speculativo, *concedo*; conjuncta est cum formidine et dubio pratico, *nego*<sup>1</sup>. Hæc porro duo omnino differunt inter se, ita ut cum prima agere quidem liceat, tametsi nefas sit agere cum secunda. Unde sic opinari pertinet ad prudentiam, uti ait Angelicus, qui dicit *prudentiam esse in opinativa parte animæ, et versari circa operabilia contingentia, quæ nempe possunt sese aliter habere.*

92. *Ergo (subjunges) si ita est, qui probabiliter agit, prudenter agit; atqui hoc consequens falsum est; ergo et antecedens.*

R. Consequens falsum est, si nostra actio moralis innitatur sola probabilitate, *concedo*; secus, *nego*. Nemo quidem potest opinionem aliquam sequi eo quod sit vere et satis graviter probabilis<sup>2</sup>; cum ad licite operandum non sufficiat dictamen probabile, sed requiratur dictamen certum, seu certitudo moralis de honestate actionis: at eam opinionem libere quilibet sequi potest, etsi contra legem, quia (en ra-

<sup>1</sup> Hoc uno principio omnia adversariorum objecta de facili solvi possunt; ac proinde fastidiosum nobis est pluribus ea prosequi. Attamen id tyronibus nostris utile est, qui ex modo diverso, quo adversarii proprias adstruunt rationes, nonnunquam in responsione hærent, licet facile sit eas dissolvere, si bene ediscant evolvere hoc cardinale principium.

<sup>2</sup> Hæc verba: *qui probabiliter agit, prudenter agit*, et vera et falsa esse possunt, nempe sub diverso respectu. *Falsa*, si ideo tantum actio ponatur, quia est probabilis ejus honestas; nam ad agendum requiritur moralis certitudo. *Vera*, si accipiantur hoc sensu, quatenus probabilitas in causa est, ut per discursum ad aliquod principium devenianus certum ac firmum. Unde qui ad nauseam usque nobis opponunt hoc effatum, et magno eloquio ejus impromptitudinem adstruunt, aerem verberant. Item notandum, quod aliquando Theologi moralistæ (et ipse Angelicus) brevitate gratia sententiam quam amplectuntur, probabilem simpliciter appellant: quod quidem non est velle agere cum formidine; illud enim *probabile* (si alia ratione non destruat) in eorum sententia dicit certitudinem, per illum nempe discursum, quem subintelligunt, ut supra innuimus. Hoc autem et in presenti Opere nostro notetur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 58, 80.

lio quam nunquam satis repetere possumus, quæque semper præ oculis habenda est diligenter) quia agens in tali casu recte iudicat legem esse dubiam, et idcirco sibi nullam ex ea oriri obligationem: cum lex dubia ex communi Theologorum et Juristarum sententia non obliget. Et hoc modo de honestate actionis suæ non habet dictamen tantum probabile, sed vere moraliter certum (P).

93. Q. 2. *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere et satis graviter probabilem?*

R. affirmative: Probabilitas extrinseca constituit opinionem vere, et satis graviter probabilem, adeo ut liceat agere.

Prob. 1, ex Scripturis; sic nempe legitur in Proverbiis: *Inclina aurem tuam, et audi verba sapientum*<sup>1</sup>. Iterum<sup>2</sup>: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; ille autem dicitur non inniti prudentiæ suæ, qui auctoritati sapientum ita defert, ut ob illam aliquando operetur etiam contra id, quod sibi videtur, dicens secum ipse: *In verbo autem tuo laxabo rete*<sup>3</sup>.

2. Ex Patribus: *Nulli dubium est*, inquit D. Augustinus, *gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis*<sup>4</sup>. Et D. Thomas clarius: *Auditor diversorum magistrorum tenentium contrarias opiniones, potest sequi quam velit, nisi aliter determinetur, esse contra Fidem, et Ecclesiam*<sup>5</sup>.

3. Ex ratione: probabilitas extrinseca, si bene et in se perpendatur, resolvitur in probabilitatem intrinsecam; adest enim certa præsumptio, quod Doctores cum opinionem aliquam tradiderunt, penitus perspexerint rei veritatem in se; quis enim audeat cogitare eos temere fuisse locutos? *Aliquis parvæ scientiæ*, ait Angelicus, *magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secun-*

<sup>1</sup> Prov. xxii. — <sup>2</sup> Cap. iii. — <sup>3</sup> Luc. v.

<sup>4</sup> L. III, contra Academ., c. xx.

<sup>5</sup> *Tabula aurea*. Neque juvat proferre illa ejusdem verba (Quod. 3, a. 10): *Non possumus sequi opinionem alicujus Doctoris*; nam ibidem immediate subjungit: *Contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem*. Hoc S. Bonaventura tradit iisdem pene verbis. Ergo juxta istos possumus sequi opinionem alicujus magistri, quotiescumque hæc manifeste non adversatur Scripturæ, vel Ecclesiæ.

*cundum suam rationem videtur*<sup>1</sup>. Hinc S. Pænitentiaris anno 1851 interrogata, an esset inquietandus Confessarius, qui in Pænitentiae tribunali sequitur doctrinam S. Alphonsi de Liguorio, non perpendens momenta et rationes, quibus innituntur variæ ipsius opiniones, sed ob solam tanti nominis auctoritatem, respondit *negative*: quod responsum a Gregorio XVI fuit confirmatum 22 julii 1851. Hoc autem stare non posset, nisi probabilitas extrinseca aliquando constitueret probabilitatem veram, firmam et proprie dictam (Q).

94. *Quid (quæres) de auctoritate Theologorum in re morali?* — Ex his quæ fassus tradit Melchior Canus<sup>2</sup>, nobis sufficiat tria adnotare:

1. Constantem et unanimum Theologorum sententiam, quæ docet aliquid esse licitum, talis et tantæ auctoritatis existimari debere, ut appropinquare ad hæresim dicendus esset qui vellet ab ea discedere. Cum enim sive qui conciones habent, sive qui confessiones audiunt, sive qui consilium dant, id tradant quod universim tenent Theologi, si isti errarent et Ecclesia tota profecto erraret, communem nempe errorem dissimulando.

2. Testimonium multorum, si alii viri docti contra sentiant, non pluris esse faciendum, quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas persuaserit; cum enim eo in casu numerus numero compensetur, pondere est judicandum. Inter ipsos autem auctores ii sunt præferendi qui ex professo rem pertractarunt; censentur enim rationes diligentius perpensis. Item ii qui doctrinam quam tradunt, experientia probarunt; experientia enim optima rerum magistra est. Denum ii qui omni passione posthabita, atque solius veritatis amore scripserunt, ut sunt Auctores sancti (R).

3. Rejiciendam esse uti irrationabilem illam quorundam opinionem, qua summo quidem obsequio prosequi se profitentur Theologos et Casuistas veteres, sed recentiores floccifaciunt; non minus enim recentiores, quam veteres, ingenio, diligentia, studio, eruditione et pietatis laude scimus excelluisse quamplurimos: nec minus in Scripturis sanctis, in Patrum operibus, in Pontificum oraculis, in Conciliorum definitionibus elaborasse. Imo recentiores maxime evolventi sunt, qui post priorum studia in Domo Domini laborarunt, utpote qui soli referre possunt decisiones noviter datas (S).

<sup>1</sup> 2, 2, q. 4, a. 8. — V. Liguori, *Apologie*, ecc.

<sup>2</sup> *De Locis Theol.*, l. VIII, c. iv.



§ II. — De Opinione probabili considerata respective et comparate ad opinionem contrariam.

95. Q. 1. Quotuplex distinguitur opinio probabilis considerata comparate ad aliam?

R. Opinio probabilis considerata comparate ad opinionem contrariam potest esse: 1. minus probabilis, æque probabilis, probabilior et probabilissima; 2. minus communis, communis, communior et communissima; 3. denique minus tuta et tutior.

Primo erit opinio minus probabilis, si nitatur levioribus rationum momentis, quam opinio opposita: æque probabilis, si momentis æqualibus: probabilior, si gravioribus: probabilissima demum, si nitatur argumentis gravissimis, ita ut opinio opposita censeatur vel tenuiter vel dubie probabilis<sup>1</sup>.

Secundo erit opinio communis, si multos; communior, si multo plures; minus communis, si pauciores; denique communissima, si fere omnes moraliter pro se habeat auctores.

Tertio erit opinio minus tuta, quæ materialiter minus recedit a peccandi periculo; tutior, quæ recedit magis a dicto periculo. Opinio tutior dicitur favere legi; quia in dato casu tenet extare legem, quæ aliquid præcipiat aut vetet. Minus tuta dicitur favere hominis libertati; quia in dato casu negat extare legem, sed tenet hominem libere tunc agere posse pro suo arbitrio<sup>2</sup>.

96. Ex his omnibus hæcenus enucleatis triplex (quæ maxime pertinet ad morum doctrinam) potest hypothesis exoriri, videlicet in conflictu duarum opinionum possunt sæpesæpius contingere tria hæc:

1. Ut una sit minus tuta simul et minus probabilis; altera vero tutior

<sup>1</sup> Errant qui opinionem probabilissimam sumunt pro opinione moraliter certa; opinio nempe moraliter certa excludit prudentem errandi formidinem: opinio autem probabilissima, tuncmeti inter probabiles habeat primum locum, fines tamen probabilitatis minime excedit: et ideo non excludit omnem omnino errandi formidinem. Quare opinio moraliter certa non nisi improprie opinio dicitur: hoc enim ipso, quod omnem errandi formidinem excludit, egreditur e finibus opinionis striete talis, et evadit scientia, ita ut contraria reputetur omnino improbabilis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 40.

<sup>2</sup> Hinc patet, quod opinio minus tuta et minus probabilis, sicut et tutior ac probabilior, multum differunt inter se; nam major vel minor securitas alicujus opinionis desumitur a majori vel minori ejusdem distantia a peccato: cum ex adverso major vel minor probabilitas desumatur a majori vel minori veritatis apparentia. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 31.

et probabilior. Sic opinio, quæ docet mercatores ex professo gabellas fraudantes non teneri ad restitutionem, per se est minus tuta, quia non stat pro lege, et minus etiam probabilis in nostra sententia, quia per se loquendo est minus fundata in ratione. Unde contraria opinio, quæ docet mercatores fraudantes peccare et teneri de restitutione est tutior et nobis probabilior.

2. Ut una sit minus tuta, sed magis probabilis; altera tutior, sed minus probabilis. Sic opinio, quæ docet beneficium habentem bona patrimonialia ex hisce vivere debere, non vero ex ecclesiasticis redditibus, tutior est; quia qui eam sequitur, ne ipsi quidem materiali peccandi periculo se exponit, cum supponat et teneat strictam illam legem: est tamen certo minus probabilis, quia minus fundata opinione contraria, quæ docet beneficium ad id non obligari.

3. Ut ambæ sint æque probabiles, sed una minus tuta, et favens hominis libertati, altera magis tuta et favens legi. Sic opinio, quæ docet ecclesiasticum, qui de redditibus alicujus beneficii accipit pensionem, non teneri ex justitia ad eroganda pauperibus superflua suæ pensionis, est nobis fere æque probabilis ac contraria, quæ docet talem obligationem adesse; quia utraque satis est ac fere æque fundata. Sed prima illa est minus tuta, quia liberando a tali justitiæ lege favet libertati; e contrario hæc secunda tutior est, quia stat pro hac ipsa lege, eam supponens<sup>4</sup>. — His positis, videamus quid in hac opinionum diversitate resolvendum pro praxi, juxta S. Alphonsum.

97. Q. 2. An liceat sequi opinionem minus tutam, et minus probabilem in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris<sup>3</sup>?

R. negative. Prob. 1. Scripturis, ubi legitur: Ante omnia

<sup>4</sup> Hic juverit notare cum S. Alphonso ad doctrinam nostram plenius intelligendam: Cum aliquam opinionem unice probabilioem appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo. — Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione non audeo damnare, sive improbabilem dicere, non ideo admitto ut probabilem; sed de ejus probabilitate dubito. — Item cum aliquam sententiam verioem voco, intelligo oppositam non solida probabilitate mihi pollere, licet omnino non reprobem. Ita in *Op. Mor.*, l. V, n. 76.

<sup>3</sup> Sæculo XVI id plures docuerunt, et probabilistæ vulgo appellati sunt. Primus hujus doctrinæ scholasticis terminis exposita patronus fuisse dicitur anno 1577 P. Medina Ordinis Prædicatorum. Anno vero 1584 ejusdem Ordinis Dominicus Banez S. Theresiæ confessor doctrinam ipsam aperte amplexus est. Unde patet falsum esse et historicæ veritati contrarium, quod toties a quibusdam fuit proclamatum, Patres nempe Societatis Jesu primos fuisse probabilismi inventores.

*opera tua verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile*<sup>1</sup>. Ergo ad bene agendum necessarium est determinatum iudicium intellectus, quo prudenter quis putet se licite agere. Atqui tale iudicium habere nequit qui eligit opinionem minus tutam et minus probabilem in concursu tutioris et simul etiam certe probabilioris; cum ex hypothesi momenta quæ stant pro lege, superent momenta quæ stant pro hominis libertate.

2. Auctoritate Clementis III, qui eam sententiam tenendam declarat, *quæ meliori et subtiliori nititur ratione*<sup>2</sup>; porro ubi major est probabilitas, ibi est melior et subtilior ratio.

3. Ratione: ad licite operandum debemus veritatem inquirere et eam sequi: ac proinde ubi veritas clare nequeat inveniri, tenemur saltem amplecti opinionem illam, quæ propius ad veritatem accedit; atqui talis est opinio certe probabilior. Unde vulgare illud effatum: *Id sequimur in obscuris quod est verosimilius*: sane vir prudens præfert momenta graviora levioribus; et hoc evenit in nostro casu. Denique quando opinio, quæ stat pro lege, est certe probabilior, tunc mens nostra ex quadam vi suæ naturæ inclinari se sentit ad eandem amplectendam. Quare contraria opinio, licet adhuc in Scholis defendi possit, cum nullibi sit proscripta, a nobis tamen probari nequit<sup>3</sup>.

Diximus certe probabilior, id est sine ulla hæsitatione, ideoque solide et notabiliter; nam parvus excessus ac tenuis præponderantia in moralibus non ita facile percipi potest ex D. Thoma<sup>4</sup>. Hinc idem Angelicus habet: *Quod autem parum est, quasi nihil accipit ratio*<sup>5</sup>.

98. Q. 5. *An liceat sequi opinionem minus tutam, sed magis probabilem in concursu tutioris, sed minus probabilis?*

R. affirmative *ordinarie loquendo*. Est contra Jansenistas, qui veterem pharisæorum rigiditatem renovantes, et importunum affectantes Evangelicæ veritatis studium, docuerunt semper tutiora esse sequenda (T).

<sup>1</sup> Ecel. xxxvii. — <sup>2</sup> C. Capellanus, de feriis.

<sup>3</sup> Liguori, *Dissert. de usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris*.

<sup>4</sup> 1, 2, q. 14, a. 4. — <sup>5</sup> 2, 2, q. 70, a. 2.

Probatur 1. ex Angelico: *Certitudo, ait, non est similiter quærenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur iudicia et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat*<sup>1</sup>; — 2. auctoritate Alexandri VIII, qui hanc damnavit sub n. 3 propositionem: *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam*. Si enim ad agendum requireretur certitudo absoluta, vel talis evidentia veritatis, quæ excludat omnem errandi formidinem, ne opinionem quidem probabilissimam tenere possemus; quia opinio hæc, licet inter probabiles habeat primum locum, finestamen probabilitatis non excedit, et ideo omnem errandi formidinem non excludit; — 3. ratione; nam, ista dictante, qui in concursu opinionis tutioris quidem, sed minus probabilis, amplectitur opinionem minus tutam, sed probabiliolem, præfert argumenta graviora levioribus; ergo prudenter agit ideoque recte ac licite.

99. Diximus: *ordinarie loquendo*, nempe ubi de solo licito vel illicito agatur; nam iis in casibus, in quibus non agitur jam de honestate actionis, aut de simplici jure ac persuasione nostra; sed de facto et veritate rei alicujus, non licet sequi opinionem probabiliolem, sed tutior est tenenda. Quia in his casibus, si forte opinioni, quamvis probabiliori, subsit error, perdita sunt omnia<sup>2</sup>; neque enim major probabilitas immutat rerum naturam. Sunt hi casus:

1. Quando agitur de periculo damni proximi, v. g. ve-

<sup>1</sup> 2, 2, q. 70, a. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 54.

<sup>2</sup> Quamquam in his facti speciebus, si strictius loqui velimus, nedum major, imo nulla adest vera probabilitas; cum et ratio et Doctorum consensus contrarium doceant: siquidem nullus discursus valet remove malum quod potest evenire, si aliter agatur. Unde quod iis in casibus sit tenendum quod securius est, est etiam magis probabile, imo practice certum: *Tunc enim (ad rem Stapf) status quæstionis jam non est dubius, sed plane certus efficitur*. Quare si hos casus excipiendo ponimus, est ut morem geramus Theologorum. — Illic vid. cl. Fedelini S. Theologiæ moralis in seminar. Veronensi professor, *Opuscul. S. Alphonsus de Liguorio seipsum vindicans*. Veronæ, 1852.

nator, qui probaliter iudicat objectum in sylva latitans esse hominem, non potest ferire, licet probabilius putet esse feram. Nam ex una parte proximus habet jus certum vitæ suæ; ex altera major probabilitas non facit, ut si revera sit homo, ictu non pereat<sup>1</sup>.

2. Quando agitur de fine, quem absolute curare tenemur, et ad quem major probabilitas non conducit; ita est in iis, quæ sunt necessaria necessitate mediæ ad salutem, ubi factum unice attenditur.

3. Quando agitur de iis quæ requiruntur ad valorem Sacramentorum; quia Sacramenta non pendent ab hominis opinione, sed ab institutione divina: quæ ideo non habentur, nisi reapse ponantur ea, quæ Deus ad Sacramentum præscripsit<sup>2</sup>. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramentorum, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi*<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Hanc rationem sic lucide exponit S. Alphonsus: « Le danger de pécher dépend du dictamen de la conscience de celui qui agit, et le danger de la damnification dépend du fait même de son action. » (*Apol. e Confut.*, vol. I, p. 251. Monz., 1821.) — *V. Op. Mor.*, l. I, n. 45.

<sup>2</sup> Excipe 1, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia; aliquando enim ipsa potest et censetur supplere id, quod desideratur ab valore Sacramenti. Hoc evenit tum in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Ecclesia aliquando supplet jurisdictionem Confessarii, si forte desit; tum in Sacramento Matrimonii, quod aliquando convalidat, si invalide contractum est ob impedimentum ecclesiasticum, quod quidem supplendo aufert; — 2, nisi urgeat casus necessitatis; quia cum Sacramenta sint propter homines, homini in gravi periculo vitæ ea ministranda sunt meliori, quo potest, modo. Ad salvandam autem Sacramenti reverentiam, ipsum conferatur sub conditione. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. I, nn. 49 et 50.

<sup>3</sup> Cum propositio loquatur tantum de Sacramentorum confectione, ideo contendunt Sanchez, Vasquez, etc., adhuc licitum esse uti opinionem probabilis in illorum susceptione. Verum nos censemus non recedendum a sententia Cardenas, La Croix, etc., qui docent et conficientem et suscipientem non posse ex damnata propositione sequi opinionem probabilem, relicta tutiore; cum una facti species sit virtualiter inclusa in alia, et, quoad potest, vitandum sit frustrationis Sacramentorum periculum. Saltem hæc secunda sententia est tenenda; quia prima fere nunquam poterit deduci in proximam a suscipientibus sine propriæ animæ detrimento. — *V. S. Alphonsus, Op. Mor.*, l. I, n. 51.

4. Quando agitur de illo, qui ad tutiora adhibenda tenetur vel ex conventionem tacita aut expressa, vel voto, vel præcepto superioris; quia pacta, promissiones et præcepta servari omnia jura clamant. Hi casus sequenti versiculo exprimuntur:

*Si damnum, finisque, valor, si tutius urget.*

100. Q. 4. *An liceat sequi opinionem minus tutam in concursu opinionis tutioris æque, vel fere æque probalis*<sup>1</sup>?

R. Theologi in duas partes scinduntur. — Alii volunt partem tutiorem esse eligendam, eam videlicet quæ favet legi, quando adsit concursus alterius opinionis æque vel fere æque probabilis, quæ faveat hominum libertati: hi *Probabilioristæ* dicuntur seu *Tutioristæ*. — Alii vero dicunt, eligi etiam posse partem minus tutam seu faventem hominis libertati; et licet fateantur perfectius se gerere qui primam sequitur partem, docent tamen nullatenus peccare qui tenet secundam. Doctrina hæc nuncupatur in Scholis *Systema morale probabilismi moderati*, et consequenter *Probabilistæ moderati*, vel *Æquiprobabilistæ* vocantur qui illud tuentur. Probabilismi moderati usum tam firmiter, tam aperte, tam constanter et copiose propugnavit sanctus Alphonsus de Liguorio, episcopus in Regno Neapolitano, et fundator Venerandæ Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ut ipse ejusdem quasi pater et auctor habeatur (U).

Hic tamen juvat advertere, quod Sanctus noster: — 1. aperte negat, eas opiniones vere probabiles remanere, quæ concurrunt cum aliis certe et notabiliter probabilioribus et tutioribus; ideoque negat fas esse illas in praxi tenere; 2. fatetur in dubio practico de bonitate vel malitia actionis aut ab actione esse prorsus abstinentum, aut tenendam partem tutiorem; — 3. consentit non licere sequi partem minus tutam, etiamsi probabilior, relicta tutiori etsi minus probabili, in casibus supra numeratis, ubi agitur de aliquo facto, a quo non possit amoveri periculum, nisi per media tutiora. Hisce sic stantibus, nos (facta cuilibet facultate sentiendi quod sibi magis arriserit, et quin ullo modo

<sup>1</sup> Gravissimi momenti est hæc controversia, a cujus solutione pendet etiam solutio aliarum sine numero quæstionum in toto moralis Theologiæ cursu.

audeamus diversimode tradentes reprehendere aut parvifacere) non dubitamus aperte tueri expositum *Systema Liguorianum*. Sit igitur :

## PROPOSITIO :

*Inter duas opiniones æque vel fere æque probabiles potest homo sine peccato eligere et tenere partem minus tutam relicta tutiori.*

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS  
PRIMUM ARGUMENTUM DESUMITUR EX NATURA LEGIS.

101. Talis est natura legis cujuscumque, ut, cum dubia est, minime obliget; atqui in concursu duarum opinionum æque probabilium quarum una stat pro libertate, altera vero pro lege, lex dubia est.

Minor clare patet: dubium enim ex Angelico est contrariarum rationum æqualitas: *Dubitatio*, ait, *signat motum rationis supra utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alteram*<sup>1</sup>. Major autem probatur: lex non obligat, nisi fuerit sufficienter nobis notificata; nam, cum ipsa sit regula et mensura actuum humanorum, debet profecto innotescere; alioquin eos nullo modo dirigere posset: atqui lex, quæ post maturum examen remanet dubia, non est sufficienter nobis notificata. Quomodo etenim dici potest lex sufficienter nobis notificata, si de illius existentia ita disceptatur, ut æqualia sint argumenta hinc et illinc? ergo tunc tute nos pronuntiamus eam non obligare<sup>2</sup>. Confirmatur

<sup>1</sup> In 5 Sent., d. 17, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*; *Homo Apostolicus*; *Dissertationes quatuor pro usu moderato opinionis probabilis*; *Breve dissertazione dell'uso, ecc., con Apologie italiane*. Hic etiam præ oculis attente habenda est *Nota*, quæ incipit: *Ilæ resolutio*, sub n. 86.

<sup>2</sup> Illic conclusio nostra mire firmatur hisce verbis Apostoli, I Cor., xiv: *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in æra loquentes*. Quid porro est lex dubia, nisi tuba illa, quæ dat incertam vocem? nisi illa lingua quæ dat, sed non manifestum sermonem? Lex igitur dubia, sit aliquo sensu lex, sed non dat vocem certam, non dat manifestum sermonem; non ergo debeo me parare

auctoritate ipsius Angelici, qui scribit: *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur*<sup>1</sup>. Idem sic habet: *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti, et ideo ille, qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur...* Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum; ita in spiritualibus præceptum non ligat, nisi per scientiam<sup>2</sup>. Et Benedictus XIV ad rem habet: *On ne doit pas se donner des chaînes quand il n'y a pas une loi claire qui les impose*<sup>3</sup>.

102. Sed (dices) in concursu duarum opinionum æque probabilium habetur notitia saltem probabilis legis; ideoque sufficiens ad prudentem hominis assensum sibi conciliandum. — Negamus: quomodo enim probabilis haberi poterit notio legis alicujus, ubi argumenta quæ illius construunt existentiam, eliduntur omnino ab argumentis quæ militant pro existentia libertatis? Ergo in concursu duarum opinionum æque probabilium non alia potest haberi notitia, quam notitia et scientia dubii legis; non vero notitia et scientia legis ipsius qualis requiritur, ut lex valeat obligare. Accedit argumentum a pari: scilicet in pari dubio, utrum aliquid sit revelatum necne, non tenemur credere illud esse revelatum. Ergo a pari in æquali probabilitate, utrum illa actio licita sit necne, non tenebimur sub peccato illam ponere vel ab illa nos abstinere. Ita ratiocinatur S. Antoninus cum Gersono<sup>4</sup>.

*At (repones) principium laudatum non est generale, ut*

ad bellandum contra meam libertatem, quia lex illa in æra loquitur. Porro in dubio legis esset tenendum quod tutius est, et legi illi inhærendum, non bene locutus fuisset Apostolus, qui ad obediendum manifestum superioris sermonem requirit. Recta est ergo, ac in ipsa *Scriptura* fundata regula illa: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*. Iterum: *Quidquid adstringendæ obligationis causa dictum, id, nisi palam exprimitur, amissum esse intelligendum est*. Ita Bolgeni, *Il possesso, principio fondamentale per decidere i casi morali*, c. xi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 60.

<sup>1</sup> 1, 2, q. 90, a. 4. — <sup>2</sup> De Veritate, q. 17, a. 5.

<sup>3</sup> Notificatione XIII, nunc lxxx. — <sup>4</sup> I p., t. III.

*debet esse omne principium, quod sit mensura morum; siquidum illud lex dubia non obligat quosdam excipit casus* — Verum, si recte loqui velimus, nullus in opinione nostra casus excipitur, ac ideo principium nostrum adæquatum est. Nam si intimius rem consideremus, ideo casus nonnulli excipiuntur, quia in illis lex non amplius habetur dubia; adest enim jam in antecedens lex certa et generalis charitatis vel justitiæ, quæ clamat vitandum esse damnum proprium vel alienum. Quæ quidem lex ideo omne dubium vincit; quia apud omnes omnino in confesso est illius præexistentia<sup>1</sup>.

103. *Saltem (inquires) principium: lex dubia non obligat, non poterit extendi ad dubia illa quæ sunt de lege naturali.* — Negamus antecedens; nam S. Thomas, cujus verba retulimus, loquitur profecto etiam de lege naturali, teste S. Alphonso sic dicente in eundem locum: « *Il parle (le Docteur angélique) non-seulement des lois humaines, mais aussi des lois divines et naturelles!* »<sup>2</sup> » Et sane eadem est ratio.

104. *At (dices) saltem illud principium non obtinet, quando agitur de dubio mali intrinsici.*

R. Negando: quod enim obtinet in dubio de lege naturali, id obtinet etiam in dubio de malo intrinsici; cum sit una et eadem omnino res. Nam conceptus, vel idea boni aut mali intrinsici ita inhæret conceptui, vel ideæ legis naturalis (primum quidem præcipientis, alterum autem vetantis), ut nullo modo a se invicem separari queant. Quid, quæso, vetat lex naturalis? *Lex naturalis*, ait Antoine, *nil vetat nisi id, quod per se malum ac inhonestum est*, id est quod intrinsicè malum et inhonestum est. Ergo ignorantia vel cognitio certa mali intrinsici erit ignorantia vel cognitio certa legis naturalis: dubium vero de malo intrinsici erit dubium de lege naturali. Atqui principium nostrum *lex dubia non obligat* ex dictis

<sup>1</sup> Ut satis abunde notat Liguori, *Homo Apost.*, tract. I, n. 21.

<sup>2</sup> S. Alphonsus, *Apolog. e Confut.*, vol. II, ubi subdit: « Dans un autre endroit le Docteur angélique enseigne expressément que les préceptes divins, soit positifs, soit naturels, n'obligent pas lorsqu'ils sont douteux. » 1. 2, q. 19, a. 10. Quare toto errant cælo qui in hac quæstione contendunt S. Alphonsum posuisse discrimen circa principium *lex dubia non obligat* inter legem positivam, et inter legem naturalem.

extenditur ad dubia legis naturalis; ergo etiam ad dubia mali intrinsici. Malum enim proprie dictum, sive intrinsicum sit, sive extrinsecum (id est peccatum) non oritur, nisi a violatione legis: *Peccatum non cognovi, nisi per legem*, habet Apostolus<sup>1</sup>. Errant ergo pauci illi, in quorum sententia in actibus intrinsicè malis conceptus malitiæ habetur sine conceptu legis prohibentis.

*Sed (inquires) hæc propositio: lex dubia non obligat, æquivaleat huic alteri: lex dubia licitam relinquit actionem. Ergo necesse est, ut antecederet ad omnem legem ego sciam illam actionem esse licitam; sed in dubio id non potest verificari. Ergo principium illud lex dubia non obligat, minime valet in dubio de intrinsicè actionis licitate, seu de malo intrinsici.*

R. Dist. ant. *Lex dubia licitam relinquit actionem* in ordine ad conscientiam illius, qui eam ponit, concedo; *relinquit licitam actionem* in se, nego. Si lex, quæ dubia est, realiter subsistit, utique actio in se ipsa et abstractivè illicita est, neque incertitudo mea illam potest mutare, sive de intrinsicè, sive de extrinsecè licitate agatur. At diversa omnino res est, quod actio in se ipsa sit illicita, et quod sit illicita operanti. Ut enim quis teneatur se abstinere ab operando, necesse est, ut sibi nota sit lex prohibens, qua actio illa sibi sit illicita. Quando porro quis dubitat de lege, ipsi deest etiam necessaria cognitio illicitatis actionis suæ, cum hæc ab ipsa lege exurgat; ergo illam libere ponere potest, quidquid tandem sit de actione ipsa in se.

105. *Addes: Ideo dicimus possidere libertatem, quia hæc potest agere licite; sed agere licite quid est, nisi ponere actionem licitam? Supponitur itaque quod actio illa sit licita quoadusque a lege aliqua fiat illicita; atqui suppositio ista haberi nequit in dubio supra exposito.*

R. Distinguendo majorem: *Agere licite est ponere actionem licitam*, quoad ipsum operantem, concedo; quoad rem ipsam in se, nego. Semper redit quod supra: unde omnes ferme difficultates una distinctione solvuntur; adversarii enim duo inter se prorsus diversa judicia confundunt, iudicium de

<sup>1</sup> Ad Rom., c. vii, v. 7.

honestate actionis in se consideratæ sine relatione ad operantem, et iudicium de actuali licitate quoad operantem ipsum.

Instabis: *Quando lex est dubia, saltem quoad suam extensionem ad casum particularem, tunc dubia pariter dicenda erit libertas et ejus possessio quoad casum illum; ac proinde tunc semper remanebit dubium practicum, quo stante, fatentur omnes nefas esse operari contra legem.*

Nego anteced. Quando lex est dubia quoad suam extensionem ad casum particularem, remanet quoad illum certa et firma in sua possessione libertas hominis, quippe quæ legem, seu (melius dicam) legis scientiam certe præcedit. Quomodo enim ligatur libertas hominis? dicente S. Thoma, non alio modo, quam *per scientiam alicujus præcepti: nullus ligatur (numquam satis repeli possunt hæc verba decretoria) nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti.* Jam vero Philosophi omnes cum laudato Angelico docent discrimen opinionem inter atque scientiam in eo consistere, quod *opinio* denotet cognitionem dubiam aut probabilem alicujus veritatis; *scientia* autem significet cognitionem certam atque patentem. Sed lex dubia non parit cognitionem certam atque patentem, ergo neque scientiam præcepti; ideo quoad talis, non poterit ligare libertatem hominis.

SECUNDUM ARGUMENTUM SUMITUR EX DOCTRINA SANCTORUM.

106. Sanctorum ferme omnium firmissima doctrina hæc est, *in dubiis licere partem sequi benigniorem.* — S. Joannes Chrysostomus inquit aperte: *Melius est errare in misericordia, quam in severitate; ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus; circa alienam autem esto benignus*<sup>1</sup>. — Præceptor Angelicus habet: *Melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nitiam severitatem*<sup>2</sup>. — S. Bernardinus Senensis scribit: *Quando diversæ sunt opiniones, ceteris paribus humanior est*

<sup>1</sup> Hom. XLIX in Matth. — <sup>2</sup> Opus LXV, De Offic. Sacerd.

*preferenda*<sup>1</sup>. — S. Antoninus: *Angelus consiliorum* appellatus monet Confessarium, quod *si non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur præcipienda sententia, ut deneget propter hoc absolutionem, et faciat illi conscientiam de mortali; cum promptiora sint jura ad solvendum, quam ad ligandum*<sup>2</sup>. Clarius Gregorius Nazianzenus: *res erat cum quodam Novatiano, qui secundas nuptias damnabat; ipsum porro sic insectatur S. Pater*<sup>3</sup>: *Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere, proba; aut si nequis, ne condemnes: quod si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas*<sup>4</sup>.

Neque aliter sensere S. Bernardus, S. Philippus Neri, S. Franciscus Salesius, B. Leonardus, alique, qui profecto laxitatis nequeunt esse suspecti. Paucis: omnes fere Sancti erga se tenentes Chrysostomi regulam: *Circa vitam tuam esto austerus*, erga proximum usi sunt illo juris adagio: *Semper in dubiis benigniora preferenda sunt.*

107. Dices: *Estat generale præceptum in jure naturæ fundatum, sequendi in dubiis viam tutiorem.* Hoc declararunt Pontifices Maximi qui tamquam principium suarum decisionum illud posuerunt effatum: *In dubiis via est eligenda tutior, ita Innocentius III*<sup>5</sup>. *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ita Clemens III*<sup>6</sup>. *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, ita Eugenius III*<sup>7</sup>.

R. 1. Extant in jure aliæ regulæ contrariæ omnino, ut illa: *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* Iterum: *In obscuris, quod minimum est, tenendum.* Et iterum: *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogaris quod mandatur.* Ergo ne dicamus jus sibi contradicere, ea verba explicanda sunt.

R. 2. Si in quolibet dubio teneremur semper sequi par-

<sup>1</sup> Serm. III, ser. 2 post Quinq. — <sup>2</sup> V. Liguori, Op. Mor., l. I, n. 78.

<sup>3</sup> Orat. xxxix.

<sup>4</sup> Quibus verbis nil clarius. Unde si quando Patres videntur rigorosius loqui, ne dicamus eos sibi contradicere, dicendum eos loqui de casu, in quo nostra probabilitas malum non avertat: vel agatur de dubio practico, ut patet opera ipsorum evolvendo.

<sup>5</sup> Cap. Illud Dominus, de Cler. excom. depos., etc.

<sup>6</sup> Cap. Ad audientiam de homic. — <sup>7</sup> Cap. Juvenis, art. 5, De Sponsalibus.

tem tutiorem faventem legi, ecurr tot Sancti (supra recensiti) tradiderunt in dubiis fas esse partem sequi benigniorem? nunquid dicendi contra RR. Pontifices sensisse? absit. Summi Pontifices declarantes Sanctorum doctrinam immunem esse ab omni censura satis superque innuunt, eam propriis decretis et decisionibus minime adversari. Urgetur magis hæc nostra animadversio, vel in ipso dubio legis naturalis, ex jure canonico<sup>1</sup>, ubi Summus Pontifex uni conjugii dubitanti de propria cocundi potentia, expresse permisit, ut queat ad triennium petere (etiam alteram partem cogendo), et reddere debitum conjugale: et hæc est norma, praxis, atque judicium omnium Tribunalium. Qua in re nemo dixerit, Cœlestinum III tenuisse viam tutiorem, cum apertissime tutius sit in tali casu abstinere ab usu conjugii: evenire enim potest, ut impotentia nullis probationibus vincatur, et ideo perpetua judicetur. Quo in casu certum esset, jam primitus matrimonium illud nullum fuisse, ideoque copulam habitam esse inter solutos<sup>2</sup>.

Neque valet dicere: — 1. quod in supra memorato ac singulari casu Deus experimentum copulæ permisit; hoc enim gratis asseritur; — 2. quod experimentum copulæ tunc licet in bonum conjugii, atque ad veritatem matrimonii dignoscendam; quis enim dixerit intentanda esse mala sub incerta spe boni? — 3. quod copula illa permittitur ad majus

<sup>1</sup> Decr. Greg., l. IV, t. XV, *De Frigid. et Malef.*, c. v, *Laudabilem.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 79. *Hom. Ap.*, tr. I, n. 41.

<sup>2</sup> Datur triennium ad tentandam copulam, eo quod in communi sapientum æstimatione censeatur sufficiens ad dignoscendum, num impotentia sit perpetua vel temporanea. Sunt autem alii casus in jure hanc ipsam veritatem probantes, quos refert Bolgeni in *Opere, Il possesso*, cap. XII. — Errant autem, vel alios in errorem pertrahere nituntur ii qui asserant S. Alphonsum allato cap. *Laudabilem* usum fuisse per *transennam*, ut aiunt, et mere accidentaliter, non vero ad probandam legis dubiæ extensionem etiam ad dubia quæ sunt de lege naturali. Nam septies ab ipso adducitur in rem et inculcatur: scilicet dissert. I, object. II, p. 37, edit. *Modætiæ*; diss. II, n. 50; diss. III, n. 20; diss. IV, n. 53; diss. Ital. *Dell'uso moderato*, ecc., c. v, n. 18 et brevi dissertatione, § *Aggiungiamo*, p. 415; item, *Apol.* IV, § *Inoltre scrissi*, p. 176, ecc. — V. Fedolini, *S. Alphonsus a Liguorio se ipsum vindicans*. Veronæ, 1852. Item, *Difesa della Dissertazione: S. Alphonsus se ipsum*, etc. Venezia, 1852.

malum vitandum, ne forsitan fiat contra jus alterius; nam majus malum est se periculo exponere faciendi contra jus naturæ; — 4. quod excusari possunt conjuges, quia copulam habent affectu maritali; nam sola intentio non excusat a malo opere: neque intentio dubium excludit, imo potius a dubio ipsa excluditur intentio bona; — 5. quod eo casu possidet contractus matrimonii bona fide initus: nam esto possideat ante experimentum copulæ, sed cognita impotentia, statim dubium exurgit circa illius validitatem; potest enim impotentia esse absoluta ac perpetua, ut revera non raro contingit. Unde si esset servanda regula ab adversariis universim tradita, quod nempe lex (saltem naturalis) antecedit humanam libertatem, ac ideo in dubio quod tutius est, præferendum, nullo modo in supra citato casu (concludit S. Alphonsus) posset copula tentari; quia nullo modo potest dici matrimonium adversus divinam legem possidere. Quare totum hoc unico argumento salvatur, nempe *in dubio meliorem esse conditionem possidentis*; cum igitur in nostro casu matrimonium bona fide initum existat, illud possidet, non obstante quocumque superveniente dubio: quod quidem, quoadusque triennali copulæ usu non vincatur, per principium reflexum contrahentes jus habent insistendi in inito matrimonio, etsi invalidum esse possit.

108. *Quomodo ergo (quæres) accipienda sunt objecta testimonia?* — Objecta testimonia accipienda sunt vel de solis dubiis practicis, vel de iis tantummodo dubiis facti, quæ conjunctum habent proprii, aut alterius damni periculum: non vero extendenda ad dubia etiam juris, in quibus agitur dumtaxat de licitate vel illicitate alicujus actionis. Et revera in casibus relatis dubia erant practica et facti, nec haberi poterat principium aliquod certum, directum aut reflexum, quo excusaretur qui non esset secutus partem tutiorem, propter scandala aliaque mala, quæ in iis casibus vitanda erant.

Sane primus casus erat de quodam Episcopo, qui non obstante fama publica de sui excommunicatione, adhuc de ea dubitans temere celebrabat. Innocentius III juste illum depositione punivit; nam persistente dubio de excommunicatione, ob scandalum a Missa abstinere

debebat. *Secundus casus* erat de quodam Sacerdote, qui intulit cuidam viro vulnus, ex quo vita decessit, deinde dubitabatur, an ille ob illud vulnus mortuus esset. Clemens III decrevit convenire, ut Sacerdos a sacrificando desisteret : idque sapienter, nam facti veritas nondum erat explorata, ut habet textus. Adde Pontificem loqui de convenientia, non de præcepto : sane conveniens erat, ut Sacerdos a celebrando abstineret, ne si deinde constaret ipsum fuisse revera homicidam, populo esset scandalo eum celebrantem conspiceret. Tandem *tertius casus* erat de quodam juvene, qui septennis puellam quamdam duxit, qua mortua, postea cum consobrina illius alias nuptias contraxit. Orto dubio, an primum conjugium esset validum ob ætatem, Eugenius III præcepit, ut vir a præfata consobrina separaretur : et merito, tum quia agebatur de Sacramento, tum quia possessio stabat pro valore primi matrimonii. Hinc non dixit *quod tutius*, sed *quod certius existimamus* ; quia utique certius erat iudicium de separatione imponenda, cum dubietas de valore primi matrimonii vinci non posset<sup>1</sup> (V).

TERTIUM ARGUMENTUM DESUMITUR EX RATIONE.

109. Adversus possessionem legitimam sola certitudo prævalet. Conveniunt in hoc leges omnes canonicæ ac civiles, decisiones omnium orbis tribunalium, ac demum totius generis humani sensus. Unde natum est vulgatissimum illud : *In dubiis melior est conditio possidentis*<sup>2</sup>. Porro antecederet ad omnem legem quisque suam libertatem possidet ; cum prius concipiendus sit homo liber : indeque lex, quæ imponatur illi<sup>3</sup>. Et vero cuinam secus imponeretur ? nisi quis

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 79 et seq. — *Homo Apost.*, tract. I, n. 37.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 55 et seq. ; 75 et seq.

<sup>3</sup> « L'homme est en possession de sa liberté physique, et dès lors il peut librement agir d'après elle, tant que la raison, qui règle la liberté morale en lui représentant la loi qui défend, ne restreint pas la liberté physique qu'il avait antérieurement de pouvoir faire tout ce qui lui était possible dans les limites étroites du juste et de l'honnête. Posé ensuite que l'homme est en possession de sa liberté physique de choisir ce qu'il peut faire, la représentation de la loi, pour être suffisante à régler et à limiter la loi naturelle, doit être faite par un jugement certain, et il ne suffit pas qu'elle soit faite par un jugement douteux, comme celui qui provient de deux opinions ; car, dans ce cas, la raison régulatrice ne lui représente pas la loi, mais seulement le doute de la loi, qui n'est pas une loi. » — Ita Liguori, *Dell' uso moderato dell' opinione probabile*, c. iv, § 1.

prius concipiat *tibi et alteri*, quomodo concipere vel sola mente poterit illam legem : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* ? Sane cum sit absurdum jussa dare alicui, qui liber non sit ad obediendum ; item non minus absurdum est hominem, cui lex imponitur, non prius concipere liberum. Ergo, ut contra certam hominis libertatem prævaleat lex, non sufficit æquiprobabilitas ; sed ejus certitudo moralis requiritur, ut vim libertatis infringere valeat.

110. *Verum* (dices) *effatum illud* : in dubiis melior est conditio possidentis, *locum dumtaxat habet in materia justitiæ. Aliunde etiam dato, quod obtineat in ceteris rebus, cum ex alio effato* : regula sit prior regulato, *lex autem sit veluti regula et libertas veluti regulatum ; ideo lex est illa, quæ prius possidet, non libertas.*

R. ad 1 : Nulla ratio adsignari potest, cur possessio in materia justitiæ locum habeat, non in aliis materiis. Aliter docuit S. Alphonsus cujus hac de re assertio iterum atque iterum a S. Congregatione examinata, semper prædicata fuit *ut nulla censura digna*. Aliter et ratio suadet, cum per se ipsa possessio tribuat jus, quatenus nempe recte creditur cum fundamento inchoata : si secus esset, possessio in nullo foro vim probationis obtinere posset. Ad rem Bolgeni : « Ce qui est juste devant les hommes et au for intérieur sera-t-il donc différent de ce qui est juste devant Dieu et au for de la conscience ? La justice humaine sera-t-elle en opposition avec la justice divine ? Les hommes me prescrivent-ils légitimement une chose que Dieu me défend ? Quel homme de sens peut admettre une absurdité aussi palpable ? »

<sup>1</sup> V. *Il possesso*, ecc., c. xii, n. 95. Nil etiam prohibet, quominus in dubio quædam quasi lis dicatur institui ac moveri inter legem et libertatem. Ego certus sum de libertate mea : surgit lex quæ vult illam exturbare ; quid ego ? quandiu lex certa non proferat argumenta, jus habeo insistendi in illa meæ libertatis possessione.

Utique tale iudicium corrigendum est, quando res dignoscatur se se aliter habere (ideoque in jure dicitur indicium illud *momentaneum, præparatorium ac summarium*) ; at quoadusque id certo moraliter non dignoscitur, iudicium illud rectum est et subsistens. Nullum est enim principium reflexum vel ab ipsis probabilioristis admissum, quod rem resolvat in se seu objective. Et miramur, quod modernus auctor non dubitet asserere,



R. ad 2 : Iterum Bolgeni : « Cette maxime, *regula est prior regulato*, se vérifie quand on veut donner l'existence à quelque chose de matériel ; par exemple, quand on veut établir une fabrique, planter un jardin, etc. Alors on se forme dans l'esprit l'idée de la chose que l'on veut faire, et on en trace le dessin ; ce dessin est la règle établie antérieurement et selon laquelle on façonne l'existence réelle de la chose. Mais, quand il s'agit des lois, celles-ci ne sont point et ne sauraient être des règles et des dessins selon lesquels on donne une existence à l'homme et un moule à la liberté<sup>1</sup>. »

111. Instabis : *Qui se exponit periculo peccandi, peccat : Qui amat periculum, in illo peribit<sup>2</sup> ; atqui sequens opinionem faventem libertati, relicta tutiori æque probabili favente legi, exponit se tali periculo.*

R. Nego minorem. Sacer hic textus non facit ad rem ; ibi enim agitur de eo, qui protrahit ad mortem usque conversionem suam : *Cor durum* (ait) *habebit male in novissimo, et qui amat periculum in illo peribit*. Iste profecto peccat graviter, quia occasionem proximam peccandi usque ad mortem retinens in periculum se conjicit damnationis æternæ. Imo neque si textus de eo accipiatur, qui se exponit periculo peccandi, facit ad rem ; nam in casu nostro agens operatur practice certus de honestate actionis suæ : ita ut si de facto existat legis transgressio, hæc non sit nisi materialis ; non vero formalis, et imputabilis<sup>3</sup>. — Nonne etiam qui sequitur

illud principium *melior est conditio possidentis*, esse simplicem tantum normam judicialem pro foro externo. Utique non est absolutum et directum principium, quia potest forsitan in decursu aliter res dignosci, at quandiu id non dignoscitur, principium illud est justum, sanum rationabile pro utroque foro ; forum enim externum concludit juxta æquitatis ac rationis regulas, neque pugnat cum foro interno.

<sup>1</sup> L. c., cap. i, n. 4.

<sup>2</sup> Ecl. iii, v. 27. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 68 et 81.

<sup>3</sup> En verba S. Alphonsi : « En conséquence, s'il était vrai que la loi existât, en faisant le contraire de ce qu'elle prescrit, on n'agirait pas alors formellement contre elle, mais seulement matériellement, de sorte qu'il n'y aurait ici qu'un péché matériel pour lequel Dieu ne condamne pas l'homme, attendu que le péché matériel n'est autre chose qu'une action qui serait matière à péché pour le cas où l'on aurait connaissance de la loi. » (*V. Apolog. e confut.*, v. I, p. 207.) — Sed nonne (dices) pericu-

opinionem probabiliorem, imo probabilissimam se exponit periculo errandi ? utique quia opinio licet probabilior, imo licet probabilissima, non excludit omnem erroris formidinem. Attamen probabilioristæ non attendunt ad hoc erroris periculum, utopemateriale, siquidem in praxi operantur ex recto conscientie dictamine. En casu noster : res eadem est pro utroque systemate.

112. *Sed (regeres) in dubiis melior est conditio possidentis ; atqui legis æternæ possessio anterior est possessione libertatis humanæ : ergo in dubio de existentia legis vel libertatis melior est conditio legis ; ac proinde potius pro lege standum est.* — R. Utique lex æterna præcedit libertatem hominis *prioritate temporis*, nam Deus semper velle debuit, ordinem naturalem servari ; sed hominis libertatem non præcedit *prioritate rationis seu ordinis sive obligationis*, in particulis. Sane prius est concipere subditos, ac postea iis leges imponere, eosque obligare : quo sensu potest dici respectu hominis legem æternam non esse legem proprie dictam, quoadusque nempe ipsi per certam notitiam non applicetur. Scilicet lex æterna habet quidem in se aptitudinem ligandi hominem, et hoc sensu dicitur obligare *in actu primo* ; sed illam suam aptitudinem exercere non potest *actualiter*, id est *in actu secundo*, nisi quando homini promulgatur : porro, ut habet Angelicus, *ex parte creaturæ non potest esse promulgatio æterna*<sup>1</sup>.

Unde homo semper quidem in generali dispositus esse debet ad obediendum Deo ; sed de facto ejus voluntati obsequi non tenetur, nisi quando illam cognoverit : *In particulari nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati*, ait idem sanctus Doctor<sup>2</sup>.

Imo etiam peccati materialis vitandum erit ? Cito respondet sanctus noster *negative*, inquit (cit. loc.) : « On ne peut pas dire que nous soyons tenus d'éviter le danger de tout péché, même matériel, parce que, s'il en était ainsi, on ne pourrait pas suivre non plus l'opinion plus probable, ni même l'opinion très-probable, parce que, même dans l'usage de l'opinion très-probable, il y a encore danger de péché matériel. »

<sup>1</sup> 1, 2, q. 90, a. 1.

<sup>2</sup> 1, 2, q. 19, a. 10. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 72.

113. Ergo (addes) *fas est tenere sententiam probabilem faventem libertati, etiam in concursu sententiæ probabilioris faventis legi; nam adhuc lex non est omnino firma, licet sit probabilis; atqui hoc est falsum.*

Nego sequelam majoris; nam quando sententia, quæ favet legi, est certe et ideo notabiliter probabilior, lex ipsa habetur veluti satis promulgata saltem moraliter; et ideo vim suam exercere debet. Sed quando utraque sententia et favens legi et favens libertati est æque vel fere hinc inde probabilis, tunc lex nullo modo dici potest promulgata, et idecirco nullo item modo dici potest obligare. Deinde cum sententia favens legi est notabiliter probabilior, assensus mentis in eam naturaliter inclinatur; sed quando est æque (vel fere) probabilis ac sententia favens libertati, assensus remanet in suspensio. Adde in actionibus humanis sæpe haberi non posse omnimodam certitudinem: unde sufficit certitudo quædam resultans ex conjecturis probabilibus, quæ licet absolute loquendo certitudo non sit, respective tamen et quoad agendum ut talis habetur<sup>1</sup>.

114. Oppones ultimo: *Decreto Sanctæ Romanæ Inquisitionis 1761 quilibet usus opinionis probabilis fuit proscriptus; ergo non amplius licitus est.*

R. Verum est, quod proscriptum fuit folium continens plures propositiones, quarum quædam justos excesserant fines, quædam catholicum probabilismum tuebantur; sed non fuere proscriptæ omnes propositiones in particulari, ac divisim<sup>2</sup>. Revera cum de hoc S. Alphonsus noster scripsisset Pœnitentario Majori eum rogans, ut suo nomine responsum requireret a proprio Pontificis ore, dictus Pœnitentarius postquam Clementem XIII fuit allocutus, respondit non fuisse damnatas omnes folii propositiones, sed aliquas tantum.

<sup>1</sup> Ita Angelicus, 2, 2, q. 70, a. 2.

<sup>2</sup> Unde hæc proscriptio valde differt ab aliarum propositionum proscriptio per Alexandrum VII: nam istæ propositiones damnatæ fuerunt *omnes et unaquæque ipsarum*; at supra objectæ tantum *in globo et respective*, prout merebantur ut damnarentur. Uno verbo hæc damnatio est ad modum quo proscribuntur libri mali, qui fere semper simul cum perniciosis rectas continent opiniones; attamen universim condemnantur ne fideles legendi simul cum vero hauriant falsum; nitimur enim in vetitum.

Neque damnatam aliquam propositionem illarum, quæ disceptantur in Scholis catholicis. Et signanter non fuisse damnatam suam, quam defendebat, sententiam<sup>4</sup>.

Imo Pius VII die 18 maii 1805 expresse confirmavit Decretum S. Rituum Congregationis declarantis, omnibus B. Alphonsi Operibus tam typis editis, quam manuscriptis ex Apostolicæ Sedis disciplina ad severam trutinam revocatis, *nihil in iis censura dignum fuisse repertum*<sup>5</sup>. Ergo ea nihil continent *contra fidem, vel bonos mores: nihil novi vel peregrini, atque a communi sensu Ecclesiæ et consuetudine alienum: non noxa et inutilia: non Scripturis divinis aut Patribus adversantia*, si credere est Benedicto XIV, qui sic laudata verba *nil censura dignum* explicat<sup>5</sup>.

115. Quid plura? Rogata Sacra Pœnitentiaria a Cardinali de Rohan Archiepiscopo Vesuntinensi, atque consulta super his dubiis: — 1. *an sacræ Theologiæ Professor opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur sanctus Alphonsus a*

<sup>4</sup> Adde: si folium objectum quoad omnes et singulas propositiones esset proscriptum, vel ipse probabiliorismus esset damnatus; nam hic quoque sub initio in eodem continetur. — V. *Theol. Moralis S. Alphonsi*. Edit. stereotyp., typ. Marietti, Taurini, 1846, t. I, n. 85.

<sup>5</sup> Quod ut melius intelligatur, adnotamus: Theologi triplicem distinguunt approbationem. Alia est *definitiva*, si nempe Ecclesia aliquam doctrinam certam ac sequendam ab omnibus declaret, adeo ut qui contra sentiat, contra Ecclesiam sentiat. Alia est *electiva* seu *positiva*, si nempe doctrina ab Ecclesia extollatur et commendetur, uti quæ tuto in praxi teneri potest, quin tamen sint reprehendendi qui contrariam sequuntur. Alia est *permissiva*, si nempe Ecclesia doctrinam ab omni censura immunem declaret, quin tamen ideo de ipsa aliquid positive decernat, vel eam laudet. Porro *tertiam* approbationem convenire Operibus S. Alphonsi constat ex istorum Operum revisione, in qua ab *omni censura* dicta sunt immunia. *Secundam* vero convenire patet tum ex Decreto de ejus virtutibus, tum ex Bulla beatificationis, et canonizationis, ubi illius scripta quammaxime laudantur. *Prima* autem approbatio utique non convenit. — V. *Riflessioni sopra la esimia santità, e saluberrima dottrina del vescovo Alfonso Maria Liguori*. Torino.

<sup>5</sup> De Canon. SS., l. II, c. cxi et xxviii. Merito ergo Leo XII Brevi 19 febr. anno 1825, laudavit typographum Hyacinthum Marietti Taurinensem, affirmans eundem de Religione optime meritum *Opera sanctissimi et doctissimi Alphonsi de Liguorio colligendo et in lucem edendo*. Etiam Pius papa IX suis litteris 12 jul., 1847, eundem typographum ideo maxime laudat.

*Liguorio sequi tuto possit ac profiteri? — 2. an sit inquietandus Confessarius, qui omnes S. Alphonsi a Liguorio sequitur opiniones in Praxi sacri Pœnitentiæ Tribunalis hac sola ratione, quod a S. Sede Apostolica nihil in Operibus ejus censura dignum repertum fuerit, cum adnotatione (quæ sane est gravissimi ponderis), quod nempe Confessarius iste non legit Opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesque, quibus variæ nituntur opiniones; sed existimans se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati Evangelicæ contrariam?*

Die 5 julii 1851 respondit: Ad 1 affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur; ad 2 vero negative, habita ratione mentis sanctæ Sedis circa approbationem scriptorum Servorum Dei ad effectum canonizationis. — Accedit, quod prædictus Cardinalis de Rohan die 22 julii ejusdem anni eam S. Pœnitentiariæ responsionem tunc regnanti Gregorio XVI exhibuit, qui ipsam confirmavit. Imo laudavit propositum Eminentissimi eandem publicandi in sua Diocesi et apposita pastorali Instructione ad Clerum suum commendandi.

116. Ex quibus omnibus evidenter apparet, Systema morale S. Alphonsi posse quidem impugnari si placet et derelinqui; sed non posse damnari uti veritati Evangelicæ contrarium, et animarum saluti perniciosum. *Doctrina, ait Benedictus XIV<sup>1</sup>, debita cum reverentia potest citra ullam temeritatis notam impugnari, si (nota) modesta impugnatio bonis rationibus intixa sit, etiam postquam Dei Servus qui scripsit, inter beatos aut Sanctos fuerit relatus. Celebris est responsio Nicolai Monachi in epistola ad Petrum Cellensem, quæ est in lib. IX inter epist. Petri Cellensis: « Sanctus illa Bernardus, quem dieis me debita exuere veneratione.... quondam Sanctorum catalogo adscriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, et ab humano judicio exemptus: exemptus inquam est, ne de gloria ejus dubitemus, sed*

<sup>1</sup> De Canoniz., l. II, c. XXI et XXVIII. Et hoc sensu S. Concilii C. 18 sept. 1828, respondit card. Morozzo Novariensi episcopo. — V. Gaume, *Manuel des Confesseurs* (in præf.). Paris, 1842. De hoc tamen opere videantur animadversiones Marinoni apud De Luca, *Annali Relig.*, l. XIX, p. 66. Roma, 1844.

non ut minus de ejus dictis disputemus. » Non ergo bene se gerunt qui ideo nos aspernantur, quia cum illis non sentimus: libertate, qua ipsos donamus, et nos ab ipsis donari cupimus.

Ideo miramur, quod Editores Parisienses *Cursus completi Theol.* t. II (edit. Migne) asserere non dubitaverint, quod confessarius qui in praxi tenet responsionem supra datam a S. Pœnitentiaria et a Pontifice probatam, sequitur in praxi methodum valde periculosam; nam sic agendo negligit studium Theologiæ, et se exponit gravi periculo errandi. Absit omnino quod tantum nefas vel cogitemus; quid enim id sibi vult? nisi quod Sancta Sedes adprobaverit methodum periculosam, et in periculo errandi posuerit confessarium, cum tanta animarum pernicie? hoc jansenistam sapit. Præterquamquod falsum omnino, quod ita negligatur studium Theologiæ: qui opinionibus S. Alphonsi studet, nonne toti Theologiæ studet, quippe qui de omnibus questionibus disserit? nonne studet opinionibus ac sententiis diligenter perpensis, ad trutinam pluries vocatis, examinatis, discussis, ponderatis, et a celebrioribus theologis probatis?

## ANIMADVERSIONES ET CONCLUSIO

117. Q. 1. *Quid speciatim notandum circa Doctrinam et Opera Moralia S. Alphonsi Mariæ de Liguorio?*

R. Nonnullas hac de re animadversiones ponimus et extrinsecas et intrinsecas:

### ANIMADVERSIONES EXTRINSECÆ.

1. S. Alphonsus ingenio plane singulari præditus erat, ut omnes fatentur. Memoria vero, studio ac diligentia pene incredibili, adeo ut sexdecim vix annos natus juris utriusque laurea in patria universitate summa cum laude decorari meruerit, Principe dispensante.

2. *Eruditione* inter fusiores et recentiores moralistas præstantissimus fuit. Declarat se per annos multos plurima auctorum classicorum volumina evoluisse, ac solertissime eorum doctrinas ponderasse: qua in re hoc maxime allicere debet, quod nempe auctor in quacumque controversia solet exhibere omnes hinc inde Doctorum sententias et rationum momenta, quibus singulæ innituntur, in medium sincere preferens catalogum scriptorum melioris notæ, qui stant tam pro

una quam altera. Ex quo hæc utilia consequuntur: *primum* quod studiosi habeant quasi sub uno oculo Theologos et Canonistas sine numero, quos possint libito suo consulere, quin fiant quasi servi unius libri: *secundum* quod ii qui tenent opiniones tanti auctoris, certi tuti sint se tenere opiniones Theologorum complurium tam doctrina, quam nominis celebritate præstantium<sup>1</sup>.

3. *Sanctitate* fuit valde præclarus<sup>2</sup>; hæc enim, ut legitur in Decreto de illius virtutibus in gradu heroico a Pio VII approbato, *refulsit in verbi Dei ministerio apud rudem derelictam plebem, dum eam præceptionibus divinæ legis imbuebat; in cathedra morum apud conscientiarum moderatores, dum doctrinæ copiam effundebat; in pastoralis officio apud commissum sibi gregem, dum vigili custodia illum salutaribus pascuis enutriebat*, etc. Nil ergo mirum si eminentissimus cardinalis Morozzo (eius memoria in benedictione est), omnia Opera S. Alphonsi universo Clero Novariensi enixe commendaverit vel ab ipso suæ Curæ Pastoralis exordio<sup>3</sup>.

4. A præconceptis et systematicis, ut dicunt, Scholarum opinionibus fuit prorsus *alienus*; sed doctrinam suam in iure fundat. Imo ut sententiam veriorum in quæstione quacumque seligeret, orare plurimum solebat, laboribus non parere, auctores tam *pro* quam *contra* sen-

<sup>1</sup> Sunt qui in S. Alphonso distinguunt *sanctitatem*, quam heroicam dicunt; *doctrinam*, quam irreprehensibilem appellant; et *scientiam*, quam scilicet reponunt in eruditionis copia, in criticæ regulis, in profunditate ac firmitate ratiocinationis, aliisque dotibus *scientificis*, ut aiunt: hæc porro Sancto nostro denegant, et ideo apostolum dicunt, non doctum. Ex dictis supra neque hæc scientia potest illi negari. Verum quidquid sit, ad nos quod attinet, satis est, quod illius doctrina sit in suis conclusionibus irreprehensibilis, ut tuto eam sequi possimus.

<sup>2</sup> *At sanctitas* (aiunt) *non arguit doctrinæ veritatem; quia et Sanctus potest errare*. Ita sit; attamen nemo negaverit, sanctitatem alicujus scriptoris jam esse non leve argumentum veritatis suæ doctrinæ, potissimum cum agitur de christiana ethica. In Sanctis enim minimum possunt concitati atque inordinati animi affectus, in quibus maximus reperitur istiusmodi errorum fons. Deinde non parvum argumento pondus accedit ex considerata indole seu caractere ejus sanctitatis, quæ in S. Alphonso refulsit; nam perspicuum fit ex historia ejusdem vitæ et ex scriptis suis, sanctum hunc Virum seipsum sanctificasse potissimum in promovenda per Apostolicum ministerium proximi salute, et in aliis efformandis ministris, qui huic eidem operi vacarent: hæc fuit divina S. Alphonsi vocatio. Verba sunt sapientissima episcopi Derthonensis, *Epistola ad Clerum*, 15 dec. 1846.

<sup>3</sup> Lettera pastorale con cui S. E. Rev. il signor cardinale Giuseppe Morozzo, arcivescovo vescovo di Novara, ecc., ecc., accompagna il *Manuale Ecclesiastico*.

tientes evolvere omnes, doctrinas S. Thomæ et Benedicti XIV præsertim adnotare, Academiæ, Professores et Theologos magis doctos, pios et bonæ famæ præconiis ætate sua illustriores consulere. Et quod caput est, *doctrinæ Sedis Apostolicæ* erat addictissimus.

5. Non interrupto *triginta annorum spatio* doctrinas suas in sacrarum Missionum ministerio diligentissime probavit, atque innumeras, admirandas ac constantes peccatorum conversiones, Dei utique opitulante gratia, peregit<sup>1</sup>.

6. Demum quoad vixit et post mortem *Summis Pontificibus* fuit *acceptissimus*: Benedictus XIV eum valde commendavit, adhuc Sacerdotem, *prudens auctoris* nomine insignivit, atque alios pro consilio in quæstionibus ad eum mittebat dicens: « Vous avez votre Liguori, écoutez-le. » — Clemens XIII eum reluctantem ad Episcopatum evertit illa proferens verba: « Son ombre me suffit pour le bien de son diocèse. » — Clemens XIV eum in Episcopatu manere coegit, cum ob infirmam valetudinem renuntiare vellet, sic dicens: « Je suis content que vous gouverniez l'Église de votre lit. » — Pius VI declaravit se eum semper admiratione et amore prosecutum esse. — Pius VII eum *sanctissimum Antistitem* nuncupavit. — Leo XII *virum sanctissimum itemque doctissimum*. — Pius VIII *illustre Episcopalis Ordinis decus*. — Gregorius XVI eum in albo Sanctorum connumerando, illius Opera omnia *inoffenso prorsus pede decurri posse* solemniter decrevit<sup>2</sup>. — Tandem regnans Pius Papa IX Opus hoc meum benevole excipiens, mihi vehementer gratulatur: *Quod in huc theologicis institutionibus faciendis nihil antiquius ha-*

<sup>1</sup> V. Giattini, *Vita del Liguori*. — Et notatu digna sunt hæc verba Card. Goussel, *Justification*, etc.: « Saint Alphonse publia sa *Théologie morale*, ouvrage copié sur le cœur humain plutôt que dans les livres, composé pour ainsi dire dans le confessionnal plutôt que dans le cabinet. Là se trouve rapporté avec une simplicité admirable tout ce qu'une longue pratique, jointe à une étude approfondie des Pères et des théologiens, avait appris à un prêtre dont la délicatesse de conscience était extrême, et qui, pour sauver une seule âme, aurait tout sacrifié, même sa vie. Les règles qu'il a écrites, il les a mises en pratique, et avec quels résultats, nous l'avons vu. Il nous semble que c'est là un préjugé assez légitime en faveur d'un ouvrage, et nous demanderions volontiers comment on s'y prend pour ouvrir sans vénération un livre où l'on trouve les secrets d'un ouvrier évangélique si habile. »

<sup>2</sup> V. Circolare di monsignor Artico, vescovo d'Asti e principe, ecc., al suo Clero, 6 luglio 1845: præfixa est Operi, *Homo Apostolicus*, etc., quod edidit Marietti, 1844. — Hic autem præstat legere Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa in tutte le classi di persone*, c. vii; li. *Introduzione agli studi Ecclesiastici*, c. iv.

buerim, quam salutare sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Mariae de Liguorio doctrinas magis magisque propagare, usque Ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbueri.

## ANIMADVERSIONES INTRINSECE.

1. Opera moralia S. Alphonsi *Juventutem maxime Clericalem* in re theologico-morali instruendam præcipue respiciunt, ut Auctor ipse profitetur; — 2. Post plurimorum *annorum studium* et effusas ad Deum *preces*, piissimus Auctor eadem edidit in hunc finem, ut nempe *viam mediam* inter tot diversas et secum pugnantis sententias edoceret<sup>1</sup>; — 3. Quæstiones, quæ magis pertinent *ad praxim*, et quas diligenti annorum plurimorum exercitio didicerat, in iis continentur; — 4. Ibi inveniuntur etiam textus juris tam *Canonici* quam *Civilis communis* ad rem pertinentes. Extant propositiones damnatæ a Sede Apostolica. Et quod majus est, recentiora etiam Decreta SS. Pontificum ad Theologiam Moralem, atque ad casus conscientie practicos spectantia; — 5. *Episcopi innumeri* Opera hæc Parochis, animarum Rectoribus et Confessariis propriæ Diocesis expresse proposuerunt et enixe commendarunt. Et ideo factum est, ut *Moralis* ejusdem *Theologia* sine numero editionibus in Europa apud Italos, Gallos, Hispanos, Germanos, Polonos; in Asia apud Indos orientales; in America apud Messicanos; uno verbo per totum catholicum orbem evulgata summopere prædicetur.

118. Q. 2. *Quid in tanta Theologorum controversia præ oculis habendum quoad regimen animarum in foro præsertim Pœnitentiæ?*

R. In tanta Theologorum controversia illud maxime præ oculis habendum est in foro præsertim Pœnitentiæ, ut declinetur *indulgentia nimia et nimius rigor*; cum utrumque sit animabus maxime noxium. *Cavenda est*, inquit S. Bonaventura, *conscientia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem*<sup>2</sup>. — Hæc erat firmissima S. Alphonsi sententia: *Protestor*

<sup>1</sup> Hoc aureum medium commendat Benedictus XIV. *De Syn. Dioc.*, l. XII, c. vi.

<sup>2</sup> *Theol. verit.*, l. II, c. xxiii. Commendatus Derthonensis episcopus doctrinam S. Alphonsi laudans utpote quæ media incedit via, sic laxitatis atque rigoris mala aperit: *Laxitas præcepta de medio tollit, inordinatos appetitus sophismatibus cohonestat, malum excusat, a proximis occasionibus non removet, pravos habitus non expugnat, ad absolutionem rite non disponit. Severitas magis noxia est: consilia præcipit, levia in gravia traducit, nullum illi satis ut Sacramenta permittat, conscientias aggravat; homines*

(inquit), quod sicut Confessarios illos non approbo, qui nimis austeritati adherentes facile damnant usum plurium opinionum, quæ gravi nituntur fundamento; ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones sine fundamento tanquam probabiles acclamant.... Ubi agitur de amovendo poenitente a periculo peccati formalis, Confessarius generaliter loquendo, et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus debet uti; ubi vero opiniones benignæ proximum reddunt periculum formalis peccati... dico quod ipse, ut medicus animarum, teneatur uti opinionibus tutioribus, quæ poenitentes ad se servandos in gratia conducunt<sup>1</sup>.

Quæ si diligenter attenderentur, nemo unus Sanctum nostrum de nimia indulgentia inculcare posset. Utinam omnes hac agendi ratione contenti essent, neque in praxi ultra progredierentur qui tutiora sequenda docent! Ceterum absit ut eos, qui contra nos sentiunt, vel minimum reprehendere audeamus, quos neque Ecclesia sancta reprehendit: diversa via est, utraque tamen eos ad vitam perducens, qui ex dictamine conscientie operantur. Unde materiam totam de opinione probabili et improbabili concludimus his verbis Bernardi Claramontensis: *Ex quo opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit aliquam partem, teneat quis quam voluerit*. Duas tantum conditiones jure exigimus, et sunt: — 1<sup>a</sup> ut quilibet paratus sincero animo sit obedire definitionibus sanctæ Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum Matris atque Magistræ, quando ac si forte prodibunt; 2<sup>a</sup> ut nunquam ab eorum corde et oculis elabatur illud D. Augustini oraculum præclarissimum: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem charitas*.

119. Et ne his verbis fucum facere alicui videamur, subnectimus hic *catalogum Auctorum*, quos utraque sententia habuit patronos præstantiores, ut sic quisque valeat, si velit pro suo arbitrio et ingenio eos per se legere, attente perpendere et perscrutari. Excludimus tamen quos *laxos vel laxistas* appellant, ut sunt præcipui *Antonius a S. Spiritu, Caramuel laxorum facile princeps,*

anxietatibus vexat, quibus fit ut ipsi animo concidant, a Sacramentis abstineant, de salute desperent, fidem amittant, religionem exuant. Accedit et aliud damnum gravissimum: non enim fideles dumtaxat, sed ipsos torquet Confessarios nimius rigor; cum nempe jam ex se hocce ministerium totum hominem requirat, qui severioribus principiis sunt imbuti ac boni sunt ministri, continuo anguntur magnopere in mentes, ne suo muneri unquam faciant satis, sicque tandem ab hoc Sacramento ministrando deterrentur, abhorrent, alieni fiunt. (V. it. II *Sacerdote santificato*, ecc., ecc. *Lett. II.*)

<sup>1</sup> *V. Op. Mor.*, l. I, n. 77 et 84.

*Leander, Martinus a S. Josepho, Pasqualigus, Sancius Joannes, Zanardi* et alii nonnulli, qui licet probi, satis docti ac fine bono perducti, incaute tamen in opinionibus compluribus communiter censentur benignitati nimium indulxisse (quarum quidem opinionum catholicum videre quis poterit penes *Gonet de opinione probabili*, a. 5). Quod si Auctores complures laudis honore nuncupamus, non ideo ceteros minoris facimus. Illic id unum nostrae curae fuit, eos tantum referre titulos quos vel reperimus in operibus Alphonsi nostri, vel scimus passim praedicari.

Auctores plures citat *Gury, Compendium Theol. moralis* in fine; *Bergier, Dictionario theologico ecc.* Edit. Mediol. typ. Pirota: ad calcem Appendicis; *Croix*, in initio suae *Theologiae*; *Bonacina, Operum Moralium* t. III; et maxime Tom. VIII *Bibliotheca Ferraris*, edit. Migne, Parisiis; ubi plurimorum habetur index biographicus et bibliographicus; in quo tamen plus aequo gallicanismo indulgendo, laudantur auctores, qui potius censuram merentur, ut exempli causa patet ad nomina *Fleury, Arnaldus, Duguet, Richerius*, etc., etc.

## A

**Auctores qui in dubio stant plus minus pro sententia favente legi.**

120. *ALASIA, Joseph Antonius* Collegii theologorum Taurinensium socius et collationum moralium in Seminario praefectus (inter recentiores omnibus valde notus et celebris, claritate, ordine, stylo et rerum copia merito sane praestantissimus), — *ANTOINE GABRIEL*; e Societate Jesu, Gallus; brevitate et methodo praestat (*Benedictus XIV* gratum habuit ut ejus Opera moralia a selectis viris perlustrata et notis praedita praeligerentur studiosae juventuti Collegii Urbani *De Propaganda* et in usum missionariorum adhiberentur: hodie tamen ibi traditur *Theologia Moralis Edmondi Voit*); — *ARMILLA Bartholomaeus*, qui dicitur alio nomine *FOMUS, Placentinus*, dominicanus; — *EGIDIUS, Romanus*; *doctor fundatissimus* nuncupatus.

*BAILLY, Ludovicus, Parisiensis*; ejus *Theologia dogmatica et moralis ad usum seminariorum* prohibita fuit donec corrigatur, decret. 7 dec. 1852; — *BALLERINI Petrus et Hieronymus, Veronenses*, scientia clari; — *BERTRAND, Aquitanus et doctor famosus* suo tempore nuncupatus; — *BILLIART, Belga*, ordinis praedicatorum (perspicuitate, soliditate et eruditione merito praedicatorum probabiliorista admodum moderatus); — *BLANCUS*.

*CABASSUTIUS*, natione Gallus, litteris et prudentia insignis; — *GAJETANUS, Thomas de Vio, ex Gaeta oriundus* et inde dictus *Gaetanus*, dominicanus; — *COLLET Petrus, ex congreg. mission.*, Gallus; perdoctus, sed ex rigidioribus non ultimus; — *COMITOLUS e S. J.*, Italus, styli elegantia perspicuus; — *CONCINA Daniel, Italus, dominicanus*; doctus, eruditus, disertus, sed perrigidus; — *Collationes Andegavenses* (Conferences ecclésiastiques du diocèse d'Angers); eruditione referta et illustrata a *Card. Gousset*; — *CONTENSONIUS, Gallus, dominicanus*; valde commendatur etiam Verbi Divini praekonibus ob singularem oratoriae facundiam; — *Continuator TOURNELY (Collet supralaudatus)*; — *CUNILIATI, Venetus, ordinis S. Dominici*.

*DELAMET*; — *DENS, doctus et pius professor Mechlinensis*; — *DE PRADO Joannes Martinez, Hispanus*; — *DETTORI, recentissimus in regio Taurinensi Athenæo Theologiae moralis professor* (ingenii acritate, styli elegantia et conditione celebratus).

*ESCLAPETIUS*; — *ESTIUS, in Hollandia natus, doctor fundatissimus a Benedicto XIV nuncupatus*.

*FAGNANUS Prosper, Romanus*; peritus jureconsultus et secretarius S. Congregat. Concilii; et probabilioristarum facile princeps; — *FRANZOJA (vel ipso Concina nonnunquam rigidior)*; — *FROMAGEAU*; — *FURMO*.

*GAZZANIGA*; — *GENETTUS*; — *GONETUS, vir clarus pietate et scientia*; — *GONZALES THYRSUS (Praepositus generalis Societ. Jesu)*; — *GOTTI, cardinalis*.

*HABERT, Parisiensis (episcopus)*; — *HENNUS*.

*JUENNIUS Gasper, natione Gallus*; ejus *Institutiones theologiae ad usum Seminariorum* relatae sunt in Indicem librorum prohibitorum, 25 sept. 1708, donec corrigantur. — *Institutiones theologiae Moralis* in usum Clericorum Seminarii Mediol. Diocesis, 1851 (lucide, sed non satis abunde hodiernis moribus).

*LE TOMBEUR*; — *LIEBERMANN*; — *LURASCHI*.

*MICHAEL DE ELIZALDE*; — *MERBESIUS*; — *MERCORUS, dominicanus*; — *MERENDA*; — *MONTAZET, episcopus Lugdunensis, prohibitus decreto 17 dec. 1792*.

*NATALIS ALEXANDER, natione Gallus*; eruditionis copia celebratur; — *NEESSEN, Belga*; pietate et scientia clarus.

*PANORMITANUS*; — *PARATO*; — *PATUTIUS Vincentius, Italus, dominicanus*; Venetis docuit (ex rigidioribus); — *PETRA, Neapolitanus, cardinalis, scientia commendatur*; — *PETROCORENSIS*; — *PISELLI*; — *PONTAS*; — *PRAMAGGIORE, Italus, consiliis commendandus*.

*REBAUDENGO, Canonicus praepositus Diocesis Salutiensis, facilis eloquio*; — *REBELLUS, natione Hispanus e S. J.*; — *RICCI ALOYSIUS*; —

RULFUS, montis Regalensis (ejus manuscripta extant in Bibliotheca Seminarii Novariensis in plurimos tomos distributa): rerum copia, ordine ac claritate commendandus.

SETTLER, doctor Argentinensis, probabiliorista moderatus; nitidus et concinnatus; ejus Theologiam illustravit Rousselot theologiae moralis professor in seminario Gratianopolitano; — SAINTE-BEUVE, doctor sorbonicus; — SCARPAZZA; — SCHRAN; — SILVESTER; — SPERONI; — STADEL; — STUARDI (Commentaria clarissimi Alasia contraxit, nonnulli addendo de suo).

TOURNELLY, Gallus, facilis eloquio, valde et merito ubique gentium laudatus; Bullae *Unigenitus* acerrimus defensor.

VATULUS; — VERNIER; — VICTORIA, dominicanus, natione Hispanus, *lumen* ejus regionis appellatus; — VICAND.

## B

## Auctores qui in dubio stant plus minus pro libertate.

121. ABELLY, episcopus Gallus, doctissimus; — ALBERTUS MAGNUS, dominicanus; episcopus sapientia singularis; — ALVAREZ, archiepiscopus Tranensis; — ABREU (parochos maxime docet); — AMORT, natione Bavariensis, valde doctus et a Benedicto XIV commendatus; — ANACLETUS Reinfestuel, ordinis Minorum, eruditus; — ANDREUCCI, quem multi habet Benedictus XIV; — ANGLIUS, episcopus Bosanensis, valde commendatur; — ANGUIRRE, cardinalis; — S. ANTONINUS, archiep., *angelus consiliorum* merito salutatus; — ARSDEK; — AVERSA; — AZORIUS, valde celebratur a Bossueto, vir ingenio clarus.

BANNEZ, dominicanus, Hispanus, per annos 50 theologiam docuit, a confessionibus S. Theresiae, pietate et scientia emicat; — BARBOSA, (episc. Uxentinus) jurisperitus perdoctus; — BECANUS, *malleus calvinistarum* nuncupatus; doctus et pius quem commendat Dupin; — BERNARDUS Claramontensis; — BISSUS Bernardus, valde doctus (nomine academiae Cassinensis scripsit contra Thyrsum Gonzales); — BOLGENI; — BONACINA, Mediolanensis (episc.); rerum copia, eruditione et doctrinae nitiditate inter summos; — S. BONAVENTURA (card. episc.), subtilis ingenio et clarus eloquio, *doctor seraphicus* nuncupatus; — BOSSIUS; — BOUVIER, episcopus; — BUSEMB.UM, prudentia doctrinaque illustris (illius normam ac methodum secutus est S. Alphonsus Liguori; idem a Croix, Zacharia et Franzoja commentariis est donatus).

CANDIDUS; — CARDENAS; — CASSINENSES (modici montis Cassini); docti illi S. Benedicti filii nostro aëvo, summo studio novam editionem *Bibliothecæ* Lucii Ferraris emendatam et auctam publicaverunt;

qui nostram *de Conscientiæ* disputationem contractam, iisdem ferme verbis reddiderunt, sub Lit. *Opinio probabilis*; additiones Cassinenses; — CARRIÈRE, ex Congreg. S. Sulpitii; copiosus; — CASTELVETÈRE, doctus; — CHARMES; — CONINKIUS; — CORNEJUS; — COVARRUVIAS, episcopus; — CROIX, vir doctus et practicis rebus versatus (quem Benedictus XIV laudibus cumulavit).

DEARRIAGA; — DELBENE; — DE LUGO, cardinalis doctissimus; « Qui post S. Thomam (ait S. Alphonsus, *Theol. Mor.*, l. III, n. 552) non temere inter alios theologos facile princeps dici potest; cum in dubiis discutiendis hic auctor saepe, nullo præeunte, falcem ita ad radicem ponit, ut rationes quas ipse in medium adducit, difficulter solvi queant; » — DIANA; — DUVAL.

ELBEL, sana nitidaque doctrina præstat, ac casuum resolutione; — ESCOBARIUS.

FAGUNDEX; — FAURE (ejus doctrinam multi faciebat Pius VI); — FERRARIUS LUCIUS; — FILLUCIUS.

GALLEGO; — GAMACHEUS; — GAUME; — GOMES; — GOUSSET (Cardin. archiepisc.) ingenio maximus, doctrina purissimus, operibus plenus; — GRAFFIUS, theologus celeberrimus, sæc. XVI (abbas Cassinensis); — GRANADUS; — GRAVINA; — GRASSI; — GURY.

HOLZMANN; — HORCA (DE).

ISAMBERTUS; — ITURRIAGA, eruditus.

JEREMIA, P. FRANCISCUS, qui sententiam suam methodo mathematica demonstrare aggressus est.

KENRICK, eruditissimus, ac spectatæ pietatis.

LAYMANN, plurimum habendus ob rationum momenta ac doctrinae perspicuitatem; — LEANDER; — LEDESMA (episc.), pereruditus; — LESSIUS, theologus insignis, a D. Salesio laudatus; — LIBERTUS A JESU, Congregationis fidei propagandæ præfectus; — LOPES; — LUPUS CHRISTIANUS.

MACADUS; — MALDERUS, episc.; — MANNHART; — MARTINEZ, dominicanus; — MAZZOTTA; — MEDINA, dominicanus, episc. doctissimus; — MOYA; — MOLINA; — MONTESINOS; — MASL.

NAVARRUS; — NIDER.

PALAU (etiam CASTRO-PALAU); — PALLAVICINI, cardinalis insignit et clarus; — PALUDANUS; — PEREZ, *doctor mirabilis*; — PICKLER; — PONTIUS BASILIUS et JOANNES; — POTESTAS FELIX; — POSSEVINUS, notis binibus clarus.

REGINALDUS, a D. Salesio valde laudatus; — REUTER, concinnus et ordine rerum ac doctrina nominatus; — RONCAGLIA, optimus consiliarius.

SA EMMANUEL; — SALMANTICENSES, Theologi Collegii Salmanticae in

Hispania, qui universam theologiam pro suis multo studio ac optima methodo ediderunt; — SANCHEZ, sapientissimus et piissimus; — SCHILDER; — SEGNERI SENIOR; — SERRA; — SPONDRATUS (Card.); — SYLVIUS, magna pollet auctoritate utpote doctissimus; — SPORER; — STAFF; — SUAREZ, a Paulo V et Benedicto XIV doctor eximius et pius, et a Bossueto totius scholæ modernæ repræsentator nuncupatus.

TABERNA; — TAMBURINUS; — TALENTO; — TANNERUS; — TAPPIA, archiep.; — TERILLUS (pro sua sententia notat biscentum auctores a se lectos); — TESEDA; — TOLETUS, card., quem proponit Salesius.

VALENTIA; — VASQUEZ AUGUSTINUS Hispaniæ appellatus (a Mabillonio valde laudatur et ex Benedicto XIV clarissimum lumen); — VIVA, eximie sapientiæ vir ex Benedicto XIV; — VOIT.

Wirceburcensis Theologia, Lutetiæ Paris., t. III, 1852, omnes quæstiones probabilissimi solidissime et accurate discutit.

ZACHARIA, doctus inter doctissimos; — ZEROLA.

## ADNOTATIONES

### AD TRACTATUM PRIMUM

#### (A) Page 11.

122. Quicumque intimum animi sui sensum attente consideraverit, facile percipiet ad actum humanum concurrere *voluntatem* transcurrendo per quosdam veluti gradus:

Nempe: 1. occurrit prævia *intellectus cognitio* alicujus finis animi allicientis, quia voluntas non fertur in incognitum; — 2. finis cognitionem subsequitur quedam *simplex volitio*, quæ est primus actus, quo voluntas finem jam cognitum uti in se bonum et amabilem respicit; — 3. succedit *deliberatio efficax* finis illius attingendi; — 4. deliberationem statim comitatur *mentis conversio* ad media pro fine illo obtinendo. Hæc media vel nondum in promptu sunt et incerta; vel sunt certa et jam in oculis parata. In primo casu accedit *consilium*, discursus nempe quidam interior in intellectu consistens, qui media hæc attente perquirat ac perpendit; in secundo cito accedit *voluntatis consensus*; — 5. venit *fruitio*, ille videlicet actus, quo voluntas nostra in fine jam consecuto quiescit, et de eo secum delectatur.

#### (B) Page 11.

123. Duplex, qui in voluntate distingui solet, actus clarius patebit aliquo exemplo practico: supponamus hominem gravi injuria ab alio lacessitum, et malo vindictæ amore succensum. Hujus porro voluntas eum imprimis, a quo injuria sibi irrogata est, odio prosequitur et vindictam contra eundem determinat. Jam vero duplicem hic habemus voluntatis actum: *primum*, quo voluntas odit contumeliosum illum; *alterum*, quo vindictam in ipsum determinat. Uterque erit elicitus: quare? quia uterque in sola ipsa voluntate perficitur, neque ullus adest alterius facultatis sive exterioris sive interioris concursus. Sed semel vindicta determinata vindicatoris voluntas adhuc progreditur: imperat nempe *phantasiæ*, ut acceptæ injuriæ magnitudinem contempletur: imperat *memoriæ*, ut ejusdem minime obliviscatur: imperat *intellectui*, ut circa vindictæ circumstantias occupetur, et perpendat tum media eam peragendi, tum etiam bona (juxta suum conceptum) inde obventura: imperat denique *toti corpori*, ut in illam vindictam perficiendam concurrat facultatibus suis omnibus, *oculis* nempe attente contumeliosum secernendo, *manibus* ferrum arripiendo, et *pedibus* in hostem incurrendo. Multos hic habemus actus, et omnes imperatos, quia omnes proveniunt quidem *originaliter* a voluntate; sed perficiuntur ope diversarum facultatum, quæ ad ipsius voluntatis imperium moventur et agunt.

Ex quibus constat: — 1. quare actus humanus dicatur voluntarius, non intellectualis, etsi intellectus primo concurret; est nempe ratione domini quod voluntas exercet in facultates omnes; — 2. quanta sit voluntatis nostræ efficacia, et quanti facienda sit excusatio illorum, qui, ut ducant in bonis dies suos, respiscendi impossibilitatem adstruunt; volenti enim nil impossibile: neque Deus in necessariis deest. Hinc illud vulgare: *Voluntas est motor in toto regno animæ et omnia obediunt ei*; et Rom. VII, *Velle adjacet mihi*. Hoc notent inter ceteros juvenes (nomine studiosi), qui desiderant agentes vitam videntur fruges consummere nati: o si voluntas esset in illis! nihil enim, ex Augustino, ita est in facultate hominis quam hominis voluntas, quæ (gratia opitulante) omnia vincit, si vera sit ac constans, tum exteriora impedimenta, ut patet exemplo Christophori Colombo; tum interna obstacula et habitalem torpedinem, ut constat exemplo Victorii Alfieri; imo et vel ipsi ingenii tarditati mire subvenit, ut evenit in Petro Lombardo et Suaresio; neque frangitur auxilii humani inopia, ut constat inter ceteros de Patre Mattew fundatore societatis temperantiæ; neque eam infirmitas corporis prosternit, ut probatur exemplo



Hispania, qui universam theologiam pro suis multo studio ac optima methodo ediderunt; — SANCHEZ, sapientissimus et piissimus; — SCHILDER; — SEGNERI SENIOR; — SERRA; — SPONDRATUS (Card.); — SYLVIVS, magna pollet auctoritate utpote doctissimus; — SPORER; — STAFF; — SUAREZ, a Paulo V et Benedicto XIV doctor eximius et pius, et a Bossueto totius scholæ modernæ repræsentator nuncupatus.

TABERNA; — TAMBURINUS; — TALENTO; — TANNERUS; — TAPPIA, archiep.; — TERILLUS (pro sua sententia notat biscentum auctores a se lectos); — TESEDA; — TOLETUS, card., quem proponit Salesius.

VALENTIA; — VASQUEZ AUGUSTINUS Hispaniæ appellatus (a Mabillonio valde laudatur et ex Benedicto XIV clarissimum lumen); — VIVA, eximie sapientiæ vir ex Benedicto XIV; — VOIT.

Wirceburcensis Theologia, Lutetiæ Paris., t. III, 1852, omnes quæstiones probabilissimi solidissime et accurate discutit.

ZACHARIA, doctus inter doctissimos; — ZEROLA.

## ADNOTATIONES

### AD TRACTATUM PRIMUM

#### (A) Page 11.

122. Quicumque intimum animi sui sensum attente consideraverit, facile percipiet ad actum humanum concurrere *voluntatem* transcurrendo per quosdam veluti gradus:

Nempe: 1. occurrit prævia *intellectus cognitio* alicujus finis animi allicientis, quia voluntas non fertur in incognitum; — 2. finis cognitionem subsequitur quedam *simplex volitio*, quæ est primus actus, quo voluntas finem jam cognitum uti in se bonum et amabilem respicit; — 3. succedit *deliberatio efficax* finis illius attingendi; — 4. deliberationem statim comitatur *mentis conversio* ad media pro fine illo obtinendo. Hæc media vel nondum in promptu sunt et incerta; vel sunt certa et jam in oculis parata. In primo casu accedit *consilium*, discursus nempe quidam interior in intellectu consistens, qui media hæc attente perquirat ac perpendit; in secundo cito accedit *voluntatis consensus*; — 5. venit *fruitio*, ille videlicet actus, quo voluntas nostra in fine jam consecuto quiescit, et de eo secum delectatur.

#### (B) Page 11.

123. Duplex, qui in voluntate distingui solet, actus clarius patebit aliquo exemplo practico: supponamus hominem gravi injuria ab alio lacessitum, et malo vindictæ amore succensum. Hujus porro voluntas eum imprimis, a quo injuria sibi irrogata est, odio prosequitur et vindictam contra eundem determinat. Jam vero duplicem hic habemus voluntatis actum: *primum*, quo voluntas odit contumeliosum illum; *alterum*, quo vindictam in ipsum determinat. Uterque erit elicitus: quare? quia uterque in sola ipsa voluntate perficitur, neque ullus adest alterius facultatis sive exterioris sive interioris concursus. Sed semel vindicta determinata vindicatoris voluntas adhuc progreditur: imperat nempe *phantasiæ*, ut acceptæ injuriæ magnitudinem contempletur: imperat *memoriæ*, ut ejusdem minime obliviscatur: imperat *intellectui*, ut circa vindictæ circumstantias occupetur, et perpendat tum media eam peragendi, tum etiam bona (juxta suum conceptum) inde obventura: imperat denique *toti corpori*, ut in illam vindictam perficiendam concurrat facultatibus suis omnibus, *oculis* nempe attente contumeliosum secernendo, *manibus* ferrum arripiendo, et *pedibus* in hostem incurrendo. Multos hic habemus actus, et omnes imperatos, quia omnes proveniunt quidem *originaliter* a voluntate; sed perficiuntur ope diversarum facultatum, quæ ad ipsius voluntatis imperium moventur et agunt.

Ex quibus constat: — 1. quare actus humanus dicatur voluntarius, non intellectualis, etsi intellectus primo concurret; est nempe ratione domini quod voluntas exercet in facultates omnes; — 2. quanta sit voluntatis nostræ efficacia, et quanti facienda sit excusatio illorum, qui, ut ducant in bonis dies suos, respiscendi impossibilitatem adstruunt; volenti enim nil impossibile: neque Deus in necessariis deest. Hinc illud vulgare: *Voluntas est motor in toto regno animæ et omnia obediunt ei*; et Rom. VII, *Velle adjacet mihi*. Hoc notent inter ceteros juvenes (nomine studiosi), qui desiderant agentes vitam videntur fruges consummere nati: o si voluntas esset in illis! nihil enim, ex Augustino, ita est in facultate hominis quam hominis voluntas, quæ (gratia opitulante) omnia vincit, si vera sit ac constans, tum exteriora impedimenta, ut patet exemplo Christophori Colombo; tum interna obstacula et habitualementorpedinem, ut constat exemplo Victorii Alfieri; imo et vel ipsi ingenii tarditati mire subvenit, uti evenit in Petro Lombardo et Suaresio; neque frangitur auxilii humani inopia, ut constat inter ceteros de Patre Mattew fundatore societatis temperantiæ; neque eam infirmitas corporis prosternit, ut probatur exemplo

S. Gregorii Magni. — V. Dubois, *le Saint Prêtre*, n. 52; *Pratique du zèle ecclésiastique*, n. 95. — Balmes, *l'Art d'arriver au vrai*, art. Force de la volonté, fermeté, énergie. — Margotti, *Roma e Londra*, c. xxv.

## (C) Page 19.

124. Aliqui confundunt *involuntarium* cum *non voluntario*: quæ duo si stricte loqui velimus, omnino differunt inter se. Quia *non voluntarium* est id, quod voluntas simpliciter non vult, licet propria inclinationi non repugnet: sic v. g. nolimus solem in cælo cursum suum suspendere. *Involuntarium* autem includit aliquam veram repugnantiam ipsimet voluntati: sic v. g. nolimus in carcerem trahi. — Illud vocant *involuntarium negativum*, istud *involuntarium positivum*; et hoc quidem duplex est, aliud nempe est tale simpliciter, uti Scholæ loquuntur, et aliud *secundum quid*.

*Involuntarium simpliciter* est illud, quod voluntati totaliter opponitur sive actuali sive interpretativæ. Sic v. g. mors, quæ homini infertur, est eidem involuntaria simpliciter, quia ejus voluntati totaliter adversatur: actuali quidem, si invitus et pro viribus reluctans occidatur; interpretative vero, si dormiens vita privetur. — *Involuntarium secundum quid* illud est, quod repugnat quidem voluntati sub quodam respectu, dependenter nempe ab aliqua circumstantia; sed non repugnat totaliter. Sic v. g. viator, qui metu mortis dat latroni crumenam, ponit actum involuntarium secundum quid; vellet enim secundum se pecuniam servare, sed sub alio respectu, et attentata alia circumstantia, vitæ nempe sibi suæ servandæ, magis et efficaciter vult crumena illa privari. Sic martyres veram violentiam passi non sunt; quia si absolute voluissent, tormenta effugere potuissent jactura fidei. Illa tamen cruenta mors fuit illis *involuntaria secundum quid*; quia erat, natura repugnante, a principio extrinseco, ac contra rationalem voluntatem.

## (D) Page 20.

125. Dices: *Nonne potest Deus voluntatem hominis immutare? non ergo mens nostra est sui juris.* — R. Deus potest utique voluntatem hominis immutare, id est eam ex nolente facere volentem per gratiam suam agendo modo libertatis proprio, *concedo*; potest eam immutare, id est eam quoad actus elicitos cogere, *nego*. Certe nemo dixerit, Deum qui voluntates humanas creavit liberas, eas in cunctis actibus gubernare non posse, quin earundem libertat innoceat. — Ad

conciliandum tamen supremum Dei dominium in actiones hominum cum ipsorum libertate, non una est sententia theologorum.

*Molinistæ* tuentur, quod Deus voluntatem non movet, nec determinat, nec ad actum applicat; sed tantum juvat, atque cum illa ad quemlibet actum perficiendum concurrat.

*Congruistæ*, duce Suarez, dicunt Deum naturam mentis ejusque propensiones perfecte noscentem, eam per circumstantias opportunas (quas juxta beneplacitum suum disponit), quo vult inclinare, et tamen libertati ejus non nocere; quia moralibus tantum utitur mediis.

*Thomistæ* contendunt, quod non tantum in actiones, sed in ipsas determinationes nostras Deus positive influere debet, ut nihil sit positivum et reale, quod ab ipso non proveniat. Unde volunt concursum Dei esse tum prævium, non quidem tempore, sed natura et ratione, ut causa prior est effectui; tum physicum, id est efficaciter producentem quicquid est entis et perfectionis in actibus nostris liberis. Quod tamen non officit libertati; quia expedita potestas ad oppositum semper remanet in agentibus. Sed hoc ad Dogmaticam. — V. Liguori, *Opera dogmatica contro gli eretici*, sess. V, n. 100 et seqq. — Bossuet, *Traité du libre arbitre*. — Muzzarelli, *Lettera a Sofia intorno alla setta dominante del nostro tempo*.

## (E) Page 28.

126. Gall doctor Germanus, qui Parisiis obiit 1828, cum adverteret homines nasci, unumquemque cum propensionibus specialibus, earum rationem in cerebri conformatione quesivit: tot autem in cerebro distinguebat organa, quot sunt in homine inclinationes; et inclinationem dominantem exterius per specialem *cranii* protuberationem innotescere contendebat. Hæc scientia dicitur *Cranioscopia*, *Cranilogia*, *Frenologia*, etc.

Plures ex celebrioribus medicis hanc doctrinam oppugnarunt, ac multa congesserunt facta dicto systemati contraria; sed aliqui illud admiserunt. Imo nonnulli eo abusi sunt ad libertatem labefactandam, inaniter tamen; illis enim inclinationibus ac passionibus non obstantibus, quilibet se sentit suorum actuum dominum. — V. Bergier, *Dictionnaire*, ad Append., v<sup>o</sup> Phrénologie. — *Pensieri di un Cattolico credente*, ecc. Milano.

## (F) Page 30.

127. Notandum 1: ad repellendas tentationes carnales quoad sensum valde prodest, ut commotiones compescantur, partes commotas

vestibus tegere et comprimere, ut advertit quidam auctor modernus. Quoad mentem autem præservandam a consensu prodest sane cogitatio de passione Jesu Christi, vel de pœnis inferni vel de morte, etc., et etiam de cruciato remorsus quem patitur anima post peccatum patratum. Magis vero necessarium erit in hujusmodi concupiscentiis ad orationem recurrere, castitas enim non nisi a Deo obtinetur (*Sap. 8*); et ordinariè Deus non dat nisi petentibus (*Joan. 16*). Hinc tentatus auxilium imploret a Domino, a Deipara immaculata, et sanctis puritatis amatoribus, ut a S. Aloysio, Philippo Nerio, etc. Præ omnibus autem sufficiet et erit remedium aptius quia brevius et facilius invocare confidenter et pluries veneranda et potentissima nomina Jesu et Mariæ. Maxime etiam juvabit ferventem actum amoris erga Deum elicere, propositum renovando mortem potius subeundi quam peccandi. Sufficit etiam in actu commotionis animum ad alia divertere, cum hoc etiam actu sit positive resistere, ut bene advertunt Sporer, continuator Tournely, Contensonius et Croix. Et si motus sint leves, melius erit eos contemnere sine positiva resistantia ex Croix cum Bonacina.

**128.** Notandum 2: non esse obligationem motibus carnalibus resistendi positive, si justa adsit causa non resistendi, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri; vel si motus ortum habeant ex actione necessaria vel utili, v. g. ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum et simili. Tunc enim ex una parte causa motuum non tenemur operam relinquere, ut docent communiter cum Sporer, Contensonio, Salmanticensibus, Croix, Suarez et aliis; et ex alia neque tenemur tunc motibus positive resistere, si non facile negotium sit illos repellere. Sat est igitur tunc negative se habere cum firmo proposito nunquam consentiendi; ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa, saltem mortali; etsi non a veniali, si resistantia sit tepida, ut dicunt Toletus, Cajetanus, Layman, etc. Verum Croix cum Azorio et Sanchez ut certum supponit quod in casu prædicto, quando tentatio diu durat, et nimis molestum foret jugiter motus positive repellere, nullum peccatum sit eos permittere, negative se habendo. Etsic facere consulit continuator Tournely cum Sylvio his qui sunt timorata conscientia. Hactenus S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. V, n. 8 et 9.

(G) Page 33.

**129.** Si peccandi potentia est liberii arbitri imperfectio, patet quid sentiendum sit de illis, qui naturam libertatis collocant in licentia opinandi, in voluntate legem transgrediendi, in facultate religionem

quamcumque eligendi, in potentia omnia ad libitum agendi, divina et humana æque subvertendo et conculcando. « La liberté, comme l'a très-bien dit Alcuin, est l'innocence, et, loin de consister pour l'homme à se soustraire à la loi ou à se la faire soi-même, elle consiste à la remplir. » Hinc vel ipse gentilis Cicero: *Legum servi sumus, ut liberi esse possimus.*

Hinc absurdum dixit Melchior Gioia, quando dicere non erubuit: « Le devoir n'est autre chose qu'une diminution de la liberté. » Ad rem Olivieri in sua Ethica: « Expression extravagante et maligne, qui a pour but, non pas de nous faire connaître et aimer le devoir, mais de nous le faire haïr. Quand Dieu nous a ordonné de l'aimer, il a donc porté atteinte à notre liberté? Quand la nature nous ordonne d'être reconnaissant envers celui qui nous fait du bien, elle nous ôte donc une partie de notre liberté?... »

V. *Civiltà Cattolica*, ser. 1<sup>a</sup>, t. 2, *libertà ed ordine*; ser. 3<sup>a</sup>, t. 6: *le quattro libertà di coscienza*; ser. 4<sup>a</sup>, t. 1: *la libertà al tribunale della Chiesa*; t. 4: *il catechismo di libertà*; t. 7: *la libertà al tribunale della ragione*; t. 8: *la libertà tirannia*. — Perrone, *de Matrimonio christiano*, lib. I, c. iv, a. 1.

(H) Page 57.

**130.** Circa modum quo implere possumus præceptum omnia opera nostra *in Deum referendi*, non una sententia est. Alii dicunt, actus ab homine susceptos ob honestum finem implicate jam in finem ultimum, seu Deum referri. Alii cum Augustiniana Schola contendunt actuali intentione vel virtuali explicita, profecta ex actuali antecedente quæ adhuc perseveret et in actum influat, omnia opera nostra in Deum referenda esse. Thomistæ demum volunt præceptum relationis operum nostrorum in Deum non distingui a præcepto charitatis in Deum super omnia, adeo ut urgente charitatis præcepto omnia opera nostra relatione saltem virtuali explicita teneamur in Deum referre tanquam in finem ultimum: quoties vero charitatis præceptum non urget, sufficere ut opus ex objecto bonum sit, nulloque pravo fine aut prava circumstantia vitietur, illudque ab homine suscipiatur honesto fine, et hac ratione actiones nostræ virtualiter referuntur in Deum, ut ultimum finem.

Quidquid sit, optime se geret animarum pastor, si fideles hortetur, ut quolibet primo mane, ubi de lecto surrexerint, se et sua opera totius diei Deo offerant, et egregiam hanc praxim repetant, quum novum opus aggrediuntur, vel illa verba usurpando: *Sanctificetur*

*Nomen tuum*, vel nomen Jesu ex corde proferendo, vel quid simile peragendo, quod divinæ charitatis ignem in eis accendēt, et eorum opera fortunabit ac perficiet. V. Talento, *Institutiones Theol. Morales*, t. I.

Omnibus autem valde est commendandum, ut frequenter illam solatio et cælesti jucunditate plenissimam D. Ignatii a Loyola orationem secum in animo devote recitent: *Suscipe, Domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, tu mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis; nec aliud quidquam ultra posco.*

131. Quæres: *An voluntas nostra, ut bona sit, debeat necessario in omnibus conformari voluntati divinæ?*

R. Observandum est voluntatem humanam conformari divinæ dupliciter: aut in *volito materiali*, et est quando ipsa vult idem objectum seu eandem rem quam vult Deus; aut in *volito formali*, et est quando voluntas hominis vult sub eadem ratione qua vult Deus. Generatim omnes tenemur habere in omnibus voluntatem nostram divinæ conformem saltem negative: id est nunquam licet id quod vult Deus improbare aut contra murmurare; Deus enim omnia disponit sapienter. Item certum est nos teneri voluntatem nostram conformare voluntati divinæ aliquid præcipienti vel prohibenti, in volito formali tum materiali; nam tenemur ea facere quæ Deus præcipit, et ea omittere quæ prohibet. In illis autem quæ tantum sunt divini consilii, ut servandi virginitatem, etc., non tenemur voluntatem nostram conformare divinæ quasi ea debeamus implere, quia secus non essent amplius de simplici consilio; sed satis est quod illa habeamus uti valde bona et salutaria, quæ enim consulit Deus non possunt talia non esse. Quantum vero ad ea quæ Deus solummodo permittit, uti sunt peccata, sufficit quod illorum permissionem non reprehendamus; at non possumus peccata illa positive velle, quia non licet velle peccata.

Quoad cetera tenemur semper conformare voluntatem nostram voluntati divinæ in volito formali; nam volitum formale divinæ voluntatis seu ejus motivum, scilicet ultima ratio volendi est bonum commune et divinum, seu bonum commune totius universi, prout ultimate ordinatur ad ipsum Deum et ejus gloriam; omnia quippe propter semetipsum fecit Dominus. Ut igitur voluntas humana sit recta, debet omnino quæ vult referre ad bonum commune et divinum tanquam ad ultimum finem. Neque ideo quis turbari debet, quia in suis operibus de hac conformitate ne cogitat quidem; nam appetendo bonum

verum et honestum, virtualiter implicite bonum appetit divinum, a quo est omne bonum.

Non tamen tenemur conformare voluntatem nostram divinæ in volito materiali; neque hoc est repugnare voluntati Dei, quia repugnantia est sub ratione diversa. Sane contingit aliquid esse bonum secundum unam rationem particularem, quod non est bonum secundum rationem universalem: sic bonum est uxori velle suum maritum vivere; non tamen est bonum quod judex illum vivere velit, si sit latro vel aliter noxius reipublicæ. Ergo voluntas humana potest esse bona volens quippiam secundum bonam aliquam rationem particularem consideratum; quod tamen Deus non vult secundum rationem universalem ac boni communis: sic filius vult patrem vivere ratione pietatis ac boni suæ familiæ: Deus vero vult illum mori alia ratione, v. g. ob peccata vel quia id postulat naturæ cursus. Unde Augustinus: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult; tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori* (Ench., c. ci). Hinc etiam concluditur, licitum esse tristari de morte carorum, quod ipse permittit Sapiens inquiring: *Super mortuum plora, deficit enim lux ejus* (Ecl. xxii); non enim tristamur secundum eam rationem, secundum quam scimus esse volitam a Deo; sed secundum aliam. Sicut ille qui vult patrem vivere propter affectum pietatis, quem Deus vult mori, si justus sit, hanc suam voluntatem divinæ supponit, ita ut non impatienter ferat, si Dei voluntas contraria impleatur. Huc facit illud Augustini: *Quod placuit Domino bono, non displiceat servo; quod placuit medico, non displiceat ægroto* (L. I, de Syn. ad catech., c. iii). Est doctrina Angelici, 1, 2, 9, 19; vid. Billuart, Sylvius, etc. — Angelini, *Il pianto dei giusti nella perdita dei loro cari*, Malta, 1860. — Sarasa, *Ars semper gaudendi ex principiis divinæ providentiæ, et rectæ conscientie deducta*.

132. Nostrum esse debet ad hanc conformitatem fideles hortari, utpote conjunctam cum perfectione et animi tranquillitate. Ad quam quidem assequendam hæc mire inserviunt: 1. facere sua diligenter quantum in se est, sed eventum relinquere divinæ providentiæ, sese illi ex animo committendo; 2. de alienis curiosius non inquirere; 3. sorte sua contente vivere, meliora inquiete non expectando, nec beatiore invidendo. V. Liguori, *La Monaca santa*: conformitè alla volontà di Dio. — Baudrand, *L'Âme élevée à Dieu*, t. II, leç. 28. — Perazzo, *Thomisticus ecclesiastes*, v. Conformitas. — Scaramelli, Pinamonti, Quadrupani, etc., etc., page 129.

## (I) Page 59.

133. Injuriæ Theologis generatim atque Philosophis ipsis illi faciunt, qui contendunt absque errore non posse conscientiam appellari *judicium practicum*, contententes eam dicendam esse *judicium speculativum semper præcedens judicium practicum*. Plato, Aristoteles, Laertius et omnes Græcorum Scholæ scientias partiebantur in *speculativas* et *practicas*; et *practica* vocabantur judicia illa quæ versarentur circa actiones humanas: horum exemplum secuti sunt Itali tum Philosophi tum Theologi et Litterati omnes. — Sed *scientia* (dices) pertinet ad ordinem idearum; *praxis* vero ad facta realia. Fulvis difficultas et puerilis! Nam *scientia speculativa* dici utique poterit pertinere ad ideas et earum ordinem; sed *scientia practica* semper dicenda erit pertinere ad facta realia, saltem in sensu communi, quo nempe *scientiæ practiciæ* vocabulum fuit hactenus in Scholis omnibus usurpatum.

134. Q. An conscientia distinguatur a sensu intimo? — R. Licet conscientia lato sensu dici possit *sensus intimus*, quatenus per eam anima fit conscia præsentis suæ affectionis, v. g. doloris aut gaudii; proprie tamen et stricte loquendo conscientia maxime differt a sensu intimo, ideoque caute est præcavendum, ne simul duo hæc confundantur. Etenim *sensus intimus* est illa perceptio, qua mens de præsentis suo statu admonetur, quin tamen intercedat ullum *judicium practicum* de licitate vel illicitate actionis, id est quin ulla intercedat comparatio inter actionem, quæ ponitur et legem moralem, ut judicari possit an actio illa bona sit, an mala. Cum ex adverso conscientia proprie accepta sit actus ille quo intellectus noster *judicium* exercet circa moralitatem actionis quæ ponitur, quodam veluti syllogismo inmixtus, cujus *major* propositio est *lex*; *minor* est opus, quod ponitur; *conclusio* est sententia quæ affirmat opus illud licere, vel non: sic v. g. adolescens qui disciplinam aspernatur, facile sibi se peccare probabit, si dicat: *Disciplinam aspernari peccatum est; cum scriptum sit: Filii, diligite disciplinam et nolite abjicere eam; atqui talem actum ponendo disciplinam aspernor, quia ipse disciplinæ adversatur; ergo eum ponendo pecco.*

## (J) Page 60.

135. Nullus datur actus humanus sine conscientia. Ad rem ait clarissimus Audisio: *Introduzione agli studi Ecclesiastici*, l. III, c. VII:

« Les écoles avaient toutes enseigné unanimement qu'afin que l'homme agisse humainement et moralement, l'intervention de la conscience est indispensable dans l'individu qui agit; c'est-à-dire qu'il doit avoir la connaissance morale de ce qu'il fait: dès lors c'est s'éloigner du langage théologique: 1° d'appeler humaine une action quelconque faite sans le jugement postérieur de la conscience; 2° de reconnaître une moralité des actions produite sans l'intervention et le fait de la conscience elle-même; 3° d'admettre deux espèces de moralités, une *délibérée*, l'autre *indélibérée*. Il serait aussi trop difficile de concevoir que l'homme peut être libre et maître de ses actions, sans en avoir la conscience ou la connaissance.

« Les maîtres de théologie, exprimant le sens commun de l'humanité, entendent par conscience le dictamen de l'intelligence qui juge de la bonté ou de la culpabilité de l'action en particulier. Le dictamen proclame à la créature raisonnable la volonté divine: ainsi, si la volonté, c'est-à-dire la loi divine, est la règle éloignée des actions humaines, la conscience en est la prochaine, c'est-à-dire l'application. De là il est dit avec clarté et énergie: *Ille itaque (lex) quædam veluti norma, ac libella, hæc (conscientia) normæ libellæ applicatio, illa index, hæc præco.* Ce prédicateur ou ce maître divin, qui est la conscience, est donné non-seulement aux savants et aux nations civilisées et sauvages, mais à tous les individus de l'humanité parvenus à l'âge de la raison: car la raison est la participation de la loi éternelle faite à l'individu, afin qu'il l'applique sans retard lorsqu'il a atteint la capacité morale, et qu'il mesure et règle par elle ses actions. Billuart commence donc avec vérité le traité de la conscience: *Omnes, docti et indocti, conscientiam clamant.* »

## (K) Page 60.

136. Ex conscientia vi et obligatione deducitur, quantum deploranda illa conscientia libertas, quam ætate nostra tantopere jactitant: quantumque deceat Moralistas omnes icto fœdere hanc pestem fidei exitiosam strenue aggredi.

Ad rem auctor laudati Operis, *Essai sur le Socialisme*:

« On dit qu'on réclame la liberté de conscience: qui peut nier que la conscience soit libre de fait, et qu'elle soit la règle la plus prochaine des actions de chacun? Mais, si elle est vraiment conscience, c'est-à-dire une connaissance intime de la part de l'homme, qui sait ce que c'est que d'agir moralement, il est nécessaire qu'elle considère l'acte moral, qu'elle le juge et l'apprécie dans ses rapports avec la loi, sans quoi il ne serait plus moral; la conscience ne peut avoir de

liberté que pour choisir entre le bien et le mal, ou entre des biens de nature diverse; une conscience non formée est comme une conscience nulle. C'est pourquoi il est nécessaire qu'étant la règle prochaine de l'homme, elle ait une règle éloignée pour l'homme, mais prochaine pour elle-même, qui lui fournisse les éléments et le *criterium* de ses jugements, et cette règle, c'est la loi, la loi qu'elle n'a point faite elle-même pour se l'imposer. Quand donc on parle d'une conscience libre, que veut-on dire? S'agit-il d'une conscience irresponsable, sans loi et sans frein? Ce n'est plus la conscience. S'agit-il d'une conscience qui se fait sa loi à elle-même et de sa propre autorité? Cette loi n'est plus une loi. Souvent, par cette expression équivoque, on a en vue l'affranchissement à l'égard des lois positives émanées des pouvoirs humains, et à l'égard de la loi chrétienne dans ce qu'elle a de positif; mais, puisque ces lois et ces autorités s'incarnent dans le droit naturel, et que l'obéissance qu'on pratique envers elles est en définitive une forme de l'obéissance qui est due à Dieu, on aboutit à nier la conscience elle-même par la prétention de la rendre libre. Cette manière de s'expliquer est donc plus qu'équivoque. Ainsi on a coutume de dire que *les hommes doivent être égaux devant la loi*, particulièrement devant la loi civile; cela se comprendrait si l'on disait que *les lois doivent être égales pour tous* (ce qui est néanmoins une erreur dès lors qu'il n'y a pas entre tous égalité naturelle, et qu'il n'y a pas, qu'il n'y a pas eu, qu'il n'y aura jamais de législation qui fasse abstraction des différences qui existent); mais dire que les hommes sont égaux devant la loi, devant Dieu, etc., ce sont des mots qui n'ont aucun sens déterminé, et qui induisent facilement en erreur lorsqu'on en vient à l'application. On pourrait faire un recueil nombreux de semblables axiomes, qui ne sont en réalité que des énigmes ou des paradoxes, et qui composent néanmoins le plus riche fonds des penseurs du jour. »

(L) Page 63.

137. Qui sequitur conscientiam invincibiliter errantem probabilius acquirit sibi meritum, uti recte docent Cuniliati, Sanchez et alii communissime. Ut enim aliquis actus dicatur non solum bonus (saltem inadæquate), sed etiam meritorius, sufficit ut per rationis et prudentiæ dictamen bene dirigatur; atqui actus operantis juxta conscientiam invincibiliter errantem bene dirigatur juxta dictamen rationis et prudentiæ, ut patet. Ergo non solum erit bonus, sed etiam meritorius: non quidem in se ipso, et ratione naturæ suæ, cum hæc semper remaneat qualis est in se mala; sed ratione personæ agentis

bona animi fide. Sic subditus, qui ex recta intentione prælato suo obtemperat, meritorie operatur ex D. Bernardo, quamvis materialiter erret contra legem: *Nec plane, ait, condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas* (De præc. c. xii). In hanc sententiam consentit Angelicus: *Actus, inquit, humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur; et non secundum materiale objectum actus* (Quodl. III, a. 27).

Ceterum tres habemus sententias principales. Prima docet nullum meritum oriri ex actione illa utpote in se ipsa mala; neque error etiam invincibilis in agente valet mutare naturam rei. Secunda tenet ex tali actione utique meritum oriri, cum ea sit bona operanti, qui quantum in se est, agit juxta morum regulas. Tertia autem, in quam consentimus, docet operantem mereri, non quidem ratione objecti, quod est malum; sed ratione finis, qui est bonus. Nempè qui hac ignorantia laborat, duo efformat quasi judicia: unum generale quo vult bonum; alterum particulare, quo scilicet ponit hoc medium ad bonum illud obtinendum. Primum porro judicium est meritorium, non vero secundum. Sic in eo qui invincibiliter credit sibi esse mentium ad salvandam vitam proximi, duo habentur judicia, unum universale et antecedens, quo vult salvare vitam proximi, et hoc bonum est et meritorium, cum procedat a charitate et verum sit: alterum particulare, determinatum et subsequens, quo putat sibi esse mentium ad proximum salvandum, et hoc in se meritorium non est, cum in se malum sit, quamvis excusetur per ignorantiam invincibilem. — Alasia, *De actibus humanis*.

Quæ autem opponuntur testimonia sunt intelligenda de bono absoluto, et simpliciter sumpto; non autem de bono respectivo et per accidens, prout a conscientia invincibiliter apprehensum est. — Ligouri, *Op.*, l. I, n. 6.

(M) Page 66.

138. Quænam scrupulorum causæ?

R. Nomine causæ non intelligitur impellens ineluctabiliter, sed moralis et occasionalis; nemo enim ad agendum proprie adstringitur. Porro causæ istæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. — Scrupulorum causæ intrinsecæ sunt: *indoles* admodum disposita ad suspiciones et timores, uti est melancholica; *infirmia capitis valetudo* præsertim in mulieribus; *tarditas*, qua quis Dei et Ecclesiæ præcepta non bene percipit; *superbia* occulta, qua quis nimis proprio fidit judicio;

*nimia abstinencia, et vigilæ immoderatæ, quibus, capite debilitato, facile conturbatur animus. Hinc illi versus :*

*Indolis et capitis status, tardusque, superbus;  
Si nimis abstineas, si vigiles nimium.*

Extrinsecæ vero scrupulorum causæ sunt : — 1. Deus, qui scrupulos permittit *in justis*, ut sic purgati magis proficiant; *in tepidis*, ut christianæ pietatis officia ferventius obeant; *in pœnitentibus*, ut præteritorum pœnam luant. A Deo scrupuli esse censentur, si iis exagitati meliores evadant; — 2. dæmon qui, Deo permittente, *movere potest melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest vel turbare al timorem inordinatum* (S. Antoninus, I p., t. III). Scrupuli a dæmone provenire existimantur, si scrupulosus ad teporem adduci, a virtute retrahi, et præcipue ad desperationem inclinari se sentiat; — 3. societas scrupulorum, præsertim si horum consiliis scrupulosi regantur et frequenter de rebus spiritualibus cum iis confabulentur : quibus enim sociamur, hos imitamur facillime; — 4. lectio librorum, qui nimis rigidi sunt, *statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere* (S. Ambrosius, in Ps. cxviii); sensim enim sine sensu iis assentimur opinionibus, quibus studemus. Hinc versus :

*Sunt Deus et dæmon, socii, volumina lecta.*

139. Q. Quomodo confessarius se gerere debeat cum scrupuloso? — R. Ante omnia oportet, ut confessarius cum scrupulosis :

*Sit patiens, sit discretus, prudensque, brevisque.*

1. *Patiens*, ac charitate plenus; cum scrupulorum cura longa sit et ardua, ac miserrima eorum conditio, qui proinde nostram commiserationem quamaxime efflagitant, quique nisi fidum amicum nanciscantur tantis periculis obnoxii sunt; 2. *discretus*, adeo ut rite cognoscat quanam sit in pœnitente scrupulorum origo : et an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum, ut malis congruenter mederi valeat; 3. *prudens*, in regulis videlicet præscribendis, quæ quidem generales sint oportet; regulis enim particularibus scrupulosi fere nunquam se valent accommodare, quia eas sibi applicare nequeunt. Imo semper dubitant, utrum casus fuerit satis bene explicatus atque perceptus, utrum regula sibi præscripta casui illi sit bene accommodata; 4. *brevis*, et dictatorius in suis responsis; et omnia quoad potest, præmptè definiat, ac firmiter : secus pœnitens auctoritate ipsius confessarii in sua anxietate confirmaretur.

140. Speciatim confessarius advertat, ut plurimum, scrupulos circa tria versari : 1. quod *malæ cuicumque cogitationi*, quæ menti obversatur (v. g. contra fidem, castitatem, charitatem) præbeatur assensus; 2. quod *confessiones præteritæ* nullæ fuerint, aut etiam sacrilegæ vel ob defectum integritatis, vel ob doloris imperfectionem; 3. quod in *omni actione peccatum* vel peccati periculum videatur inesse. Jam verò :

1. Si confessarius viderit suum pœnitentem ex iis esse, qui timent se *malæ cogitationi* præbuisse consensum, eidem imperet ut timores hujusmodi omnino despiciat, eumque doceat non pravos cogitationes, sed pravos consensus esse peccata. Illam semper habeat præ oculis regulam a Doctoribus sapientissime traditam, nempe eos qui sunt timoratæ conscientiæ judicandos esse ab omni culpa immunes, nisi certo sciant, se peccato gravi consensisse : *nam*, ut ait P. Alvarez *impossibile est peccatum intrare in animam, quæ vehementer ab illo abhorreat, quin ab ipsa clare et cito percipiatur*. Quare sæpe etiam expediet scrupulosis imponere, ut a confessione hujusmodi cogitationum se penitus abstineant, nisi ita certo sciant in illas consensisse, ut illico queant jurare. Adde argumentum valde urgens : quod nempe in gravi Theologorum sententia scrupulosi non tenentur ad integritatem materialem confessionis cum gravi damno, ut esset, si ea semper confiteri deberent quæ menti occurrunt. Ita communiter.

2. Si agatur de pœnitente, qui de præteritis confessionibus anxius est, si generalem jam alias confessionem expleverit, aut per aliquod notabile tempus ad pœnitentiam diligenter ac pie accedere consueverit, huic imponat, ut non amplius de culpis præteritis cogitet, neque ullum amplius de iis verbum faciat, nisi jurare possit se certo peccata illa mortalia perpetrasse, et illa nunquam in confessione deposuisse. Quod si post Confessionem rite peractam redeat, tunc confessarius inauditum dimittat ei præcipiens ut accedat ad Communionem. Ita se gessit S. Bernardus, qui sacerdoti cuidam præ scrupulis a Missæ celebratione se abstinere volenti, dixisse fertur : *Vade et in fide mea celebres*, et liberatus fuit. Neque dicas : utinam qui ita loquitur, esset alter Bernardus! *Quisquis ita dicis*, ait S. Antoninus ex Gersone, *erras; non enim commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, quia pius; sed quia tibi est præpositus*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 12. — Scrupulosus et timoratus de præteritis Confessionibus anxius sic interrogandus : 1. cælestine de proposito peccatum grave? 2. proponebasne peccata iterare? Si negative respondeat, valida judicanda confessio. *Gury*.

3. Si sit sermo de scrupulosis, qui in omni actione se peccare formidant, iis Confessarius imponat, ut libere agant et scrupulos despi-

cian: imo contra eos operentur, quoties evidens peccatum non appareat; quia generatim loquendo isti ob rationem ex nimio illo timore perturbatam putant esse peccatum ubi non est. Unde oportet iis præceptum injungere, ut scrupulos vincant, ne inutiles tam sibi quam aliis evadant; atque ut postea de talibus actionibus se minime in Confessione accusent. Qua in re animadvertendum est, quod etiamsi contingere possit, ut aliquando errent materialiter sic agendo, non peccabunt tamen formaliter ratione obedientiæ, quam Confessario præstant; quia non homini tunc obediunt, se Deo dicenti: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (Luc. 10). Hac in re vid. 1. S. Alphonsi Opuscula, *Quiete per le anime scrupolose nell'ubbidire al loro Direttore. Consigli di sollievo e confidenza per un'anima desolata*. — 2. Quadrupani, *Documenti*, ecc. — 3. P. Scupoli, *Nuovo combattimento spirituale*. — 4. Pinamonti, *Il Direttore*, c. viii. — 5. Segneri, *Il Penitente istruito*, c. ult. — 6. *L'anima desolata, confortata*, ecc. — 7. *L'anima timorosa istruita e confortata*. — 8. Lombez, *Dell'allegrezza dell'anima cristiana; it. Della pace interiore*, ecc. — *Trattato sugli scrupoli, composto da Jamìn, tradotto con note*; Torino.

Neque refert, quod ipse cum actuali timore peccandi operetur; nam ex vera sententia scrupulosus ita agens minime peccat. Quia conscientia scrupulosa, seu dictamen mentis ex scrupulis ortum, non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum ex Confessarii iudicio, vel alio modo: *Scrupuli enim, ait Concina, sunt quædam animi nubeculæ, quæ obscurare aliquantulum possunt iudicium intellectus, nullo tamen modo illud præfocare valent*. Ait ad rem etiam Stapf, § 78: « Contra conscientiam agere absolute nulli hominum licet; verum persuasio scrupulorum non est dictamen conscientiæ, sed merus tumultus phantasiæ, per quem vox rationis supprimitur, ut audiri nequeat.

(N) Page 76.

141. Clarius patebit doctrina hæc, si ad proximum reductur exemplis: 1. Titius, v. g., incolit domum, et ideo præsumitur habere jus in illam, et eam possidere; sed quid? insurgit Sempronius, qui ipsum vult exturbare. Cujusnam erit omnis probandi? profecto Sempronii, et sufficit Titio, si dicat se fuisse atque adhuc esse dominum domus illius: etenim est in possessione.

2. Dubitatur v. g. an lex condita sit, necne? ex primo principio, cum *lex dubia nequeat parere obligationem certam*, clare deducitur nos non teneri legem illam implere. — Si vero dubitetur, an lex jam

certe condita et promulgata, fuerit abrogata, necne? tunc tenebimur legem implere; quia tunc lex possidet ex altero principio: *In dubio melior est conditio possidentis*.

3. Dubitatur v. g. an lex sit justa, an injusta? lex ista vim suam habet ob quartum principium, quod nempe *In dubio præsumatur factum quod de jure faciendum erat*; Legislator enim de jure tenebatur condere legem justam; tenendum ergo Legislatorem egisse quod ab eo de jure agendum erat.

4. Dubitatur v. g. an ad jejunium teneatur adolescens, de quo incertum est, an expleverit annum ætatis suæ 21? item dubitatur de senes, an pervenerit ad annum 60, quo completo in multorum sententia a jejunii lege liberatur? Ex allatis principiis patet responsio nempe adolescentem non teneri ad jejunium, quia tunc possidet ejusdem libertas; ex adverso teneri senem, quia possidet præceptum jejunii. — Idem dicendum v. g. de eo, qui est in sabbato, et dubitat utrum pervenerit hora mediæ noctis an non? iste non potest manducare carnem, quia adhuc possidet præceptum abstinentiæ. E contrario autem si quis de hora mediæ noctis serio dubitet in feria quinta, tunc poterit carnem manducare, quia adhuc possidet ipsius libertas. Alia exempla vid. apud S. Alphonsum, *Op. Mor.*, l. II, n. 27 et 95; et l. I, n. 52.

142. *Sed (dices) principia, ex quibus regula desumitur circa honestatem actionis, debent esse moraliter certa, ut certa conclusio deducatur; atqui talia non sunt dicta principia, cum plures ea negent.*

R. Dicta principia certa sunt in se, et ab omnibus admittuntur, ac leguntur passim in utroque jure; discrepantia est tantum in illorum applicatione: porro nos utpote generalia, ea ad omnia applicare merito non dubitamus. Neque ullam sufficientem causam adducere possunt adversarii, cur ea ad particularia velint restringere, ut patet discurrendo de singulis: quod satis est ut tuti esse possimus. Neque enim in contingentibus certitudo physica requiritur, sed sufficit moralis; alioquin rigorismus induceretur.

Adde neque probabilioristarum principia inconcussa in se esse ineluctabiliter et ex omni parte; quantumcumque enim certi simus nos bene agere, tamen evenire potest, ut in se, re cognita, aliter sit agendum; nam res subjective certa potest esse objective falsa. Sic v. g. si tu dubitas, an voveris Deo aliquid, puta calicem, in sententia probabilioristarum teneris de voto; sed quid si jam reddito voto, certo cognoscas te revera non vovisse? nonne laborasses falso supposito? nonne reddidisses quod non debueras? Unde patet nulla esse reflexa principia, quæ radicibus quæstionem solvant atque in se; attamen liberant a formali peccato, quatenus nempe tum probabilistæ tum probabilio-



ristæ illorum principiorum usu efformant practicum iudicium de honestate actionis.

## (O) Page 77.

143. *Opinio proprie et stricte* accepta est nihil aliud quam *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*: id est cum timore, ne altera pars sit vera, et ea in quam fertur, sit falsa. Sic v. g. dux militiæ pendens incertus inter duos modos aggrediendi hostem, perpensis omnibus circumstantiis, unum eligit, cum formidine tamen, ne modus electus sit falsus, et alter non electus sit verus. Ex quo patet, talem assensum intellectus nostri esse imperfectum: nequit enim intellectus noster perfecte assentiri illi parti, quam formidat esse falsam (S. Thomas, I p., q. 79, a. 9).

Diximus *proprie et stricte*: nam sæpe occurrit hoc nomen et penes SS. Patres et veteres Scholasticos acceptum late et improprie, ad significandum videlicet levem quamcumque credulitatem et propensionem apparentem, nullisque sat gravibus argumentis innixam. Ex hoc autem patet quomodo opinio differat a dubio, errore et scientia: — 1. differt a dubio, quia dubium est suspensio assensus cujushbet in quamcumque partem; — 2. ab errore tum *materiali*, quia iste est id, quod est vere falsum; tum *formali*, quia iste est assensus mentis scienter approbantis verum pro falso, vel falsum pro vero; — 5. a scientia: nam opinio semper conjungitur cum formidine oppositi; scientia vero formidinem istam prorsus excludit, ita ut adherere scientiæ sit sequi certum; adherere autem opinioni sit sequi tantum probabile. Audiatur Angelicus: *Assentit intellectus alicui dupliciter: uno modo, quæ ad hoc movetur ab ipso objecto...; alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam. Et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides* (2, 2, q. 1, a. 4).

144. Duo hic notanda sunt: — 1. opinionem probabilem a conscientia probabili differre in hoc, quod *illa* opinando iudicet aliquid esse bonum vel malum, licitum vel illicitum abstrahendo a praxi, sive ab actuali exercitio et ultimo dictamine practico; hæc vero iudicet actum ipsum in praxi, seu in exercitio actuali, id est cum suis omnibus circumstantiis atque hic et nunc ponendum, illumque declaret, uti bonum vel malum, licitum vel illicitum per ultimum dictamen practicum. Sic si miles, qui pergit ad bellum, non habeat nisi fallibile fundamentum (ideoque adhuc dubitatio sit) de belli iustitia, laborat conscientia

probabili. Nihilominus licite ad bellum ire potest formando sibi practicum rationis dictamen ex illo principio reflexo: *Semper obtemperandum est superiori, quamdiu certo non probetur rem esse malam*; — 2. inter opinionem et conscientiam probabilem, ac opinionem et conscientiam laxam adest discrimen latissimum. Quia conscientia et opinio probabilis habet pro suo fundamento argumenta satis gravia, quæ vel legi superioris vel libertati hominis favent; conscientia vero et opinio laxa non habet nisi argumenta levissima, quæ favent cupiditatibus.

## (P) Page 80.

145. En quomodo hac de re, ad dubium omne tollendum, seipsum explicat sanctus noster (*Apol.* 5, n. 1, 5, 4):

« Quelques-uns m'attaquent en disant que je suis probabiliste: je ne suis ni probabiliste ni équiprobabiliste, de manière (*notentur verba*) que je dise qu'il est permis de suivre l'opinion également probable: je dis néanmoins... lorsqu'il y a deux opinions également probables, bien que l'opinion moins *sûre* par elle-même puisse être suivie, quoique (comme j'ai dit) la seule probabilité ne donne pas un fondement suffisant pour agir licitement; néanmoins, lorsque l'opinion qui est pour la liberté a des raisons de valeur égale à l'opposée qui est pour la loi (je dis de poids égal, parce que, si elle était de valeur moindre, nous avons déjà dit que dans ce cas il faut suivre l'opinion qui est pour la loi, car, quoique en une manière elle soit encore douteuse, le doute est au moins large), alors revient le doute strict et rigoureux, qui fait suspendre entièrement le jugement de l'esprit, si la loi existe, ou non; c'est pourquoi on ignore alors l'existence de la loi qui défend l'action. Aussi dans ce cas la loi n'est pas suffisamment promulguée; alors seulement le doute si la loi existe ou non est suffisamment promulgué. Et ainsi la loi n'étant pas suffisamment promulguée, elle ne peut pas produire l'obligation certaine de l'observer. »

146. Dices 1. *Ab usu opinionis probabilis ortæ sunt tot sententiæ in Theologia Morali valde laxæ et moribus noxiæ. Tot etiam prodierunt propositiones a summis Pontificibus condemnatæ. Ergo talis usus est proscribendus.*

R. ad 1. Falsum est ab usu opinionis vere graviterque probabilis ortum habuisse sententiæ laxas, opinio enim vere et graviter probabilis inmittitur vero et gravi fundamento, etsi possit esse falsa: sententiæ autem laxæ omni vero et gravi fundamento caret; ergo hæc ab illa, uti affectum a causa, derivare repugnat. Morum autem corruptela oritur quidem ab usu sententiæ laxæ, hoc ipso quia caret vero et gravi fundamento: non vero ab usu opinionis vere et graviter probabilis,

ob rationem contrariam. (V. Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> Probabilisme.)

R. ad 2. Falsum pariter et consequenter est, ab usu dictæ opinionis ortas esse propositiones condemnatas. Istæ originem habere vel a mentium humanarum imbecillitate, vel a nimia ingeniorum quorundam audacia atque effrænata licentia: quæ duo locum habere possunt tam in iis, qui tenent opiniones probabiles, quam in iis, qui eas despiciunt. Sane si Pontifices existimassent usum illius opinionis esse fontem tot malorum, quomodo fieri potuit, ut de rivulis obtruncandis curam haberent, fontem autem numquam extinguere voluerint: quod uno decretorio iudicio tam facile potuissent efficere?

147. Dices 2. *Usus opinionis vere graviterque probabilis in rebus moralibus est novus, et majoribus nostris inauditus: ergo amandus.*

R. Sunt utique nonnulli qui id clamant. Sed falsum est; nam Petrus Antonius Terillus scriptor Anglicus in suo celebrato Opere *De Probabilitate* clare demonstrat, tam sanctos Patres quam Scholasticos antiquos omnes vel fere omnes fuisse pro usu opinionis probabilis in rebus moralibus: et sententiam contrariam non fuisse auditam in Scholis, nisi ætate Cornelii Jansenii et sectatorum ejus. Sane si usus sententiæ cujuscumque probabilis fuisset prorsus novus non quoad terminos tantum sed etiam quoad rem et substantiam, quomodo tanta et tam subita mutatio posset explicari? quanto temporis spatio non opus fuisset ad convellendam sententiam contrariam quæ in adversariorum hypothesi per tot secula in Ecclesia Catholica tam profundas egisset radices? Quidquid igitur nonnulli dicant, semper verum erit, quod hæc de re nobis tradit celeberrimus Segneri, veteres nempe nostros eam semper tenuisse regulam in agendo, ut: — 1. legi firmiter adhererent, quin amplius daretur vel minimus disputationi locus, quando habebatur tamquam certa; — 2. quando lex habebatur tamquam dubia, dubietatem deponere conarentur consulendo Doctores, si aderant; vel rem in natura sua per se ipsos perpendendo, si non aderant; — 3. quando opiniones Doctorum hinc inde bene perpense, æqualibus rationum momentis adhuc inter se differrent, tunc unicuique fas esset amplecti illam, quæ sibi magis placeret, deposita omni peccandi formidine.

148. Si attente consulatur historia Theologiæ Catholicæ, clare patebit tam inexorabilem et tam inimicem quorundam rabiem contra usum cujuscumque opinionis probabilis in rebus moralibus, tunc solum exortam esse, cum primum in Ecclesia audita est scandalosa illa, et tamquam hæretica damnata Jansenii propositio: *Aliqua Dei præcepta sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibile fiunt.* Videlicet quia usus opinionis graviter probabilis facilem ac securam

adaperiebat viam ad præcepta adimplenda, quia possibile fiebant quammaxime; ideo a talibus contra hujusmodi usum acriter insurgendum fuisse nemo non videt. Id probatur etiam ex eo, quod ipsi contrariæ sententiæ patroni fateantur, statim ac pater Medina expressis verbis tradidit usum sententiæ probabilis, eam opinionem cito fuisse communissime amplexatam non solum a Scholasticis privatis, sed etiam ab ipsis celebrioribus studiorum Universitatibus ferme omnibus, ab innumeris Religiosis Institutis, a gravissimis doctissimisque Episcopis atque Prælatibus: imo a quibusdam etiam summis Pontificibus in aliquibus casibus, in quibus sic jubere videretur prudentia et charitas; eorumque resolutiones jugis norma ac regula fuerunt. Ut videre est Cap. Ex conquestione x, *de restitut. spol.*, l. II Decret. — It. cap. *Litteras tuas* XIII, eod. tit. — It. Cap. *Inquisitioni tuæ* LXV *de sent. excomm.*, lib. V Decret. Ubi non quod tutius, sed quod in se vere probabile erat, tuta conscientia secuti sunt RR. Pontifices.

(Q) Page 81.

149. *An (quæres) auctor unus et solus sufficiat, ut aliqua opinio dicatur vere et satis graviter probabilis probabilitate extrinseca? — Vel agitur de auctore cujuscumque notæ; vel agitur de auctore gravi, magni in Ecclesia nominis, et omni exceptione majori, uti essent v. g. S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, etc.*

Si 1, non sufficit auctor ille, ut ejus opinio habeat gravem probabilitatem extrinsecam; cum ab Alexandro VII damnata sit hæc sub n. 27 propositio: *Si liber sit alicujus junioris et moderni (quæ verba utpote generalia ex Viva intelligi debent de auctore quocumque, etiam humilis notæ), debet opinio censi probabilis, dum non constet rejectam esse a sede Apostolica tamquam improbabilem.* Sane cum nulla fere sit laxa sententia, quam auctor aliquis non tradiderit, jam eam sequi liceret, generali illa propositione semel admissa.

Si 2, modo nihil sit contra *Scripturam* vel communem Ecclesiæ sensum, recte possumus sequi Doctoris illius opinionem, sic dicente Angelico: *Aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur.* Sane si ego, v. g. teneo sententiam D. Thomæ, etiam contra aliquod argumentum, quod mihi videatur probabilius, quis neget me prudenter agere, cum, mea opinione posthabita, tantæ auctoritati me totum omnino defero?

Ceterum regula generalis est, ut non unus, sed plures auctores graves volvantur: et quoad hoc recolatur catalogus in fine hujusce tractatus. Pro praxi notamus: — 1. illa opinio est viro docto certe pro-

habilis, quam ipse scit se diligenter excussisse, et persuasum habet, se illam absque inordinato affectu ob rationes graves, ut veram tueri; — 2. mediocriter doctus judicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si statum quæstionis rite intelligens, hanc inveniatur assertam ab auctoribus hujus temporis omni exceptione majoribus, id est inter Theologos omnino probatos; — 3. rudis audiens a viro, quem existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere; non enim per se expendere valet nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi. *Gury.*

Nota: Cum doctrina nostra in præsentiarum ac semper firmemus D. Thomæ auctoritate, non abs re ducimus aliquid de tanto doctore edicere. Plurima ille scripsit sapientissime; at præcipua ejus opera præter *Commentarium in Magistrum sententiarum* sunt tum *Summa contra gentiles*, opus vere absolutissimum quod et philosophi et theologi semper suspexerunt; tum *Summa theologica*, quam in tres partes divisit, et secundam in alias duas partes, scilicet in *primam secundam* et in *secundam secundam*. Morte præventus imperfectum magnum hoc opus in quo tot veritates mire probantur, reliquit: sed additum est *Supplementum* parti tertiæ ex ejus Commentario in *Quartum librum sententiarum*. — Pars prima quæ continet quæstiones 119, agit de Deo, Trinitate, mundo, angelis et hominibus. Prima pars secundæ partis continet quæstiones 114, et agit de beatitudine, habitibus, virtutibus, peccatis et vitiis, de legibus, gratia et merito. Secunda pars partis secundæ habet quæstiones 189, et agit de virtutibus theologis, et virtutibus cardinalibus, oppositisque vitiis, de gratiis gratis datis, de vita, statu et officiis hominum diversis. Pars tertia habet quæstiones 90, et tractat: de incarnatione, vita et mysteriis Christi, Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, et Pœnitentiæ in genere. Tandem supplementum partis tertiæ quæ continet quæstiones 99, agit de Pœnitentiæ partibus, Extrema Unctione, Ordine, Matrimonio, Resurrectione, extremo judicio, beatis et damnatis.

(R) Page 81.

150. Hoc eventus in disciplina nostra, quod in dogmatica et canonica, ut præ ceteris nonnulli emineant in aliqua illarum tractationum parte, adeo ut in illa parte communi Doctorum sensu magni habeantur.

Sic quoad Dogmaticam principes sunt inter Patres S. Augustinus in materia gratiæ et prædestinationis; SS. Hilarius et Athanasius in mysterio Trinitatis; S. Leo M. in mysterio Incarnationis, etc. —

Inter Theologos vero de Trinitate, Vitassius; de Gratia, Tournely; de Incarnatione, Le Grand; de Homine, Billuart; de Novissimis, Dens. — De B. V. Maria generatim, Mazzola. — De M. Virginis Conceptione immaculata, Perrone, Cerri, Gual, Passaglia et Ballerini. — Sic in re Canonica cæteros antecellunt de Beneficiis, Garcias; de Parochiis, Bouix et Barbosa; de Canonicis, Scarfontonius, itemque Bouix; de Legatis, De Luca; de Reservationibus, Rigantius; de Dispensationibus, Pirrus Corradus, Rosa, de Justis; de Ordinibus, Hallier, etc.

Ita in disciplina nostra prædicantur Bonacina, de Censuris; Continuator Tournely, de Obligationibus; Lugo et Lessius, de Justitia et Jure; Suarez et Alasia, de Legibus; Sanchez, de Matrimonio, et hodie maxime clarissimus Perrone. — Huc facit opus plurimis tomis distributum, *Theologiæ cursus completus ex tractatibus omnium perfectissimis ubique habitis, et a magna parte Episcoporum, necnon Theologorum Europæ catholicæ universim ad hoc interrogatorum designatis unice conflatus*, etc. Parisiis, Migne 1835. — It. *Thesaurus Theologicus*, Venetiis 1762. — It. *Thesaurus Patrum*: Introductio ad SS. Patrum lectionem, auctore Caillaux, vol. I: ubi notantur qui Patres præ ceteris consulendi in *Scripturæ* explanatione, in *morum* doctrina, in *fidei* dogmatibus, etc. — It. *Opus, De optima legendorum Patrum methodo*, auctore Natali Argonensi.

151. Sed (dices) argumentum pessimi turba est ex Seneca. — Respondeo: Utilissimum est ex D. Augustino (maxime multitudini excellentissimæ auctoritati credere, et secundum hoc agere. Vide licet turba quidem populi indocti certe non prodest ad mores honestandos, sed prodest perfecto auctoritas Doctorum gravium ac piorum. Ipsa ratio clamat, ubi veritas certa non apparet, pro illa parte esse præsumendum, pro qua stat major numerus sapientum. Accedit: si auctoritas hæc esset contra fidem vel bonos mores, Ecclesia neque toleraret neque sileret: Quæ sunt (ait Augustinus) contra fidem aut bonam vitam, Ecclesia nec approbat, nec tacet, nec facit (epist. 119).

152. Non negamus tot aliquando surgere male sentientes vel ex ipsis qui scientia et auctoritate pollent, ita ut in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi. At Dei opitulante gratia, nos (etsi totus mundus arianus videatur) firmiter perseveremus in fide Christi, in obedientia Petri; non est multitudo contra Dominum et Christum ejus; sed quod romana Sedes iniquum, injustum, sacrilegum definit, iniquum, injustum, sacrilegum est: nec hominum turba, nec doctorum cavillationes prævalere poterunt adversus eam quæ est columna veritatis et morum magistra. V. Muzzarelli, *Lettera a Sophia*.

## (S) Page 81.

153. *Casuistarum* nomine illi solent indicari Theologi Moralistæ et Tractatores, qui in usu habent res morales pæsertim graviore, post tradita principia, illustrare quibusdam dubiis vel exemplis, vel casibus practicis aut veris aut imaginatione compositis: hoc modo tyrones instruunt in Morali Theologia, ut recte valeant in Tribunali Pœnitentiæ doctrinas sibi in Scholis traditas ad casus in praxi occurrentes applicare, practicas quæstiones dissolvere, et pœnitentes optime dirigere.

Non una methodo Casuistæ quæstiones morales resolvunt. Aliqui enim sunt qui alphabetico ordine eas disponunt atque pertractant, ut Pontas, Berchorius, Scarpazza; item *Summa Sylvestrina*, *Thomisticus Ecclesiastes*, etc. — Plures vero totidem casibus particularibus ideo confectis eas edocent, ut Pontas et Scarpazza laudati, Gobat, Potestas, Scarsella, Gury, Speroni, Vigandt, Voit. — Item Facciola, *Resolutio casuum Diœcesis Novariensis*. — *Casus Conscientiæ* sub auspiciis card. Lambertini. — *Duplex Centuria casuum conscientiæ*, I. Fedeli Mediol. 1857. — De Ithuriaga, *Dissertationes in morales quæstiones*. — *La Casuistica*, Venezia, quæ pluribus voluminibus continetur; non tamen uno spiritu ac sensu omnes resolvuntur casus. — Panzuti, *Casus conscientiæ*, etc.

Cæteri tandem, qui innumeri sunt, per varios Tractatus materiam universam dividunt, atque scholastico ordine pertractant, probant et concludunt, quæstiones tamen singulas diversis practicis deductionibus illustrando. — Vid. Abelly, *Declaratio librorum et opinionum Casuistarum*. — Dissertatio P. Zaccariæ, *De Casuistarum origine, progressu ac præstantia*, p. 1, c. 6, et p. 2, c. 14. — Bergier, *Dictionnaire*, v. Casuistes. — Christianus Lupus, *in suis Operibus*. — Audisio, *Introduzione agli studi Ecclesiastici conforme ai bisogni religiosi e civili*, cap. XIII, l. III.

Notatu hic dignum est S. Ignatium de Loyola in suo opere *Exercitiorum spiritualium* inter cætera media, quibus recte sentire volumus cum matre nostra S. Ecclesia catholica, præscripsisse ut magni a nobis fiant Doctores quorum principem vocat Angelicum, et rationem affert ex eo quod ipsi dogmata ad salutem necessaria exactius tradere (solent) atque definire... ad errores hæresum confutandos.

154. Sed (dices) in re morali satis est principia substantialia et generalia tradere, quibus tota dein scientia magnificenter erigatur, quin recurratur ad Casuistas.

R. Nihil profecto esset facilius, quam universam Theologiam Moralem brevissimis principiis concludere, si tota deberet solis principiis

inniti. Quid brevius, v. g. si eam duobus illis præceptis restringas: *Declina a malo, et fac bonum*? At nemo sanus putaverit recte sic tradi posse Theologiam Moralem, scientiam tam magnam, tam gravem, tamque præstantem. Imo major difficultas in hoc consistit, ut principia generalia ad casus particulares bene ac diversimode applicentur, prout diversæ occurrunt circumstantiæ. Hoc porro est, in quo Casuistæ laborant plura dubia effingendo et tot quæstiones practicas enucleando; non enim Theologia Moralis in Ecclesia Catholica esse debet similis Theologiæ Morali Protestantium, qui Confessionem auricularem rejiciunt; quique proinde conscientiarum tranquillitati, securitati ac innocentia hæud student, sinentes, ut quisquis pro libitu vivat.

155. Si libri evolventi sunt pro Theologia Morali addiscenda, extant libri sacræ Scripturæ veteris et novi Testamenti; extant Opera SS. Patrum; disciplinares Conciliorum canones et fidei Oracula. Quid ergo opus in libris insudare Casuistarum?

R. 1. Indirecte: non ignoramus extare qui ita loquuntur; sed non ita loquitur S. Carolus in sua *Instructione ad Confessarios*, ubi illos enixe præmonet, ut legant ac sedulo meditentur auctores casuum conscientiæ pertractantes. Non ita loquitur Salesius, qui Confessarios hortatur, ut perlegant Casuistas, et signanter nominat Toletum et Reginaldum. Non ita loquitur Benedictus XIV in Bulla *Vix pervenit*, ubi monet in quæstionibus morum non unum, sed plures scriptores examinandos esse, qui moralem scientiam pertractaverint, et magis inter ceteros prædicantur.

R. 2. Directe: utinam in libris Scripturæ, Patrum, Canonum atque Conciliorum definitas inveniremus quæstiones morales! Sed primo quis ignorat ex ipsis, ut plurimum, Scripturæ verbis (utpote obscuris) quæstiones hujusmodi exortas esse? — Sancti autem Patres, cum ætate sua hæreses multæ in Ecclesia ebullirent, in id fere intendebant ut res Fidei elucidarent. Scripserunt quidem etiam de moribus, sed vel in concionibus, vel in aliis circumstantiis tam modice, tam incidenter, ut non raro, ne in errorem labamur, alios legere oporteat, qui eos exponant. — Canones conciliorum disciplinares pariter modica statuerunt circa mores, et in his maxima veneratione a nobis proferuntur uti regulæ tutissimæ: et multo minus Concilia ediderunt morales resolutiones in suis oraculis; quia præcipuus eorum scopus fuit extirpare schismata et hæreses profligare.

156. Sed si res ita est (urgetis) quomodo se gerebant Confessarii prioribus sæculis ante inductam casuisticam Theologiam? — Jam

<sup>1</sup> II Petr. 9.

tum præter Scripturas ac Patres, Pontificum responsa ad casus particulares una cum Patrum sententiis ac Conciliorum decretis, extabant: item Ritualia et Collectiones canonum penitentialium sine numero, quos ideo *pœnitentiales* dicebant; quia per diversa et specifica peccata discurrendo propriam cuique pœnam adsignabant. — Deo autem opitulante, orta est sæculo XIII Theologia *Scholastica* et *Methodica*: et inde etiam nata est *Moralis* in usum Confessoriorum, seu *Casuistica*. Hujus generis opus imprimis celebre fuit *Summa de casibus penitentialibus* concinnata a S. Raymundo, cui accessit *Confessionale* S. Bonaventuræ, quorum exemplum ceteri secuti sunt. Præstat valde hujusmodi libros legere, ut inde peccatorum gravitas dignoscatur, uti monet S. Carolus.

At cum variata sit disciplina, non amplius præstat sequi: et qui eos sequi vellet, *non solum*, ait (De Synodo, l. I, c. vii) Benedictus XIV, *rigidissimæ ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem tentaret*. Imo recte ait Francolinus (in egregio Opere, *Clericus Romanus contra nimium rigorem minutus*) *veteres libros penitentiales magnificare, ut præsentis Ecclesiæ disciplinam reprehendas, impium est ac detestandum, adde et jansenisticum*.

## (T) Page 84.

157. Tametsi Jansenistarum doctrinæ vigesies et amplius a S. Sede jam pridem diris devotæ fuerint, tametsi eorum dogmata sint evidentiissime ferrea et homines in desperationem barbaram trahant; adhuc tamen, eheu dolor! mutato etiam nomine asseclas habent ætate nostra non paucos, qui sententias ipsas vel suis in principiis, vel in consecrariis tenere non erubescunt et fidelibus evulgare. Tunc ac tantum erroris monstrum vivide contundit Gloriosus ac feliciter Regnans Pius Papa IX (quem Deus O. M. Ecclesiæ universalis amori, votis et hono diutissime servet incolumem) in sua prima Encyclica *Qui pluribus*, die 9 nov. anno 1846, ubi inter præcipuas inimicorum machinationes, a quibus sæculo nostro Dominicum Gregem præstat attente tueri, recenset etiam tenebrosissimas eorum insidias, *qui in vestibus ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis et severioris virtutis ac disciplinæ specie, humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt; hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt*.

## (U) Page 87.

158. Ut omnis quæstio circa probabile plenius dignoscatur, diversas hac de re sententias catholicorum ob oculos ponamus. Quatuor sunt:

*Prima* docet in æquali opinionum probabilitate, id est in dubio, eligendam esse opinionem, quæ stat pro lege: v. g. dubitas æque probabilibus hinc inde rationibus, num votum emiseris? teneris de voto; quia illud servare tutius est. Ita Antoine, Alasia, Concina, Patuzzi, etc.

*Secunda* sententia tenet, eo in casu eligi posse opinionem quæ favet libertati; ideo nullam prædicti voti adesse obligationem. Ita Alphonsus noster.

*Tertia* sententia probat licitum esse sequi partem minus tutam, quæ scilicet stat pro libertate, modo tamen sit vere probabilis; licet contraria opinio pro lege sit æque probabilis, imo probabilior. Unde non teneris in allato exemplo ad votum, si sit probabile quod non voveris, licet appareat probabilius ex alia parte quod voveris. Ita Voit, innumerique alii: quorum tamen fere omnes nobiscum conveniunt in re, etsi nou in verbis; ut enim patet eorum Opera volvendo, non ita facile excludunt opinionem probabiliorum, si ea talis sit, quam nos exposuimus, nempe *certe, sine ulla hæsitacione et notabiliter probabilior*. Si enim non nisi levis sit præponderantia neque a nobis attenditur: et en, quo sensu S. Alphonsus in suis Dissertationibus de usu probabilis tuetur, *licitum esse sequi opinionem probabilem in concursu probabilioris, modo illa gravi motivo nitatur sive intrinseco scilicet ratione, sive extrinseco nempe ex auctoritate Doctorum*.

*Quarta* demum sententia distinguit inter legem positivam et legem naturalem, ubi agitur de malo intrinseco: si dubium hinc inde æquale versetur circa legem positivam, annuit Liguorio nostro dicendi: *Lex dubia non obligat*; non ita vero si dubium illud sit circa legem naturalem. Hanc opinionem primus induxit auctor libri ipsa S. Alphonsi ætate Napoli editi cum titulo: *Dissertazioni sul diritto naturale* (tom. II, dissertazione 6, n. 6). Sed Sanctus noster non probat ullo modo eam distinctionem, ut patet ex pluribus sui Operis locis, in quibus suum principium universim defendit tam pro lege naturali, quam pro lege positiva. *Vid.* lib. III, n. 172, 177, 187, 224, 226, 568, 574, 408, 450, 441, 478, 520, 562, 569, 571, 620, 629, 700, 705, 705, 760, 770, 790, 817, 829, 862, 968, 980. — Lib. IV, n. 216, 252, 270, 274. — L. V, n. 76, 77. — L. VI, n. 905, 906, 909, 940, 941, 950, ecc. V. Fedelini, S. Alphonsus a Liguorio se ipsum vindicans *Dissertatio*. Veronæ. — Item legendus E. Avogadro, *Saggio su Socialismo*, ecc., t. II, pag. 401. Torino 1854.

## (V) Page 96.

159. Etiam concedendo quod contendunt probabilioristæ, in dubiis nempe omnibus semper standum pro lege; non tamen ita facile est demonstrare id securius et tutius esse. Qui enim hanc imponit obligationem, exponit hominem periculo peccati formalis, quia docet experientia contingere sæpius ut miseri homines hac audita doctrina, credant vel saltem dubitent inesse culpam mortalem ubi non est: sicque rerum difficultate victi, ex erronea conscientia mortaliter peccent et damnentur. Quapropter celeberrimus card. Pallavicini sic scribit: *Si induceretur opinio, quod semper teneremur facere actionem, quæ securior est etiam a transgressione materiali, hæc opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo subsequentis transgressionis formalis: quare tutior est opposita.* Unde in responsio ad difficultatem: *Multa sunt quæ tutius est facere, sed simul etiam tutius est non se credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter constet de tali obligatione.*

Brevius rem solvit noster auctor sic inquit: « Mais donnons, en l'abrégéant, une réponse suffisante qui ferme la bouche à tous. Je demande: Qu'exige en somme la règle des Canons? *In dubiis pars tutior eligenda est.* Bien: donc tout autant que la conscience est dans le doute (*in dubiis*), elle ne peut agir sans remords et sans péché. Mais la règle mentionnée s'applique-t-elle lorsque l'homme avec un principe réfléchi se forme un dictamen pratique moralement certain? Il sort alors du doute et des termes dont parle le texte cité, et on ne peut lui dire qu'il soit *in dubiis*. » (V. *Apolog. e Confut.*, vol. I.) — V. etiam clar. Taparelli in suo opere, *Saggio teoretico di diritto naturale, ecc.*, § 262.

## TRACTATUS SECUNDUS

DE LEGIBUS GENERATIM ET ECCLESIAE  
PRÆCEPTIS

Ab illa morum regula quam proximam vocant et internam, nobis panditur via ad externam et remotam; videlicet Tractatum *De Conscientia* alter sponte sequitur *De Legibus et Ecclesiae Præceptis*.

## DISPUTATIO PRIMA

## DE LEGIBUS GENERATIM

## CAPUT PRIMUM

## DE LEGIS NATURA GENERATIM ET EJUS DIVISIONE

160. Q. 1. *Quid est lex generatim accepta?*

R. Lex generatim accepta suum, ut sentit Angelicus, nomen habet a *ligando*; quia proprium munus est legis cujuscumque subditos quasi ligare atque obstringere ad aliquid faciendum vel omittendum. Augustinus vero cum Tullio eam ab *eligendo* appellari voluit, eo quod unicuique ostendat quid eligendum sit. Potest autem lex definiri: *Regula agendorum vel omittendorum.* Sed melius definitur cum S. Thoma: *Quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*<sup>1</sup>.

161. Dicitur 1. *ordinatio*, id est præscriptio, et in hoc

<sup>1</sup> 1, 2, q. 90, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 90; *Homo Apost.*, tract. II, n. 1.

## (V) Page 96.

159. Etiam concedendo quod contendunt probabilioristæ, in dubiis nempe omnibus semper standum pro lege; non tamen ita facile est demonstrare id securius et tutius esse. Qui enim hanc imponit obligationem, exponit hominem periculo peccati formalis, quia docet experientia contingere sæpius ut miseri homines hac audita doctrina, credant vel saltem dubitent inesse culpam mortalem ubi non est: sicque rerum difficultate victi, ex erronea conscientia mortaliter peccent et damnentur. Quapropter celeberrimus card. Pallavicini sic scribit: *Si induceretur opinio, quod semper teneremur facere actionem, quæ securior est etiam a transgressione materiali, hæc opinio non esset tutior, sed maxime exposita periculo subsequentis transgressionis formalis: quare tutior est opposita.* Unde in responsio ad difficultatem: *Multa sunt quæ tutius est facere, sed simul etiam tutius est non se credere obligatum ad ea faciendam, nisi moraliter constet de tali obligatione.*

Brevius rem solvit noster auctor sic inquit: « Mais donnons, en l'abrégéant, une réponse suffisante qui ferme la bouche à tous. Je demande: Qu'exige en somme la règle des Canons? *In dubiis pars tutior eligenda est.* Bien: donc tout autant que la conscience est dans le doute (*in dubiis*), elle ne peut agir sans remords et sans péché. Mais la règle mentionnée s'applique-t-elle lorsque l'homme avec un principe réfléchi se forme un dictamen pratique moralement certain? Il sort alors du doute et des termes dont parle le texte cité, et on ne peut lui dire qu'il soit *in dubiis*. » (V. *Apolog. e Confut.*, vol. I.) — V. etiam clar. Taparelli in suo opere, *Saggio teoretico di diritto naturale, ecc.*, § 262.

## TRACTATUS SECUNDUS

DE LEGIBUS GENERATIM ET ECCLESIAE  
PRÆCEPTIS

Ab illa morum regula quam proximam vocant et internam, nobis panditur via ad externam et remotam; videlicet Tractatum *De Conscientia* alter sponte sequitur *De Legibus et Ecclesiae Præceptis*.

## DISPUTATIO PRIMA

## DE LEGIBUS GENERATIM

## CAPUT PRIMUM

## DE LEGIS NATURA GENERATIM ET EJUS DIVISIONE

160. Q. 1. *Quid est lex generatim accepta?*

R. Lex generatim accepta suum, ut sentit Angelicus, nomen habet a *ligando*; quia proprium munus est legis cujuscumque subditos quasi ligare atque obstringere ad aliquid faciendum vel omittendum. Augustinus vero cum Tullio eam ab *eligendo* appellari voluit, eo quod unicuique ostendat quid eligendum sit. Potest autem lex definiri: *Regula agendorum vel omittendorum.* Sed melius definitur cum S. Thoma: *Quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*<sup>1</sup>.

161. Dicitur 1. *ordinatio*, id est præscriptio, et in hoc

<sup>1</sup> 1, 2, q. 90, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 90; *Homo Apost.*, tract. II, n. 1.

differt lex a consilio; — 2. *rationis*, id est secundum *rectam* rationem; quia hæc ordinatio debet *rectæ* rationi congruere: alioquin non esset homine digna, utpote deficiens a *rectitudine*. Imo tunc non haberet rationem legis, sed magis *violentiæ* *cujusdam*; — *ad bonum commune* tamquam ad *suum* objectum; quia lex intuetur in *societatis* conservationem, in *pacem* publicam, in *delictorum* coercionem, in *litium* et *controversarium* extinctionem, et in alia similia quibus *bonum commune* continetur; — 4. *ab eo qui curam* *communitatis* habet; cum enim *leges* ferre sit *actus* *jurisdictionis* ac *superioritatis*, illæ dari non possunt, nisi ab eo, qui tali *auctoritate* potitur, seu a *communitatis* superiore; — 5. *promulgata*, quia *promulgatio* pertinet ad *legis* naturam, vel saltem est *ejus* *necessaria* conditio: secus frustra constitueretur, cum impleri non possit quod nullimode innotescit.

162. Q. 2. *An idem sit lex et præceptum?*

R. Lex et præceptum, etsi aliquando indistincte accipiuntur, differunt tamen sicut *genus* a *specie*; nam *omnis* *lex* est etiam *præceptum*, sed non *omne* *præceptum* est *lex*. Quod dupliciter autem *lex* differt a *præcepto* seu *mandato*:

1. *Lex* fertur a *persona* *publica* in *totam* *communitatem*. *Præceptum* vero a *persona* *quidem* *superiore*, sed *vel* *privata* in *personas* *privatas*, uti *dominus* cum *servo*; *vel* etiam *publica*, sed *agente* cum *personis* *privatis* et *singularibus*, uti *Princeps* cum *aliquo* e *suis* *subditis*, aut cum *aliquo* *particulari* *cœtu*.

2. *Lex* etiam ad  *futuros* extenditur, *præceptum* e *contrario* non *complectitur*, nisi *præsentes*. Ratio est: *lex* *lata* est *pro* *communitate*, quæ *semper* *durat*, licet *membra* *ejus* *variantur*; unde *patet* etiam  *futuros* *homines* *obligare*, nempe *statim* ac *incipiunt* esse  *partes* *communitatis*. At cum *præceptum* *adhæreat*  *personæ* *singulariter* *determinatæ*,  *persona* *extincta*, et *præceptum* *extingui* *debet*.

3. *Lex* per se *perpetua* est, et *vivit* etiam  *legislatoris* *suo* *defuncto*; *præceptum* vero *expirat*  *ipsa* *morte* *præipientis*: v. g. si *superior* *alicui* *particulari* *prohibuisset* *egredi* *sine* *licentiâ* e *Diœcesi*, *superiore* *mortuo*, *cessaret* in *posterum* hæc *contra* *illum* *lata* *prohibitio*. E *contrario*, si per *legem*

*generalem* id *omnibus* *subditis* *prohibuisset*, etiam *superiore* *mortuo*, *lex* in *suo* *robore* *permaneret*.

4. *Lex* *immediate* *afficit* *territorium*, in *quo* *promulgatur*, *mediate* vero *personas* in *eo* *degentes*; *præceptum* ex *adverso* *afficit* *immediate* *ipsas* *personas*, *iisque* *firmiter* *inhæret*. Ita si *Sacerdos* *fuerit* a *suo* *Superiore* *suspensus*, hæc *pœna* *eum* *comitatur* etiam in *aliena* *Diœcesi*, neque potest in *ea* *celebrare*. E *contrario* si per *edictum* *generale* in *sua* *Synodo* *Episcopus* *suo* *Clero* *prohibuisset* *ingredi* *liquorum* *officinas* (vulgo *cafés*) *sub* *excommunicatione* *latæ* *sententiæ*, *hanc* *pœnam* *non* *incurreret* *Clericus*, qui *eas* *ingrediatur* *extra* *Diœcesim* *suam* (A).

Q. 3. *Quænam* *sunt* *legis* *causæ*, *actus* *et* *effectus*?

163. R. Ad 1: *causa* *legis* *multiplex*: *efficiens*, *materialis*, *formalis* et *finalis*. *Causa* *legis* *efficiens* est qui *communitati* *præest*; *materialis* est *quidquid* a *lege* *præcipitur*; *formalis* *sunt* *verba* *legis*, quibus *nempe* *ea* *exprimitur*; *dum* *causa* *finalis* est *bonum* *commune*, ob *quod* *fertur* *ipsa* *lex*: *finis* *legis* *est* *bonos* *homines* *facere*, ait *Angelicus* ex *Aristotele*<sup>1</sup>: *quod* *multis* *probat* *Suarez*.

164. R. Ad 2: *legis* *actus* *quadruplex* est, qui *hoc* *versu* *continetur*:

*Præcipit* ac *prohibet*, *permittit*, *denique* *punit*

Nempe *vel* *actus* est ex *suo* *genere* *bonus*, et *lex* *imperat*; *vel* est ex *suo* *genere* *malus*, et *prohibet*; *vel* *indifferens*, et *permittit*; quæ *quidem* *permissio* est *virtualiter* *præceptiva*, quatenus *præcipit*, ne *actus* *impediatur* *feri*. Ut *autem* *sibi* *obediatur*, *lex* *pœnam* *sancit* *non* *obtemperantibus*, et *ideo* *ponitur* *illud* *punit*. Alii *quintum* *actum* *recessent*, qui est *præmio* *afficere*: sed *illum* *excludit* *Angelicus*, quia *hoc* *potest* *ad* *quemlibet* *pertinere*; *sed* *punire* *non* *pertinet* *nisi* *ad* *ministerium* *legis*<sup>2</sup>, *gravi* *nempe* *pœna*, quæ a *criminibus* *efficaciter* *retrahat*.

165. R. Ad 3: *legis* *effectus* est *duplex*, *obligatio* *subditorum* et *eorum* *bonitas*: 1: *subditorum* *obligatio*; cum

<sup>1</sup> 1, q. 92, a. 1. — <sup>2</sup> 1, 2, q. 92, a. 2.



conciipi nequeat jus imperandi in superiore sine necessitate obligationis in subdito. Hinc illud: *Decretum necessitatem facit*<sup>1</sup>; 2: subditorum bonitas: si enim subditus fideliter sectetur quæ lege continentur, esse nequit quin et ipse conducat ad bonum societatis et bonus civis evadat.

166. Omne autem legis præceptum vel affirmativum est, vel negativum: 1<sup>um</sup> obligat ad actum bonum eliciendum, v. g. ad eliciendum actum amoris in Deum; 2<sup>um</sup> obligat ad omittendum actum malum, v. g. ad omittendum actum odii in Deum. — Præceptum affirmativum dicitur *obligare semper*; quia actus præceptus eliciendus est quoties advenerit tempus statutum. Sed non dicitur *obligare pro semper*; quia actus ille quamvis eliciendus sit temporibus statutis, non tamen eliciendus est tempore omni; cum sit onus importabile, quod homo semper agat. E contrario præceptum negativum dicitur *obligare semper, et pro semper*; quia actus malus nunquam est faciendus, imo tempore omni est omittendus, quod utique fieri potest<sup>2</sup>.

167. Q. 4. *Quomodo dividitur lex?*

R. Prima et generalis legis divisio est in legem æternam, naturalem, divinam, positivam et humanam. Quod sic explicatur: duplex est hominis societas; una cum Deo O. M. a quo conditus est; altera cum hominibus quibuscum dies et vitam agit. Ad utramque porro conservandam et fovendam quadruplex illa necessaria lex est: 1. *æterna* in ipso Deo, qua velit hominem numquam ab ordine deflectere; 2. *naturalis* in homine, qua ipsi intimetur et nota fiat illa Dei voluntas; 3. *divina positiva*, qua homo ad finem supernaturalem,

<sup>1</sup> Gratianus, *Dist. iv, c. vi, Decr. I<sup>a</sup> pars.*

<sup>2</sup> Omnia fere legis præcepta etsi secundum expositionem videantur esse vel tantum affirmativa vel tantum negativa, prout vel aliquid præcipiunt simpliciter, vel prohibent; attamen in se includunt utrumque. Sic præceptum dilectionis proximi secundum formam affirmativum est, implicat tamen etiam negativum præceptum: ut affirmativum obligat ad proximum amandum, et ei succurrendum juxta illud *Joann. 1, c. 11: Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*; uti negativum vetat odium ceterosque actus amoris benevolentiae contrarios juxta regulam a Deo Tobie datam (c. 14): *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* — V. A. Goritia et Charmes.

ad quem conditus est, certo dirigatur; 4. *humana*, qua procuretur omne, quo pax humana et publicus ordo conservari valeat et promoveri: simulque avertatur quidquid pacem illam queat perturbare et illum ordinem subvertere<sup>1</sup>.

## CAPUT SECUNDUM

### DE LEGE ÆTERNA, NATURALI ATQUE DIVINA POSITIVA

168. Q. 1. *Quid est lex æterna?*

R. Divo Augustino sic placuit legem æternam definire: *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*<sup>2</sup>. Nempe Deus a tota æternitate vidit, et statuit ordinem, quem unaquæque res suæ naturæ consentaneum requirebat: at Deus ex Apostolo *negare se ipsum non potest*<sup>3</sup>; et ideo ordo ab æterno constitutus velle debet, ut perpetuo immutabilis conservetur.

Legis æternæ existentia, mentem vix convertendo in præcipua Dei attributa, demonstratur. Si enim Deus est *summa Bonitas*, necessario debet bonum diligere et malum aversari. Si est *summa Justitia*, non potest non probare quæ æqua sunt, et non improbare quæ sunt iniqua. Si est *summa Veritas*, necessario veritatem amore, mendacium odio prosequi debet. Uno verbo si est *summa Sapientia*, ordinem ex vi suæ naturæ in deliciis habere, perturbationem vero detestari tenetur. Hæc autem omnia Deus respueret, nisi lex æterna admitteretur; cum non sit lex æterna, nisi ipsa *Dei voluntas ordinem naturalem conservari jubens, et perturbari vetans.*

Ergo si hæc in Deo voluntas non admitteretur, ipse jam

<sup>1</sup> Neque dicas hæc omnia jam a lege naturali satis præscribi; nam omnia hæc lex naturalis singulariter non præscribit: quæ autem præscribit, non omnia præscribit modo evidenti et qui ab omnibus facile percipi possit. Adde nihil obstare, quod vinculo vinculum addatur. Adde sic efficacius homines impelli ad observantiam mandatorum, videlicet temporalibus pœnis, quas lex humana adnexas habet.

<sup>2</sup> Ep. xxii, *Contra Faust.*, c. xxix. — <sup>3</sup> II Tim. ii.

esset dicendus nec bonum diligere, nec malum aversari, nec probare quæ æqua sunt, nec improbare quæ sunt iniqua, nec veritatem amore, nec mendacium odio prosequi; uno verbo nec ordinem in deliciis habere, nec detestari ejusdem perturbationem: quæ de Deo pronuntiare animus noster horret. Hoc idem agnovit vel ipse gentilis Tullius aïens: *Legem æternam ortam esse simul cum mente divina (B)*<sup>1</sup>.

169. Q. 2. Quid est lex naturalis?

R. Legem naturalem sic cum Angelico definimus, ut sit *participatio legis æternæ in rationali creatura, dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum*<sup>2</sup>.

Dicitur: 1. *Participatio legis æternæ*; quia ipsa lex naturalis a lege æterna dimanat, et idem utraque jubet et vetat: utraque jubet quæ sunt ordinatissima, et vetat quicquid ab ordine immutando deflectit. Naturalis nuncupatur, quia ipsam hominis naturam afficit, et videtur a Deo naturæ auctore manu quasi sua cordibus nostris insculpta: et ita inhæret, ut homo sine illa nequeat omnino concipi, dicente Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiã in corde meo*<sup>3</sup>; — 2. *In rationali creatura*, et ita distinguitur a lege generali, qua omnia creata reguntur; — 3. *Dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum quod est intrinsece malum*: illud autem est intrinsece bonum quod est conforme, et illud intrinsece malum quod est difforme legi æternæ; adeo ut sine hac lege nihil esset bonum, vel malum secundum se.

170. Lex naturalis nobis necessaria est. Nos intellectu et appetitu rationali constamus: ut verum a falso, bonum a malo

<sup>1</sup> Lib. II, *De Leg.* — <sup>2</sup> 2, q. 91, a. 2; et q. 95, a. 1.

<sup>2</sup> Ps. iv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 101. Dices: « Si le droit provenant de la nature n'entraîne pas une véritable obligation, mais si toute notre obligation dépend de la volonté de Dieu, il n'y a alors plus d'actions morales intrinsèquement vertueuses ou vicieuses; toutes sont ainsi, parce qu'elles sont commandées ou défendues par la volonté arbitraire de Dieu. Mais nous répondons que les actions commandées ou défendues par la loi divine naturelle sont intrinsèquement bonnes ou mauvaises, parce qu'elles sont commandées ou défendues nécessairement par Dieu. » — Ita Liguori, *Apol. 5 ad Append.*

secernamus, intellectum habemus; ut autem quæ honesta sunt et æqua sectemur, habemus appetitum rationalem. At quomodo recte ac semper utrumque præstare possemus, si perpetua aliqua nobis ratio non adesset a firmissimis naturæ judiciis deducta? Si id ab hominum placitis penderet, nihil esset stabile: ac frustra quis hominem in homine quæret. Si *populorum jussis* (ait Tullius), *si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere; si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur*<sup>1</sup>.

171. An (quæres) lex naturalis certa sit et existat?

R. Legis naturalis existentiam vel ipsi perditii homines admittant necesse est; cum nemo possit negare se ipsum. Quisquis enim ad se paululum attendat, illico sibi inesse intelligit (etiam post Adæ peccatum) principia quædam, quæ ineluctabiliter assensum ad bonum extorquent: *Justitiæ tanta vis est, ut ne illi quidem* (ait Tullius), *qui maleficio aut scelere pascuntur, possint sine ulla justitiæ particula vivere*<sup>2</sup>. Hinc Apostolus: *Cum... gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt... ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum*<sup>3</sup>.

Ex his patet, quam gravis sit legis naturalis transgressio; qui enim ipsam violat, insurgit *contra* conscientiam suam, quæ fortiter pulsatur; *contra* Deum, quem ignorare non potest illius esse auctorem. Unde ex eodem Apostolo transgressores dicuntur *digni morte*; et in hac morte potest dici positam esse legis naturalis *sanctionem*<sup>4</sup>. Hujus autem legis præcepta exhi-

<sup>1</sup> L. I, *De Legib.*, c. xv. — V. Gerdil, *Principes métaphysiques de la Morale chrétienne*, l. III; it. *Dell'origine del senso morale*, § 5. — Gemmensis, *De Lege naturæ*, diss. II. — Divus Thomas, *Contra gentes*, c. cxxix.

<sup>2</sup> *De Offic.*, l. III, c. ix. — <sup>3</sup> Rom. II.

<sup>4</sup> Rom. I. Sanctio seu constitutio pœnæ in transgressores est de omni lege; nam lex imponendo necessitatem virtutis, consequenter facit, ut ejus transgressores pœna sint digni, saltem apud Deum. — V. Suarez, *De Legibus ac Deo legislatore*, l. I, c. xvi. — Alasia, *De Legibus*, dissert. II, c. XI, a. 5.

bet Decalogus, qui solet definiri: *Lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in duabus tabulis inscripta, et per manus Moysis Hebraico populo data. Ad dicitur et divina; quia legem illam hominum moribus deturpatam iterum positive instauravit Deus per Moysen, ut sic cito ab omnibus et sine errore cognosceretur*<sup>1</sup>. Ergo merito Tridentinum anathemate percussit Lutherum, qui docuit *decem præcepta nihil pertinere ad christianos*<sup>2</sup>. Nam præterquam quod Christus ea confirmavit<sup>3</sup>, omnibus illa conveniunt; cum in hominis ipsius natura fundata sint, si una excipiat determinatio diei sabbati quoad sanctificationem festorum. — Exhibent hi versus:

*Unum cole Deum. Nec jures vana per Ipsum.  
Sabbato sanctifices. Habeasque in honore parentes.  
Ne sis occisor; mæchus; fur; testis iniquus.  
Non cupias nuptam. Non rem cupias alienam.*

172. Sed (quæres) an lex naturalis præcedat libertatem, an potius eam subsequatur? — Lex naturalis duplici ratione potest considerari: tum ratione suæ originis, quam habet a Deo, tum ratione suæ obligationis, qua refertur ad hominem. Si 1, certe lex naturalis est anterior libertate hominis, eamque præcedit, quatenus nempe ab æterno fuit constituta. Si 2, lex naturalis est in tempore posterior libertate hominis eamque subsequitur, quatenus nempe hæc lex non promulgatur, sive non significatur in sua vi et in suis præceptis, nisi homini jam condito in propria libertate secundum illud: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata et præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te*<sup>4</sup>. Ergo prius homo fuit constitutus in manu consilii sui, et postea eidem adjecta fuere præcepta Dei; et sane prius est esse quam esse tale.

173. Quod dictum est de lege naturali, idem valet de lege æterna, de qua lex naturalis participat. Nempe lex æterna præcedit quidem libertatem hominis *prioritate temporis*, non vero *prioritate ordinis* seu *applicatione*: licet enim in Deo non adsit neque prius neque posterius ratione temporum, quia temporis successio in ipso admitti non potest; adest tamen saltem juxta nostrum concipiendi modum ratione ordinis in decretis divinis. Sic prius esse debuit ratione ordinis in Deo

<sup>1</sup> Exod. xx. — <sup>2</sup> Sess. vi, can. 19. — <sup>3</sup> Matth., xix.

<sup>4</sup> Eccl. xv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 88 et seqq.

prævidisse in propria sapientiâ hominis lapsum, et *posterius* in propria misericordia determinasse ejus redemptionem. Hæc porro ordinis ratio habetur etiam in casu nostro: prius nempe dici debet Deus sibi proposuisse hominem conditum et liberum a quocumque vinculo legis, *posterius* vero sibi proposuisse legem ipsi tradendam. Quod clare innunt citata verba Ecclesiastici, quibus aperte declaratur, hominem *ab initio* fuisse constitutum a Deo, atque relictum in *manu consilii sui*; deinde vero ei fuisse *adjecta mandata* (C).

174. Q. 5. An lex naturalis obliget omnes omnino homines, et illa universalis sit?

R. Legem naturalem obligare omnes homines etiam pueros rationis usu pollentes, patet ex eo, quod omnibus, nemine excepto, ea lex a Deo insculpta sit, et in ipsa hominis essentia suum habeat fundamentum. Hinc gravissime erravit Macchiavellus, quando sic Principem suum allocutus est<sup>1</sup>: *Sæpe res et publicum bonum te cogunt fidem lædere, charitatem et humanitatem cum Religione negligere*. Numquid enim bonum publicum separari unquam poterit a legis justitia, a charitate, ab humanitate, a Religione? Hæc vero obligatio legis naturalis est cum quocumque damno et incommodo; hæc enim lex non præcipit aut prohibet, nisi quod est intrinsece bonum vel malum, quodque proinde in se semper est idem. — Obligat autem independenter a lege divina scripta seu revelata; inquit enim Apostolus: *Quicumque sine lege (scripta) peccaverunt, sine lege peribunt*<sup>2</sup>; id est peribunt propter peccata contra legem naturalem patratam: ergo lex naturalis obligat independenter a lege divina scripta. Si aliter esset, homines in statu legis naturæ sine legis ullius obligatione remansissent, saltem usque ad cognitam legis scriptæ promulgationem per Moysen factam: quod quidem dicere est absurdum (D).

Diximus *pueros rationis usu pollentes*; si enim rationis usum non haberent, non peccarent contra facientes; cum non agerent libere. Attamen peccaret qui hosce pueros, vel amentes induceret ad ebrietatem, ad venerea, ad furtum, homicidium et alia intrinsece mala, utpote causa moralis, et

<sup>1</sup> L. II Principe, c. xviii. *Opus prohib.* — <sup>2</sup> Rom. ii.

libera; et aliunde in pueris etiam et perpetuo amentibus lex naturæ habitualiter inhæret. Idem videtur dicendum de illo qui eos inducit ad blasphemias; esto quod illas proferre mere narrative non sit intrinsece malum: sed hic proferuntur enuntiative ex parte inducentis; si enim illa verba considerentur simul cum voluntario influxu illius qui ad ea proferenda impellit, proferuntur ab amente modo significativo. Prout quisque judicaret se lædi, si de ipso amens ab alio inductus proferret verba detractoria: tunc sane actio tribuitur principali agenti, qui alterius opera utitur quasi instrumento<sup>1</sup>.

Si autem lex naturalis obligat omnes, patet quod ipsa universalitate pollet (saltem quoad prima principia communia). Hoc constat ex consensu omnium populorum, qui licet barbari, inculti, corrupti; tamen prima rationis principia omnes semper uno ore professi sunt. Ad rem Augustinus: *Numquid lex naturalis non erat in populo Israel? erat plane, quoniam et ipsi homines erant: sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent*<sup>2</sup>.

175. Q. 4. *An lex naturalis ita perspicua sit, ut nequeat ignorari?*

Ut hæc quæstio plenius intelligatur, præmittendum legis naturalis præcepta alia esse *primaria*, alia *secundaria*, alia *remota*. Præcepta primaria sunt quæ primo intuitu, et sola quasi verborum expositione innotescunt; et sunt eadem apud omnes et *secundum rectitudinem* (verba sunt Angelici) *et secundum notitiam*: v. g. *alteri ne feceris, quod tibi fieri nolis; Deus est diligendus, virtus amanda*<sup>3</sup>. Secundaria vero dicuntur, quæ a primariis immediate et evidentè deducuntur, quemadmodum certe sunt omnia præcepta Decalogi. Remota, quæ ope ratiocinationis a principiis primariis deducuntur, ut sunt plurimæ quæstiones morales hinc inde disputatæ. Quo posito:

R. 1: Consentiant Theologi non dari ignorantiam invin-

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 155. — <sup>2</sup> In Ps. cxviii, *Serm.* xxv.

<sup>3</sup> 1, 2, q. 91, a. 4.

cibilem circa legis naturalis præcepta primaria, et secundaria in semetipsis spectata (nisi forsitan aliquando in rudibus omnino ad breve tempus). Nam, uti ait Suarez, *natura ipsa ac conscientia ita pulsant in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari*. Diximus in *semetipsis spectata*; quia si cum quibusdam circumstantiis conjungantur apparenter a peccato excusantibus, ignorari poterunt etiam invincibiliter. Sic v. g. invincibiliter ignorari non potest furtum in se spectatum esse illicitum; sed contingere potest, ut quis bona fide sibi persuadeat illud esse licitum, quando agitur de egeno hic et nunc sublevando, quamvis non sit constitutus in extrema necessitate.

R. 2: Si agatur de præceptis remotis, unanimis sententia est cum D. Thoma, ignorantiam invincibilem circa eadem dari posse: *Necesse est, ait, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimode. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda... Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda, et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientibus instruantur*<sup>4</sup>. Rudes ergo indigent instructione, ut præcepta juris naturæ remota addiscant; ergo ea possunt invincibiliter ignorare. Imo hæc ignorantia dari potest in viris doctis et piis: argumento sit controversia qua Angelicus Doctor S. Thomas, et Doctor Seraphicus S. Bonaventura disputant, an iudex damnare possit reum juridice convictum, quem tamen scientia privata certo scit innocentem? Affirmat primus; inficiatur secundus. Alteruter errat profecto: uterque tamen dicendus est omnia per se fecisse ad veritatem agnoscendam<sup>5</sup>.

176. Quando autem ignorantia (licet sit juris naturalis) est invincibilis, est etiam inculpabilis; nam, dicente Augustino, *quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest*<sup>6</sup>? Hinc illa

<sup>4</sup> 1, 2, q. 100, a. 1.

<sup>5</sup> V. *Dissertatio* S. Alphonsi de Liguori in *Op. Mor.*, l. I, nn. 170 et seqq., ubi scite pro more suo quæstionem resolvit auctor eruditissimus.

<sup>6</sup> *De Lib.*, l. III, c. xviii, n. 50.

Baii propositio sub n. 2 damnata est ab Alexandro VIII: *Tumetsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Neque hæc ignorantia nobis est in Adamo voluntaria et culpabilis, ut falso autumant Lutherani, Calvinistæ, Baianistæ et Jansenistæ; nam per gratiam regenerationis ex Tridentino tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet<sup>1</sup>; quod tamen verum non esset, si adhuc ignorantia illa esset culpabilis.

177. An (quæres) detur ignorantia invincibilis in obligationibus proprii status vel officii? — Negative; qui enim cuiuspiam statui se mancipat uti ecclesiastico aut religioso, vel qui aliquod munus suscipit obeundum uti iudicis, medici, notarii, advocati, magistri, ducis, principis, confessarii, episcopi, etc., eo ipso tenetur illius status aut officii obligationes callere, vel in iis instrui. Et qui eas ignorat, negligens instrui, aut ne deinceps teneatur eas observare aut ob voluntariam negligentiam, ejus ignorantia peccaminosa semper erit, atque errores quos cum tali negligentia deinde patraverit, omnes culpabiles erunt, etiamsi in iis perpetrando actualem advertentiam de malitia non habeat: eo enim quod talem statum susceperit, ad obligationem se instruendi jam satis advertit<sup>2</sup>.

178. Q. 5. An lex naturalis sit indelebilis?

R. Utique indelebilis est lex naturalis: *Quantum* (ait Angelicus) *ad principia communia lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passio-*

<sup>1</sup> Sess. v, can. 5. — V. Bouvier, *De Actibus humanis*, c. 1, sess. III. — Sed præ ceteris eximius liber *De Peccatis ignorantiae, sive questio Theologica. an insuperabilis ignorantia juris naturæ liberet a peccato.* Auctore Christiano Alethino. Coloniae, 1681.

<sup>2</sup> F. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 170. — Si quis tamen in suo munere sufficienter se curaverit instrui, et nihilominus in re quapiam erraverit quæ munus suum respiciat, non ob negligentiam, sed ob invincibilem ignorantiam vel inadvertentiam, a culpa liber erit.

*nem*<sup>1</sup>. Ratio autem est: cum lex naturæ sit hominibus ingenita et innata, non potest funditus deleri, quin ipsa hominum natura deleatur. Hinc D. Augustinus sic Deum alloquitur: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas*<sup>2</sup>. Quod est conforme sacræ Scripturæ, quæ legem naturalem vocat *sedes sempiternum*<sup>3</sup>.

179. Q. 6. An in legem naturalem contingat mutatio vel dispensatio?

R. Strictè loquendo, ne divina quidem auctoritate, potest in juris naturalis præcepta contingere mutatio aut dispensatio:

Non 1, *mutatio*: hæc enim esse non potest, nisi vel abrogatione per quam lex obliteretur atque tollatur, vel derogatione per quam ipsi quidpiam detrahatur; atqui neutrum in lege naturæ admitti potest. Ut enim in ea admittatur abrogatio vel derogatio, oportet quæ ipsa præcipit, in toto aut in parte fieri vel noxia vel inhonesta, vel saltem minus utilia; illa autem quæ prohibet, evadere vel bona vel minus mala vel indifferentia: atqui id nunquam contingere potest. Sane lex naturæ non præcipit, nisi quod est intrinsece honestum et bonum; nec prohibet nisi quod est intrinsece inhonestum et malum, quodque tandiu erit malum in omni sua parte, quamdiu perdurabit ipsa ratio Sapientiæ æternæ; ergo lex naturalis omnem respuit tam abrogationem, quam derogationem, ac proinde mutationem<sup>4</sup>.

Neque 2, contingere potest *dispensatio*: etenim quid aliud est dispensare in lege, quam aliquem liberare ab obligatione legis ejusdem, manentibus tamen omnibus circumstantiis, sub quibus lex viget et obligat? atqui in lege naturali ne Deus quidem id agere potest. Absit enim ut dicamus posse Deum permittere, ut quis agat quod sit intrinsece malum et inhonestum, v. g. ut quis Deum ipsum odio atque blasphemiis prosequatur; vel ut quis omittat quod ex natura rei necessarium est ad morum honestatem, et cujus omissio dedecet naturam rationalem, v. g. ut quis

<sup>1</sup> 1, 2, q. 94, a. 6. — <sup>2</sup> L. II *Conf.*, c. IV. — <sup>3</sup> Isa., XXIV.

<sup>4</sup> V. D. Thomas, 1, 2, q. 100, a. 8.

omittat Deum amare et eundem colere. De hac lege perbellè ait Tullius: *Nec erit alia Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore una lex et sempiterna et immortalis continebit, unusque erit quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspèrnat*<sup>1</sup>.

Diximus *stricte loquendo*; quia divina auctoritas in iis, quæ ejusdem subjiciuntur imperio neque in rerum essentiis fundantur, potest, justa interveniente causa, circumstantias mutare, sicque efficere, ut obligatio ante existens evanescat et relaxetur. Quod esset quidem in legis naturalis præceptis aliquo modo dispensare, sed improprie prorsus et indirecte. Sic v. g. cum Deus sit supremus rerum omnium Conditor, ac vitæ hominum eorumque honorum Dominus, potuit præcipere Abrahamo, ut filium sibi suum sacrificio immolaret: permittere Hebræis, ut vasa Egyptiorum mutuo accepta non amplius restituerent, in ipsos nempe transferendo dominium<sup>2</sup>.

180. Q. 7. *Quid est lex divina positiva?*

R. Lex divina positiva defini potest: *Lex exterius data a Deo hominem dirigens ad finem supernaturalem*. Dicitur: 1. *lex exterius data*, ut distinguatur a lege naturali; hæc enim datur interius per lumen rationis: illa vero manifestatur exterius per sacras Scripturas et per divinas Traditiones: ideo appellatur etiam *positiva*, quasi exterius sub oculis posita; 2. *a Deo*, ut distinguatur a lege humana, quæ fertur ab homine: 3. *hominem dirigens ad finem supernaturalem*, quia sicut lex naturalis ducit hominem ad finem

<sup>1</sup> Lib. III, *De Rep.*

<sup>2</sup> Hoc modo sustinentur etiam relaxationes a SS. Pontificibus tribuæ circa vota, juramenta, etc., quæ tamen essent de jure naturæ servanda. Nempe Pontifex divinæ interpretis voluntatis declarat, hanc vel illam causam sufficientem esse, ut a Deo remittatur contracta obligatio; hanc vel illam causam ita rem mutare, ut honestum evadat quod prius deformis erat. Seu, ut ait S. Thomas, *determinat quid sit Deo acceptum in ea speciali circumstantia* (2, 2, q. 88, a. 12). — V. Liguori, *Op. Mor.*, 1. 1, n. 189.

naturalem; ita lex divina positiva eundem ducit ad finem supernaturalem et felicitatem æternam.

Lex divina positiva est in rebus moralibus necessaria:

1. Relate ad ordinem supernaturalem; quia homo ad hunc ordinem conditus, indiget lege eidem proportionata. Neque enim ad illum potest pervenire solius legis naturalis auxilio; cum sit altioris ordinis et facultates naturales excedat.

2. Relate ad ordinem ipsum naturalem; quia *propter incertitudinem humani judicii* (verba sunt Doctoris Angelici) *præcipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ et contrariæ legis procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare*<sup>1</sup>. Sic Deum esse colendum naturalis ratio sat omnibus ostendit: verum circa modum hujusmodi cultus, quot sententiæ ethnicorum! Hinc de illis Apostolus: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*<sup>2</sup>. Necessè ergo erat, ut lex divina falli ac fallere nescia per revelationem id nobis panderet. Pandit autem; nam *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*<sup>3</sup>.

Duplex est legis divinæ positivæ divisio:

1. Alia dicitur *pure positiva*, alia *non pure positiva*. — Illa præcipit vel prohibet quæ a lege naturali neque præcipiuntur, neque prohibentur. Tale erat præceptum Judæis datum, quo vetabantur manducare carnes nonnullorum animalium. — Ista vero præcipit vel prohibet quæ a lege naturali præcepta jam sunt, vel prohibita. Talia sunt v. g. singula Decalogi præcepta, si Sabbati determinatio excipiatur.

2. Alia dicitur *lex vetus*, alia *lex nova*. — Lex vetus a Deo lata est in veteri Testamento, et populo Israelitico per Moysen promulgata versus annum 2518 a constitutione mundi. Quæ

<sup>1</sup> 1, 2, q. 91, a. 4. — V. Liguori, *Riflessioni sulla verità della divina rivelazione*.

<sup>2</sup> Rom. 1. — <sup>3</sup> Hebr. 1.

quidem quamvis bona esset, *immaculata, convertens animas*<sup>1</sup>, cum tamen ea non esset nisi novæ Legis figura; ideo quoque præcepta cæremonialia ac judicialia ex se cessare debuit, ista adveniente, juxta illud: *Umbram fugat veritas*<sup>2</sup>. — Lex nova a Christo fuit indicta, et per ejus præcones Apostolos per totum orbem disseminata. Hæc perdurabit usque ad finem sæculorum juxta illud Christi ad Apostolos eorumque successores: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*<sup>3</sup>. Triplicis autem generis documenta continet, nempe præcepta *moralia* circa virtutes; præcepta *cæremonialia* circa Sacramenta ac Missæ sacrificium; tandem mera *consilia*, sed magno præmio digna.

Cæpit lex nova obligare Judæos saltem die Pentecostes, quo eis solemniter promulgata est coram ingenti multitudine<sup>4</sup>: alios autem non incepit obligare, nisi pedetentim ac successive, prout promulgatio illa ad varias nationes humano modo potuit pervenire. Quanta sit hujus divinæ legis obligatio, patet tum ex illius necessitate; tum ex hisce Christi verbis: *Mandata mea servate: si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*<sup>5</sup>. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediunt, anathema sit*<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Ps. xviii. — V. Bouvier, *Institutiones Theol.*, t. IV. De Legibus, c. iii.

<sup>2</sup> Ecclesia, *In hymn. Missæ Corp. Dom.* — Præcepta tamen *moralia*, quæ nempe spectant mores informandos, semper permanserunt non quidem vi legis positivæ, sed legis naturalis, utpote immutabilis. Imo neque ipsa præcepta *cæremonialia*, quæ nempe referebantur ad Dei cultum seu cæremonias; neque *judicialia*, quæ ad rectam populi gubernationem spectabant, illico cessarunt a lege nova, sed pedetentim; *decebat enim* (ait Angelicus, 1, 2, q. 105, a. 4) *ut Synagoga cum honore sepeliretur*. Communis opinio est, legem veterem omnino cessasse, ac mortiferam evasisse tempore Hierosolymitani excidii, quo fuit funditus eversa et destructa Synagoga, id est circa annum quadragesimum post mortem Salvatoris. Et eo etiam tempore Legem novam pro universo orbe sufficienter promulgatam fuisse, communiter docent. Lex vetus dicitur imperfecta, non in se, cum Deum habuerit auctorem, qui per illam attingeret scopum præfixum; sed relative ad legem perfectiorem.

<sup>3</sup> Matth. xxviii. — <sup>4</sup> Act. ii. — <sup>5</sup> Joann. xiv, 15. — <sup>6</sup> Sess. vi, can. 21.

## CAPUT TERTIUM

DE LEGIS HUMANÆ NATURA, AUCTORE  
AC NECESSITATE

181. Q. 1. *Quid est lex humana, et quotuplex?*

R. Lex humana illa est, quam *rector humanæ societatis suis præscribit subditis in ordine ad bonum commune*. Dividitur autem tum ratione originis, a qua procedit; tum ratione modi, quo præcipit: — 1. ratione originis dividitur in ecclesiasticam et civilem, quia duplex est humana societas, ecclesiastica et civilis: illa ab Ecclesiæ rectoribus dimanat; hæc procedit a rectoribus societatis civilis: — 2. ratione modi, quo præcipit, lex dividitur in præceptivam, pœnalem, atque irritantem.

*Lex præceptiva*, quæ ab aliquibus etiam moralis dicitur, est quæ præcipit vel prohibet, quin pœnam in transgressores infligat.

*Lex pœnalis* est quæ pœnam habet conjunctam. Porro vel pœnam solam imponit, quin præcipiat quidpiam aut prohibeat: si dicat v. g. *qui certam frumenti quantitatem importaverit, persolvat pœnam scutorum triginta*. Vel pœnam imponit, aliquid simul præcipiendo aut prohibendo: si dicat v. g. *prohibetur omnis frumenti importatio sub pœna scutorum triginta*. In primo casu dicitur *lex pure pœnalis* (vel *pœnalis tantum*); in secundo vero casu dicitur *lex pœnalis mixta* (et etiam solummodo *lex mixta*).

*Lex irritans* est, quæ actum nullum, et invalidum esse decernit: v. g. si personam ad eum actum inhabilem reddat, vel si solemniter in eo præscribat, qua ommissa, actus sit nullus<sup>1</sup>.

182. Q. 2. *An jus gentium sit lex humana?*

R. Affirmative ex mente Justiniani, qui jus gentium illud dicit, *quod, usu exigente et humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt*, non quidem consensu expresso, sed tacito

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 404 et seq.

et pedetentim. Hoc autem jus, quod moderni *internationale* appellant, universalius patet, quam aliæ humanæ leges; cum omnium fere gentium consensione firmetur. Hinc etiam fortius obligat, adeo ut transgressores habeantur ab omnibus uti publicæ tranquillitatis et humanæ societatis hostes infensi<sup>1</sup>.

Diximus *ex mente Justiniani Imperatoris*; moderni enim tradunt *jus gentium* esse idem jus naturæ vitæ hominis sociali, id est negotiis societatum integrarumque gentium accommodatum. Scilicet ad jus naturæ pertinent illa præcepta: *Deum colere, nemini damnum inferre, suum cuique tribuere, pacta servare*; hæc enim præcepta hominem afficiunt ut hominem, id est hac una hominis qualitate consideratum. At juris gentium præcepta sunt *parentes colere, liberos educare, conjugem adjuvare, magistratibus obedire, subditos ab injuriis defendere*; hæc enim præcepta locum habere nequeunt, nisi homini addatur qualitas illa socialis (majoris aut minoris societatis), id est filii, parentis, conjugis, civis, subditi ac regis<sup>2</sup>.

**183. Q. 5. An leges humanæ sint necessariae?**

R. Attenta hominum pervicacia, certum est, leges humanas esse necessarias; historia enim et constans experientia docent, nullam societatem, imperium nullum, nullamque rempublicam diu posse consistere sine legibus. Hinc omnes gentes, etiam quæ rudiores videbantur et esseræ, proprias semper habuerunt constitutiones et leges, quibus tum mores componerent, tum scelera punirent, tum scelestos in officio continerent, tum denique communi patriæ salutem, singulorumque incolumitati prospicerent. Quo sensu inquitabat Tullius: *Constat profecto ad salutem civium civitatumque*

<sup>1</sup> Varia sunt de jure gentium; v. g. recipiendi sunt legati etiam inimicorum: libertas concedenda est contractus ineundi: fœdera pacis ac induciarum non sunt neganda, servitutis poenæ justo bello capti non sunt subjiçendi, etc. — V. *Del concetto di nazione; Saggio di diritto internazionale*. ecc. Veratti, *Memorie modenesi*, t. V, serie III. — Taparelli, *Saggio Theoretico di diritto*, etc., § 4247.

<sup>2</sup> V. Josephi Ferrante, *Elementa juris canonici*. Romæ, 1854. — Devoti, *Instit. canonica*, etc.

*incolumitatem, vitamque hominum et quietem et beatam, inventas esse leges*<sup>1</sup>.

**Art. I. — De auctore legis ecclesiasticæ.**

**184. Q. 1. An Ecclesia habeat potestatem ferendi leges?**

R. Lutherus atque Calvinus Waldensium et Wiclephitarum vestigiis inherentes omnem potestatem Ecclesiæ denegarunt leges ferendi, quibus fidelium conscientiæ obstringerentur; cum Christus plenam libertatem nobis donaverit. Sed Ecclesiam posse leges ferre, quæ ad res spirituales et religiosas pertinent:

Prob. 1. *Ex Scripturis*, ubi Apostoli in primo Concilio congregati sic fideles alloquebantur: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato*<sup>2</sup>. Duo hic certa sunt: 1. quod vocabulum *imponere* legem proprie dictam importat; 2. quod hujus legis objectum, abstinentia nempe a sanguine et suffocato, in lege naturali aut divina positiva minime fundatur: ac proinde constituit materiam legis pure humanæ. Ergo admittenda in Ecclesia legislativa potestas. Adde: nonne Apostolus Paulus *perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum*<sup>3</sup>?

2. *Ex Traditione*: quid sibi volunt antiquissimæ Canonum collectiones, de quibus in Juris Canonici Institutionibus, nisi antiquissimam in Ecclesia potestatem ferendi leges? Profecto Concilia œcumenica (a Nicæno I, anno 325, usque ad Tridentinum anno 1564) leges positivas ediderunt, quas omnium temporum Christiani venerati sunt.

3. Denique *ex ipsa ratione naturali*: in omni bene constituta republica et societate necessaria omnino est potestas, ut vocant, legislativa, qua ea præcipiantur, quæ publicum sibi bonum expostulat. Atqui Ecclesia est respublica et societas bene constituta; cum fundatorem habuerit sapientissimum in Christo Domino, qui utique in libertatem nos vocavit, nos

<sup>1</sup> I. II, *De Legib.* — <sup>2</sup> Act. xv. — <sup>3</sup> *Loc. cit.*



liberando tum a servitute peccati, tum a iugo veteris legis; non tamen ab obedientia erga illos quos ipse posuit pastores regere Ecclesiam suam<sup>1</sup>.

185. Consulto diximus posse Ecclesiam ferre leges, quæ ad res spirituales et religiosas pertinent; leges enim civiles atque politicas ferre nequit nisi pro iis Provinciis, quæ suæ ditioni etiam politicæ subijciuntur. Equitas nempe postulat, ut unaquæque potestas intra limites suos sistat; siquidem unaquæque portat gladium suum (E).

186. Q. 2. Quinam in Ecclesia habent potestatem ferendi leges?

R. Habent hanc potestatem Ecclesiæ Rectores independentes ab omni civili potestate, hoc ordine:

1. *Summus Pontifex* pro toto christiano Orbe; quia ex definitione Concilii œcumenici Florentini celebrati anno 1459, ipse est *successor divi Petri Principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Pater et Doctor; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est*. Et Angelicus ait: *Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis quasi iudices singulis civitatibus præpositi*<sup>2</sup>. — Hæc autem legislativa suprema potestas in Pontifices Maximos non derivat ab Ecclesia; sed a Christo immediate, qui eam tradidit D. Petro notissimis illis verbis<sup>3</sup>: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam...; tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum*

<sup>1</sup> V. Tassoni, *La Religione dimostrata e difesa*, t. III, p. II, c. xi.

<sup>2</sup> Suppl. q. 26, a. 5. — V. Gousset, *Exposition des principes du Droit*, n. 50, ecc. Paris, 1859.

<sup>3</sup> Matt., xvi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104; et maxime, n. 110. *De Potestate pontificis*, dissertatio. — V. Voit, *Richerii systema consulationum*. — Duval, *De suprema pontificis potestate*. — Laccaria, *Anti-Febronius*, etc. — Muzarelli, *Il buon uso della logica in materia di religione*, opuse. xx. — *L'eresia dei due capi*. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc. V. Papa, art. 2.

*et in cœlis*. Unde merito contra nefariam illam pseudosynodum Pistoriensem damnata fuit a Pio VI (anno 1794, *Bulla Auctorem Fidei*) tamquam hæretica ea n. 3 propositio, qua statuebatur *Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ ministeriale*, quatenus ipse non a Christo in persona S. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat (F).

2. *Concilia œcumenica* pro tota etiam Ecclesia: *Nationalia* pro Natione; *Provincialia* pro Provincia<sup>4</sup>; *Diœcesana* pro Diœcesi. Sane unumquodque Concilium suam respective Ecclesiam repræsentat.

3. *Legatus Apostolicus* pro loco suæ Legationis; hoc enim a jure ipsi tributum est<sup>5</sup>. *Cardinalis* autem potest ratione suæ dignitatis in Ecclesia sui Tituli leges ferre ex eodem jure<sup>6</sup>.

4. *Episcopus* pro suis subditis (et quidem tam intra quam extra Synodum; cum hæc diversitas per se non respiciat, nisi formam). Sive enim habeat immediate a S. Pontifice suam jurisdictionem, sive tantum mediate, statim ac Episcopus tanta celsitudine donatur, ex vi sui muneris ei competit leges ferre; cum a Spiritu Sancto positus sit *regere Ecclesiam Dei*<sup>7</sup>; porro regimen hanc legis condendæ potestatem de necessitate includit. Hoc jus habitu accipit Episcopus sua canonica institutione; ut tamen actu exerceat necesse est tum ut litteræ Apostolicæ electionis expeditæ sint, atque iis exhibitæ, quibus exhibendæ de jure<sup>8</sup>; tum ut realis possessio capta sit<sup>9</sup> (G).

<sup>1</sup> Ipsi autem Archiepiscopi, Primates, et Patriarchæ non possunt ferre leges in provinciis aut nationibus suffraganeorum, nisi ex consuetudine id habeant, vel ex concessione Pontificis. Ita Caus. 9, q. 5, c. vii, *Nullus Primas*; et c. viii, *Conquestus*; et ex Decret. Greg., l. I, t. xxxi, *De Offic. jud. ordinarii: Duo simul*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104. — Ferraris, *Biblioth. canonica*, v. Archiepiscopus.

<sup>2</sup> C. ult., *De Offic. Legati*. — Ferraris, v. Legatus.

<sup>3</sup> C. *His quæ de maj. et obed.*, et c. *Queral. de elect.* Collegium Cardinalium vero, Sede romana vacante, si necessitas non urgeat, non potest leges ferre; sed nominationi alterius Pontificis debet statim incumbere *ex Clement.*, l. I, tit. iii, c. ii. — Ferraris, *Biblioth.*, v. Cardinalis.

<sup>4</sup> Acton., xx. — V. Bouix, *De Episcopo*, p. V.

<sup>5</sup> Ex Extrav. i, *Injunctæ de elect.*

<sup>6</sup> V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v. Vicarius Capitularis. — Idque usu etiam inductum est.

5. *Capitulum Cathedrale*, Sede vacante; intra octo primos a cognita vacatione dies administratio Diocesis de jure pertinet ad omnes canonicos collective, id est capitulariter agentes<sup>1</sup>. Verum quia jurisdictio in plures divisa difficulter exercetur, Tridentinum jussit, ut a Capitulo intra octo dies Vicarius Capitularis eligatur, in quem omnis jurisdictio transfundatur: hoc autem tempore dilapso, electio ad alium devolvitur<sup>2</sup>. Excipe nisi Capitulum *moram*, ut dicunt, *purgaverit*, Vicarium nempe eligendo re adhuc integra, id est antequam Metropolitana in ecclesia suffraganea, vel senior in suffraganeis in Metropolitana, vel vicinior in exempta Vicarium Capitularem eligat negligentiam Capituli supplendo; uti docent communiter.

6. *Abbatibus et Praelatis exempti* pro suo territorio, ubi quasi Episcopalem exercent jurisdictionem; jurisdictioni enim annexa est legislativa potestas. Non tamen possunt *Abbatissæ* proprias leges ferre, cum foemina non sit capax jurisdictionis spiritualis exercendæ; etsi probabilius valeant uti ministræ exigere in conscientia obedientiam per votum promissam circa res præceptas, vel circa ea quæ ad profectum Monasterii juxta regulas conducunt; id enim necessarium est ad sustinendam observantiam, et talis est praxis universalis<sup>3</sup>.

7. *Ordines denique Religiosi* in Capitulo Generali vi jurisdictionis a Papa concessæ; non autem vi voti, quod cum personale sit, non dat, nisi potestatem imponendi præcepta, non vero vim legis condendæ. Ceterum consulenda sunt Statuta uniuscujusque Ordinis<sup>4</sup>,

Diximus *independentem ab omni civili potestate*; Deus enim regibus civilia, ecclesiastica ecclesiasticis concedidit<sup>5</sup>. Sane ecclesia est societas perfecta sui generis ac divinæ originis; debet ergo hæc potestatem regendi et gubernandi habere ex se, ideoque supremam, atque independentem (H).

<sup>1</sup> Cap. *His quæ*, et cap. *Cum olim*, de *major. et obedient.* — Ferraris, *Bibl.*, v<sup>o</sup> *Sedes vacans*.

<sup>2</sup> Sess. xxiv, c. xvi de ref. — V. Bouix, *De Capitulo*.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 52; l. I, n. 104. — Bouix, *De Jure regularium*, parte VI, c. iv.

<sup>4</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 45 et seq. — Suarez, *De Statu religioso*, etc. — <sup>5</sup> Hosius apud S. Athanasium; *Hist. Arian.*, n. 44.

187. Q. 5. *An in Ecclesia præter legislativam adsit alia potestas?*

R. Affirmative: in Ecclesia præter legislativam adest etiam potestas judiciaria et coercitiva per pœnas tum spirituales tum corporales.

1. Adest potestas judiciaria, ea scilicet quæ in foro externo exercetur, et est legitima facultas actiones subditorum examinandi et de earum bonitate vel malitia, merito vel culpa authenticum judicium ferendi. Christus enim ait, quod refractarius, si correctiones fraternæ irritæ sint, denunciandus est Ecclesiæ<sup>1</sup>: quod esset inutile, si Ecclesia illum judicare non posset. Apostoli hanc exercuerunt: sic Petrus judicium tulit de Anania et Saphira<sup>2</sup>. Et Paulus dum scribit<sup>3</sup>: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* clare manifestat, se judicare posse de iis, qui intus, id est in Ecclesia sunt.

2. Potestas coercitiva, per pœnas spirituales; nam legitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*<sup>4</sup>. Notum est autem, quod apud Judæos ille sic habebatur, qui a communione civili et religiosa excluderetur<sup>5</sup>. Paulus hanc potestatem exercuit, cum incestuosum Corinthium tradidit Satanæ: porro tradere Satanæ nihil aliud est, quam aliquem ab Ecclesiæ societate segregare, omnibus ejusdem bonis ita privando, ut et anima et corpus diaboli potestati relinquatur<sup>6</sup>.

3. Potestas coercitiva per pœnas etiam corporales: Christus ipse hac usus est, qui *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo*<sup>7</sup>. Et hac etiam causa factum est, ut Ananias et Saphira, quos Petrus pœna dignos pronuntiavit, præcoci morte abriperentur. Et Paulus scribit<sup>8</sup>: *Qui vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?* ubi vides virgam, rigorem videlicet et pœnas. Iterum ait; *Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi*<sup>9</sup>: ubi vides hanc puniendi potestatem ei tributam non a populo, non a principe; sed a Deo. Idque semper fuit in usu in Ecclesia (ut

<sup>1</sup> Matth. xviii. — <sup>2</sup> Act. v. — <sup>3</sup> I Corinth. v. — <sup>4</sup> Matth. xviii.

<sup>5</sup> I Esdr. x; Jos. xxii, 12, 24. — <sup>6</sup> V. dicenda *De censuris*, c. ii.

<sup>7</sup> Jo. ii. — <sup>8</sup> I Corinth. iv. — <sup>9</sup> II Corinth. xiii.

probat Mamachi<sup>1)</sup>, quæ sua semper habuit *tribunalia*, suosque *carceres*, ubi recludebantur *pervicaces*; suas *virgas*, de quibus loquuntur Augustinus, Cyprianus, Gregorius M.; *multas pecuniarias*, de quibus ipse Augustinus, Concilium Carthaginense V, et Benedictus XIV; *pœnam exilii*, de qua loquitur S. Gregorius, Concilium CP. tertium, et Concilium Romanum, anno 505. Et Tridentinum in duellantes et patrios nonne ultra excommunicationem omnium bonorum proscriptionem et perpetuam infamiam sanxit<sup>2)</sup>? Hinc merito tum Joannes XXII, anno 1327, Constitutione *Dudum volentes*<sup>3)</sup>; tum Benedictus XIV, anno 1757, Brevi *Ad assiduas*, tum Pius VI, anno 1794, Bulla *Auctorem fidei*, propositione 4 et 5, tum Pius IX, anno 1851, Brevi *Ad Apostolicæ Sedis* contrariam doctrinam damnarunt.

Sane id esse debet de omni bene constituta ac perfecta societate, ut argumentatur ipse Romagnosi, quæ si habet jus imperandi et agendi, debeat etiam habere jus removendi quæ eidem opponuntur, et transgressores pœnis terrendo ac puniendo. Id ipsum fatentur vel ipsi Protestantes, uti Leibnitiu et Guizot, qui ultimus et approbat et commendat et pro exemplo ponit pœnitentiale Ecclesiæ nostræ systema<sup>4)</sup>.

188. Denique necessitas vel utilitas hujusmodi coactionis satis cernitur; nam sine illa solæ spirituales pœnæ parum movere solent carnales homines; quia licet revera graviores sint, earum nocumentum non ita sensibiliter percipitur. Quod maxime locum habet cum hæreticis et nonnullis perditissimis; quia tota efficacia pœnarum spiritualium pendet ex fide per quam Ecclesiæ potestas et veritas censurarum creditur ac ti-

<sup>1)</sup> *Del diritto libero della Chiesa di possedere*, ecc., l. II.

<sup>2)</sup> Sess. xxv de R., c. xix.

<sup>3)</sup> Joannes, XXII, hac dogmatica Bulla, ait: *Ad fidei catholicæ fundamentum de fratrum nostrorum consilio, Dei nomine invocato, articulos prædictos, quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator daret eis auctoritatem, velut S. Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, hæreticos seu hæreticales... sententialiter declaramus.*

<sup>4)</sup> *Corso di storia moderna*, lez. vi. — V. *Annali religiosi*, t. VIII, p. 98; et t. XX, art. *Sull'origine dei tribunali ecclesiastici*. — V. Gousset, *Exposition des principes du Droit*, n. 55.

metur; at isti hæc omnia irrident ac contemnunt. Quod si timor pœnæ illos contineat quidem, sed non semper ex animo convertat, ipsi videant; terrentur ceteri, et illorum pravo exemplo non seducuntur (I).

189. *Ubinam (quæres) continentur leges Ecclesiasticæ generales*<sup>1)</sup>?

R. Cum Ecclesia abhorreat ab imperioso *legis* nomine, constitutiones suas *canones* appellavit, id est normas ac regulas, se nempe recte gerendi. Unde *juris canonici* nomen ortum est, quod etiam ecclesiasticum aut sacrum nominari cæpit; cum jussa Ecclesiæ personas resque sacras et ecclesiasticas respiciant. Fontes autem, unde Ecclesia suas regulas ac ordinationes deducit, sunt jus naturæ et gentium, S. Scriptura et traditio, Pontificum Constitutiones, Conciliorum decreta et Patrum sententiæ (attamen Patrum sententiæ ex se vim legis non habent, sed utpote insertæ in corpore juris; non enim sancti Patres fuerunt legislatores, sed doctores tantummodo). Quo posito, ut videamus ubinam generales illæ ordinationes contineantur, juxta accuratiores, triplex distinguenda canonica collectio: *antiqua, nova et novissima*. Attamen *juris antiqui* quod ab Apostolorum ætate extenditur usque ad sæculum duodecimum, hodie nulla fere habetur ratio; nam illius ætatis leges in recentiori jure magna ex parte habentur insertæ. Vel igitur sermo est de Jure *novo* quod a sæculo XII extenditur usque ad Tridentinum; vel de jure *novissimo*, quod extenditur a Tridentino usque ad ætatem nostram: 1<sup>um</sup> continetur in Corpore Juris Canonici; 2<sup>um</sup> in ipso Tridentino, in Bullis, Brevibus et Rescriptis SS. Pontificum post clausum corpus juris editis; item in Declarationibus Congregationum et in Regulis Cancellariæ Apostolicæ (J).

190. Juri tamen scripto non scriptum addendum est, quod nempe traditione et consuetudine comprehenditur. *Traditio* est mandatum, quod viva voce populis nuntiatum est, atque ad nos usque vivens pervenit et durat. Quod quidem obligatorium esse nemo dubitat; cum illud referat superioris ordi-

<sup>1)</sup> Diximus *generales*, quæ nempe omnes spectant; quoad speciales enim videnda sunt propriæ Diœcesis vel Ordinis statuta, atque legitimæ consuetudines.

nationem nobis satis manifestatam. *Consuetudo* vero est jus inductum moribus hominum, liberis, uniformibus, diuturnis. Hoc aliquando tantam vim habet, ut in omnium sensu obtineat vel contra ipsam posteriorem legem contrariam, nisi nominatim declaretur consuetudinem illam nihil ob stare<sup>1</sup>.

191. Q. 4. *Quid est Corpus Juris Canonici?*

R. Corpus Juris Canonici est complexus Legum Ecclesiasticarum in quinque Codicibus. Horum autem 1<sup>us</sup> est *Decretum Gratiani*, constans tribus partibus, sic dictum quia opera Gratiani illa decretorum collectio facta est; 2<sup>us</sup> *Decretales Gregorii IX*, in quinque libros distributæ: dicuntur Gregorii IX quia ipsius jussu S. Raymundus illas collegit ex Conciliis generalibus et Pontificum constitutionibus; 3<sup>us</sup> *Liber sextus Decretalium Bonifacii VIII*; sextus, quia adjicitur quinque libris Gregorii IX, et continet decretales ab hoc Pontifice ad Bonifacium VIII; 4<sup>us</sup> *Clementinæ Clementis V*, cujus nempe jussu collectæ sunt; 5<sup>us</sup> *Extravagantes Joannis XXII, atque Communes*; sic dictæ quia extra Corpus Juris antea collectum vagabantur; a Joanne XXII et aliis sunt editæ.

Integrum Juris Canonici Corpus diligenter emendatum Romæ edendum curavit Gregorius XIII, Bulla *Cum pro munere pastoralis*. At certum est librum septimum Decretalium, ac Institutiones Lancelotti, quæ in fine Canonici Juris habentur appositæ, non habere vim; cum privatorum sint leges nulla Pontificia confirmatione donatæ. Pariter Decretum Gratiani, etsi pluries emendatum romanorum pontificum cura, et licet passim citetur, tamen *inter omnes receptum est*, ait ipse Benedictus XIV, *quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret*<sup>2</sup>. Ceteræ autem partes juris Canonici universim obligant, ni contraria lege, vel consuetudine abrogatæ sint (K).

<sup>1</sup> C. 1. *De Const.*, in 6. — *V. Devoti, Instit. juris*, c. iv. — Et dicenda *De Consuetudine*.

<sup>2</sup> *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. xv, n. 6. Cum veneratione etiam citari solent *Capitularia Caroli Magni*, etsi nullo hodie per se fruuntur robore. — *V. Guillon, Cours d'éloquence sacrée*, v. XXIV. — Riccard et Gireaud, *Dictionnaire*, etc., n<sup>o</sup> Chapitre.

192. Q. 5. *Quid de Tridentino uti fonte legum Ecclesiasticarum?*

R. ad leges Ecclesiasticas, quæ veniunt nomine *Juris novissimi*, referri debet imprimis quidquid in Tridentino sancitum est. Nullum enim Concilium generale est, in quo tot quæstiones, tamque scitu fuerint examinatæ et enucleatæ: in quo tot lata fidei dogmata, totque disciplinæ et reformationis capita statuta, ut merito veluti quoddam doctrinæ Christi compendium et disciplinæ ecclesiasticæ codex irrefragabilis ab omnibus habeatur. A Paulo III indictum fuit 1542 Bulla *Initio*. Tridentum Pontifex elegit, civitatem quæ in finibus Venetorum, in extrema scilicet Italiæ ora Germaniam versus, amœnissimo loco sita est. Inceptum anno 1545 ob bellicos tumultus ac grassantem pestem suspensum, translatum et interruptum, tandem absolutum est sub Pio IV anno 1563, ut patet Bulla *Benedictus*. Concilio interfuerunt ex toto orbe Catholico, præter Cardinales et Legatos, Patriarchæ 3, Archiepiscopi 25, Episcopi 168, et Procuratores absentium 59.

Convocatum fuit tum ad vindicandam fidem catholicam adversus Lutherum aliosque reformatores; tum ad restituendam Ecclesiæ disciplinam per hæresim et bella plurimum labefactatam; tum ad firmandam pacem et concordiam inter principes christianos (L).

193. Quæ ante Tridentinum celebrata sunt Concilia, ad jus novum revocantur, cum eorum canones in Corpore Canonici juris incerti sint; si quæ postea celebrentur, una cum ipso Tridentino erunt reducenda ad jus novissimum. Hic nonnulla pressius de eorum natura, convocatione, celebratione et auctoritate.

1. *Natura*. Concilium œcumenicum est conventus, ad quem, Romano Pontifice indicente, atque per se vel per suos legatos presidente, totius orbis catholici Prælati vocantur, ad deliberandum de maximis Ecclesiæ universæ negotiis. Etsi hæc concilia absolute necessaria non sint, cum omnibus ipse Pontifex providere valeat utpote plenitudine potestatis donatus a Christo Domino; attamen plurimum conferunt, tum ut maturius veritas inquiratur, tum ut efficacius hæreticorum frangatur contumacia qui magis erubescunt universorum declinare sententiam.

2. *Convocatio*. Episcopi omnes uti iudices ordinarii et connaturales vocandi sunt; ii enim jure divino majores sunt Prælati post Pontificem

in Ecclesia constituti ad gregem pascendum. Excipe schismaticos et excommunicatos, neque enim iudices sedere debent qui potius dijudicandi sunt; aliunde non sunt (plene saltem) de corpore Ecclesiae. Nil autem refert, si non omnes vocati episcopi, de facto conveniant; id enim vix obtineri potest; qui porro est impeditus ceteris consentire censetur. Privilegio autem et consuetudine, item cum jure suffragii vocantur, tum Cardinales qui unum corpus cum Pontifice constituunt, tum Abbates jurisdictionem episcopalem tenentes, tum Praepositi generales religiosorum Ordinum, qui utpote exempti uti Praelati habentur. Ceteri autem theologi, canonistae, officiales, etc., non vocantur uti proprie dicti iudices; sed ut res deliberandas discutiant, illustrent, probent. Saeculares autem non admittuntur nisi ut ipsorum praesentia omnes in officio contineant.

5. *Celebratio*. Edita decreta tum fidei tum disciplinae a Patribus subscribenda sunt, etiam ab iis, qui forsitan in Congregationibus ea reprobassent; atque ad id adigi solent intentata excommunicationis poena, ut in Tridentino factum est *sessione XXV*. Ordo subscribendi idem est qui sedendi; veniunt 1. legati Pontificis, 2. per ordinem Cardinales, 3. Patriarchae, Metropolitae, Episcopi, 4. Abbates et Praepositi generales Religionum; qui omnes ita subscribunt: *Ego N. iudicans subscripsi*. Postea ceteri ecclesiastici et Principum Oratores sed diversa forma, nempe: *ego N. consentiens subscripsi*; at Principum Oratores subscribunt pro eorum excellentia post iudices seu Patres Concilii.

4. *Auctoritas*. Ut vim habeant in totam Ecclesiam promulgata oecumenica Concilia, a Pontifice sunt confirmanda; si enim ad ipsum spectat illa cogere iisque praesidere, tanto magis illa confirmare, ex quo totam vim exerunt suam. Ista enim jura (ad rem Perrone) suapte natura profluunt ex natura Primatus, quo in universam Ecclesiam ac in omnes episcopos sive distributive sive collective sumptos romanus Pontifex divina dispositione gaudet. Siquidem illius tantum est episcopos convocare in concilium et convocatis praeesse qui suprema tamquam caput auctoritate divinitus pollet super episcopos omnes. Idem die de confirmatione decretorum, quaecumque ea demum sint, sive fidei sive morum sive disciplinae; Ecclesia enim catenus infallibilis est, quatenus est corpus integrum membris constans et capite; hoc autem dempto, cum acephala sit, hac dote minime fruitur. Quod si de decretis disciplinaribus sermo sit, haec non aliter potuerunt obligationem inducere in Ecclesiam universam; quam cum ab ejus Ecclesiae capite sancita fuerint <sup>1</sup> (M).

<sup>1</sup> V. Perrone, *De R. Pontifice*, parte II, sect. II, c. III. — Muzzarelli, *De Auctoritate R. Pontificis in conciliis generalibus*. — Ballerini, *Bil-*

194. Q. 6. *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis?*

R. ad 1: Bullarum nomine veniunt quaedam Romanorum Pontificum Constitutiones sic dictae a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc nomen Pontificis: inhæret sigillum funiculo serico vel canapis. Graviora, ut plurimum, negotia respiciunt et expediuntur in Cancellaria Apostolica, membranibus subfuscis et crassioribus, caractere Longobardico seu Theutonico exaratae. Etiam *Encyclicæ* dicuntur. — Bullæ aliæ sunt *gratiosæ*, quæ gratiæ collationem continent; aliæ *justitiæ*, quæ justitiæ administrationem respiciunt; aliæ *consistoriales*, quæ in Cardinalium Consistorio expediuntur; aliæ *dimidiæ*, quæ feruntur a Pontifice nondum consecrato, et in sigillo non exhibent ejusdem nomen. Citantur Bullæ prolato primo, quo incipiunt vocabulo; Bullarum vero collectiones dicuntur *Bullaria* <sup>1</sup>.

R. ad 2: Brevium nomine intelliguntur Pontificiæ Constitutiones, quæ per Secretarium Brevium expediuntur in membranibus albis atque subtilibus pro negotiis, ut plurimum, non ita gravioribus ac universalibus. Latino eoque nitido caractere conscriptæ sunt: et sigillum habent ceræ rubræ, in quo impressa est imago divi Petri piscationem agentis; idèo dicuntur expediri *sub annulo Piscatoris*.

R. ad 3: Rescripta sunt rogatorum Pontificum Re-

luant, Bellarminus et alii theologi passim. Id unum notamus convocationem et adsistentiam Concilio postea suppleri posse et legitimari si defuit in aliquo. — V. Ferraris, *9<sup>o</sup> Concilium*. — Liberius a Jesu, *Controversiæ*, t. V, p. 3. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104 et 110.

<sup>1</sup> Magnum Bullarium per Hieronymum Mainardum editum est a Leone M. usque ad Benedictum XIV in 16 vol.; at in eo nonnullæ desiderantur Constitutiones. Majoris habetur quod per Carolum Coequalium editum fuit in vol. 2<sup>o</sup>, anno 1758. Quod hodie per adv. Barberi Romæ ad nostra tempora continuatur, non ita tamen accurate. At favente et benedicente Pontifice Max. Pio IX plaudentibus Episcopis et bonis omnibus, novum modo et accuratissimum *Magnum Bullarium Romanum* typis mandatur Augustæ Taurinorum. Constitutionum Apostolicarum epitomen exhibent Guerra et Quaranta; in iisdem vero commentaria edidit merito celebrata Card. Petra, scilicet a Leone M. ad Sixtum IV.

sponsa. Duplex eorum genus, alia nempe feruntur instar epistolarum familiarium; alia instar decretorum. Prima dare solent Pontifices cum rogantur ab iis, quibuscum habent peculiarem amicitiae relationem, vel cum rogantur de consilio uti viri docti et pii. Secunda ferunt Pontifices tanquam D. Petri Successores et Ecclesiae Universalis Pastores et Magistri. — Rescriptis primi generis non inest vis obligandi; cum dentur magis ex animi comitate, quam ex vera auctoritate. Aliis inest vis maxima; quia per eadem exercetur jus Pontificium et suprema Ecclesiae jurisdictio. De istis locutus est Augustinus contra Pelagium, quando dixit: *Per Papae Rescriptum causa Pelagianorum finita est.*

Bulla, Brevia et Rescripta, quae sunt ad instar Decretorum, ex sensu Catholicae fidei et totius Christianae antiquitatis debent venerabiliter suscipi, summoque in pretio haberi; ut enim legitur in Jure: *Omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatae sint*<sup>1</sup>. Quantam sane iisdem vim, quantumque robur inesse putaret antiquitas Catholica, ipsa indicat anthonomastica vox *Auctoritatis et Decretalium*, qua omnes Pontificum Constitutiones denotare consuevere majores nostri; quid enim sonat vox *Auctoritatis*, nisi imperium Legislatoris? quid vox *Decretalium*, nisi *Decreta spectabilia*? Et merito id constitutum est; est enim R. Pontifex omnium Christianorum pater ac magister a Christo Domino constitutus. Unde haec est gloria nostra ipsi totis adherere viribus (N).

195. Q. 7. *Quid de Sacris Congregationibus Romanis?*

R. Sacrae Congregationes Romanae sunt Coetus Cardinalium, quibus Summus Pontifex certa tradit negotia perpendenda, declaranda ac definienda; earumque decreta vel declarationes efferri ordinarie non solent, nisi prius consulto Pontifice. En Congregationes praecipuae:

Prima est *Congregatio Concilii* (nempe Tridentini.) Pro Tridentini observantia a Pio IV et V primum instituta; deinde a Sixto V, Constitutione *Immensa* anno 1588 donata

<sup>1</sup> Ex D. XIX, c. II. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. I, n. 105, etc. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Breve, Bulla, Rescriptum.

est potestate Concilii decreta etiam interpretandi in iis, quae aut morum aut disciplinae reformationem respiciunt, si dubium aliquod praese ferre interdum videantur. Tota ex Cardinalibus coalescit, qui *Patres sacrosancti Concilii Tridentini Interpretes* nuncupantur, atque eorum unus Praefecti Congregationis titulo insignitur<sup>1</sup>.

Secunda est *Congregatio Episcoporum et Regularium*, ab eodem Sixto erecta, quae tota pariter ex Cardinalibus constat, atque in bonam Dioceseon Episcopatum totius Orbis Catholici administrationem intendit: quaeque hodie ex Innocentio XII Constitutione *Debitum* anno 1698, etiam Regularium utriusque sexus controversias suscipit cognoscendas et dirimendas.

Tertia est *Congregatio de Propaganda* (fide) a Gregorio XV Constit. *Inscrutabili* anno 1622 fundata: tota ex Cardinalibus conflata, cujus est munus in propagationem Catholicae Fidei procurandam incumbere<sup>2</sup>. Ad eam pertinet Collegium Romae fundatum ab Urbano VII dictum de *propaganda fide*, in quo ad Missionariorum officia in terris infidelium exercenda alumni ex diversis mundi partibus instituuntur. Huic etiam Congregationi res religiosae Orientalium commissae erant. — Cum tamen ejusdem curae et occupationes majores fierent in dies, Pius IX litteris Apostolicis *Romani Pontificis* datis 6 jan. 1862 instituit specialem et stabilem Congregationem sub titulo *de propaganda fide pro negotiis ritus Orientalis*, quae Orientalium libris corrigendis omnibusque et singulis cujusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quaeque constet ex nonnullis ejusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardinalibus, atque a Generali ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat et proprium habeat secretarium, proprios consultores ac proprios Officiales.

<sup>1</sup> Cette congrégation des cardinaux, interprètes du Concile de Trente, n'est-elle pas, de la part des Pontifes romains, une protestation permanente contre tout ce qui, à leur insu et sans leur consentement, tendrait à déroger aux décrets de ce Concile? — Gousset, *Exposition des principes du Droit*, etc.

<sup>2</sup> V. Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> Missions étrangères.

Quarta est *Congregatio sacrorum Rituum*, quem Sixtus instituit: in ea locum habent præter Cardinales etiam Consultores Prælati vel Regulares. Munus ejusdem est Liturgiam sacram, et quæ ad eam pertinent, negotia definire: Beatificatio, ut vocant, atque Canonizatio Sanctorum inter officia hujus Congregationis referuntur.

Quinta est *Congregatio Indeis* (librorum prohibitorum) a Pio V primum erecta: hæc curam gerit librorum, qui publicam in lucem eduntur, ne quid per eos contra religionem et bonos mores inter Christi fideles propagari valeat in præjudicium catholicæ fidei, vel contra bonos mores vel hominum pietatem<sup>1</sup>.

Sexta est *Congregatio Sancti Officii*<sup>2</sup>, et dicitur Suprema. Hujus autem officium est inquirere (et ideo dicitur etiam Congregatio Sanctæ universalis Inquisitionis), et cognoscere de hæresi, de hæresis suspicione, et aliis irreligiositatibus: hæc a Paulo III fundata, a Paulo IV aucta, a Sixto V perfecta est.

Septima est *Congregatio Indulgentiarum* a Clemente IX anno 1669 erecta; cujus est indulgentias vulgare ac dirimere quæstiones omnes, quæ circa hanc materiam contingere possunt<sup>3</sup>.

Octava est *Congregatio* ab Urbano VIII instituta, nempe *Immunitatis ecclesiasticæ realis, personalis et localis*. Ejus inspectio est cognitio causarum hæc de re<sup>4</sup> (O).

196. *An (quæres) obligent declarationes SS. Congregationum?* Distinguendum est: vel agitur de illo loco particulari, pro quo illæ declarationes eduntur; vel de aliis locis. — Si 1, obligant, uti constat ex Bullis erectionis a quibus talis facultas fuit illis tributa. Imo loquendo speciatim de decretis S. C. Rituum, Sixtus V ea tanti fecit, ut semel ac a

<sup>1</sup> Si hæresim sapiant, libri prohibentur etiam tum a Congregatione S. Officii, tum immediate a Pontifice peculiaribus *Brevibus ac dogmaticis Constitutionibus*.

<sup>2</sup> Hodie tamen in pluribus hujus Congregationis partes agere solent ipsi Locorum Ordinarii tamquam Sedis apostolicæ delegati, qui cum viciniore sint, citius propria auctoritate malo occurrere valent. — V. de Hæresi.

<sup>3</sup> V. Scotti, *Teoremi*, pars II. — <sup>4</sup> V. Scotti, *Teoremi*, pars IV.

Cardinali Præfecto signata sunt, ipsam Capellam Pontificiam iisdem subjecerit. — Si 2, multi probabiliter dicunt illas adhuc obligare, si munitæ sint sigillo Præfecti atque subscriptione, et datæ consulto Pontifice, et sufficienter promulgatæ; quia hæc potestas est ab ipso Papa tributa Cardinalibus. Sed multi alii item probabiliter dicunt eas, licet sint maximæ auctoritatis, tamen non obligare omnes, nisi sint emanatæ de mandato Pontificis et editæ pro tota Ecclesia in forma Decreti generalis; quia cum tales declarationes fiant de rebus dubiis, in quibus extant diversæ opiniones circa legis intelligentiam, habentur uti novæ leges, quæ proinde nova indigent promulgatione in universam Ecclesiam, ut illam obligare valeant<sup>1</sup>. Huc facere potest responsum S. Rituum Congregationis 11 sept. 1847: ad quæsitum, *an decreta S. Rituum Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariæ consuetudini, etiam immemorabili; et in casu affirmativo an obligent in conscientia?* respondit: *affirmative, at recurrendum in particulari*.

197. Q. 8. *Quid de regulis Cancellariæ statuendum est?*

R. Regulæ Cancellariæ sic dictæ a Cancellario Romanæ Curie, qui iis sicut firmis regulis uti debet, sunt certæ Pontificum ordinationes, quæ maxime respiciunt causas beneficiales et judiciales: et sunt numero 72, quas scripto mandari jussit Joannes XXII. Sede suprema vacante, nullius fere habentur roboris; sed Sede plena, illico confirmantur et illico obligant, cum sint veræ leges, nisi iis per Concordata vel consuetudines derogatum sit<sup>2</sup>: et revera in pluribus derogatum fuit.

198. *An deceat (inquires) Moralistam versatum esse in Jure Canonico?* — Utique decet Moralistam versatum esse in jure canonico; nam *Theologis, qui Pontificum Canones igno-*

<sup>1</sup> Excipit merito Gobat declarationes editas a S. Inquisitione circa articulos fidei; nam quod debet ab una provincia credi fide divina, debet a toto christiano orbe; credi enim non potest quidpiam nisi revelatum a Deo; quod autem est revelatum a Deo infallibilem continet ubique veritatem. Unde hic quæstio est de legibus et statutis citra fidem.

<sup>2</sup> Quoad Cancellariæ regulas vide dicenda de *Beneficiis*. — Ferraris, *Biblioth. canonica, juridica, etc.*, vº Beneficium.

rant, nimis multa desunt ad usus Theologiæ necessaria, inquit Melchior Canus<sup>1</sup>. Licet autem præcepta vivendi ex parte in Scriptura tradantur; tamen (ait cardinalis Turrecremata) doctrina morum in specie secundum gradus singulos et ordines officiorum Ecclesiæ sine Juris Ecclesiastici cognitione non habetur<sup>2</sup>. Hinc Jurisprudentia Canonica nuncupatur etiam Theologia directrix et practica, quatenus nempe canonicum jus solerter rimatur, interpretatur et applicat. Hinc Cælestinus Papa: Nulli sacerdotum liceat canones ignorare<sup>3</sup>. Cum autem hodie plurimi nefandi errores grassentur ad ecclesiasticæ societatis jura labefactanda, ipsumque Ecclesiæ statum, existentiam, naturam et formam, patet juri publico ecclesiastico quod quidem hæc omnia tuetur, non minus esse insistendum, quam juri privato, quod tantum res privatorum et causas singulares determinat<sup>4</sup>.

SCHOLIUM: De temporali Romani Pontificis potestate.

199. Haud possumus eos gravissime non redarguere, qui R. Pontificem civilis sui imperii honore ac dignitate spoliare cupiunt, ut sic melius Ecclesiæ studeat; cum potius singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum sit, ut civilem Principatum hac de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam tuendam plena potiretur libertate. Namque omnibus compertum est (ait Pius P. IX Allocutione 20 apr. 1849)

<sup>1</sup> De Loc. Th., l. VIII, c. vi. — Ferraris, v<sup>o</sup> Jurisprudentia.

<sup>2</sup> Summa de Ecclesia. — V. Cardin. Archiep. Gousset, Exposition des principes du Droit canonique, n. 14 et seq.

<sup>3</sup> Cap. Nulli, dist. xxxviii. Jus canonicum differt a dogmatica, quia illud etiam quæ sunt agenda tractat; differt a morali, quia illud etiam quæ sunt eredenda comprehendit; differt ab utraque, quia scientia canonica primario respicit forum externum, publicum et sociale, et latius patet. Quia tamen istæ omnes disciplinæ mutuam sibi auxilium suppeditant, hinc ferme impossibile est, ut qui de una pertractat, alias etiam non attingat: quod a nobis factum est, hac etiam ratione, ut undequaque veritas propugnaretur. — V. Institutiones juris Canonici publici et privati ad usum scholarum accommodatæ, auctore R. de M. Opus Episc. Parisiis dicatum. Vol. II, apud Lecoffre, etc., 1855. — Soglia, Institutionum juris publici ecclesiastici. Mutinæ, 1850, vol. II. — Prælectiones habitæ in Seminario S. Sulpitii. Parisiis, 1860.

<sup>4</sup> Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico (t. I, prefazione). Lugano, 1844.

fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse præstituros R. Pontifici, si illum alicujus Principis vel Gubernii Dominio subjectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel Gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent. Et quidem dictant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicæ Sedis... quam fiducia et observantia ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones Summi Pontificis; cum illum cujusvis Principis aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent, præsertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam Ditionem diuturnum atiquod ageretur bellum? (Item in Encyclica 18 junii, et Allocutione 20 ejusdem mensis; et 26 sept. 1859. Iterum Encyclica 19 januar. 1860, et Allocutione 28 sept.)

200. Hoc temporale R. Pontificis dominium nulli juri repugnat. — Non repugnat juri humano, cum certe nullum hac de re jus prohibens allegari possit: dein quodnam jus humanum Pontifice superius, ut ejus vi politica eidem administratio vetetur? — Non repugnat juri divino: imo in veteri Testamento plura occurrunt exempla quæ nobis favent: sic Moyses, Deo auctore, et princeps temporalis et summus Pontifex erat<sup>1</sup>; Heli similiter fuit et Pontifex et judex politicus<sup>2</sup>; idem de Machabæis dicendum. — Non demum repugnat juri naturali; sane potestas Ecclesiastica, ut argumentatur Cercià, et potestas politica non sunt contrariæ; sed utraque bona, utraque a Deo, utraque laudabilis, et una alteri servit: ac proinde sine ulla principiorum pugnantia in eodem esse possunt. Imo, re per se inspecta, et ceteris paribus, multo melius in uno quam in duobus esse possunt; siquidem si sint in uno, facilius unitas servatur, et conspiratio duarum potestatum; et custoditur subordinatio potestatis temporalis ad spiritualem, ac vitatur lucta et conflictus, qui inter utramque oboriri possit<sup>3</sup>. Nonne in lege naturæ Sancti multi extiterant, qui simul reges et Pontifices fuere? Melchisedech fuit rex et pontifex<sup>4</sup>; Noe, Abraham, Isaac, et Jacob præfuerunt suis tum in religione tum in vita politica; imo olim semper primogenitus et rex et Pontifex erat<sup>5</sup>.

201. d) Dominatio temporalis R. Pontificis legitimis titulis innotuit; cum ei donata fuerit a Pipino, Carolo Magno, imo potius a spontanea

<sup>1</sup> Exod. xviii. — <sup>2</sup> I Reg. i et iv.

<sup>3</sup> Cercià, Tract. de R. Pontif. Append. — <sup>4</sup> Gen. xiv, et Hebr. vii.

<sup>5</sup> D. Hieronymus, In quæst. hebraic.



populorum deditio. Qua in re audiendus cl. Peraldi<sup>1</sup> : La souveraineté de ces États ayant été transférée aux pontifes romains non-seulement par la donation des princes qui l'avaient conquise, mais par la volontaire et formelle transmission des peuples, confirmée et ratifiée par le consentement de plus de onze siècles ; les générations postérieures et présentes voient donc la souveraineté aux mains du pape, et elles ne peuvent en reprendre l'exercice, parce qu'il devient très-légitimement le droit d'autrui.

« Oh ! la souveraineté (ne cessent-ils de crier) est l'attribut imprescriptible du peuple ; le peuple la crée, elle réside dans lui ; elle appartient donc toujours de droit au peuple, puisqu'elle est inaliénable, et il peut la reprendre lorsqu'il lui plaît. » Il faut en finir avec cette confusion juvénile d'idées aujourd'hui si en vogue, fondement erroné du droit public appliqué par certaines nations, répandu sérieusement ou avec fourberie par leurs philosophes... Quoi qu'il en soit de la maxime, que le peuple a originairement le droit de se constituer au point de vue politique et d'exercer les attributs de la souveraineté, précisément puisque ce droit vient originairement du peuple, il a dès lors la faculté de le transmettre aux autres et d'appeler qui il lui plaît à le gouverner. Et lorsque le peuple l'a cédée, par le fait de la transmission, elle ne lui appartient plus ; en vertu de la loi naturelle dérivant de cet acte spontané, dès ce moment elle appartient à la personne morale ou individuelle à qui on l'a transmise ou cédée : de même que, si une nation cède à une autre une partie du territoire ou émancipe ses colonies, la possession et la propriété de ces lieux passe au cessionnaire ; l'indépendance aux émancipés, par le droit irrévocable de la loi naturelle. Les contrats n'obligent-ils pas par la loi rigoureuse de la nature ? Mais c'est ce qui a lieu précisément pour la souveraineté temporelle des pontifes romains (P)<sup>2</sup>. »

<sup>1</sup> Mons. Peraldi : *Del civile principato della Chiesa romana* ; it., aliud Opus ejusd. auctoris, *Memorie sulle inviolabilità delle istituzioni politiche del Governo Pontificio*. — V. *Civ. catt.*, vol. IV, ser. IV R : ragioni e diritti de' papi al principato ; et vol. V : *Esame d'un opuscolo*, ecc.

<sup>2</sup> Hoc tamen auctor negat ; sic enim ad rem distinguit : « Autre chose est la souveraineté, autre chose le droit de l'exercer. Le peuple ni personne ne crée la souveraineté, puisqu'elle est le fondement de l'ordre, qui constitue la société civile. Il n'y a pas d'agrégation politique sans ordre, l'ordre consiste dans le gouvernement du corps social, le gouvernement ne peut subsister sans le droit à régir ; on ne régit pas sans lois. Ainsi on ne peut gouverner sans le pouvoir de faire des lois, et d'autre part sans l'obligation de les observer ; ce qui équivaut à dire sans autorité et sans obéissance, sans pouvoir et sans soumission. Ce pouvoir est la souveraineté ;

## Art. II. — De auctore legis civilis.

### 202. Q. 1. An Principes potestatem habeant ferendi leges ?

R. Certum est Principes sæculares habere potestatem ferendi leges circa res mere temporales ac civiles, et subditos in conscientia obligandi.

Probatur 1. *Ex Scripturis* : Apostolus Petrus scribit : *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei*<sup>1</sup> : ubi vides non solum principi ipsi tanquam Dei ministro, sed etiam publicis officialibus tanquam principis ministris nos subditos esse debere, sic volente Do-

elle n'est donc pas une création du peuple ni une prérogative de la nation, elle naît essentiellement de la nature de la société civile. La souveraineté existe donc par elle-même, non par le peuple ; lui-même s'y assujettit en se déterminant à vivre en société. Le peuple ne fait pas la souveraineté, mais il la trouve dans la vie politique qu'il cherche. » — Unde populus a principio liber quidem erit in eligenda sui gubernii forma ; at illa semel electa, suo vinculo ligatur. — « Le droit du peuple étant lié, ajoutez-vous, en se choisissant son propre gouvernement, qui sera au-dessus du peuple ? La loi naturelle. Ceci vous paraît peut-être un blasphème politique, mais tout droit primogénitif et naturel dans l'homme n'est-il pas inviolable, sacré, imprescriptible ? En effet, mille titres, tous légitimes et justes, sont liés et lient ; je dis l'indépendance personnelle et réelle, l'autorité paternelle, etc. ; lois qui, par le fait de l'homme lui-même, acquièrent la force et le caractère de loi naturelle revêtue d'inviolabilité. Mais tous les droits n'ont-ils pas une force égale ? On sait bien que dans les droits il n'y a pas d'inviolabilité plus grande ou moindre, ce qui renfermerait contradiction. Mais vous le niez, si vous osez affirmer que l'inviolabilité des droits du peuple est supérieure à celle des droits naturels de l'individu. — Les principes du droit naturel valent autant pour l'individu que pour une multitude ou pour une nation, parce qu'ils obligent également un homme quel qu'il soit, soit individu ou être collectif, à les respecter, parce qu'ils sont inviolables. Lorsque vous nommez l'homme collectivement, vous n'exprimez autre chose, sinon des hommes réunis ; ce qui veut dire l'homme considéré en une certaine manière d'être, chose ou qualité purement précaire et accidentelle, qui ne peut soustraire l'homme à l'empire de la loi éternelle, immuable et universelle de la nature, règle de l'homme seul, et des nations, des familles et des empires. » Idem auctor.

<sup>1</sup> Ep. I. c. II.

mino et propter ipsum Dominum, ideoque in conscientia. Et Paulus ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*<sup>1</sup>: quibus verbis omnes contra legitimos principes tumultus et seditiones rigorose prohibentur; se submissio, et obedientia ipsis præstanda præcipitur. Onus autem obediendi in subditis supponit in principibus jus imperandi, ideo et leges condendi, quibus suum ipsi imperium exercent.

2. *Ex traditione*: omnes enim Ecclesiæ Patres atque Doctores constantissime docuerunt Principum sæcularium legibus omnino esse obtemperandum; atqui fallax esset, imo ridicula doctrina hæc, si Principes non haberent veram potestatem ferendi leges.

3. *Ex ratione*: Principes sæculares tenent a Deo potestatem regendi subditos juxta illud: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant*<sup>2</sup>; atqui nec Reges regnare, nec Principes imperare dici possent, si non possent ferre leges. Ceterum advertendum hanc potestatem civilem, quam singuli Principes tenent, non esse a Deo immediate, sed mediante societatis civilis consensu; jus enim divinum generatim nulli homini particulari tribuit hanc potestatem, ergo tribuit multitudini; multitudo autem illam transfert in unum vel plures, cum non possit per se ipsam exercere. At semel translata, accedit Dei auctoritas, et jus naturale ac divinum, quod statim obligat ad parendum electo vel electis eorumque legitimis successoribus (secus dici non posset quod reges per Deum regnant, bene vero per populum): quare non licet contra ipsos insurgere. Hinc et contra Deum faciunt, et lugubriter ac cum ingenti publicæ tranquillitatis dispendio errant, uti notat Stapf, qui omnem potestatem ex populo derivantes, principem non nisi tanquam summum ejusdem officialem et mandatarium, ad nutum amovibilem sistunt<sup>3</sup>. — Ex dictis

<sup>1</sup> Rom. XIII.

<sup>2</sup> Prov. VIII. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 104.

<sup>3</sup> V. *Civiltà cattolica*, vol. IV, serie IV: dilemma proposto in un pranzo patriottico. — Zellingner, *Instit. juris naturalis*, § 204. — Bianchi, *Della*

etiam patet differentia inter potestatem laicam et ecclesiasticam<sup>1</sup>; nam prima potest habere diversas species, cum hæc ultimo sit de humana electione ac determinatione; non autem secunda, quod esset contra institutionem Christi, qui gubernium Ecclesiæ suæ voluit perdurare immutatum usque ad consummationem sæculi eo tantum modo, qui ab ipso primitus præstabilitus est, nempe in solis et omnibus D. Petri successoribus (Q).

Merito autem diximus principes sæculares non posse ferre leges, nisi circa res mere temporales ac civiles; quia sicuti Ecclesia ut talis, leges civiles condere non potest, ita nec Princeps sæcularis leges Ecclesiasticas; quia nemo potest exercere jurisdictionem, nisi circa res suo regimini subjectas. Neque Principibus, sed Apostolis eorumque Successoribus commissum fuit depositum fidei nostræ, iisque solis dixit Christus: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, ut ait Gregorius XVI Encyclica *Commisum* anno 1835<sup>2</sup>.

203. *Sed (quæres) quinam sunt Principes, quibus hæc legum ferendarum potestas inhæret?* — Sunt qui supremam gaudent auctoritate, uti Imperator pro suo imperio, Rex pro suo regno, Respublica pro suis subditis, et civitates quæ ab aliena jurisdictione dicuntur exemptæ, pro suo territorio. Ratio generalis est, quod præpositi communitatis perfectæ, quæ nempe sibi sufficit, ex natura proprii officii legislativam potestatem habere debent, utpote necessariam ad recte ac convenienter communitatem ipsam regendam. In guberniis autem *Repræsentativis* potestas legislativa ad solum regem

*podestà della Chiesa*, t. I, l. I. — Stapf, § 469. — Taparelli, *Saggio*, ecc., § 505, etc.

<sup>1</sup> V. Gregorio XVI, *Il trionfo della S. Sede e della Chiesa contro gli assalti dei novatori combattuti e respinti colle stesse loro armi*; discorso proemiale.

<sup>2</sup> Qua in re juvat præ oculis semper habere, quod Osius Cordubensis Episcopus Apostolica libertate ad Constantium Imperatorem scribebat: *Ne te rebus misceas Ecclesiasticis, neque nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concedidit: metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias*. — V. Pallavicini, *Storia del Concilio di Trento*, c. XIX, § 14. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., vol. II, diss. II, n. 28.

non pertinet, sed etiam ad legatos tum ab ipso rege tum a populo electos.

204. *Quid (addes) de tyrannis et usurpatoribus?* — Qui justo titulo possidet regnum, sed illud male administrat, plures injustitias et immanitates committendo tyrannus *administratione* seu *regimine* dicitur (a græco verbo *tyro* quod cruciare et vexare significat). Ipsi ejusque legibus profecto obtemperandum est clamante D. Petro: *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis*<sup>1</sup>. Et Augustinus, ut unum ex Patribus citemus, habet: *Etiā nocentium potestas non est nisi a Deo; in libro Job scriptum est, qui regnare facit hypocritam hominem propter perversitatem populi. Et de populo Israel dicit Deus: Dedi eis regem in ira mea. Injustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, et bonorum patientia probetur, et malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem diabolo datam et Job probatus est, ut justus appareret; et Petrus tentatus est, ut non de se præsumeret; et Paulus colaphizatus, ne se extolleret; et Judas damnatus, ut se suspenderet*<sup>2</sup>. Id tamen intelligitur si præcipiantur quæ licite præstari queunt; alioquin martyres imitari tenemur, qui mortem potius passi sunt quam tyrannorum iniqua præcipientium voluntati parere.

Quod usurpatorem vero seu alterius regni invasorem spectat, qui scilicet per vim occupat aliquem Statum iniquiter expoliando de eo legitimum dominum (qui tyrannus *titulo* dici solet) in ipso invasionis actu non est illi obtemperandum, cum ex una parte sit fur et latro, ex altera parte nulla sit ratio boni publici ut ei debeamus subito cedere et obedire; et ideo cum facultas adest, possumus tale dominium repellere. Si vero injuste jam occupato alieno Statu, deinde illum pacifice teneat, tunc tenemur ejus legibus bonum publicum et honestum promoventibus obtemperare ad vitanda gravissima mala, quæ aliter orientur; non enim diu societas sine legibus, et sine supremo ordinante stare potest. Neque ideo aliquid detrahatur legitimo principi: *Quia rex ejectus rempublicam administrare nequit, ideo subditi qui se invasori subjecerunt ubi is in quietâ fuerit possessione, eidem tenentur obedire, non quidem ex invasoris jure quod nullum est, sed ob universale bonum; ex quo ille etiam qui jus imperandi habet, velle non potest, ut populus intereat potius, quam invasori se submittat: quare et vi obligationis rectoris tenetur juramentum fidelitatis non urgere. Quamprimum autem subditi ab imperante defendi possunt, jam obligantur ad eum redire; quia juri alteri*

<sup>1</sup> I Petr. II. — <sup>2</sup> De Nat. bon. contra Manich.

*quæsito in perpetuum præjudicare nequeunt*<sup>1</sup>. Et factum usurpationis de se nullum jus tribuit invasori, qui cum sit in mala fide non potest præscribendo sanare possessionem suam (R).

205. Q. 2. *Quid de Corpore juris civilis?*

R. Corpus Juris civilis est complexus omnium Legum, quam Justinianus imperator sæculo VI, opera præsertim Triboniani Jurisconsulti celeberrimi, in unum Corpus collegit et edidit pro imperii sui regimine.

Constat autem tomis duobus: primus continet a) *Institutiones*, seu *Elementa Juris universi* in quatuor libros distributa; b) *Leges collectas* ex præclarissimis veterum Jurisconsultorum scriptis, et hæc collectio appellatur *Digestum*, quasi nempe auctor in ordinem ibi *digesserit* universa, quæ pertinent ad Jus civile, et ad Jurisprudentiam universalem. A Græcis nuncupatur *Pandecta* (a græco *pan* omne, et *decho-mai* continere) quasi nempe omnia complectens, quæ Jurisprudentiam spectant. Secundus tomus continet alteram collectionem decisionum et legum, quas postea edidit ipse Imperator sub *Codicis* nomine. Codici accedunt *Constitutiones* recentiores, quas vocant *Authenticas*, et etiam *Novellas*; quia quasi de novo editæ sunt<sup>2</sup>. — Hæc leges constituiebant *jus romanum*, quod simul cum lege ecclesiastica efficiebat *jus commune*, ita nuncupatum, quia per tot sæcula obtinuit in orbe. Sed sæculo XVIII omnia fere regna suos condiderunt *Codices civiles*, atque pœnales ut innumus in Procœmio.

206. Quoad civiles porro leges tria notamus cum S. Alphonso no-

<sup>1</sup> Zelling. *Jus naturæ publicum*, l. III.

<sup>2</sup> Institutiones sic citantur: *Inst. de mand.* § 4 *mandantis*, id est Institutiones sub titulo *de mandato* paragrapho primo incipiente *mandantis*. — *Pandectæ* sic: *L. VII, § 4 sed cum de pactis*, id est lege septima § quarto incipiente *sed cum* in *digestis* seu *pandectis* sub titulo *de pactis*. — *Codex* sic: *L. creditor, c. de usuris*, id est lege quæ incipit *creditor* in *Codice*, titulo *de usuris*. — *Authenticæ* seu *Novellæ* sic: *Nov. xxx, c. 1*, id est *Novella vigesima secunda*, cap. primo; vel etiam sic: *in Auth. de nuptiis col. iv, c. 1, Duo igitur*, id est in *Authentico*, titul. *de nuptiis* collatione quarta, capite primo incipiente *Duo igitur*. — *Codici adjuncti sunt libri feudorum* (qui jura militaria vocabantur) qui sic citantur: *lib. I, f., tit. vii, c. un.*, id est in libro primo feudorum titulo septimo, capite unico.

stro : 1. leges civiles expresse adprobatae a jure canonico, sine dubio obligant etiam in foro conscientiae : ita v. g. est lex Justiniani (*Novell. § per occasion.*) qua datur triennium ad experiendam conjugum impotentiam : quae adprobata fuit a Coelestino III (*C. Laudab. de frigid. et malefic.*) ; — 2. leges civiles a jure canonico correctae, non amplius obligant in conscientia : doctrina enim ac regula morum tradenda a Christo data est Ecclesiae. Ita lex civilis (*L. Nuptiae 2, ff. de rit. nupt.*), qua invalidabatur matrimonium filii familias sine consensu parentum contractum correctae est in jure canonico (*C. Cum locum de spons. Licet, c. Tua de spons. duor.*) et nuper in Tridentino (*Sess. 24, c. 1, de R. sacr. matrim.*) ; — 3. leges civiles a canonico jure non reprobatae, videntur eo ipso tacite adprobari ; nam ibi sic dicitur : *Sancta Ecclesia legum saecularium non respuit simulatum quae aequitatis et justitiae vestigia imitantur*<sup>1</sup>. Hinc Fagnanus, et Benedictus XIV cum communi docent judicem ecclesiasticum in quaestionibus, in quibus de jure canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare juri civili<sup>2</sup>.

Si res ita se habet, necesse est profecto, ut theologus moralista sufficientem juris civilis scientiam habeat ; nam ex eodem Benedicto XIV jus canonicum et civile ita se mutuo adjuvant, ut qui optime *primum nosse cupit, alterius scientiam sibi comparare debeat*. Quae necessitas maxime pro Confessariis et animarum Rectoribus facile patet, si animadvertatur, innumeras in fidelibus occurrere factorum species, in quibus directione egent ad bene agendum etiam in rebus civilibus, in ipso foro conscientiae : uti si sermo sit de testamento faciendo, de legatis fundandis vel exequendis, de contractibus inveniendis, etc. Unde leges civiles a Morali Theologiae tractatoribus utiliter citantur (S).

## CAPUT QUARTUM

## DE LEGIS HUMANAЕ MATERIA ATQUE SUBJECTO

## 207. Q. I. Quidnam constituit materiam legis humanae?

R. Omnes actus, qui possunt ab humana lege praecipii vel prohiberi ad publicum bonum, dicuntur constituere materiam

<sup>1</sup> C. *Super specula de privil.*

<sup>2</sup> De *Syn.*, l. IX, c. xv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106.

legis humanae. Quod ut bene cognoscatur, oportet imprimis inquirere, quid ab humana lege possit, quid vero non possit juberi ac vetari. Atque illud praeter ceteris certum est a lege humana nihil juberi posse, quod sit contra legem naturalem et divinam positivam ; nam potestas humana est subordinata potestati ac voluntati Dei, et inferior derogare non potest auctoritati superioris. Hinc S. Thomas loquens de legibus humanis, quae sunt contra legem divinam, ait quod *tales leges nullo modo licet observare ; quia sicut dicitur Actorum IV : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus »*.

208. Q. 2. An lex humana possit praescribere virtutum actus heroicos ?

NOTA. Virtutes ratione exercitii distinguuntur in communes et in heroicas. *Communes* sunt, quae ab hominibus exercentur secundum illam rationem, quam solent servare plerique eorum, qui virtutem profitentur. *Heroicae* vero illae sunt quae, habita ratione circumstantiarum, admirationem pariunt, arduum includunt, promptitudinem exigunt<sup>2</sup> : esset si puer rigorose jejunaret. Hoc posito :

R. Lex humana non potest praescribere virtutum actus heroicos ; nam lex humana debet accommodari communi hominum conditioni, et esse moraliter possibilis toti communitati vel majori saltem ejusdem parti, atqui exercere quoslibet virtutum actus etiam heroicos non est, nisi paucorum<sup>3</sup>. Pariter neque lex humana potest omnia omnino vitia vetare etiam levia in generali ; quia non est omnium, sed perfectorum, ideoque non nisi paucorum ea vitare : at lex debet accommodari toti vel saltem majori parti communitatis, quae certe perfectioni non studet. Unde concludimus : lex humana potest generatim illos *externos, licet occultos* virtutum actus

<sup>1</sup> 1, 2, q. 96, a. 4.

<sup>2</sup> V. Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.*, l. III, c. xxi.

<sup>3</sup> Hoc non debet intelligi de legibus iis quae feruntur ex data hypothesi alicujus status peculiaris, in quem subditus se voluntarie conjecerit, quem propterea *hypotheticum* vocant, *adventitium*, sive *electivum*. Sic Ecclesia praecipit Monialibus perpetuam clausuram : Sic hominibus gravissimi criminis reis poenae item gravissimae possunt imponi ; ipsis enim liberum erat se subtrahere aliter operando.

præcipere, qui communi bono expediunt, et ordinariæ facultati communitatis sunt accommodati; cum hic totus sit legis finis. Item eos *externos*, licet occultos vitiorum actus prohibere, qui communi bono sunt noxii, et communiter declinari queunt.

Diximus 1. *externos*: lex enim humana versatur circa externam politiam ac gubernationem, quæ ut prospere cedat, satis est regulariter, ut exterius homines valeat regere ac cohibere; — 2. *licet occultos*, nam uti ait Angelicus, *omnes actus exteriores etiam occulti, licet per accidens non cadant sub iudicio, cadunt tamen sub lege*<sup>1</sup>; lex enim non attendit quod fortuito evenit. Hinc sub excommunicatione latæ sententiæ est prohibita hæresis externa, etsi occulta.

209. Q. 5. *An lex humana possit præcipere, vel prohibere actus internos?*

Nota. Actus internus præcipi potest et prohiberi: tum directe sive in se, uti Scholæ loquuntur; tum indirecte seu ratione actuum externorum, quibus ipse necessario coniungitur. Potest autem actio interna cum externa coniungi vel tanquam forma constituens actum ipsum externum: talis est consensus in matrimonio; vel tanquam causa effectum suum producens: talis est v. g. voluntas occidendi in homicidio voluntario. His præmissis:

R. Si sermo est de illis internis actibus, qui cum externis necessario coniunguntur, certum est legislatorem humanum præcipere et prohibere posse indirecte actus internos, quatenus nempe per se conjuncti sunt cum actibus ipsis externis vel tanquam forma, vel tanquam causa, vel tanquam conditio necessaria: uti est v. g. animi consensus in venditione, cordis contritio in Confessione. Sane si legislator humanus cogere potest ad actum externum legitimum et validum, v. g. ad validum contractum, ad validam Confessionem, cur item obligare non poterit ad ea, quæ cum validitate illa necessario conjuncta sunt, et quibus omissis, actio externa frustra præciperetur? Qui enim præcipere potest ut valide facias, potest

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 100, q. 5. — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico*, etc.; t. I, p. III<sup>a</sup>.

etiam præcipere ut voluntate facias; cum non aliter, quam voluntate tua illud valide facturus sis.

Si vero sermo est de iis internis actibus, qui cum externis necessario non coniunguntur, tunc quoad legislatorem civilem consentiunt omnes, eundem non posse præcipere, vel prohibere ullo modo in se actus internos. Quare? quia etiam sine his obtinet finem suum, qui est quies et tranquillitas Reipublicæ, quæ facile habetur, si actus externi qui præcepti sunt, bene fiant, et diligenter evitentur qui sunt prohibiti. Sic qui solvit tributum, etiamsi invitus, modo solvat, sufficit.

Diximus quoad legislatorem civilem, quia de Ecclesiastico disputant. Alii affirmant ipsum posse tales internos actus præcipere et prohibere; quia ipse tuetur bonum animarum et illimitatam a Christo acceptam potestatem. Verum probabilius ac communius docent cum Benedicto XIV<sup>1</sup>, ipsum quoque minime posse. Cum enim Ecclesia actus mere internos cognoscere non possit, neque judicialiter eorum potest urgere executionem, vel omissionem punire: ergo neque illos præcipere vel vetare; nam de ratione veræ societatis est, ut quos imperat actus, ipsa per se cognoscere valeat. Sic argumentatur Angelicus<sup>2</sup>.

Unde quod homo debeat actus etiam mere internos ad salutem suam ponere, est de ordinatione Dei, non de potestate legislativa Ecclesiæ, quæ bonum quidem respicit animarum, sed mediante honestate actuum externorum<sup>3</sup>.

210. Q. 4. *An lex se extendat ad actus præteritos?*

R. negative: Lex non se extendit ad actus præteritos, neque ratione culpæ, cum non sit prævaricatio ubi non est lex: neque ratione veræ pænæ, cum hæc tantum lata sit in culpæ

<sup>1</sup> *De Syn.*, l. IX, c. rv. — <sup>2</sup> 1, 2, q. 100, a. 9.

<sup>3</sup> 1, 2, q. 100, a. 9. De hac questione fusius agit Castropalaus. Hic notanda: — 1. Confessarius, cum ipsum Christum ita propius repræsentet, et divinæ ejus potestatis in peccata delendo fiat particeps, ideo et actus mere internos injungere potest pœnitenti, uti internas aspirationes, etc., *Voit*; — 2. etsi consuetum non sit nec consultum, ut prælati sub peccato præcipiant suis religiosis actus internos; probabile tamen est fieri posse; quia verisimile est, quod aliqui religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant. Busembaum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 100; l. IV, n. 45.

vindictam: neque ratione rescissionis, nisi in aliquo casu a lege expresso. Unde vulgare est, quod *lex non respicit retro*.— Consonat Codex civilis<sup>1</sup>; magna enim conturbatio esset, si actus per veterem legem gesti per novam sine causa prohibito mutarentur.

211. Q. 5. *Quodnam est subjectum legis humanæ?*

R. Omnes et solos subditos rationis usum habentes vi sua complectitur lex humana:

1. *Omnes subditos*: Hoc est contra quosdam, qui vel christianos vel justos excluderent; Apostolus neminem excludit, cum dicat: *Omnis anima potestativis sublimioribus subdita sit*<sup>2</sup>. Unde quando ait: *Lex justa non est posita*<sup>3</sup>, id solum innuit, justum non agere ex timore legis, sed ex legis amore. Imo vel ipsos legislatores lex obligat (nisi eorum deceat dignitatem), non quidem vi proprii mandati, sed vi legis naturalis, quæ jubet, ut ipsi æquitatis regulas custodiant, et bonum exemplum præbeant subditis (T).

2. *Solos subditos*: quia potestas legislativa in iis, ad quos se extendit, subjectionem importat; subjectio autem non datur, nisi in subditis. Hinc non baptizati tenentur quidem præceptis Evangelicis ubi primum sufficientem Evangelii notitiam adepti fuerint, quia subditi sunt Deo, qui legem Evangelicam omnibus gentibus indici præcepit<sup>4</sup>; sed non tenentur legibus Ecclesiasticis, quia Ecclesiæ minime subjiciuntur juxta illud Apostoli: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare*<sup>5</sup>? Quapropter non peccaret qui, secluso scandalo et legis Ecclesiasticæ contemptu, carnes die vetito iisdem suppeditaret; quia nullius peccati ne materialis quidem causa esset.

3. *Rationis usum habentes*, et merito; lex enim non imponitur, nisi subditis, qui obedientiæ capaces sint atque directionis. Hinc perpetuo amentes ob defectum rationis non obligantur præceptis; quod *regulariter* tenet etiam de pueris ante septennium. Sed statim ac ipsum compleverint, iis adstringuntur: quod tenet etiam in dubio rationis adeptæ;

<sup>1</sup> Art. 41. — C. A. civ., § 409. — C. G. art. 2. — C. S. 2. — C. P. 7. — C. M. 5.

<sup>2</sup> Rom. xiii. — <sup>3</sup> I Tim. i.

<sup>4</sup> Matth. xxviii, v. 19. — <sup>5</sup> I Cor. x.

nam tunc præsumptio stat pro rationis usu. Quædam tamen excepe, quorum materia non adhuc ipsis congruit, ut communio Paschalis ac jejunium.

Diximus *regulariter*; quæstio enim est, an ipsi teneantur legibus, si ante septennium usum rationis consequantur. Alii negant non improbabiler cum Angelico<sup>1</sup>, quia hoc eveniret per accidens; lex autem non respicit, nisi quod communiter contingit<sup>2</sup>. Alii multi cum Bosco, Salmanticensibus, Suarez, etc., valde probabiliter affirmant, quia per usum rationis homo jam fit subjectum capax; leges autem ordinariæ non septennium, sed discretionem notant. Et hoc congruens videtur; imo admittendum si agatur de præcepto annuæ confessionis; nam caput *Omnis* de discretionis usu loquitur<sup>3</sup>.

212. *Quid vero (inquies) de ebriis, et de iis qui delirant tantum ad tempus?* Hi legibus humanis obligantur; quia sunt in statu habitualis rationis usus, licet per accidens ad tempus aliquod impediti. Quare si (scandalo et legis contemptu seclusis) fas est carnes ad manducandum ministrare pueris et perpetuo amentibus, id agere erit prorsus illicitum cum ebriis, et ad datum temporis intervallum delirantibus. Ratio est quia *primi* sunt omnino exleges; non item *secundi*, qui sunt capaces rationis et directionis, solumque accidentaliter privantur.

*Quid (addes) de excommunicatis, hæreticis et schismaticis?* — Excommunicati utique Ecclesiæ legibus subduntur, quamvis de Ecclesia ejecti; secus ex malitia sua commodum reportarent. Hæretici vero, schismatici et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, rigorose et per se ecclesiasticis legibus obligantur; quia quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiæ subditi. Neque juvat asserere illos esse membra à corpore Ecclesiæ abscissa; nam ita appellantur quoad communionem, non vero quoad characterem. — Attamen per accidens in praxi non videntur peccare in singulis casibus si has vel illas leges non servant; quia licet sint hæretici formales, et ideo graviter peccent per rebellionem generalem; nihilominus in particularibus peccare non

<sup>1</sup> 2, 2, q. 147, a. 4. — <sup>2</sup> Ex L. *Nam ad ea ff. de Leg.*

<sup>3</sup> V. Liguori, *H. Ap.*, tr. ii, n. 57; *Op. Mor.*, l. I, n. 155; l. III, n. 270 et 1012. — Ferraris, *Biblioth. canonica*, etc., v° Lex, art. 5. Attamen omnes admittunt, pueros ante septennium non incurrere penas transgressoribus impositas, nisi id expresse declaretur.

putant. Ita Gury; hoc tamen ab aliis non admittitur (nisi illi versentur in ignorantia invincibili): secus neque per generalem rebellionem culpa tenerentur; quia neque in hac putant peccare.

213. Q. 6. *An Ecclesiastici legibus civilibus obligentur?*

R. affirmative: Clerici legibus civilibus obligantur, si de legibus agatur, quæ non adversantur immunitatibus illis, quas Tridentinum appellat *Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutas*. Omnes enim partes communitatis politicæ legibus politicis obligantur; atqui Clerici sunt partes communitatis politicæ. Hinc Apostolus sine ullo personarum discrimine inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*<sup>1</sup>. Dicit: *Omnis anima*, ait hic Chrysostomus; ergo *etsi Apostolus esses, etsi Evangelista, etsi Propheta, etsi quisvis alius; neque enim hæc subjectio subvertit pietatem*.

Imo præstat, ut Clerici obediendo aliis sint diligentiores: *Fidelitatis exemplum*, ait Bouvier, *præbeamus populis, et verbo ac opere reddamus quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo (U)*.

214. Q. 7. *An peregrini, advenæ et vagi teneantur legibus patriis?*

Nota. *Peregrinus* dicitur qui extra proprium territorium per aliquot dies, vel ad summum per minorem anni partem versatur animo ad sua redeundi, ut sunt viatores et mercatores excurrentes. *Advena* qui extra proprium territorium posuit domicilium suum vel quasi-domicilium. Porro communiter docent, quod ille statim domicilium acquirit, qui habitat alicubi animo perpetuo manendi: qui animus in foro externo præsumitur, si habitatio sit decennalis, vel si ibi domus sit ædificata aut major pars bonorum adsportata<sup>2</sup>. Quasi-domicilium vero acquirit qui alicubi manet per majorem anni partem: tales sunt famuli, et scholastici<sup>3</sup>. *Advena* æquiparatur loci incolæ. *Vagus* denique est qui nullibi fixum

<sup>1</sup> Rom. XIII.

<sup>2</sup> V. Bulla, *Speculatores*. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. XII, n. 40.

<sup>3</sup> In civili jurisprudentia nulla fit mentio *quasi-domicilii*. De politico domicilio V. lex 17 dec. 1860; de civili Cod. civil. *Pedemont.*, art. 66. — C. A. civ., § 28. — C. G., art. 102. — C. S. 107. — C. P. 14. — C. M. 51.

ac determinatum domicilium habet, sed de uno in alium se locum transfert. Hoc posito:

R. Si sermo est de præceptis, quæ personas immediate afficiunt et leges personales appellantur, certum est eas obligare peregrinos, advenas et vagos ubicumque, hoc ipso quod non eorum territorio sed eorum personis tenaciter hæreant. Hinc Sacerdos in sua diœcesi suspensus a muniis Sacerdotilibus, nequit nec in diœcesi aliena celebrare.

Si vero sermo est de illis legibus, quæ afficiunt loca, et dicuntur locales, tunc sententiâ communissima docet cum Lessio, Palao et Salmanticensibus, eos minime ligari, nisi *fictione juris*, uti loquuntur Scholastici, *in proprio territorio adhuc censeantur*. Ratio est, quia legislatoris jurisdictio ita est proprio territorio affixa, ut extra illud se extendere non possit<sup>4</sup>. Hinc qui moratur in loco ubi lex jejunii non est, potest licite comedere, quamvis in patria jejunium indictum sit. Quod valet etsi lex jejunii sit de jure communi, sed abrogata ubi nunc ipse commoratur; quisque enim potest se conformare loco, ubi est.

Diximus *nisi fictione juris in proprio territorio adhuc esse censeantur*. Sic v. g. si quis extra proprium territorium rem suam venderet in suo territorio extantem, servare teneretur ejusdem leges in tali venditione. Sic etiam beneficiatus, qui non residet, omissionem patrare censetur in proprio territorio, et pœnas ibidem latas contra non residentes incurrit. Ibi enim res consummari censetur ubi fieri debuisset: unde delinquens habetur uti moraliter præsens.

215. *Quid (dices) si peregrinus e proprio territorio ideo egrediatur, ut se a legis obligatione subducat?*

Alii contendunt cum Antoine, Collet, Concina, etc., peregrinum illum proprii adhuc territorii legibus teneri. Quare? quia: 1. leges eam semper habent adnexam conditionem, ut subditis sine causa non liceat earum effugere vim et obligationem; 2. ex juris adagio: *Nemini sua fraus debet patrocinari*; 3. Sacra Concilii Congregatio illegitimum declaravit

<sup>4</sup> Constat etiam ex c. *Ut animarum, de Const.* in 6.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 156; et *Homo Apost.*, tract. II, cap. IV, nn. 39 et 40.

matrimonium illius, qui solo animo illud clandestine contrahendi recessit e loco, ubi Tridentinum fuit promulgatum, et se contulit ubi promulgationem non habuit.

Alii tamen cum Azorio, Bonacina, Filiucio, Pako, Salmanticensibus, Sanchez, etc., contra sentiunt. Sane peregrinus ille utitur jure suo; lex enim non prohibet exire e proprio territorio, sed prohibet tantum præcepta sua violari ab iis, qui sunt in territorio suo; ideoque non fraus et dolus, sed loci conditio peregrino illi favet: *Nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur*, clamat jus<sup>1</sup>.

216. Quæres: *Qui discedit e proprio territorio ubi lex viget, teneturne ante discessum eam implere, si eo venturus est ubi illa non viget?*

Alii affirmant ipsum teneri, si eam implere commode possit; quia præceptum actu obligans actu impleri debet, si postea non potest. Sed alii negant, nisi *lex continuatim obliget*: unde non tenetur v. g. quis mane audire Missam die festo, si ante prandium venturus est in locum, ubi non adest illud Missam audiendi præceptum. Si enim domi mansisset, legis implementum differre poterat usque ad illud temporis punctum, quo discessit: cum autem pervenit ad alium locum, desinit obligari<sup>2</sup>. Si tamen ibidem unum tantum esset Sacrum ac celebraretur ante illius discessum, teneretur illud audire; quia tunc tempore habili esset consummata obligatio. Licet

<sup>1</sup> Quod desumitur ex declaratione S. Congregationis, ad rem non facit, nam qui discedit a proprio territorio et se confert in locum, in quo Tridentinum non est promulgatum, eo animo præcise ut ibi matrimonium clandestine contrahat, vere agit in fraudem legis, id est Constitutionis Urbani VIII, qui decretum Congregationis id prohibentis, imo annullantis probavit. Quod non currit in casu nostro, cum nulla adsit lex, quæ id expresse prohibeat; quando igitur non sit facta prohibitio, jure nostro uti merito possumus. Et sane si res v. g. Taurini sit minoris taxata, quid prohibet, quominus me illuc conferam, ut rem illam minoris emam? nempe ex hæc præceptum est et lex, afficiens et locum et personam.

<sup>2</sup> Neque obest, quod prævidens impedimentum tenetur illud prævenire; quia tunc id habet locum, cum, manente vi præcepti, quis prævidet se ab illius observantia impeditum iri: non vero cum quis a præcepti obligatione futurus est liber. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 156. It. vid. Gousset, Gury, Voit, etc.

prima sententia non appareat probabilior, suaderi tamen poterit uti pia.

Diximus *nisi lex continuatim obliget*; si enim lex proprii territorii omnibus momentis urgeat, omnibus momentis implenda est. Sic si in tua Parœcia speciale jejunium indictum sit, non potes illud frangere, quandiu in ea manes. Nec excusat privilegium loci, quo venturus es; quia eo nondum venisti.

*Saltem (dices) peregrini eruntne obligandi legibus loci, in quo morantur, ne dicantur sine lege vagari?* Obligantur: — 1. cum agitur de talibus rerum circumstantiis, ut periculum scandali sit, si peregrinus a legis obligatione subduceretur; nam scriptum est: *Væ homini illi, per quem scandalum venit*<sup>1</sup>; — 2. cum agitur de legibus juris communis, a quibus per privilegium peregrinus suo in territorio esset exemptus; nam per discessum privilegium prorsus amitteret, cum loco affixum sit. Hinc si tu mane sis in loco, ubi ex privilegio non jejunatur, potes ibidem vesci carnibus; sed cum pervenis in locum, ubi de jure communi viget jejunii lex, teneris jejunare. Quod videtur probabilius tenendum, etiamsi in loco privilegiato duplicem jam sumpsisses refectionem; quia redeundo in territorium legis communis, statim hac ligaris et juberis conformari aliis subditis jejunantibus<sup>2</sup>; — 3. cum agitur tam de contractibus, quia in iis quisque sortitur forum loci, ubi contrahit, ut confusio evitetur; quam de delictis, quia delinquens sortitur forum ubi deliquit: æquum est enim, ut scelera puniantur ubique.

Hisce casibus exceptis, disputant utrum peregrini tenean-

<sup>1</sup> Matth. xviii. An peregrinus teneatur ad legem particularem illius loci in quo casu moratur, si eadem lex particularis vigeat in patria, alii negant; quia nec tenetur legibus patriæ, quia abest; nec legibus loci particularibus quia peregrinus est. Sed alii affirmant, quia utrobique manet sub influxu illius legis; cum eadem lex vigeat in loco ubi degit.

<sup>2</sup> Qui legi communi jam in suo territorio satisfecerit, probabilius non iterum satisfacere tenetur adveniens in locum ubi idem præceptum serius urget. Sic Italus qui in patria jejunavit vigilia S. Petri, non tenetur item jejunare in Gallia ubi reperitur, quando fit jejunium ad sabbatum sequens ibidem translatum; quia non datur obligatio bis idem præceptum adimplendi: fiat tamen sine scandalo. Gury.



tur legibus loci in quo versantur. Affirmant multi satis probabiliter cum Antoine et Collet; aiunt enim: *Qui sentit commodum, sentire debet etiam incommodum*, uti fert adagium. Addunt illud Ambrosii: *Cum Romam venio, sabbato jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno: sic ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus mores serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*<sup>1</sup>. — Alii sic distinguunt cum Suarez: si peregrinus illuc advenerit tamquam ad terminum itineris sui, tunc ipse tenebitur ad omnes leges illius loci, quia fit quasi subditus; si vero illac tantum pertransit, non tenetur ad præcepta positiva, cum hæc tantum obligent incolas, utpote permanentes; sed tenetur ad præcepta negativa, quæ cum obligent semper et pro semper, urgent etiam simpliciter transeuntes. — Tandem alii probabiliter ac communius indistincte negant cum S. Antonino, Laymano, Sanchez, Toletto, etc., quia leges non obligant nisi subditos; atqui peregrini (quod valet etiam de vagis) non sunt subditi. Nam ex jure nemo subditur alterius potestati, nisi ratione vel delicti vel contractus vel domicili, aut quasi-domicilii, vel ratione rei sitæ in territorio, vel demum ratione originis<sup>2</sup>.

Ad textum vero D. Ambrosii respondent, S. Doctorem expresse loqui de lege communi ac scandalo vitando, cum addat: *Si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*. Neque dicas tunc peregrinos et maxime vagos esse exleges; nam constringuntur legibus communibus: imo et particularibus, si adsit scandalum, vel si agatur de delicto aut contractibus, ex dictis.

### CAPUT QUINTUM

#### DE LEGIS HUMANÆ VI ET OBLIGATIONE

217. Q. 1. *Utrum leges humanæ obligent in conscientia?*  
R. Doctrina est hæreticorum ferme omnium legislatores humanos sive civiles sive ecclesiasticos nullam habere pote-

<sup>1</sup> Ep. cxxxii. — <sup>2</sup> C. ult., *De Foro comp.*

statem Christianorum conscientias per se obligandi, nisi forte illas definiendo et determinando circumstantias, in quibus obligat lex divina vel naturalis. Sed nos dicimus, leges humanas obligare per se in conscientia: imo hoc de fide est quoad leges ecclesiasticas a Tridentino ita definitum: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit*<sup>1</sup>.

Prob. 1. Scripturis. Apostolus ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*<sup>2</sup>. Ex quibus patet præceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiæ legibus adversetur, ut verbis utamur, quibus Gloriosissimus Pontifex Pius IX Episcopus hortatur, ut debitam erga Potestates obedientiam ac subjectionem inculcare satagent<sup>3</sup>.

2. Sanctorum doctrina. S. Bernardus scribit: *Sive Deus sive homo Dei vicarius mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo*<sup>4</sup>. Et D. Thomas aperte tradit, quod leges humanæ, si justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ<sup>5</sup>.

3. Ratione. Per Deum legum conditores justa decernunt,

<sup>1</sup> Sess. vii, can. 8, *De Bapt.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106, q. 5.

<sup>2</sup> Rom. xiii. — Hinc patet quam sit absurdum eorum commentum, qui discrimen civilem inter et ecclesiasticam potestatem sic statuunt, ut una corporibus, altera animis duntaxat debeat imperare. Utique una curat res civiles ac temporalem hominum felicitatem; altera res sacras atque animarum salutem. Sed cum utraque toti homini sit data, totum hominem sub diversa ratione ligare omnino debet. — V. Diatr. *De Eccl. potestat.* Roma editam 1774. — Sed nullibi melius de finibus utriusque potestatis, quam in Bulla *Unam sanctam* Bonifacii VIII.

<sup>3</sup> Encycl. *Qui pluribus*. — <sup>4</sup> L. IV, *De Consc.*, c. ix.

<sup>5</sup> 1, 2, q. 96, a. 4.

id est vi legis æternæ; atqui lex æterna obligat in conscientia. Adde: potestas ferendi leges necessaria est *a priori*, uti aiunt, in qualibet societate ad bonum regimen; atqui ea esset prorsus inutilis, si leges non haberent vim per se obligandi etiam in conscientia. Subditi enim in hoc casu impune legem violarent, quotiescumque violatio illa posset occultari: quod frequentissime sane occurreret<sup>1</sup>.

218. Q. 2. *An lex dubia obliget?*

R. Si post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem inquirendam (librosvolvendo, doctos consulendo, vel aliud pro subjecta materia agendo), et præciso scandalo vel alio notabili inconvenienti, adhuc dubium est, an lex existat, non obligat.

Patet: 1. ex Scripturis: *Peccatum non cognovi, nisi per legem*, inquit Apostolus<sup>2</sup>. Ergo Apostolus ad peccatum requirit legis cognitionem; at nulla cognitio, ubi lex ipsa est dubia; — 2. ex Patribus: unus sufficiat Nazianzenus, qui ait: *Si res dubia est, vincat humanitas et facilitas*<sup>3</sup>; — 3. ex jure canonico, ubi legimus: *Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogaris quod mandatur*<sup>4</sup>. Item ex jure civili, ubi habetur: *In dubio nullus præsumitur obligatus*<sup>5</sup>; — 4. ex Scholarum consensu, quem ita exponit Angelicus: *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti*<sup>6</sup>; — 5. ex ratione; nam in dubio legis possidet libertas. Unde in dubio, *an* lex extendatur ad aliquid, vel *an* incæperit ejus obligatio, vel *an* sit jam promulgata, uno verbo *an* adsit lex aliquid vetans, lex

<sup>1</sup> Unde lex ad aliquid semper obligat in conscientia, nempe ad id, quod legislator intendit; secus esset consilium, non lex. Sic lex præceptiva obligat ad actum; prohibitiva ad actus omissionem; mere pœnalis ad pœnam acceptandam; copulative mixta ad utrumque; disjunctive mixta ad alterutrum. Nec requiritur ut superior id explicitè indicet; nam eo ipso quo intendit uti legislativa potestate, sufficienter intendit obligare sub peccato propter essentialem connexionem usus potestatis a Deo derivatæ, et obligationis sub culpa. Vide supra ubi *de humanæ legis auctore*, num. 188 et 209.

<sup>2</sup> Rom. vii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 91.

<sup>3</sup> *Orat.* xxxix. — V. Supra tract. I ubi de nostro systemate, n. 101.

<sup>4</sup> C. *Cum in jure* de off. et potest. jud. deleg.

Aut. quib. mod. § *natura*. — <sup>6</sup> *De Verit.*, q. 17, a. 3.

ipsa erit probanda; quia antecedenter libertatis nostræ certi sumus. Hinc merito aiebat Benedictus XIV: « On ne doit pas s'estimer certainement lié quand il n'y a pas une loi claire qui détermine les obligations<sup>1</sup>. » Certo certius lex clara non est, quamdiu dubia est (V).

219. Q. 5. *An lex humana obliget cum gravi damno?*

R. *Ordinarie loquendo* lex humana non obligat cum gravi damno. Patet ex constanti Ecclesiæ praxi, per quam præceptum jejunandi, recitandi Horas, etc., non obligat cum gravi incommodo. Leges enim cum latæ sint pro omnibus generatim, debent esse possibiles secundum ordinariam hominum capacitatem, cujusmodi non est lex præseferens magnam difficultatem. Hinc D. Antoninus habet: *Impossibile est quod vix possibile est, ut, puta nimiam habens difficultatem*<sup>2</sup>. — Imo leges ipsæ divinæ pure positivæ cum hoc gravi incommodo minime obligant, uti patet ex Christo approbante factum Davidis, qui in necessitate gravi constitutus comederat panes Propositionis, quorum esus lege illa laicis erat prohibitus; ergo multo minus humanæ<sup>3</sup>. Hinc in jure infirmus declaratur immunis a lege jejunii; *cum non subjaceat legi necessitas*<sup>4</sup>.

Diximus *ordinarie loquendo*; sunt enim casus, in quibus lex humana cum quovis damno (ipsius etiam vitæ) potest obligare: — 1. quando id postulat bonum publicum, cui bonum privatum cedere debet. Sic miles excubias agens mori potius debet, quam silere, hoste adventante; — 2. quando legis violatio cederet in contemptum Dei, religionis, Ecclesiæ aut Ecclesiasticæ potestatis, vel etiam in proximi scandalum; hæc enim plus refert tueri, quam privatum bonum<sup>5</sup>. Sic Eleazarus legitur mori potius elegerisse, quam car-

<sup>1</sup> *Notificatione* xiii, nunc lxxx. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 69 et seq.; et n. 97 et seq.

<sup>2</sup> Grave, id est multum ponderabile esse debet incommodum ad hoc, ut lex humana non obliget; secus actum esset de omnibus fere legibus, de illis maxime, quæ ex sui natura incommodum et quidem non ita leve includunt, uti est vigens lex tributorum, jejunii, etc.

<sup>3</sup> Matth. xii. — <sup>4</sup> Cap. ii, *De Obs. jejun.*

<sup>5</sup> Illis tamen in casibus non lex humana vel divina pure positiva per se

nem porcina manducare; cum ad id cogeretur in contemptum legis<sup>1</sup>. Hinc si in contemptum vel in læsionem potestatis Ecclesiasticæ tu compellaris communicare cum vitandis, laborare die Festo, celebrare in loco profano, te sistere coram iudice laico, vel tali libro tibi graviter vetito studere et similia, etiam cum tuo gravi damno renuere debes.

Ratio patet, ait Billuart; quia contemptus Ecclesiæ vel religionis redundat in ipsum Deum, et ideo tunc lex humana convenit cum lege divina naturali. Hac etiam ratione in nostra sententia nefas est celebrare sine ulla veste sacra ob quodcumque grave damnum vitandum; nam licet præcepta ecclesiastica de se non obligent cum gravi incommodo, aliter est in præsentis casu; tum quia id vix potest accidere sine contemptu, tum quia præsentis tempore id non potest fieri sine scandalo aut saltem sine magna irreverentia; quapropter hic subintrat præceptum naturale hæc mala vitandi<sup>2</sup>.

220. Q. 4. *Quale peccatum est legis contemptus?*

NOTA. Duplex est legis contemptus. Unus *materialis*, *formalis* alter. Primus in eo est, qui legem violat, ut suis indulgeat cupiditatibus, vel quia animum non intendit ad legem; alter est in eo qui legem violat quia lex est, vel ideo quia aspernatur ipsam auctoritatem, a qua procedit lex. Hisce positis:

R. Contemptus materialis (seu late sumptus<sup>3</sup>) est mortalis vel venialis pro modo materiæ; cum aliud nequeat adsignari,

obligare dici potest; sed potius vi legis naturalis quæcum tunc conjungitur. Siquidem est de ratione legis naturalis, ut pars se objiciat pro honore totius, et minus cedat majori.

<sup>1</sup> II Machab. vi. Quod si tunc non excusaris a peccato, ideo neque a censura si in contravenientes lata sit. Si secus, actum est de legibus Ecclesiæ, semel ac potentes sæculi illis adversantur; cum ad eas violandas omni molestiarum genere inducere soleant. Est ergo fortiter etiam cum proprii officii detrimento obsistendum, quando e violatione scandalum oritur, vel aperta potestatis religionis læsio.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 277. — Ferraris, *Bibl. Canon.*, etc., v. Altare, n. 84.

<sup>3</sup> Qui in omnibus violationibus reperitur; nam qui violat legem, aliquomodo facit contra legis auctorem. De quo etiam intelligendi sunt plerumque dissertere concionatores.

unde specialem malitiam sortiatur. Quod quidem valet, ait Angelicus, *etiamsi ex eadem causa vel alia simili peccatum iteretur*<sup>1</sup>. Rationem addit: *Quia diurnitas non est circumstantia trahens actum in aliam speciem; similiter nec frequentia vel assiduitas, nisi forte per accidens ex aliquo supervenienti*<sup>2</sup>. Frequentia tamen peccandi dispositive inducit ad contemptum secundum illud: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*<sup>3</sup>.

Contemptus vero formalis est semper per se mortalis; quia contemnitur directe ipsa præcipientis auctoritas, et proinde ipse Deus, a quo auctoritas dimanat juxta illud Christi ad superiores: *Qui vos spernit, me spernit*<sup>4</sup>. Excipe: 1. si contemnatur res ipsa præcepta quatenus parvi fiat; 2. si contemptus superioris non sit quatenus est superior, sed quatenus singularis persona contemptibilis, quia v. g. imprudens, vilis, idiota, rudis, indocta (modo tamen tale iudicium non sit graviter temerarium): tunc contemptus non caderet in legem vel superiorem, nisi indirecte; 3. si actus, quo præceptum contemnitur non contingat perfecte ad rationem actus moralis; quia non est satis deliberatus, sed subitus. Hinc aiunt Lessius, Sanchez, etc., raro adesse peccatum mortale ratione contemptus.

221. Q. 5. *Quænam excusant a transgressione legis?*

R. Excusant a transgressione legis, *ipsa manente lege*:

1. ignorantia invincibilis; voluntas enim non fertur in incognitum; 2. timor gravis: lex enim humana ex se cum gravi incommodo non obligat, secluso damno societatis aut religionis; 3. vera impotentia sive physica sive moralis. *Physica*: nam impossibilium nulla est obligatio: *moralis*, quia legislator humanus nullimode censetur urgere obligationem cum tanto incommodo.

Diximus *ipsa manente lege*; etenim tanto magis excusabimur, sublata lege; cum tunc omne fundamentum obligationis tollatur<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> 2, 2, q. 186, a. 9. — <sup>2</sup> 1, 2, q. 88, a. 5. — <sup>3</sup> Prov. xviii.

<sup>4</sup> Luc. x. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 152.

<sup>5</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. II, nn. 45 et seq.

**Art. I. — De vi et obligatione legis pœnalis et mixtæ.**

**222. Q. 1. An sint admittendæ leges pœnales ad solam pœnam obligantes?**

R. Nequit dari lex pure pœnalis hoc sensu, ut nullo modo obliget in conscientia; quia præceptum superioris, si nullimode obligaret, non esset verum præceptum. Potest tamen dari lex pure ac mere pœnalis, quæ nempe obliget in conscientia non quidem ad aliquid faciendum vel omittendum, sed tantum ad pœnam acceptandam et solvendam, si lex violata fuit, et pœna applicata. En quo sensu dicimus dari leges pure pœnales. Sane tota obligatio legis pendet a voluntate legislatoris: hinc si ipse legislator intendit obligare tantum ad pœnam, dantur profecto leges hujusmodi. Quare merito docet Angelicus, *quod non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam vel statuti obligantis ad certam pœnam*<sup>1</sup>. Tales habentur communiter leges prohibentes sub pœna cæsiones lignorum, herbarum quæ sunt communis; item leges vetantes piscationem, venationem, etc.<sup>2</sup>. Imo censet Suarez, si per verba legis pœnalis non satis declaratur præceptum, præsumendum esse pro lege pure pœnali, nisi pœna illa intrinsece supponat culpam theologicam, uti est v. g. excommunicationis pœna.

Tribus maxime modis cognoscere possumus legislatoris voluntatem esse tantummodo ad pœnam: 1. si id ipse per se legislator expresserit, uti communiter agere solent superiores regulares in suis Constitutionibus; 2. si lex ita feratur, ut non videatur aliquod voluisse præceptum imponere, ut si dicat: *Qui hoc fecerit, solvat talem pœnam*; 3. si talem eam existimaverit communis sapientum interpretatio, a quibus in moralibus res est metienda. Si secus, lex erit mixta<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> 2, 2, q. 186, a. 9.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 144. Unde magna ex parte videtur lis de nomine negare hujus legis existentiam: certe possibilitas haud potest negari.

<sup>3</sup> V. *Civiltà cattolica*, vol. V, art. 40. La mitezza dei moderni tempi.

**223. Q. 2. An leges mixtæ obligent etiam sub culpa?**

R. Sunt qui tenent cum Gomez, Imola et Mencada leges mixtas non obligare sub culpa, sed tantummodo ad pœnam; tum quia has leges sic interpretatur consuetudo; tum quia per solam pœnam jam satis coercentur homines. Sed alii probabilius et verius cum Bonacina, Diana, Sanchez, Suarez, Valentia, etc., docent has leges obligare et sub pœna et sub culpa; alioquin nulla esset differentia inter leges pœnales mixtas et pure pœnales, quæ obligant ad solam pœnam. Adde: leges hujusmodi sunt præceptivæ simul atque pœnales; ergo prout pœnales ad pœnam, prout præceptivæ obligant ad culpam. Neque pœna ex se præceptum tollit, sed illud magis confirmat.

Pœna autem quæ lege continetur: — 1. alia est *activa*, quæ nequit executione donari sine aliqua delinquentis actione: uti esset v. g. pecuniæ solutio. Alia *privativa*, quæ consistit in mera privatione alicujus rei: uti esset v. g. suspensio, quæ Sacerdotem privat facultate munia Sacra obtinendi; — 2. alia est *latæ sententiæ*, et est quæ *ipso facto*, uti Scholæ loquuntur, id est sola criminis patratione incurritur per legis verba. Alia *ferendæ sententiæ*, nempe quam lex non infligit, sed infligendam decernit per judicis sententiam; — 3. alia est *condemnatoria*, per quam reus certa pœna a superiore mulctatur. Alia *declaratoria*, criminis videlicet; per eam enim judex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propter quod pœna a lege jam statuta ipso facto incurritur; — 4. tandem alia est *conditionalis*, si privat aliquo jure sub data conditione; alia *inhabilitans*, si inhabilem reddit ad aliquid obtinendum.

**224. Q. 3. Lex pœnalis obligatne ad subeundam pœnam ante sententiam?**

R. Si agatur de pœna ferendæ sententiæ, lex non obligat ad pœnam subeundam ante illam sententiam; quia tunc lex pœnam ipsa per se non infligit, sed tantum decernit eam per judicem infligendam. Verum si agatur de pœna latæ sententiæ, distinguendum: vel pœna est *conditionalis*, aut *inhabilitans*, aut *privativa*; vel est *activa*.

Si pœna est *conditionalis* aut *inhabilitans* aut *privativa*, erit

subeunda ante sententiam. — 1. Si est *conditionalis*; cum enim lex non tribuat jus nisi sub tali conditione, ea deficiente, et omne jus deficere debet. Hinc Clericus, qui beneficium curatum obtinuit, si non ordinetur Sacerdos intra annum, eo ipso illo privatur; quia sub ea tantum conditione fuit ipsi collatum<sup>1</sup>. — 2. Si est *inhabilitans*: cum nemo possit acquirere id, ad quod nullum habet jus; ut ergo eo expolietur, nulla requiritur sententia. Unde electio hæretici ad beneficium est nulla; quia hæreticus jure est inhabilis. — 3. Idem ordinariè currit, si pœna sit *privativa* simpliciter, ut patet ex consuetudine ubique recepta de censuris ac pœnis similibus. Hinc absque alia sententia conjuges incestuosi privantur jure petendi<sup>2</sup>: ac merito; cum enim incestus fere semper occultus sit, pœna redderetur inutilis, si ille esset probandus, ac sententia requireretur. Diximus *ordinariè*: nam excipiunt, si reus nequeat pœnam exequi sine infamia; cum hoc esset nimis durum: tunc utique requirunt judicis declarationem.

Si vero pœna est activa et gravis: ut si quis se debeat positive privare jure jam acquisito, puta beneficio, tunc invaluit usus, ut non incuratur ante declarationem juridicam, si non pœnæ, saltem criminis, licet dicatur: *Nulla declaratione secuta*. Confirmatur ipso canonico jure, ubi hæretici, etsi priventur ipso facto bonis suis, tamen ex eodem jure non tenentur se iis expoliare ante sententiam<sup>3</sup>. Sane nimis ardua et inexorabilis lex esset, si homo deberet gravem pœnam active exequi in semetipsum: quæ ratio ipsi Conciniæ valde congrua visa est.

At post sententiam tenetur reus in conscientia pœnam exequi, si ea nihil contineat inhumani aut inhonesti, nec sit directa sui occisio; nam justo præcepto obediendum est: sic qui pœna capitis damnatus est, tenetur manus et collum præbere carnifici, scalam conscendere et similia præstare. Sed non tenetur ipse in se mortem inferre, v. g. venenum sumendo, pugionem sibi in ventrem conjiciendo; quia hoc esset prorsus ab hominum moribus alienum, et naturæ

<sup>1</sup> C. *Commissa*, § 7, de elect. in 6. — <sup>2</sup> Ex c. *Si quis* de eo qui cognov.

<sup>3</sup> Ex c. *Cum secundum* de hæret. in 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 147.

nimum repugnans. Imo neque id posset agere, cum sit se directe interimere.

**225.** *Quid (dices) de pœna conventionali apposita in contractibus?*  
— Alii affirmant pœnam conventionalem esse solvendam ante sententiam; quia quisque tenetur stare pactis ante sententiam quamcumque. Sed negant alii: quia nemo censetur sibi imponere pœnam, nisi secundum dispositionem juris circa leges pœnarum; hæc porro ordinariè non contrahuntur, nisi post sententiam<sup>1</sup>.

**226. Q. 4.** *An ignorantia excuset a pœna lege statuta?*

R. Si ignorantia talis sit, ut excuset ab omni culpa aut saltem a gravi, excusat etiam ab omni pœna aut saltem a pœna gravi; quia nemo debet puniri, nisi in eo quod peccaverit.

Si vero ignorantia non sit talis, ut excuset ab omni culpa, aut saltem a gravi, tunc neque excusat a pœna proportionata, licet pœna hæc invincibiliter ignoretur; quia omnis legis transgressio juste punitur pœna aliqua sive a lege sive a judice definita. Sic qui culpabiliter legem violat, et violationi adnexa sit pecuniæ solutio, in pœnam illam incurrit, etsi eam invincibiliter ignoraverit. Excipe tamen: — 1. si pœna sit improporcionata, si nempe gravissima meritum criminis excedens; — 2. si pœna sit censura aliqua ecclesiastica, quam qui eam invincibiliter ignorat, minime incurrit<sup>2</sup>; — 3. si superior ad contrahendam pœnam requirat dolum, contumaciam, ausum, aut temeritatem. Eo enim in casu non excusat quidem ignorantia affectata, sed excusat ignorantia crassa et supina; cum prima tantummodo ignorantia scientiæ equiparetur, non vero ignorantia aliæ<sup>3</sup>.

**Art. II. — De vi et obligatione legis irritantis.**

**227. Q. 1.** *Quid est irritatio legis et quotuplex?*

R. Lex irritans ea est quæ statuit aliquem actum a principio invalidum esse; seu *irritatio est abolitio actus, qui alio-*

<sup>1</sup> V. de *Contractibus* ubi de eorum solutione.

<sup>2</sup> Ex c. ii, de Const. in 6.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 169; et l. VII, nn. 47 et 48.

quin esset validus. Irritatio duplex est: pœnalis et legalis. Pœnalis est, qua actus aliquis irritatur in pœnam peccati: sic v. g. irritatur consecutio fructuum Beneficii ab eo facta, qui Horas omittit; porro ignorantia invincibilis effectum hujus irritationis impedit, quia tunc lex solam malitiam punire intendit, et proinde cessante causa, effectus etiam cessare debet; unde in dicto casu si omissio Horarum sit inculpabilis, omittens facit fructus suos. Legalis est, qua actus aliquis irritatur ob bonum commune: sic v. g. irritatur matrimonium inter consanguineos et affines ob decentiam, et matrimonium clandestinum irritatur ob periculum fraudis. Et in hoc casu ignorantia invincibilis non impedit effectum irritationis, quia non tollit gravia incommoda, quæ alioquin sequerentur, si lex in omni casu non irritaret; hinc qui matrimonium clandestine contrahit, etsi bona fide, invalide semper contrahit. Imo lex irritans quando agitur de bono publico, irritat etiam non obstante incommodo valde gravi: unde v. g. non valeret matrimonium cum consanguinea etiam metu mortis initum sine dispensatione superioris.

Omnis legislator leges irritantes condere potest, quia hoc ad bonum commune requiritur ad plures fraudes et pericula a societate propulsanda. Lex autem irritans differt a prohibente tantum, quia hæc reddit actum quem prohibet illicitum, sed non invalidum. Dignoscitur vero legem aliquam esse irritantem tum ex usu et consuetudine recepta, tum ex legislatoris verbis, ut si v. g. dicat *irritum declaro, nullius valoris esse decerno*, etc.

228. Q. 2. An lex inhabilitans sortiatur effectum ante sententiam?

R. Certum est, vel ipsam legem humanam inhabilitantem, saltem in foro externo, effectum suum sortiri ante sententiam, (nisi aliter ferat peculiaris consuetudo vel ita statutum sit, ut irritatio non obtineat nisi post iudicis sententiam); secus lex frustra esset data, et actus positus non esset irritus, sed tantummodo irritandus.

Diximus 1. : Vel ipsam legem humanam; id enim multo magis currit de lege naturali, si actum prohibeat ob vitium inhærens ipsius actus substantiæ; quia natura rei destructa,

destruitur necessario et res ipsa. Hinc collatio Beneficii ob pecuniam non solum illicita, sed suapte natura est invalida; cum vendatur res ex se invendibilis.

2. Legem inhabilitantem; si enim lex prohibeat tantum, actus esset quidem irritandus, non vero ex se irritus, nisi alio modo intentio legislatoris manifestetur. Hinc de legibus Ecclesiasticis legitur: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*<sup>1</sup>: sic lex vetans matrimonium tempore Adventus, est prohibens tantum, ita ut faciat illicitum matrimonium, non vero invalidum. Quod etiam valet de legibus civilibus.

3. Saltem in foro externo illico effectum sortiri; utrum enim lex irritans obtineat quoque in conscientia ante iudicis sententiam, adeo ut teneamur etiam sub culpa abstinere a ponendo tali actu, affirma si lex sit irritans simul et prohibens uti sunt ordinarie omnes Ecclesiæ leges, cum respiciant bona animarum, et maxime leges statuentes impedimenta dirimentia matrimonii. Secus vero videtur dicendum pro praxi, si lex sit irritans tantum: quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut contingit in pluribus contractibus civilibus, qui ab ipsa civili lege declarantur nulli pleno jure, si initi sine certis normis, ac solemnitatibus. Saltem res dubia est: et in dubio potior est conditio ejus qui rem de qua quæritur, actu possidet<sup>2</sup>.

## CAPUT SEXTUM

## DE CONDITIONIBUS AD LEGIS VIM

229. Q. Quænam conditiones ad legis vim et obligationem?

R. Conditiones ad legis vim necessariae aliæ dicuntur extrinsecæ, nempe ex parte causæ, quæ legem fert. Et sunt:

<sup>1</sup> Cap. Ad Apost. 16 de regularib.

<sup>2</sup> Hac de re plura de Contractibus, ac de Testamentis, ubi de solemnitatibus.

— 1. ut a voluntate superioris lex feratur, juxta tamen ordinationem rationis. Hinc Angelicus habet: *Voluntas de his, quæ imperantur, ad hoc quod legis rationem habeat, oportet quod sit aliqua ratione regulata: et hoc modo intelligitur, quod voluntas Principis habet vigorem legis*<sup>1</sup>; — 2. ut ad aliquem feratur juxta illud: *Scimus... quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur*<sup>2</sup>; — 3. ut pro bono communitatis feratur: cum ideo hæc legum potestas data sit.

**230.** Condiciones aliæ sunt intrinsecæ, quæ respiciunt ipsum actum imperatum: nempe, — 1. ut lex sit justa: hinc Augustinus ait: *Quod fit injuste, nec jure fieri potest*<sup>3</sup> (attamen nonnumquam etiam lex injusta, si non includat culpam, est observanda, ad vitandum nempe scandalum aut perturbationem); — 2. ut sit possibilis: impossibile enim non potest cadere sub libertatem, ideo neque sub legem; — 3. ut sit proportionata viribus multitudinis: alioquin non esset in bonum, sed in gravamen subditorum; — 4. ut sit clara et manifestata: clara, ne captionem contineat; manifestata, nam quamdiu latet, non potest impleri.

Hic erit de præcipuis conditionibus.

**Art. I. — De materiæ capacitate, superioris intentione et legis justitia.**

**231. Q. 1.** *An vis obligationis debeat rei præceptæ accommodari?*

R. Cum humani legislatoris potestas in ædificationem ipsi sit tributa, utique imposita obligatio aptari debet capacitati materiæ adeo ut obliget superior sub gravi in materia gravi, sub levi in levi materia, nisi aliter suadeant rerum adjuncta. Quare in re, quæ undequaque levis est, nequit superior obligare sub gravi; ne dicatur obligare contra rectam rationem, atque contra bonum commune. Attamen probabilius potest obligare sub levi in materia gravi; tum quia id aliquando ex-

<sup>1</sup> 1, 2, q. 90, a. 1. — <sup>2</sup> Rom. III.

<sup>3</sup> *De Civ. Dei*, l. XIX, c. XXI. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. I, nn. 92 et 99.

pedit ad melius bonum, tum quia materia gravis etiam minoris obligationis capax est, ut docent Antoine, Collet, Suarez et alii.

**232.** *Quandonam (quæres) censetur superior obligare sub gravi?* Is colligitur ex multiplici capite:

1. *Ex gravitate finis*, qui intenditur; etsi res præcepta sit in se levis. Sic abstinentia a pomo in Paradiso terrestri erat quidem in se res admodum levis, sed ex circumstantia finis, ad quem conferebat, erat res gravissimi momenti; per eam enim homo suam a Deo dependentiam profitebatur. Item ratione scandali nonnulli Episcopi sub gravi prohibere Clericis vel solum ingressum in popinas. Et jus civile sub capitis pœna prohibet quandoque militibus levia furta, ratione nempe gravium damnorum, quæ aliunde sequerentur<sup>1</sup>; — 2. *ex gravitate materiæ*, si nempe sit gravis vel ratione quantitatis, ut esset unus aureus in furto: vel ratione qualitatis, ut esset hostia consecrata. Vel ratione alterius circumstantiæ gravis: et sane legislator merito censetur obligationem pro rei capacitate atque circumstantiarum imposuisse, si aliter mentem suam non aperuerit; — 3. *ex gravitate verborum*, quibus legislator usus est: ut si præcipiat aut vetet *sub indignatione Dei, sub minatione divini judicii, in virtute sanctæ obedientiæ, ex tota potestate*, etc.; — 4. *ex gravitate pœnæ* transgressoribus legis mixtæ impositæ; cum pœna culpæ proportionetur. Esset, v. g., pœna exilii perpetui, excommunicationis, intellige si sit latæ sententiæ; nam aliter dicendum probabilius, si sit tantum ferendæ in materia non gravi, cum ex una parte non sit tam magna illa pœna, quæ illico non incurritur; ex alia vero materia, quæ levis supponitur, id per se non ferat; — 5. *ex communi prudentum judicio* ac probata consuetudine, quæ quidem est *optima legum interpretis*<sup>2</sup>.

**233. Q. 2.** *An lex debeat esse justa, ut habeat vim obligandi?*

B. Affirmative: lex debet esse justa ad hoc, ut obliget;

<sup>1</sup> *V. Benedictus XIV, de Syn. Diœc.*, l. X, c. III. — Et *Codex poen. milit. Sabaud.* public. anno 1859, 10 novemb.; art. 255 et seqq.; et art. 199 et seqq.

<sup>2</sup> *V. Liguori, Op. Mor.*, l. I, n. 146; et l. VII, n. 315.

lex enim humana nequit obligare, quin sit conformis legi aeternae Dei, a qua quidem omnis lex suam derivationem ac vim habet. At quomodo ei conformabitur lex, quae injustitiam praeseferat? Justa autem esse debet tum justitia legali in eo posita, ut publicam promoveat utilitatem; tum justitia commutativa in eo sita, ut legislator suae jurisdictionis limites non excedat; tum justitia distributiva, quae in eo collocatur, quod onera et praemia subditis distribuatur, proportione servata. *Secus leges, ex Angelico, magis sunt violentiae quam leges; quia, sicut Augustinus dicit: Lex esse non videtur, quae justa non fuerit*<sup>1</sup>. Sed adverte:

1. Non omnem proportionis excessum sufficere ad legis nullitatem; sed talem requiri, quae cedat in detrimentum commune, et in grave ac injustum onus plurium. Nam si lex sit de se justa, et tamen quidam subditi plus aequo graventur, lex adhuc erit valida et obligabit alios. Illi vero qui injuste gravantur, non obligabuntur quoad excessum, nisi per accidens, ratione scilicet scandali vel perturbationis, ad quae vitanda quisque debet propriis etiam juribus cedere.

2. Non licere contra Principes injusta praecipientes insurgere; nam praeter hallucinationem quae timetur, hoc semel admissio principio, quot et quanta orirentur perturbationes et mala? Quapropter omnia patienter toleranda sunt exemplo primorum Christianorum, potius quam contra Principes hujusmodi ad rebellionem insurgere: ac imitandus est Christus, qui tradebat iudicanti se injuste<sup>2</sup> (X).

234. Q. 5. An lex, quae fundamentum habet in aliqua praesumptione, obliget in conscientia?

NOTA. Praesumptio defini potest: *Judicium probabile, quo ex aliquibus indiciis seu circumstantiis judicatur aliquid esse verum, vel aliquid factum intervenisse*. Duplex distinguitur: alia facti seu praesuppositionis; alia juris seu periculi. — Prima est qua legislator praesumit aliquid factum intervenisse, super quo proinde disponit. Secunda est qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat generaliter adesse periculum mali, v. g., doli et fraudis; ideo

<sup>1</sup> 1, 2, q. 96, a. 4.

<sup>2</sup> I Petri ii. — V. Liguori. *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 45.

non attendit factum, sed habet pro ratione periculum generale alicujus mali. Quo posito:

R. Si praesumptio, in qua lex fundatur, est facti, et factum non subsistat, lex illa non obligat; nam tota ratio obligationis in solo facto fundatur; cum igitur hoc minime subsistat, superior obligare non intendit. Tunc autem valet axioma: *Praesumptio cedit veritati*. Unde, v. g., mulier, quae certo scit se invalide contraxisse cum viro, non tenetur parere iudici etiam sub poenis praecipienti, ut debitum reddat; quia jussio praesumit factum, nempe validum matrimonium: quod tamen non adest. Sic si in iudicio falso probatum fuerit, tuum animal intulisse damnum, non teneris solvere poenam: et lata sententia ut solvas, licet externe (ut vitetur scandalum, ac iudiciorum perturbatio) tenearis solvere; tamen potes tibi occulte compensare.

Si vero praesumptio, in qua fundatur lex, est juris, lex obligat in conscientia, tametsi malum quod timetur, in aliquo casu peculiari non eveniat; alioquin fraus legi quam facile fieri posset! unusquisque enim illico diceret respectu sui nullum adesse periculum, et sic inutilis lex evaderet. Adde, periculum generale semper adesse; lex autem hoc spectat. Quare matrimonia absque praesentia Parochi et testium celebrata sunt invalida, etiamsi constaret nullas fuisse fraudes, nullumque doli periculum. Sic si tuum animal certe fuerit causa damni, sed falsa est praesumptio, quod id acciderit tua culpa, teneris solvere poenam post sententiam; quia hujus legis finis non solum est punire, sed etiam reddere homines diligentiores ad vitanda damna aliorum<sup>1</sup>.

Hoc firmatum habemus lege civili, saltem quoad forum externum, circa initas conventiones<sup>2</sup>.

#### Art. II. — De legis promulgatione.

235. Q. 1. Quid de legis promulgatione?

R. Promulgatio legis sic recte defini solet, ut sit publica

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 400; *Homo Ap.*, tract. II, n. 26. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v<sup>o</sup> Praesumptio.

<sup>2</sup> Art. 1465. — C. G. 1249. — C. S. 1305. — C. P. 2515. — C. M. 2591.



*legis denuntiatio facta auctoritate Superioris in loco publico sive voce præconis sive quamvis alia publica solemnitate. Hinc promulgatio differt a divulgatione, quæ est illius veluti applicatio ad aures facta per privatos fide dignos iis, qui promulgationem ignorant.*

*Divulgatio non est necessaria ad legis valorem; nam si aliter esset, vix ulla haberetur lex humana obligandi vi prædita; cum ferme semper sint aliqui, ad quos legis notitia minime pervenit, nisi post tempus longissimum ab ejus promulgatione.*

*Promulgatio tamen est absolute necessaria ad communitatem obligandam; nam cum lex sit regula publica, cui debet communitas suis in actibus se conformare, minime poterit habere vim obligandi, nisi ei innotescat: Lex, inquit Angelicus, imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ; regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quæ regulantur et mesurantur. Unde ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem<sup>1</sup>. Quare si quis, v. g., sciret legem utique jam esse conditam et mox promulgandam, non teneretur eam implere, nisi postquam revera ipsa promulgata esset: Leges instituuntur, cum promulgantur, clamat Gratianus<sup>2</sup>.*

**236. Q. 2. Quinam esse debet modus et tempus promulgationis legis?**

*R. Jure naturæ nullus est modus promulgationis hujusmodi; sed sufficit, quod lex ita publice proponatur, ut facile possit ad subditorum notitiam pervenire, quocumque modo fiat; nam id unum requiritur, ut lex subditis proponatur. Hinc satis erit, si lex publice denuntietur in Diario officiali, cum ubique evulgetur; vel in civitate in qua residet Princeps, nam ita facile ad subditorum notitiam potest pervenire ob frequentem illorum ad Sedem Principis concursus.*

<sup>1</sup> 1, 2, q. 90, a. 4. — V. Ferraris, *Bibl. can.*, v° Lex, a. 2.

<sup>2</sup> In dist. 4, c. *In istis*.

*Quoad tempus vero pertinet, si legislator illud determinavit, patet, quod lex non obligat, nisi tempus illud effluxerit: cum enim lex pendeat a voluntate legislatoris, ipsius est modum et tempus obligationis definire. Si autem tempus legislator non determinavit, tale requiritur quod sufficiat, ut legis notitia ad omnes moraliter perveniat; quod communi prudentum judicio probabilius censetur bimestre, nisi agatur de regionibus adeo remotis, ut intra illud nequeat legis notitia ad illas pervenire, ut sunt transmarinæ in Asia, in Africa et America regiones. Ceterum loquendo speciatim dicimus, quod jure canonico ordinarie leges Pontificiæ obligant a bimestre promulgationis<sup>1</sup>; leges vero Episcoporum receptum est, ut obligent statim a promulgatione<sup>2</sup>. Tandem quod pertinet ad leges civiles videatur quod in unoquoque regno statutum est, sive quoad modum sive quoad tempus<sup>3</sup>.*

**237. Q. 3. An leges Pontificiæ singulis in Provinciis sint promulgandæ?**

*R. Affirmant plures auctores graves cum Becano, Collet et Cabassutio; nimis enim durum esset obligare totius christiani orbis fideles ad leges Romæ tantum promulgatas. Excipiunt tamen Bullas jam insertas in Bullario, quia hæ jam sunt corpus legum; item Constitutiones in materia fidei et morum, quæ statim obligant ac innotescunt, cum repugnet contrarium asserere. — Verum valde communis et probabilior sententia cum Benedicto XIV docet satis esse, quod leges Pontificiæ Romæ locis et modis ibi destinatis promulgentur, ut vim habeant obligandi singulos, ad quos leges illæ spectant<sup>4</sup>. Ratio est ipsa auctoritas Pontificum, qui sic obligare possunt et volunt: Possunt, quia modus promulgationis juxta omnes pendet ab arbitrio legislatoris: volunt, ne dicantur quod frustra apponant suis in Constitutionibus clausulam, qua declarant se intendere eas sic publicatas ab omnibus ad quos*

<sup>1</sup> Leg. *Leges c. de leg.* — V. Liguori, *H. Ap.*, tract. II, n. 8; *Op. Mor.*, l. I, n. 96. — Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. iv.

<sup>2</sup> Apud Sard. videatur nova lex 25 jun. 1854. — C. A. civ. § 5. — C. G. 1. — C. S. 1. — C. P. 1. — C. M. 1.

<sup>4</sup> *De Syn.*, l. XIII, c. 4. Fusius eam sententiam tuetur Sanctus noster in *Op. Mor.*, l. I, n. 96; et in *Hom. Apost.*, tract. II, nn. 6 et seqq.

spectant, perinde habendas esse ac sic unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ. Adde: ex jure canonico, ut quis ad legis pontificiæ observantiam teneatur, satis esse quod noverit eam solemniter editam aut publice promulgatam<sup>1</sup>: quæ quidem promulgationis notitia Romæ peractæ de facili haberi potest ob eo recurrentium copiam.

Hinc pro praxi concludimus: Bullæ Pontificiæ aliaque Decreta per promulgationem solitis modis Romæ factam, illico obtinent vim obligandi (nisi aliud in illis exprimitur); et ideo fideles ad illa tenentur statim ac factæ Romæ promulgationis notitiam certam habuerint<sup>2</sup> (Y).

238. Q. 4. An ad legis obligationem requiratur acceptatio populi?

R. Semel facta promulgatione, ad hoc ut lex obliget, non requiritur populi acceptatio, sed statim tenentur subditi in conscientia legem justam acceptare sive civilem sive ecclesiasticam. Patet: — 1. ex Scripturis, dicente Apostolo: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*<sup>3</sup>: atqui non acceptare legem justam Superioris est resistere potestati; — 2. ex damnatione facta ab Alexandro VII illius n. 28 propositionis: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam*; — 3. ex ratione: si hæc populi acceptatio requireretur, quælibet legislatorum auctoritas omnino desineret; ipsi enim plus non possent evincere, quam vellent subditi: quod esset non regere, sed regi. Unde per acceptationem leges non confirmantur de jure, sed de facto tantummodo: habent enim a legislatore, non vero a populo vim suam.

Hoc autem quoad leges Pontificias est omnino indubitatum, ut contraria quorundam opinio non possit componi cum fide, uti ait cum Suarez Benedictus XIV<sup>4</sup>; nam R. Pontifex non a

<sup>1</sup> Cap. 1. Ad hæc de post. præl. Accedit responsio S. Pœnitentiariæ ad Archiepiscopum Neapolitanum datum 8 nov. 1821.

<sup>2</sup> Si diacia referant novam Bullam, sicut fit a multo tempore, et nulla oriatur de authenticitate dubitatio aut reclamatio; vel quidam de Clero adeundo Episcopum vel Nuntium didicerint eos recepisse exemplaria legis, pontificiæ authentica, et sic spargatur notitia, erit testimonium sufficiens. Bouix.

<sup>3</sup> Rom. xiii. — <sup>4</sup> De Syn. Diœc., l. XIII, c. iv.

populo, sed a Christo immediate accepit potestatem legislativam pro toto christiano orbe per ea verba: *Pasce agnos meos... pasce oves meas*<sup>1</sup>. Quod valet etiam de legibus Episcoporum, qui ab eodem Domino (vel immediate vel mediate) per R. Pontificem potestatem habent ex illis verbis: *Posuit Episcopus regere Ecclesiam Dei*<sup>2</sup>. — Idem dicendum de lege civili; nam obligatio legis non oritur ex acceptance populi, sed ex potestate, quam Princeps habet a Deo independentem a populo, uti legitur in Scripturis<sup>3</sup>.

239. Q. 5. An lex naturalis egeat promulgatione, quomodo fiat et quando?

R. ad 1.: Non est dubium, quin etiam lex naturalis indigeat promulgatione, ut habeat vim obligandi. Hoc enim est proprium naturæ ejusque legis, ut non valeat obligare, nisi innotescat: innotescere autem non potest, nisi per promulgationem.

R. ad 2.: De modo, quo legis naturalis promulgatio contingit, audiatur S. Thomas: *Dicendum quod promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam*<sup>4</sup>. Videlicet non contingit quidem per modum humanum, id est signis externis, v. g. edictis, vel proclamatione vocali; bene vero per lumen naturæ, quod Deus mentibus nostris propria quasi manu inseruit, et quo pedetentim legem ipsam cognoscimus.

R. ad 3.: Quoad tempus promulgationis dicimus cum Theologis celebrioribus: promulgatio hæc vel consideratur in habitu, vel in actu (aliqui dicunt in actu primo, vel secundo). Promulgatur in habitu, cum primum Deus eandem inserit mentibus nostris naturaliter suo tempore pedetentim cognoscendam. Promulgatur in actu, quando unusquisque nostrum cognitionem illam acquirit, quæ eidem dicitur

<sup>1</sup> Joann. xxi. — <sup>2</sup> Act. xx.

<sup>3</sup> Prov. viii. Limitant sententiam: — 1. si lex per decennium non fuerit acceptata, ratione contrariæ consuetudinis; — 2. si sanior et major pars legem non observet; et ex circumstantiis merito præsumatur, principem non instando pro observantia nec transgressores puniendo, nolle obligare quemlibet; tunc etsi desuetudo non adhuc sit præscripta, et primi legem non acceptando peccaverint, alii postea ob dictam præsumptionem liberi sunt; — 3. si lex sit contraria consuetudini vigenti, valde difficilis, et tales insuper sint circumstantiæ, ut si a principe præcognitæ essent, sine dubio legem non tulisset. Hæc pro foro conscientiæ: in foro externo nullus auditur, sed transgressores omnes puniuntur. — V. Liguori, *Homo Ap.* tract. II, n. 11 et seqq.; *Op. Mor.*, l. I, n. 139.

<sup>4</sup> 1, 2, q. 90, a. 4.

quid juxta rationem naturalem agendum, quid fugiendum. Ad rem Joannes Malderus theologus Lovaniensis valde celebris et Episcopus præclarissimus: *Habitu promulgatur* (lex naturalis) *ab initio natiuitatis, actu autem initio rationis: ut si quis v. g. in tenebris litteras Principis aliquod iubentis accipiat, quibus tunc demum teneatur parere, quando eas legere poterit*<sup>1</sup>.

An (quæres) ad legis naturalis obligationem sufficiat ejus promulgatio habitualis? R. Ad inducendam legis naturalis obligationem minime sufficere ejus promulgationem habitualement, sed requiri actualement: per hanc enim solummodo venit homo in cognitionem præcepti; quia, docente S. Thoma, *ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, oportet quod applicetur: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum (hominum) deducitur ex ipsa promulgatione.* Atqui nemo in hanc notitiam deduci potest per promulgationem habitualement; ergo prorsus requiritur actualis.

## CAPUT SEPTIMUM

## DE LEGIS OBSERVANTIA ET EXECUTIONE

240. Q. 1. An præcepto faciat satis qui illud implet in statu mortalis peccati existens?

R. Si agatur de illo legis implemento, quod statutum gratiæ necessario supponit, uti est præceptum Paschalis communionis, utique status gratiæ requiritur; alioquin ipsum præceptum non impleretur, cum positum sit in illo actu virtutis. Secus si pure et simpliciter actus præcipiatur: tunc non requiritur status gratiæ; nam ponendo opus, jam totum ponitur quod a legislatore præcipitur, sive illud ponatur in statu gratiæ sive non. Hinc a Pio V damnata fuit hæc Baii propositio: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Unde qui in peccato recitat Horas, jejunit, Sacrum audit, satisfacit præcepto<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Breviter sic idem expressit doctissimus Sylvius: *Actualiter tunc* (lex naturalis) *unicuique promulgatur, quando cognitionem a Deo accipit dicentem quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid vero fugiendum.* — V. Liguori, *Apologia.*, ecc. t. II, p. 86.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Ap.*, tract. II, n. 28.

*Sed (dices) illud est in præcepto, quod maxime legislator intendit; atqui legislator sua lege principaliter intendit homines virtuosos facere. Ergo de necessitate præceptum in statu gratiæ impleri debet ac sine bono, ut juxta mentem legislatoris sit capax virtutis ac meriti.*

Respondeo cum Billuart: intentio legislatoris est de duobus, de uno quidem quod non intendit præcipere, sed ad quod intendit per præceptum legis inducere; et hoc est virtus, quæ est finis legis. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre: et hoc est quod tanquam medium inducit vel disponit ad virtutem. — Secundæ porro intentioni oportet satisfieri, ut lex impleatur, non primæ; *Non enim*, ait Angelicus, *idem est finis præcepti, et id de quo præceptum datur: sicuti neque in aliis rebus idem est finis, et quod est ad finem, seu quod est medium ad finem*<sup>1</sup>. Atque ex hoc natum est illud ab omnibus receptum axioma: *Finis præcepti, non cadit sub præcepto.* Hinc qui modo pure naturali rem alienam domino restituit, vel pauperulo eleemosynam elargitur cum vana gloria, is satisfacit præceptis de restitutione, vel de eleemosyna facienda: licet aliunde peccet contra virtutem, cui finis ille opponitur.

241. Q. 2. An ad legem implendam requiratur intentio satisfaciendi?

R. Negative: ad legem implendam non requiritur intentio satisfaciendi ipsi legi; nam præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est ut res fiat quia præcipitur; sed dumtaxat ad materialem, hoc est ut fiat quod præcipitur. Sic qui devote die festo Missæ interest ignorans esse diem festum, satisfacit præcepto, nec tenetur ad aliam Missam: omne enim jam egit quod lex constituit.

Imo adhuc adimpletur lex (uti sapienter docent Antoine, Croix, Lessius, Tournely et Suarez cum aliis communissime) si ille, qui præstat opus a lege præceptum, non solum careat intentione satisfaciendi, sed habeat intentionem etiam expresse contrariam non satisfaciendi. Esset si quis die festo Missam audiat summo mane expresse intendens illam audire ex mera devotione, et ideo expresse volens præcepti satisfactionem transferre ad Missam celebrandam circa meridiem, quam tamen audire postea negligit. Ratio est, quia lex non obligat, nisi ad substantiam operis injuncti: hoc ergo seme

<sup>1</sup> 1, 2, q. 100, a. 9, ad 2.

posito, non amplius est in potestate operantis, ut lex dicatur non impleri<sup>4</sup>.

**242. Q. 3.** *An ad satisfaciendum præcepto requiratur, ut res præcepta ponatur humano modo, id est cum advertentia illius quod agitur?*

R. Si agatur de præceptis negativis, ad satisfaciendum non requiritur attentio ad id, quod præceptum est: seu quod idem est, non requiritur ut res præcepta ponatur cum advertentia; sed sufficit simplex et mera omissio actus prohibiti, cum ita jam totum undequaque ponatur quod est in præcepto. Sic qui tota die dormierit sine esu et sine potu, dici non potest legem jejunii violasse. — Si vero agatur de præceptis positivis, dicimus illam profecto requiri advertentiam; quia cum lex præcipit hominibus positivum actum, profecto requirit actum humanum: porro actus humanus non est, nisi fiat scienter, voluntarie et libere, id est advertenter. Hinc recitans Horas eo fine ut discat, non satisfacit præcepto; quia præ-

<sup>4</sup> Neque obstat: 1. quod actus non operetur ultra intentionem agentis; nam id procedit solum in iis, quæ pendent a sola potestate operantis ipsius. Nec 2, quod qui debet alteri centum, non satisfaciat obligationi, si liberali donatione det ducentos. Nec 3, quod voto obligatus ad recitandum Rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfaciat. Ratio est, quia hæc et similes obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, ita in debito libere remanere potest. Obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 164. — Ferraris, *Biblioth. can.*, v\* Lex, art. 4. Imo adhuc in illis, quæ procedunt a propria potestate, operans satisfaceret sine dicta intentione (modo opus suum alteri fini particulari hic et nunc deliberate non destinaverit); nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis quæ sibi libera sua voluntate imposuit. Hoc valet, paritate rationis, etiam de sacramentali satisfactione, si nempe agat opus a confessario impositum, non tamen intendens pœnitentiam implere: ita docent Suarez, Azorius, Lessius, Layman, etc. Hac doctrina (ait Roncaglia) poterit confessarius sæpe occurrere conscientie scrupulosorum: recitant v. g. isti Horas canonicas, vel pœnitentiam sacramentalem, et cum non videatur ipsis hæc recitare uti par est, non habent intentionem ex recitatione satisfaciendi, sed intendunt illa repetere. Interdicit novam recitationem. Idem dicatur de illo qui audit Missam die festo; cum non videatur ipsi eam audire ut oportet, intendunt novam Missam audire; quod est prohibendum.

ceptum est de orando, non de addiscendo; qui autem ad discendum attendit, non orat. A fortiori non poterit dici satisfecisse præcepto de audienda Missa qui Missæ ebrius aut dormiens interfuit.

**243.** *Quid (dices) de servo vel discipulo, qui metu domini vel magistri Sacrum devote audit; quod tamen, eo cessante metu, sic non audiret? Licet iste peccet illa mala voluntate, satisfacit tamen præcepto; quia talis metus utpote solummodo reverentialis non tollit libertatem. Aliter esset, si omnino coactus fuerit per metum gravem; tunc actio non esset humana defectu voluntatis.*

**244. Q. 4.** *An diversis legibus possit satisfieri per unum actum?*

R. Affirmative: diversis legibus potest satisfieri per unum actum, si illo unico actu totum ponatur quod per diversas leges præcipitur, nec alia sit legislatoris mens. Sic, v. g., si festum aliquod occurrat in Dominica, satis est semel Sacro adesse. Sic Subdiaconus beneficiatus una Horarum recitatione satisfacit oneri Beneficii et Ordinis.

Tunc vero per unum actum censetur impleri totum quod præcipitur, quando præcepta cadunt in eandem materiam ob idem motivum. Neque agatur de materia justitiæ, in qua attenditur æqualitas rei ad rem: ideoque quando multiplicatur materia et solutio multiplicanda est. Hinc si Caio debeas centum ex contractu, quæ voveas restituere, et ad quæ restituenda te obligavit etiam Confessarius, centum tantum uno actu restituendo satisfacis tribus illis obligationibus, nempe justitiæ, voti et præcepti confessarii; cum obligationes diversæ unam respiciant materiam ac unum motivum. E contrario si Caio debeas centum ex mutuo, centum ex emptione, non satisfacis centum tantummodo reddendo, quia illæ obligationes habent diversa justitiæ motiva.

Mens legislatoris colligi potest ex natura operis præcepti, ex circumstantiis, consuetudine, communi piorum sensu, etc. Hinc etsi ille qui tenetur jejunare ex voto, aut ex pœnitentia, non satisfaciat jejunando in vigilia, cum hæc præcepta habeant motiva diversa; bene tamen satisfaceret, si illud jejunium ex voto vel pœnitentia statutum esset per mensem, in quo incidit vigilia: quia in ea facti specie talis censetur im-

ponentis voluntas. Unde non teneretur alia die curare compensationem <sup>1</sup>.

245. Quid (dices) si duo actus diversi ponantur sub eodem tempore poteritne per eosdem actus satisfieri duplici præcepto?

R. Affirmative: potest duobus actibus diversis satisfieri duplici præcepto sub eodem tempore, modo actus præcepti non sint inter se incompatibiles, et tempus diversum a lege non exigatur. Ratio quia tunc totum præstat quod præcipitur. Sic qui festo die audit Sacrum, et simul orationes voto aut penitentia debitas vel Horas recitat, duplici præcepto satisfacit uno tempore; neque enim unus actus alium excludit; et talis revera est praxis. E contrario in sententia nostra non satisfaceret Missæ qui tunc temporis confessionem faceret; cum confessio excludat attentionem necessariam ad Sacrificium.

246. Q. 5. Quonam tempore servandæ sunt leges?

R. Si leges ipsæ tempus, diem, et horam implementi determinant, uti sunt eæ, quæ præcipiunt abstinentiam ab esu carni, et horarum recitationem, ipsæ servandæ sunt tempore definito, uti patet. Secus impleri debent ut primum commode poterunt; alioquin nesciremus quando præcise tempus obligationis inciperet et quando cessaret. Et ita legis implementum de die in diem posset differri, atque tandem omitti: quod est absurdum. Quod si eodem tempore duo occurrant præcepta æque urgentia, quin simul impleri valeant, eo in casu præceptum gravius observandum est; cum hoc prævaleat minus gravi.

Hinc: — 1. præceptum negativum obligans semper et pro semper præferendum est præcepto affirmativo, quod obligat quidem semper, sed non pro semper. Sic non licet furari ad subveniendum pauperibus; — 2. præceptum naturale præferendum est præcepto positivo etiam divino: præceptum vero positivum divinum præcepto humano. Sic omittendum est Sacrum die festo, ne graviter ægrotans solus deseratur; — 3. lex Superioris præferenda est legi inferioris: v. g. lex

<sup>1</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, nn. 50 et seqq. *Op. Mor.*, l. I. n. 165.

Papæ præferenda est legi Episcopi; — 4. *ceteris paribus*, lex innixa virtuti strictiori præferenda est legi innixæ virtuti minus strictæ: v. g. qui non potest et eleemosynam facere et debitum solvere, tenetur eleemosynam omittere.

Diximus *ceteris paribus*; quia semper est habenda ratio aliarum circumstantiarum, quæ forte ordinem invertere præcipiunt: sic, v. g., si pauper sit in extrema necessitate, prius ipsi succurrendum est. Imo ratio circumstantiarum in aliis quoque præceptis attendenda est; nam ipsæ mutatae et casum mutare possunt.

247. Q. 6. An peccet qui legis humanæ implemento ponit obstaculum?

R. 1. Causæ quæ obstant legis implemento sunt vel *eximentes* vel *impedientes*. Priores eæ sunt quæ aliquem totaliter subtrahunt e dominio legis, uti si quis extra locum quem lex afficit, se recipiat; posteriores sunt quæ aliquem subjectum legi remanentem ab ejus impletione impediunt, puta si die dominica discedas e loco Sacri ad villam in eodem territorio positam, sed in qua non potes amplius Missam audire. Quæ causæ apponi possunt tum *directe* tum *indirecte*, nempe prout agens eo sine illas ponit, ut legi se subtrahat, vel alia de causa movetur ad eas ponendas, inde tamen præviso obice. Iterum istæ possunt esse vel *remotæ*, vel *proximæ*, vel *præsentes*, prout lex quæ causis illis prohibetur, vel jamjam obtinet, vel proxime obligabit, vel non nisi post notabile temporis intervallum urgebit. Quo posito:

R. 2. Licet sine peccato apponere causas totaliter *eximentes* a legis humanæ observatione (etiam directe et proxime in nostra sententia) nisi obstet specialis prohibitio: hoc enim est jure suo uti: cuique sane licet se subtrahere dominio legis, nempe peregrinando ad locum ubi lex non viget, ut nequeat amplius ipsum attingere. Unde tu non veteris die festo te eo conferre, ubi non sit festus dies neque ideo Missæ præceptum <sup>1</sup>. — At loquendo de causis *impe-*

<sup>1</sup> Dicitur est: 1. *legis humanæ*; id enim nullimode potest habere locum in lege naturali aut divina; cum istæ omnes, ubique ac semper obligent; 2. *nisi obstet specialis prohibitio*; sic, v. g. lex vetat alio ire in fraudem

*dientibus*, dicimus: 1. non licere sine gravi ratione illas directe apponere aut non removere sive agatur de præsentibus, sive de proximis (quæ in moralibus æquiparantur); si secus, eluderetur omnis lex: sic peccat qui somno se tradit paululo ante vel ipso tempore audiendi Sacrum, recitandi Officium etc.; neque enim ideo subtrahitur a legis vi quæ ipsum jam proxime urgebat: ita communiter cum D. Thoma<sup>1</sup>. Imo directe neque licet illas ponere vel non removere, etsi remotas; dum enim quis adhuc subjacet jurisdictioni legis, non potest velle ullo tempore ejus violationem: hinc carcere detenti aut excommunicati peccant, si non curant liberari, ideo præcise ne liberati teneantur Missæ de præcepto adesse; tali enim voluntate est eligere ex animo legis infractionem. Dicimus 2. neque licet sine ratione gravi indirecte ponere vel non auferre causas impediens, *si proximæ sint*; ratio quia lex proxime urgens, ligat proxime voluntatem et eam adstringit ad adhibenda media necessaria ut ejus observatio obtineatur: hinc peccant sartores qui in vigilia festi non parant vestes quas possunt sine nimio incommodo, et dein die festo eas parare coguntur, id prævidentes.

NOTA. *Si proximæ sint*, licet enim probabilius apponere vel non tollere, etiam sine ratione causas remotas et indirecte impediens; neque sane censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si multo ante obligationem legis quisque debeat attendere ad opera sua an sint impeditiva ipsius legis quæ non nisi aliquando et remote erit obligatura. — Causa autem remota dicitur quando pluribus diebus antequam lex obligare incipiat, ponitur: quod maxime determinatur tum ex mente legislatoris, tum ex piorum ac prudentum judicio. Hinc

reservationis peccatorum, vel ad matrimonium clandestine contrahendum, etsi eo in loco quo venit, nec reservatio sit, nec præceptum Tridentini, quo solo illud matrimonium prohibetur. Vide de Pœnitentia, ubi de *reservatione*; ac de Matrimonio, ubi de *clandestinitate*. — V. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Fraus. — V. Supra dicta de peregrinis, n. 214.

<sup>1</sup> 1, 2, q. 75, a. 5. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 152; l. III, n. 1045; *H. Ap.*, tract. II, n. 20.

(resolvit Gury cum doctrina communiori) non peccat contra præceptum audiendi Sacrum qui iter aggreditur die lunæ, martis et mercurii et probabiliter etiam jovis, prævidens fore ut die dominico proximo, Missam audire non posset. Qui vero die veneris esset profecturus, valde a tali consilio dimovendus est, quamvis de mortali non sit certo damnandus. Nullo tamen modo excusabis die sabbati, sine gravi et probata causa abeuntem cum prævisione missæ omittendæ.

248. Q. 7. *An qui uno actu violat plura præcepta diversis legibus edita super eadem materia, committat plura peccata?*

R. affirmative si dignoscatur leges illas conditas esse ob diversos fines formales, quod tunc evenit, cum leges ipsæ trahunt actum ad aliam virtutem specialem; secus negative, quia tunc non haberentur malitiæ diversæ. Sic qui non jejunavit die vigiliæ incidentis in Quadragesimam, etsi duplex violet præceptum, vigiliæ scilicet et Quadragesimæ, non committit tamen nisi unum peccatum; quia in utroque præcepto unica est ratio formalis et motivum proximum, nempe maceratio carnis: et ideo satis est, ut in confessione se accuset de uno jejunio violato. Item qui Sacrum audire neglexit in die festo incidente in dominicam, violat utique duplex præceptum, unum de Sacro audiendo in illo die festo, alterum de Sacro audiendo in die dominico; et tamen committit unum duntaxat peccatum, quia unica est ratio formalis, et unicum est motivum proximum præcepti utriusque, scilicet cultus Dei. Et ideo sufficit, ut in confessione seipsum accuset de uno Sacro omisso<sup>1</sup>.

E contrario violans votum et juramentum, vel votum et præceptum Ecclesiæ de eadem re, duplex committit peccatum; quia duplicem committit malitiam, cum duplex habeatur ratio formalis omnino diversa in duplici præcepto sic

<sup>1</sup> Item qui committeret homicidium sub pœna etiam ab Episcopo prohibitum, unum peccatum committeret; quia tam Deus, quam Episcopus habuerunt unum tantum motivum justitiæ. — Item Sacerdos beneficiatus omittens Officium (quoties vellet restituere fructus) unum peccatum perpetrat; quia una tantum religionis causa et beneficiato et in Sacris ordinato illud oneris impositum est.

violato. Voti enim observatio præcipitur, ut servetur fides Deo debita; observatio autem juramenti, ut Deus vocetur in justum testem. — Item qui percutit Clericum, dupliciter peccat, contra justitiam ex præcepto Dei, et contra religionem ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex religionis motivo id prohibuit<sup>1</sup>.

249. Q. 8. *An qui totum præceptum implere non potest, teneatur saltem implere partem illam quam potest?*

R. Si illa præcepti materia indivisibilis est, qui non potest servare totum, non obligatur ad partem; quia nulla in parte hac servatur ratio legis, nec ipse censetur legislator velle obligare. Sic qui voto adstrictus est Romam petendi ad visitanda limina Apostolorum, et certo scit se eo pervenire non posse, non tenetur ne in parte quidem suscipere iter; quia nec finis nec ratio legis servatur.

Si vero materia præcepti est divisibilis, tunc dicimus eum, qui non potest totum implere præceptum, saltem teneri ad partem, si hæc notabilis sit; in ea enim aliquo adhuc modo servatur ratio præcepti, ac proinde ad illam implendam censetur legislator obligare: et sicut *utile per inutile non vitiatur*, ita neque *pars possibilis per impossibilem*. Hinc Innocentius XI damnavit hanc n. 54 propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem*<sup>2</sup>. Ita qui non potest abstinere a pluribus refectionibus in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, nisi adsit indultum: item qui non potest omnibus diebus jejunare, id debet iis diebus, quibus potest. — Hæc tamen nostra resolutio diversa esset, si ambiguum et incertum sit, num adsit potentia etiam quoad illam præcepti partem; « sicuti v. g. (ait ad rem nostram Billuart) in infirmis, in quibus vix aut ne vix determinari potest quid pos-

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 145; l. V, n. 55; et *H. Ap.*, tract. II, p. 52.

<sup>2</sup> Hoc nempe axioma non valet, nisi quando partes ita connexæ sunt, ut eadem sit ratio partis utriusque, quod in præsentiarum non currit. Hic enim ratio excusans a toto est impotentia; sed impotentia certe non supponitur non alius adesse in parte.

sunt, usquequo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis, et continua perplexitas in determinanda parte, ad quam tenerentur. Et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem: ita graves Theologi<sup>1</sup>. »

250. Q. 9. *An possit quis renuntiare legibus in sui favorem latius?*

R. Si leges primario latæ sint in bonum communitatis, nemo potest illis renuntiare; quia bonum communitatis semper est firmum. Hinc Clericus nequit renuntiare privilegio fori, ubi vigeat; cum id inductum sit in decus totius Ordinis Clericalis. Neque subditus privatis conventionibus aut dispositionibus potest derogare legibus quæ respiciunt bonos mores vel quæ ordinem publicum tueantur, etsi illæ vergant etiam in sui favorem<sup>2</sup>.

Si vero leges respiciant primario bonum privati, hic utique potest legibus illis renuntiare: sane si contra voluntatem iis subijci deberet, non esset illi favere, sed onus imponere. Hinc hæres ordinarie renuntiare potest hæreditatem sibi delatam.

#### CAPUT OCTAVUM

#### DE LEGIS INTERPRETATIONE ET MUTATIONE

251. Q. 1. *Quid est legis interpretatio?*

R. Interpretatio legis nihil est aliud, quam *explicatio sensus, quem lex intendit*. Per se loquendo ea locum habet in omni lege humana; nam quantumcumque lex clara sit, impossibile tamen est, ut omnes omnino casus comprehendat; et sub una littera non raro multiplex latet sensus. Imo

<sup>1</sup> *De legib.*, dissert. 4, art. 7.

<sup>2</sup> *Cod. civilis*, art. 15. — *C. A. civ.* § 878. — *C. G. 6.* — *C. S. 7.* — *C. P. 8.* — *C. M. 11.*

et in ipsa lege naturali, ubi tamen actio possit ex circumstantiis malitia denudari: sic negamus ensem domino, qui illo sit certo abusus, licet de jure naturæ res clamet ad dominum<sup>1</sup>.

Duplex est legis interpretatio: una, quæ dicitur *simplex*; altera, quæ dicitur *per epickiam*. Prima est pura, et quasi literalis expositio terminorum legis, qui obscuritatem vel ambiguitatem aliquam pati videntur. Altera est benigna ac rationalis declaratio, qua casus particularis ob particulares circumstantias statuitur non comprehendi sub lege, etsi legis verba sint generalia et perspicua. — Ipsa interpretatio simplex subdividitur tam ratione modi, tam ratione causæ.

Ratione modi: 1. alia est *declaratoria*, quæ verba legis obscura declarat; 2. alia *ampliatiua*, quæ legem ad similes casus extendit; 3. alia *restrictiva*, quæ legem restringit ad designatos casus, quamvis ipsa generalis videatur. — Ratione vero causæ, quæ maxime attenditur, alia est *authentica*, alia *usualis*, alia *doctrinalis* seu *didascalica*: 1<sup>a</sup> est illa, quæ fit ab ipso legislatore, vel superiore illius aut successore: habetque vim legis, si debite promulgetur; cum ab ipso procedat, a quo lex suam habet vim; 2<sup>a</sup> est illa, quæ petitur ex consuetudine: quæ quidem, cum *optima sit legum interpres*, utique obligat; 3<sup>a</sup> est illa, quæ fit per Doctorum explicationem et Jurisperitorum oracula. Hæc nullam quidem habet vim legis, cum non procedat a facultate legislativa; magnam tamen habet probabilitatem. Imo si universali muniatur Doctorum consensu, temeritatis notam non effugeret qui eam sperneret; cum magna sit vis consensionis<sup>2</sup>.

252. Q. 2. An omnis authentica interpretatio semper indigeat nova promulgatione?

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. 1, nn. 200 et seqq. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Interpretatio legis.

<sup>2</sup> Illic observamus, Pium IV Bulla *Benedictus Deus* doctrinalem ac privatam Tridentini interpretationem ex professo factam, et typis mandatam Prælati prohibuisse sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesie; omnibus autem sub pœna excommunicationis *ipso facto* et reservatæ. Et merito, ut sic vitetur confusio, quæ de facili oriri potest in iis tanti ponderis sanctionibus.

R. Oportet distinguere inter puram legis declarationem, et inter meram interpretationem ejusdem. Est *pura legis declaratio*, quando explicatur aliquis sensus, qui jam ab initio erat in lege satis imbibitus: uti v. g. si dubium sit, an sub vocabulo *fili* intelligatur solus filius legitimus, an etiam spurius, et legislator declaret intelligi etiam spurium. *Mera autem legis interpretatio*, quæ etiam dicitur declaratio non pure talis, est quando explicatur sensus, qui in lege non erat clare imbibitus: v. g. si legislator declaret, quod sub nomine *patris* veniat etiam avus. Hoc autem proposito, dicimus: si agitur de pura legis declaratione, tunc declaratio illa obligat statim omnes, qui eam cognoverint, neque requiritur promulgatio, nisi fiat a successore<sup>1</sup>; quia non est nova lex. Si vero agitur de mera legis interpretatione, tunc promulgatio est necessaria; cum nova constituitur obligatio (Z).

253. Q. 3. An lex de casu ad casum extendi debeat?

R. Ordinarie lex non debet de casu ad casum extendi, etsi eadem ratio currat. Quia non ratio legis, sed legislatoris voluntas subditis rite intimata vim legis habet et obligat; potest enim legislator de uno disponere, non de alio<sup>2</sup>. Diximus *ordinarie*; nam commune est legem extendi de casu ad casum, cum non solum eadem sed eadem et adæquata simul ratio currit, adeo ut si non extenderetur, legislator argui posset de imprudentia vel injustitia; tunc valet illud juris: *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio*. Id evenit:

1. In *correlativis*: jure etenim sancitur, ut *dispositum in uno correlativo censeatur dispositum etiam in alio*. Sic lex, quæ eximit maritum ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, censeatur item eximere uxorem ab eodem officio erga adulterum maritum; quia maritus et uxor sunt correlata; — 2. in *æquivalens*: sic cum electio, postulatio et

<sup>1</sup> Diximus *nisi fiat a successore*, cum enim mens legislatoris non ita sit cognita; ideo tunc ad declarandum sensum etiam imbibitum in lege, recurrere est ad argumenta et interpretationes, quæ cum novam quasi legem inducant, nova indigent promulgatione.

<sup>2</sup> Hinc illud: *Ratio legis non est lex*.



præsentatio in Beneficiis inter se æquiparentur a jure, quod lex decernit circa unum, idem decernere censetur circa aliud in his, in quibus æquiparantur. Sic ova et lacticia æquiparantur ratione abstinentiæ, et quod dicitur de primis, intelligi etiam debet de secundis; — 5. in *connexis*: sic iis, quibus lex permittit condere testamentum, etiam notas testamentarias permittere censenda est; — 4. in *contentis*: sic si lex decernat aliquid causa frequentioris usus, etiam casum minus frequentem continet. Unde Pius V permittens e monasterio egressum ob incendium aut epidemiam, censetur etiam id concedere ob inundationem et hostium invasionem.

In his conveniunt omnes, licet agatur de lege pœnali. Neque tunc valet regula: *Odia restringenda, favores convenit ampliari*; nam id procedit tantum cum dispositio legis extenditur ex interpretatione *congruitatis*. Non autem cum debet extendi ex interpretatione *necessitatis*, quæ non tam debet dici extensio, quam nuda et naturalis comprehensio<sup>1</sup>.

254. Q. 4. *Quid de epickeia?*

R. Epickeia (seu epickia) est exceptio casus ob circumstantias, ex quibus certum vel saltem probabiliter iudicatur, legislatorem noluisse illum casum sub lege sua comprehendere: græca vox est, quæ idem sonat ac æquitas. Sane ad æquitatem pertinet, ut legislator censeatur relaxare de sua lege, gravi interveniente causa<sup>2</sup>. Ut tamen detur locus epickeiæ (etiam in casu particulari), oportet ut lex reddatur damnosa vel onerosa nimis.

<sup>1</sup> Nempe, ut ait Suarez, extensio legis alia est necessaria, alia congruentialis: illa est omnino requisita ad justitiam vel rectitudinem; hæc vero non ita: sed tantum est voluntaria, quia licet possit lex multa alia juste comprehendere, tamen minor comprehensio sufficit ad justitiam legis et proprietatem verborum cum ratione etiam legis servandam. Porro generalis regula de non ampliando leges pœnales intelligi debet de interpretatione voluntaria, id est sine qua potest adhuc conservari prudens dispositio et justitia legis; non de necessaria extensione legis, quæ requiritur, ut servetur justitia, vel æquitas. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 200.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. II, n. 7; et *Op. Mor.*, l. I, n. 201. — Juxta Salmanticenses epickeia locum habere potest etiam in lege naturali

*Damnosa*: hinc v. g. possunt cives arma capere et pugnare contra hostes civitatem invadentes, licet lex generatim armorum gestationem prohibeat. *Onerosa nimis et dura*: hinc v. g. excusatur ab auditione Sacri qui timet ideo notabilem jacturam bonorum, quæ moram non patitur; nec suppetat tempus adeundi superiorem pro dispensatione<sup>1</sup>.

255. Q. 5. *An leges humanæ mutari possint?*

R. Licet summopere deceat legibus humanis majorem quæ potest, stabilitatem inesse, ne confusio inducatur, et turbentur judicia; attamen ad discrimen legis naturalis, cujus est attributum, ut nullam mutationem admittat, leges humanæ possunt utique aliquando juste mutari. Ratio, tum quia ad naturalem rationem cui leges humanæ innituntur, profecto pertinet, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum progrediatur; tum quia cum leges humanæ hominum condiciones regant, et condiciones istæ sæpe numero mutationem subeant, hinc leges ipsæ mutari possunt, ut hominum conditionibus sese juste valeant accommodare<sup>2</sup>. Id autem contingere potest: 1. per dispensationem; 2. per derogationem; 3. per abrogationem; 4. per cessationem; 5. per privilegium; 6. denique per consuetudinem.

Si nihil horum interveniat, lex semper durat, etiam ipso legislatore mortuo; nam perpetuitas est de natura legis, ut recte probat Suarez.

et divina positiva, si actio possit ex circumstantiis a malitia denudari. Sic de lege naturali res suo domino reddi debet, et tamen negari potest gladius depositus domino, si illo sit abusus: sic de lege divina positiva *panes Propositionis* non dabantur laicis, et tamen summus Sacerdos recte judicavit se illos Davidi præ lassitudine deficienti dare potuisse. Epickeia est a græco *epi*, super; et *eicô*, consentaneum; vel *eicês*, clemens.

<sup>1</sup> S. Thomas, 2. 2, q. 120, art. 1; ex quo si observantia legis sit *nociva*, non est de necessitate interrogandus superior, etsi facile possit.

<sup>2</sup> D. Thomas, 1. 2, q. 67, a. 10.

**Art. I. — De legis dispensatione, de rogatione, abrogatione et cessatione.**

**256. Q. 1. Quid est legis dispensatio?**

R. Legis dispensatio est *legitima legis relaxatio pro aliquo casu particulari*. Differt a legis irritatione, abrogatione et cessatione; quia in hisce lex pro omnibus extinguitur; in dispensatione vero vinculum legis relaxatur tantum pro particulari. Differt a licentia, in qua non relaxatur, uti in dispensatione, legis obligatio; sed solum apponitur conditio, qua posita, lex non amplius locum habet. Differt a privilegio, quod est facultas permanens; dispensatio est actus transiens.

**257.** Dispensatio alia est *totalis*, alia *partialis*, prout a toto vel a parte legis dispensat. Alia *tacita*, alia *expressa*, prout vel ab aliquo facto deducitur, vel verbis expressis declaratur. Alia *necessaria*, alia *libera*, prout in jure a Superiore decernitur tribuenda, tali extante causa; vel ejus voluntati libera relinquatur. Hic duo notanda:

1. Cum dispensatio sit odiosa, ac veluti vulnus legis cui derogat, stricte accipienda est; nisi sit debita, vel ex motu proprio, vel inserta in corpore juris, vel nisi concedatur communitati, vel ob bonum commune; cum iis in casibus dispensatio illa habeatur uti favor et gratia<sup>1</sup>.

2. Dispensatio a quovis, etiam pro invito et ignorante, valde obtineri potest; cum id jure sit statutum<sup>2</sup>. Excipit Marcus Leo in sua praxi quod a S. Pœnitentiaria obtinetur; ut illud valeat, postulandum est vel a Confessario vel a pœnitente vel a consanguineis ad 4<sup>um</sup> gradum<sup>3</sup>. — Ceterum ultimum opus est, ut dispensatio a dispensato acceptetur, nisi in aliquo peculiari casu aliter cautum sit.

**258. Q. 2. Quinam habent potestatem dispensandi a lege?**

R. Duplex est dispensandi potestas: ordinaria et delegata.

<sup>1</sup> Item potestas alicui tributa alios dispensandi large accipitur ac favorabiliter, cum sit gratia facultativa, et hoc maxime si sit generaliter concessa. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 186.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 178 et seqq. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Dispensatio.

<sup>3</sup> Sext. Decr., l. III, t. IV, *Si motu proprio*, cap. xxiii, de præb. et dignitat.

*Ordinaria* est quæ alicui competit ex vi officii sui, qualem habet legislator in lege propria. *Delegata* est quæ competit inferiori ex concessione illius, qui habet primam. Quod si hæc concedatur ab ipso jure, æquiparatur ordinariæ, utpote officio et dignitati adnexa; si vero tota sit a superiore, dicitur pure delegata. Hoc posito, dicimus: quilibet legislator ejusque successor potest auctoritate ordinaria dispensare cum suis subditis in lege propria, vel prædecessorum suorum; quia *res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Accedit: legem ferre, et legis relaxare obligationem est actus ejusdem jurisdictionis. Quod autem dicitur de legislatore et ejus successore, a fortiori dicendum de superiore; cum enim superior possit leges inferioris abrogare, quanto magis poterit in iis dispensare? Excipe casum, in quo lex transierit in contractum; nam pacta ab omnibus convenit observari. Ex his deducitur:

1. Papa dispensare potest in omni jure ecclesiastico tam universali quam particulari: imo in iis etiam Apostolicis Constitutionibus, quas constat ab Apostolis ipsis fuisse editas, prout erant Ecclesiæ Præsides. Tales sunt v. g. quæ jejunium Quadragesimale respiciunt et observantiam diei Dominicæ ac similia<sup>1</sup>.

2. Episcopus potestate officii sui, ideoque ordinaria, potest dispensare in omnibus Statutis sive Episcopalibus sive Synodalibus, independenter a Capitulo et a Clero. Neque obstat, quod Synodus ab Apostolica Sede fuerit approbata; ista enim approbatio non est specifica et absoluta, ut singula examinentur, cognoscantur ac motu proprio et certa scientia probentur. *Sed est ordinaria, communis et conditionalis, si juste, si canonice*, etc.: quod quidem nihil novi juris tribuit, ut cum Fagnano docet Benedictus XIV<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Non tamen in iis, quæ Apostoli a Christo ipso accepta tanquam Ecclesiæ ministri promulgarunt et tradiderunt. Talia sunt in nostra sententia quæ formam respiciunt et materiam Sacramentorum.

<sup>2</sup> Imo Episcopus potest dispensare in sua Diœcesi a legibus latis in Concilio Provinciali, modo non agatur de legibus, quarum dispensationem Concilium sibi specialiter reservaverit. Hoc enim valde expedit ad bonum fidelium. — V. Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. v.

5. A Statutis Episcopalibus et Synodalibus valet dispensare etiam Capitulum Cathedrale, Sede vacante; cum succedat in locum Episcopi. Non tamen Generalis Episcopi Vicarius sine speciali delegatione; cum id non habeat de suo jure ordinario.

259. An (quæres) superior possit in suo territorio legitime dispensare cum iis, qui non sunt sui subditi?

R. Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, qui non nisi in subditos potest explicari, patet eos tantum posse dispensari qui subditi sunt legislatori. Certum est tamen vagos posse dispensari a superioribus loci in quo hic et nunc resident; si secus esset, isti forenses non haberent a quibus dispensarentur a communibus, quibus ligantur, legibus. Item advenæ possunt dispensari a superioribus loci, ubi morantur; cum advenæ per domicilium vel quasi-domicilium sint eorum subditi.

Sed magna questio est de peregrinis, de illis videlicet qui alicubi veniunt, sed animo tantum subsistendi per aliquot dies vel ad summum per minorem anni partem, ut mercatores, viatores, devoti qui alio veniunt pietatis causa, etc. An nempe Episcopus vel ab eo delegatus possit dispensare cum illis in votis, juramentis, jejniis, festis circa opera servilia, ac ceteris quæ sunt de jure communi? Sunt qui probabiliter affirmant saltem ratione consuetudinis; verum sententia communissima, cui subscribitur cum Croix, Laymano, Salmanticensibus, Sporer, Suarez, etc., negat: quia peregrinantes non habentes verum animum contrahendi quasi-domicilium, non sunt subditi. Conniventia autem et consuetudo non habetur pro talibus dispensationibus, sed tantum pro absolutione peccatorum et censurarum eis adnexarum<sup>1</sup>.

260. Q. 5. An legislator possit in sua lege secum dispensare?

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 158; l. III, nn. 262 et 552. Hinc missionarii qui in finitimis diocesis regionibus piis exercitiis operam dant; et multo magis confessarii ad fideles audiendos in Sanctuariis deputati, facultates obtineant a S. Sede, ut omnibus ex omni regione ac variis diocesis convenientibus presto esse possint; non vero e loci episcopo, qui non valet pontificia indulta communicare.

R. In quorundam sententia legislator non potest quidem proprie et stricte loquendo secum in suis legibus dispensare; non enim suis legibus ipse ligatur. Sed potest improprie, explicando nempe casus, in quibus vi legis naturalis non tenetur se conformare membris communitatis in servanda lege quam ipse tulit.

Nos vero cum S. Thoma dicimus, ipsum posse secum dispensare etiam proprie, directe nempe et immediate. Ratio est quia dispensatio est jurisdictio pure voluntaria, quæ etiam erga seipsum exerceri potest: quod autem legislator suis non teneatur legibus, falsum est; turpe enim est quod caput suis membris non congruat. Hinc bene sibi dispensare potest in votis, in jejunio atque in aliis, in quibus ipse cum aliis potest<sup>1</sup>. Quod pariter dicendum est cum communi Doctorum de illo, qui obtinuit facultatem universalem dispensandi cum aliis; iste enim potest etiam cum se ipso dispensare<sup>2</sup>.

261. Q. 4. An inferior possit dispensare in lege sui Superioris?

R. *Per se loquendo* inferior non potest dispensare in lege sui Superioris, nisi ab ipso Superiore facultatem obtinuerit. Ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis; atqui inferior non habet jurisdictionem in foro Superioris. Hinc Clemens VIII ait: *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest*. Neque necesse est, ut Superior dispensandi facultatem sibi reservet, cum jam sit de natura rei, ut inferior nihil possit in lege Superioris absque illius licentia. Ex quo deducitur: 1. nullum hominem dispensare posse in lege divina. Hinc damnata est a Clemente XI Bulla *Unigenitus* hæc Quesnelli propositio: *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem*; 2. Episcopum dispensare non posse in lege Pontificis, nec Parochum posse in lege Episcopi, uno verbo nullum inferiorem in lege Superioris<sup>3</sup>.

Diximus 1. *per se loquendo*; nam poterit utique dispensare inferior, si vel communi Doctorum sensu, vel consuetudine

<sup>1</sup> 1, 2, q. 18, a. 8. — <sup>2</sup> V. Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. viii.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 249, 256; *Homo Ap.*, tract. II, n. 62

id ipsi permittatur. Sic Parochi propter consuetudinem possunt dispensare cum suis subditis (singulariter tamen), etiam præsentè Episcopo, in necessitatibus frequentibus circa jejunium, et in abstinentia a laboribus diebus festivis. Sic usu inductum est, ut Confessarii omnes solvant a censuris<sup>1</sup> (præsertim ab excommunicatione), si non sint reservatæ.

Sic prælati regulares possunt dispensare in regulis particularibus, si hoc eis non sit expresse vetitum. Sic etiam Episcopo communiter tribuunt potestatem dispensandi in legibus Pontificiis: 1. si in canonicis statutis adsit clausula: *donec dispensetur*, absque alio addito; 2. quando vel expresse in jure potestas hæc continetur, vel in privilegio consuetudinis legitime præscriptæ; 3. quando *vel* urget dispensandi necessitas *vel* magna saltem utilitas, nec facile recurri potest ad Papam, *vel* in mora est periculum alicujus gravis incommodi; 4. in casibus frequenter occurrentibus et particularibus, v. g. in jejniis ab Ecclesia indictis, in observantia dierum festorum, etc.; 5. tandem quando dubium est, an casus indigeat dispensatione; tunc enim Episcopus potest declarare casum dispensatione illa non indigere, vel ad cautelam ipse per se dispensare<sup>2</sup>. In quibus omnibus Episcopus potest aliis quoque dispensationem delegare; cum hæc potestas æquivalet ordinariæ, utpote perpetuo adnexa illius dignitati<sup>3</sup>.

Diximus 2. *nisi ab ipso superiore facultatem obtinuerit*; nam certum est ex jure, quod ille qui facultate ordinaria dispensat, potest alteri etiam delegare facultatem dispensandi<sup>4</sup>. Quæ tamen delegatio ut valida sit, debet ab ipso delegato vel ejus nuntio acceptari; sicuti eidem intimari debet delegationis revocatio, ut ipsa cesset, si sine limitatione data fuerit: cum enim res sit inter duos, amborum voluntates uniri debent, ut sum consequantur effectum.

<sup>1</sup> V. dicenda de Censuris.

Quoad dispensationes ad cautelam hæc notat Benedictus XIV, *Notif. 101*: *Diana sapienter advertit concedi a S. Penitentiaria vel Dataria dispensationes ejusmodi non tamquam necessarias; sed ut omni scrupulo animique sollicitudine fideles eripiantur.*

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Ap.*, tract. II, nn. 55 et seq.; tract. XX, n. 52. *Op. Mor.*, l. I, n. 195.

<sup>3</sup> Ex 1 *Morre ff. de jurisd. omnium judicum.*

262. Utrum autem delegatio expiret morte delegantis, si ea absolute data fuerit, distinguendum est: si ea data sit per modum *gratiæ factæ*, quod evenit cum commissionario seu delegato imponitur præceptum exequendi mandatum, si preces veritate nitantur, uti ordinarie contingit in dispensationibus matrimonialibus, tunc non perit, quantumvis res sit adhuc integra<sup>1</sup>. Si vero data sit per modum *gratiæ faciendæ*, quod evenit quando gratia non est perfecte concessa, seu quando non præcipitur delegato eam exequi, sed concedendæ gratiæ licentia datur, si vera sint exposita, et tunc delegatio expirat morte concedentis, re integra; secus re non amplius integra. Dicitur autem res *non integra*, si delegatus primum actum exercere cœpit, ut si jam vocaverit partem ad cognoscendum de precum veritate<sup>2</sup>.

263. *An (quæres) delegatus ad dispensandum alium possit subdelegare, ut ipse dispenset?* — R. Negative generatim loquendo, quia hæc facultas per se non includitur in concessione superioris, nisi expressa sit. Excipe: 1. si quis esset delegatus a Principe; casu tamen quo delegatio facta sit tanquam per officium, non vero si eligatur persona propter suam peritiam, aut si ei committatur alicujus specialis causæ executio<sup>3</sup>; 2. si quis esset delegatus ad universitatem causarum, etsi non a principe: hinc viceparochi universim deputati in locum parochi absentis vel mortui, possunt alium subdelegare<sup>4</sup>. Hæc tamen subdelegatio non potest esse ad totam, sed ad unam vel alteram causam tantummodo, ut commune est cum D. Thoma: *Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem*<sup>5</sup>. Quod autem dictum est de delegatione facta a Principe, valet multo magis de delegatione facta a Papa.

<sup>1</sup> Ex Reg. 16 juris, in 6.

<sup>2</sup> Ex c. 1, § *De Filiis Presbyt.* — V. Sanchez, *De Matrim.*, l. VIII, disp. xxviii.

<sup>3</sup> C. fin. § 1, *De Off. et Potest. deleg.* — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº *Delegare, delegatus.*

<sup>4</sup> L. 1, § *An ab eo, ff. Quis.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 195; l. VI, n. 566.

<sup>5</sup> *Quodl.*, l. XII, a. 51. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 82.

264. Q. 5. *Quænam sunt justæ a lege dispensandi causæ?*

R. Causæ justæ dispensandi ad duas revocantur et sunt :  
1. *necessitas*, quo nomine non mera impotentia accipienda est, quia tunc lex per se cessaret; sed incommodum respective grave. Sic dispensatur a jejuniis qui nequit jejunare sine gravi capitis dolore; 2. *utilitas* : sic dispensatur a voto simplici qui est in magno castitatis periculo. Ratio est bonum commune, et charitas in proximum. Ceterum Superioris est judicare, an causa dispensandi justa sit; inferioris vero, modo bona fide causam exposuerit, judicium Superioris expectare, reverenter recipere, atque illi acquiescere.

Juvat hic animadvertere, non bene se gerere qui illico, obiter nempe ad causam attendentes, dispensationem a lege petunt; sicut enim superior non debet eam elargiri sine debita ac proportionata causa, ita nec inferior illam exposulare.

265. *Quid (subjunges) si causa dispensationis sit certe injusta?* Quæstio est de dispensationis licitate vel de dispensationis validitate.

I. Quod pertinet ad licitatem, certum est dispensationem sine causa esse illicitam utpote bono communi contrariam. Unde Tridentinum ait : *Sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si argens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum, id causa cognita ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum*<sup>1</sup>. Potestas enim hæc non est data ad destructionem, bene vero ad ædificationem; atqui ea ad destructionem uteretur qui dispensaret sine justa causa. Iste enim quietam legis possessionem subverteret, latam transgressionibus viam aperiret, et superiores facillime exponeret inferiorum contemptui. Quare licet in communi sententia excusetur a peccato gravi, et probabiliter etiam a levi qui, præcluso scandalo, utitur dispensatione sine causa obtenta, cum non amplius sit sub lege; certum est tamen tum concedentem tum petentem pec-

<sup>1</sup> Sess. xxv, c. xviii, *De Ref.* — V. *De Matrimonio*, quoad dispensationes impedimentorum.

care, quia unus alteri cooperatur in violatione legis naturalis, quæ dicitur partem debere conformari toti<sup>1</sup>.

2. Ad valorem quod spectat dispensationis sine justa causa concessæ, distinguendum. Qui sic dispensat vel superior est, ita ut lex sit ab ipso lata (aut a prædecessore ejus); vel est inferior. Si superior, valide agit, quia legis obligatio totaliter pendet ab illius voluntate : unde, cessante hac superioris voluntate, legis obligatio cessat. Si vero inferior, tunc invalida erit dispensatio : non enim superior præsumi potest dedisse inferiori potestatem imprudenter dispensandi in lege propria; cum non sit præsumendus velle peccare.

266. Q. 6. *An valida sit dispensatio obreptitia et subreptitia*<sup>2</sup>?

R. Hic audiendus Salzano : « La dispense est *subreptice* lorsque pour l'obtenir on a caché la vérité; *obreptice*, lorsque l'on a exposé un fait faux. Si les deux sont également nules, cette nullité ne vient pas du défaut d'autorité dans celui qui accorde la dispense, puisque le supérieur, même sans motifs, peut dispenser, sinon licitement, au moins valablement; mais elle a pour cause le défaut d'intention dans le supérieur, qui n'entend pas dispenser si on tait la vérité ou si l'on allègue une fausseté dans telle circonstance. Pour déterminer le cas où des dispenses de cette nature doivent être regardées comme nules, il faut distinguer entre leurs motifs. Elles peuvent avoir une cause principale et finale, sans laquelle le supérieur n'aurait pas dispensé, ou bien une cause simplement impulsive et moins principale, sans laquelle le supérieur aurait dispensé, mais moins volontiers.

« Cela posé, nous disons que, si la dispense est *obreptice* ou *subreptice* dans sa cause principale, on doit la considérer comme nulle, que le rescrit du supérieur porte ou non la clause ordinaire : *Si preces veritate nitantur*. Ainsi l'a interprété l'immortel pontife Innocent III, ainsi d'ailleurs le prouve la raison. Le supérieur, en effet, ne prétend dispenser que pour ce motif même, au défaut duquel il n'aurait pas accordé la dispense : si donc ce motif n'existe pas, la dispense est nulle.

« Si la dispense est *obreptice* ou *subreptice*, seulement dans sa cause impulsive et moins principale, il faut encore distinguer. Le défaut de

<sup>1</sup> Porro peccant in aliquorum opinione mortaliter; in aliorum vero (et quidem satis probabili) opinione tantummodo venialiter, prout levem vel gravem censent esse deformitatem. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 178 et seq.

<sup>2</sup> In jure et usu promiscue plerumque usurpantur obreptio et subreptio.

l'exposé vient-il de la malice de l'exposant, la dispense est nulle. Ce défaut est-il simplement le résultat de sa simplicité et de son ignorance (*adderem vel per aliorum malitiam*), la dispense sera valide. — c'est la décision d'Innocent III<sup>1</sup>. »

267. Si autem dubitetur, an causa non recte allegata sit finalis, an impulsiva, vera an falsa, cum bona an mala fide, dicunt Salmanticenses, Sanchez et alii, censendam esse validam dispensationem; quia in dubio standum est pro valore actus. Item valere eam dicunt, si plures causæ sint expositæ, aliæ veræ, aliæ falsæ, modo una ex illis sit vera et sufficiens; jam enim adesset causa finalis. — Ceterum quoad vitium sive extrinsecum quod consistit in defectu formæ, sive intrinsecum quod sistit in causæ narratione, attendendus est stylus Curie ac usus; cum habeatur uti lex. Ita si erratum sit in nomine Diæcesis, iterum Romam mittatur rescriptum corrigendum. Hinc illud juris: *Falsa latinitas vitiat rescriptum*.

268. Q. 7. *Quandonam cessat dispensatio legis?*

R. Cessat data dispensatio: — 1. per renuntiationem dispensati: potest enim quilibet cedere juri suo. Sed præter renuntiationem dispensati expressam vel tacitam, requiritur etiam acceptatio dispensantis; secus valor dispensationis non cessat: v. g. Petrus obtinuit dispensationem ad contrahendum cum Lucia; si posthabitu hac dispensatione, ducat Caiam, Caia mortua, Luciam sine nova dispensatione ducere potest, si dispensator non revocaverit primam dispensationem; — 2. per revocationem dispensantis; *per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur*. Si revocatio sit facta a superiore in lege sua, valida est etsi sine causa, quia obligatio et deobligatio a legislatoris voluntate pendent: peccat tamen qui sic revocat, quia agit inordinate. Si vero revocatio sit facta a superiore secundario, seu a delegato ab ipso legislatore, tunc ea et illicita est et invalida, si justa non adsit causa; siquidem facultas inferioris est specialiter limitata, id est ne male illa utatur. Ita Salas, Salmanticenses, Sanchez, Tapia, etc.; — 3. per totalem cessationem causæ finalis, cum hæc tota sit ratio illius: in dubio vero, an totaliter causa cessaverit, standum est pro ipsa dispensatione quæ possidet<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> *Lezione di diritto, lez. xxvi. — F. Liguori, Op. Mor., l. I, n. 185.*

<sup>2</sup> Hinc si causa finalis v. g. dispensandi in impedimento matrimonii, sit

Ut autem intelligatur quandonam per cessationem causæ finalis, ipsa cesset dispensatio, plures hypotheses conficiendæ sunt.

1. Si causa finalis cessaverit, quando superior litteras concedit committens inferiori ut dispense, tunc nulla evadit commissa facultas dispensandi; quia superior non intendit tale mandatum concedere, nisi ob causam hic et nunc subsistentem: ideo delegatus non potest amplius procedere ad dispensandum<sup>1</sup>.

2. Si causa finalis cessaverit non quidem quando superior committit delegato ut dispense, sed quando delegatus vult dispensationem exequi, adhuc cessat valor dispensationis; ille enim, cui litterarum executio demandatur, muneri suo non potest satisfacere, nisi sub tacita conditione *si preces veritate nitantur*: quæ conditio exigit, ut causa finalis persistat actu, quo dispensatio sortitur executionem<sup>2</sup>. Titius petit dispensationem ab impedimento consanguinitatis exponens pro sola causa finali proles jam a consanguinea susceptæ legitimationem: obtinet dispensationem, et dispensatorie litteræ jam sunt expeditæ; sed antequam litteræ executione donentur, proles moritur: dispensatio cessat.

3. Si causa finalis cessaverit non quidem antequam delegatus dispense, sed antequam dispensatio ipsa legitime jam data sortiatur ultimum affectum suum; ut si obtenta sit, et rite jam tributa ob paupertatem dispensatio ad matrimonium contrahendum, sed matrimonio nondum contracto, oratores divites evadant, tunc adhuc cessat valor dispensationis, si ea concessa sit sub conditione expressa vel tacita: *si causa perdurat*, uti patet. Si autem dispensatio sit absolute concessa, tunc satis probabiliter, etiam cessante causa finali, non cessat dispensatio; quia semel per dispensationem sublata legis obligatione, hæc non redit, nisi iterum a superiore imponatur: ideo oratores, de quibus hic, possunt matrimonium et legitimatio proles et reparatio scandali, vel damni; si proles moriatur, vel foetus ejectus fuit, adhuc sustinetur dispensatio ad scandalum reparandum vel damnum; quia, ut patet, causa finalis in eo casu non cessat totaliter.

<sup>1</sup> C. ix, *De Rescript.* — <sup>2</sup> C. xxx, *De Præb.*, l. XI.

inire, etsi facti divites; quia tempore utili fuerunt absolute dispensati. Imo quando dispensatio est absolute concessa, non cessat per unum actum: v. g. obtinuisti dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge, perdurat dispensatio; nisi fuerit concessa pro speciali causa, v. g. ad ducendam illam mulierem a te desolatam.

**269.** Difficultas est, quandonam dispensatio censenda sit concessa absolute, et quando sub tacita conditione: *si causa duret*. — Resp.: si causa finalis iudicatur perpetua, tunc dispensatio censetur absolute data, etsi postea causa per accidens cesset; secus non. Iudicatur autem causa perpetua, si dispensatio uno veluti actu tota consummetur: ita si quis obtineat dispensationem ab irregularitate vel ob paupertatem parentum vel ob morum honestatem vel ob inopiam ministrorum, hæ causæ absolutæ et perfectæ habebuntur. Iudicatur vero causa temporaria et ideo dispensatio non data, nisi sub conditione *si causa duret*, si dispensatio ipsa de se habeat tractum successivum; tunc enim virtute multiplex censetur, et singulis, ut ita dicam, diebus renovata: ita si quis sit dispensatus ab officio vel jejuniis ob infirmitatem, dispensatio censetur temporaria, et cessat, ipsa finali infirmitatis causa cessante<sup>1</sup> (AA).

**270.** Q. 8. *Quid est legis derogatio et abrogatio?*

R. Licet derogatio, et abrogatio eundem sensum videantur exprimere, differunt tamen. *Derogatio legis* est legis adhuc vigentis quædam quasi imminutio secundum aliquam ejusdem partem, seu brevius est abolitio partis legis. *Abrogatio* vero est abolitio legis totius.

Triplici autem modo abrogatio et derogatio legis haberi potest: — 1. per legislatoris vel superioris revocationem; etenim *res per quas causas nascitur, per eas dissolvitur*. Atqui lex tam in toto, quam in parte nascitur per legislatoris voluntatem; ergo per eandem tam in toto, quam in parte dissolvi potest. Nequit tamen legislator sine causa legem licite revocare; nam potestas non est data superioribus in

<sup>1</sup> V. Liguori, *Homo Ap.*, tract. II, n. 66; et *Op. Mor.*, l. I, n. 196.

*destructionem*. At potest illam revocare *valide* etiam sine justa causa; cum tota vis legis pendeat ab illius arbitrio; — 2. per contrariæ consuetudinis prescriptionem (ex dicendis); — 3. per legem posteriorem universalem priori legi *item universali* derogantem; alioquin foret inanis posterior lex. Diximus *item universali*; nam jure statutum est speciali legi non derogari per generalem, nisi vel fiat specialis mentio, vel aliter constet esse mentem legislatoris, vel dicatur: *nostra certa scientia*.

**271.** Q. 9. *Quid de legis cessatione?*

R. *Legis cessatio est pura et simplex legis per se ipsam extinctio*; lex porro extinguitur per se ipsam: — 1. si propter materiæ, vel circumstantiarum mutationem facta est injusta, vel inutilis bono communi; nam lex debet esse ex vi naturæ suæ justa et bono communi utilis; — 2. si respectu communitatis cessat totaliter ejus causa finalis adæquata; tunc valet adagium: *cessante causa, cessat etiam effectus*; et lex evadit inutilis. Ita S. Thomas cum communi<sup>1</sup>. Si vero lex lata sit ob plures causas, et una tantum earum cesset, adhuc viget illius obligatio; si adhuc revera sufficiens causa sit.

*Sed quid (quæres) si finis adæquatus, nempe totalis legis, cesset tantum in casu particulari?* — Oportet distinguere: si finis totalis seu adæquatus cesset *contrarie*, nimirum si lex reddatur nociva eo in casu aut saltem valde difficilis, tunc communis est sententia, eam in dicto casu non obligare. Si vero finis adæquatus in particulari cesset tantum *privative*, nempe si lex pro illo casu particulari, aut illa persona esset inutilis, non ita conveniunt. Attamen communius est, quod lex illa adhuc obliget; quia quamvis cesset finis legis in particulari, non cessat tamen in communi: ideo est periculum hallucinationis, qua quisque in casu proprio faciliter decipi potest. Unde tunc evadit lex fundata in præsumptione juris, quæ utique semper obligat. Ita D. Thomas<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> 1, 2, q. 105, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, 198.

<sup>2</sup> 2, 2, q. 154, a. 2. *Sed oppositum tenent*, ait Alphonsus noster, plures graves Doctores, nimirum Cajetanus, Sylvester, Panormitanus, Angelus, Valentia, Sa, Cardenas, Ledesma, Gramado, Henriquez, Hurtadus et Tamburini cum Navarro, Abbate et Comitolo; et Salmanticenses ac Viva

## Art. II. — De privilegio et consuetudine.

## 272. Q. 1. Quil est privilegium?

R. Privilegium (sic dictum quasi *privata lex*, vel *privans lege*) definitur: *Lex privata speciale aliquid alicui concedens beneficium*<sup>1</sup>. Appellatur *lex privata*, non quidem respectu personæ privilegiatæ, cui nulla imponitur lex, imo gratia confertur; sed respectu communitatis, cui imponitur obligatio non impediendi privilegii usum. Ex quo sequitur privilegium non concedi, nisi ab eo qui legem condit: item acquiritur consuetudine legitime præscripta, cum hæc vim legis obtineat. — Differt privilegium a licentia; quia hæc conceditur tantum ad determinatos actus, et singularibus personis; non ita ordinarie privilegium.

Privilegium est interpretandum eo modo, ita ut non sit inutile privilegiato; cum sit gratia. Quod si interpretatio prohibeatur, id intelligitur de sola juridica et authentica; vel de ea, quæ fit ex professo: non vero de doctrinali, quæ interdum necessaria est. — Est porro regula generalis, privi-

*vocant etiam satis probabile dicentes, quod sicut cessante fine in communi, cessat lex pro omnibus; ita cessante fine in particulari, cessat lex in particulari; cum æque in ambobus casibus lex reddatur inutilis. Et quemadmodum cessante fine in uno tempore, cessat lex pro illo, licet non cesset pro alio tempore; ita cessante fine in uno casu, cessat lex pro eo, licet non pro aliis. Et ideo dicunt communiter admitti, legem fraternæ correctionis non obligare ubi non speratur fructus. — Et ut hæc sententia locum habeat semper sic intelligenda est, dummodo certe in illo casu nullum subsit periculum hallucinationis, quod quidem semper inest in casu allato a S. Thomâ, fornicationis nempe, de qua duntaxat loquitur loco citato. Homo Apost., tract. II, n. 69. — His tamen non obstantibus, ait idem Sanctus in Op. Mor., l. I, n. 499, magis mihi arri-det prior sententia, eo quod fere nunquam communiter loquendo in particulari cessat omnino periculum hallucinationis.*

<sup>1</sup> Fusius de privilegiis S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. I, app. n; et *Homo Apost.*, tract. XX, nn. 18, etc., nempe Ecclesiasticorum, Episcoporum ac Regularium. — Privilegia nonnulli damnant; atamen extra æquitatem: ubi enim privatis concedantur, semper in publicum bonum cedunt, ubi rite tributa sint; cum ideo plurimum alliciantur homines ad præclara intendenda: quod quidem ad communem utilitatem inservit; et apud omnia gubernia illa obtinent. — *V. Ferraris, Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Privilegia.

legium large accipiendum esse, maxime si sit reale, vel insertum in corpore juris ob illius perpetuitatem<sup>1</sup>. De se non extinguitur privilegium per mortem concedentis, cum sit gratia facta in favorem ejus qui privilegium obtinuit, non vero simplex delegatio ad gratiam faciendam: at concessam gratiam decet esse mansuram. Hinc qui obtinuerunt indulta v. g. absolvendi a reservatis, dispensandi a casibus, recipiendi Ordines sacros extra tempora, benedicendi coronas, habendi oratorium privatum, celebrandi ante auroram, deferendi aliquem ornatum, v. g. cappam magnam, crucem, etc., hisce facultatibus uti possunt, etiam post obitum concedentis, si concessio absolute facta sit<sup>2</sup>.

273. Tripliciter præcipue dividitur privilegium; 1. in *reale et personale*; 2. in *gratiosum et remuneratorium*; 3. in *favorabile et odiosum*.

1. Privilegium reale est, quod directe et immediate conceditur alicui rei, v. g. loco, dignitati, muneri, statui. Hoc transit ad hæredes et successores in eadem re, cum rei ipsi privilegium inhæreat. Sed qui illud habent, nequeunt eodem uti extra territorium concedentis; quia censetur locale. Personale vero est quod conceditur immediate personæ ratione sui ipsius, v. g. ob scientiam, sanctitatem, etc. Hoc extinguitur cum eadem persona: et qui illud habent, possunt eodem uti in quemcumque pergant locum; quia personam afficit, eamque sequitur quocumque. — Privilegium censetur personale, si exprimitur nomen personæ, cui conceditur v. g. *concedimus Francisco Archiepiscopo Taurinensi*. Si autem sola exprimat dignitas, *concedimus Archiepiscopo Taurinensi*, erit reale. In dubio, si odiosum, habetur uti personale; secus uti reale. Ratio autem est, quia *odia sunt restringenda, favores ampliandi*.

2. Privilegium gratiosum datur gratis, nempe sine ratione sive pri-

<sup>1</sup> Ex cap. Olim. 6 de verb. signif.; et ex *Lege ult. ff. de Const. Princip.*

<sup>2</sup> Aliter esset, si concessio a superiore sit facta sub clausula *quandiu vivero*. Quod si privilegium datum sit sub clausula *donec voluero*, alii dicunt expirare morte concedentis ad modum dispensationis; quia voluntas morte finitur. Alii probabiliter negant; quia privilegium utpote favorabile (cujusmodi non est dispensatio, utpote vulnus legis) ut extinguatur, debet concurrere actus positivus; cum per se favores sint ampliandi. Ceterum tradit cl. Alasia, *nostris in regionibus* (in Regno Pedemontano) *usu et praxi receptum esse, omnia officia et gratias, quæ alicui conceduntur a Principe, durante ipsius beneplacito, per illius obitum non extinguuntur*.



vilegiati, sive aliorum; hoc sine causa revocare licet. — Remuneratorium e contrario illud est, quod alicui conceditur ratione meritorum ipsius, vel alterius. Hoc revocari non potest, nisi ex iuxta et gravi causa, atque cum ablati privilegii compensatione; nam erat quasi merces laboris.

3. Privilegium favorabile est quod privilegiato confert commodum, et nemini affert incommodum: tale est privilegium vescendi carnibus in Quadragesima. Hoc semper est ampla interpretatione explanandum: quia *beneficium Principis late accipiendum est*<sup>1</sup>. — Odiosum vero est illud, quod uni confert commodum, alteri præjudicium. Dicitur *odiosum* respectu aliorum: talis est v. g. exemptio a solvendis tributis, quæ gravant alios. Et ideo semper est strictæ interpretationis (quia *odia sunt restringenda*), licet sit a Principe concessum; *nam supremus imperans præsumitur semper justitia plenus... ideoque omnes, provisiones, rescripta, et mandata Principum insitam conditionem habent, etiamsi non apponatur, nempe: dummodo tertio non præjudicent*<sup>2</sup>. Hoc tamen est intelligendum de privilegiis concessis personis particularibus; quæ enim sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda latissime, etsi adversentur juri communi vel alicui tertio, uti communissime doctores affirmant; præsumuntur enim concessa ad remunerationem.

274. Sex modis privilegium amitti potest:

1. *Lapsu temporis præscripti*; aut cessante causa, propter quam fuit concessum; aut non servata conditione, sub qua fuit concessum. Nam privilegium non durat ultra intentionem concedentis; atqui concedens noluit privilegium tribuere, nisi ad tale tempus et sub tali causa et cum tali conditione.

2. Per voluntariam et liberam *renuntiationem* factam a privilegiato et acceptatam a privilegiante. Quia *liberum est unicuique juri*

<sup>1</sup> C. viii, *De Privil.* — V. Ferraris, *Bibliotheca canon.*, vº Gratia, gratiosum Rescriptum; Oracula vivæ vocis. — Aliæ sunt privilegiorum species. — Sic est privilegium *contra jus*, si juri communi deroget: et *præter jus*, si ejus actus a jure non attendatur. — Est privilegium *motu proprio* datum, et ita censetur si proferat illam clausulam; secus censetur datum *ad instantiam*. — Est privilegium *ad instar* si quæ uni sunt concessa, alteri communicentur accessorie; atque *pariformiter*, si quæ uni data sunt, alteri communicentur æque principaliter. Illud extinguitur, minuitur, augetur prout extinguitur, minuitur vel augetur privilegium principalis; non item istud, quod non dependet ab alio, etc.

<sup>2</sup> V. Oldradus, *De Litteris et mandatis Principum*.

*suo renuntiare*, si tamen hoc jus ipsi favorabile directe et proxime non respiciat bonum communitatis<sup>1</sup>.

5. Per *non usum* spatio temporis ad præscriptionem sufficienti, si privilegium sit odiosum, et *se obtulerit occasio illo utendi*; quia in hoc casu censetur adesse tacita illius renuntiatione. Si non sit odiosum, non amittitur per præscriptionem; quia nemo est qui habeat jus querelam de eo movendi. Diximus *et se obtulerit occasio illo utendi*; nam secus privilegium non amittitur. Sic qui usus non est privilegio ducendi aquam de fundo alieno in fundum proprium, quia fons exaruit, privilegium amisisse dici non poterit<sup>2</sup>.

4. Per *usum* privilegio formaliter contrarium, si privilegium sit odiosum, ob præsumptam nempe privilegii renuntiationem; sic qui habet privilegium non solvendi decimas et eas tamen solvit scienter et libere, privilegium amittit. Si vero non sit odiosum, illud non amittitur ob contrariam rationem: sic qui habet privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ et tamen jejunit, privilegium suum non amittit; quia jejunare præsumitur tantum ex devotione, non vero ex voluntate privilegio renuntiandi<sup>3</sup>.

5. Per *abusum*; quia privilegium meretur amittere qui eo abutitur. Ad id tamen requiritur sententia declaratoria, nisi privilegium datum sit sub conditione illud ipso facto amittendi per abusum<sup>4</sup>.

6. Denique per *revocationem* concedentis, aut ejus successoris privilegiato significatam. Porro privilegium regulariter intelligitur revocatum per novam legem, quamvis non adsit clausula revocatoria, quando aliter non potest nova lex suum effectum sortiri, neque enim dici debet conductam fuisse legem inutilem. — Ad revocationem autem ordinarie sufficit clausula generalis: *Non obstantibus privilegiis*, nisi hæc sint justitiæ, vel qualificata, vel inserta in jure. Si vero dicatur: *Ex certa scientia, ex motu proprio, de plenitudine potestatis*, vel si certo constet de mente legislatoris, tunc revocatur quodcumque privilegium; exceptis onerosis, nempe concessis ob pretium a privilegiato acceptum, vel ob onus privilegiato impositum<sup>5</sup>.

275. Q. 2. Quid est consuetudo, prout habet vim legis?

<sup>1</sup> Cap. vi, *De Priv.*, l. XXIX, cod. *De Pact.* Et cap. viii, *De Const.*; cap. xxii, *De Præb.*, arg., l. XLVII, ff. *de re judicata*.

<sup>2</sup> Cap. vi, *De Priv.* Et l. XXXIV, Unus ex sociis, § ult.

<sup>3</sup> Arg., cap. *Cum accessissent*, l. de const. — Arg., l. II, ff. *de via publ.*

<sup>4</sup> Cap. xxiv, *De Priv.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, append. de privilegiis, n. 14.

<sup>5</sup> Cap. i, *De Const.*, in 6. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XX, n. 11 et seq.

R. Consuetudo prout vim legis habet, definitur: *Jus quoddam actibus uniformibus, diuturnis ac liberis inductum*. Obligat in conscientia, si debitum fulciatur conditionibus: constat tum ex utroque jure<sup>1</sup>; tum ex ratione; nam, consuetudine semel inducta, lex non amplius confert ad bonum publicum: *Tunc manifestatur per consuetudinem*, ait Angelicus, *quod lex ulterius non est utilis; sicut etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur*<sup>2</sup>.

276. Consuetudo alia est universalis quæ in toto Regno vel tota Ecclesia viget; alia particularis, quæ non viget nisi in aliqua parte, v. g. in Provincia vel Diocesi. Item alia dicitur juxta legem, alia præter legem, alia contra legem: 1<sup>a</sup> legi conformis est, et eam magis explicat; hinc consuetudo dicitur *optima legum interpres*; 2<sup>a</sup> inducit novum jus, quod antea non existebat: 3<sup>a</sup> abrogat legem ipsam jam lalam (hæc suo nomine dicitur *desuetudo*). Et en consuetudinis effectus.

277. Sex autem communiter requiruntur, ut consuetudo fiat lex:

1. Ut non introducatur a persona particulari, sed saltem a majori parte communitatis; alioquin novæ leges novis continuo locum darent, cum privatum instabilem reddat mala sua cupiditas. Communitas autem consuetudinem inducens debet esse talis, ut radicaliter sit capax ferendi legem ex consensu superioris<sup>3</sup>; nam consuetudo est vera lex. Non tamen ut omnes omnino e communitate eam inducant necesse est; ab omnibus enim moraliter factum censetur quod fit a parte majori.

2. Ut sit rationalis, non quidem eo sensu, quod non sit peccaminosa; nam ordinarie peccant qui eam primitus inducunt contra legem: sed eo sensu, quod sit de materia, quæ

<sup>1</sup> Ex cap. *In his d. xi*; et variis titul. *De Consuet.*; 1. *De Quibus ff. de Legibus*; et l. *Præses c. Quæ sit longa consuet.* — Fuse Gousset, *Exposition des principes du Droit*, c. xx.

<sup>2</sup> 1, 2, q. 97, a. 3. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, nn. 407 et seq.

<sup>3</sup> Hac ratione mulieres nequeunt introducere consuetudines contra leges proprias virorum, nec vice versa; uti neque ecclesiastici contra leges laicorum vel e contra, nisi materia sit communis. Hinc etiam circa res spirituales clerici non obligantur ad consuetudinem factam a laicis. *Liguori, Sanchez, Palaus, Salmanticenses.*

possit per legem humanam imperari. Hinc non datur consuetudo neque contra legem naturalem et bonos mores; hæc enim respicit honestatem, quæ impræscriptibilis est: neque contra legem divinam, quam voluit Christus perduraturam ad mundi finem independentem a populo; *Christus enim*, ait D. Augustinus, *se legem, non consuetudinem dixit*. Unde ea datur tantum contra legem humanam. — Hic autem animadvertendum, in consuetudine non requiri bonam fidem; nam etiam peccando consuetudo potest induci, ut merito docet Antoine; fortior enim vis legitimæ consuetudinis in eo est, ut lex passim non servetur, quando occurrit servanda.

3. Ut actus, quibus ea inducitur, *sint voluntarii et liberi*, alioquin deficeret ejus causa efficiens quæ est populi consensus. Hinc consuetudinem non inducunt actus positi per vim, ignorantiam aut errorem, puta si populus falso credere adesse legem, quæ revera non adest; neque enim populus potest adstringi novæ obligationi, nisi certe intendat illam voluisse sibi imponere. Hinc si observaret jejunium falso putans se aliqua lege ad id teneri, consuetudine non induceret. *Frequentes et uniformes* (per plures vices); ita ut rite colligatur communitatis consensus. *Notorii* saltem notorietate facti; nam consuetudo cum vim legis habeat, non minus quam lex debet esse voluntaria et promulgata. Tandem *continui*, nam si voluntarie interrumpantur etiam per actum unicum a majori parte communitatis, vel si interim Princeps reclamet et puniat consuetudinis introductores, consuetudo illa minime præscribet. Nomine autem *actuum*, hinc intelligimus etiam actus negativos, seu omissiones contingentes eo tempore, quo lex suam urgeret obligationem<sup>4</sup>.

4. Ut adsit intentio se obligandi, vel consuetudinem introducendi; quia consuetudo non habet vim legis, nisi ex populi voluntate, accedente superioris consensu. Nulla ergo evadit consuetudo, si populus aut major ejusdem pars aliquid ex devotione agat, uti est consuetudo Salutationem Angelicam ter in die recitandi, tres Missas in die Nativitatis audiendi,

<sup>4</sup> Hoc modo cessavit obligatio audiendi Missam parochialem in die festo; quia nempe a fidelibus omisa est eo tempore, quo vigeat. — V. Ferraris, *Bibliotheca canon.*, v<sup>o</sup> Consuetudo.

in ingressu templi aquam benedictam sumendi. etc. Intentio autem se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo a longo tempore constanter observetur, si observetur etiam cum incommodo satis gravi, si ita sentiant homines pii<sup>1</sup>. Hac ratione dicimus consuetudinem regularium et monialium recitandi divinum Officium sub gravi tenendam esse.

5. Ut adsit consensus Principis personalis vel legalis; quia lex prodit a superiore, ideoque non sine illius consensu<sup>2</sup>. Princeps consentit personaliter, cum vel per se et immediate consentit ut inducatur consuetudo obligatoria; vel eam tacite aut expresse approbat verbis, aut rebus, aut factis; vel illi non resistit cum possit; scire enim debet eam passim introduci ubique: unde continuo ipsi invigilandum est, si velit, ut sua lex firma existat. — Consentit legaliter seu juridice, quando ipse aut ejus prædecessores leges vel tulerint, vel receperint, quibus approbantur consuetudines rationabiles atque legitime præscriptæ.

6. Tandem requiritur tempus diuturnum. Verum hic distinguendum est: vel consuetudo inducitur via conniventiae, legislatore nempe sciente et connivente: quod evenit, quando legislator videt legem non recipi et dissimulat, cum possit facile urgere observantiam. Vel inducitur ordinaria via præscriptionis, legislatore ignorante.

Si 1, docet Benedictus XIV, nullum temporis spatium esse necessarium... Tunc quippe post paucos actus a superiore toleratos præsumitur, quod idem per hanc ipsam conniventiam suam legem tacite revocet; nolique ea obstringere communitatem, cui displicet<sup>3</sup>. — Si 2, alii dicunt temporis diuturnitatem relinquendam esse arbitrio prudentum, qui juxta repetitionem actuum, negotiorumque qualitatem pronuntiant. Alii decem annos sufficere docent contra leges civiles, quia hoc tempus in jure dicitur *longævum* (seu longum),

<sup>1</sup> In dubio an consuetudo sit in obligatione necne, sub gravi an sub levi, ad culpam an ad pœnam tantum, benignior pars erit tenenda; nam quisque censetur minus quoad potest se obligare.

<sup>2</sup> S. Thomas, 1, 2, q. 97, a. 3. — <sup>3</sup> De Syn. Diœc., l. XIII, c. v.

*diuturnum, inveteratum, ac plurium annorum*<sup>4</sup>. Sed contra leges ecclesiasticas requirunt 40 annos, quia hoc tempus necessarium est ad præscribendum contra Ecclesiam<sup>5</sup>. Alii demum plures cum Ferraris, Lessio, Lugo, Navarro, et Sa (in quorum sententiam evidenter inclinat laudatus Pontifex) rationabiliter dicunt sufficere 10 annos pro utraque lege; cum nulla in jure habeatur facta legis distinctio, et textus contrarii loquantur tantummodo de juribus atque de bonis Ecclesiæ immobilibus<sup>5</sup>.

278. Q. 3. An consuetudo possit abrogari per subsequentem legem?

R. affirmative: Consuetudo potest abrogari per subsequentem legem; consuetudo enim suam habet vim obligandi ab ipsa Principis auctoritate; ergo eadem auctoritate poterit illam amittere.

Commune tamen est, non abrogari consuetudinem particularem ob generalem legem contrariam, nisi recte præsumatur Princeps eam nosse saltem confuse, et voluisse eam abrogare. Hinc particularis consuetudo unius Provinciæ non abrogatur per legem generalem totius Ecclesiæ vel Regni, nisi in lege illa fiat specialis ejusdem mentio, vel per clausulam generalem dicatur: *Non obstante quacumque consuetudine*. Aliter præsumitur Princeps ignorare eam consuetudinem particularem, et ideo eandem abrogare noluisse. — Excipiunt Sahnanticenses leges ab Episcopis sancitas; nam Episcopi præsumuntur omnium consuetudinum contrariarum habere notitiam, cum eorum territorium non ita extendatur.

Ex adverso quia consuetudines universales præsumuntur Principi esse notæ, eo ipso abrogari dicendæ erunt, quod Princeps fert legem contrariam, etsi desit clausula generalis derogatoria. — Consuetudo autem immemorialis, cum majore

<sup>4</sup> L. ult., c. De Præscript.

<sup>5</sup> C. De Quarta; et cap. Ad aures de præscript. Verum non confundenda præscriptio cum consuetudine, ut merito notant legisperiti; illa enim nullum jus acquirit, nisi præscribendi, et in eos duntaxat contra quos præscriptum est, et in tantum in quantum præscribens possidet vel quasi. Ista vero acquirit jus in universum, et currit pro omnibus et contra omnes in suo casu; nam legem imitatur, et legis vim habet.

<sup>5</sup> V. Liguori, Op. Mor., l. I, nn. 407 et 459; Homo Apost., tract. II, n. 44.

rem habeat vim, non revocatur, si ea non exprimatur in lege, ut S. Concilii Congregatio declaravit <sup>1</sup>.

279. Q. 4. An expediat inductas consuetudines evellere?

R. Si consuetudo sit contra fidem ac bonos mores, utique curandum, ut quoad potest, cito evellatur; cum nulla dari possit hac de re legitima præscriptio; imo non tam esset consuetudo, quam corruptela. Item præstat, ut evellatur quæ inutilis est atque minus ad pietatem favendam conducit; cum superioris esse debeat bonum subditorum curare<sup>2</sup>. Hic tamen magna prudentia opus est, et habenda ratio temporis, loci ac personarum; nam non raro, uti observat Augustinus<sup>3</sup>, ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat: oportet nempe, ut neque desides simus, neque plus æquo solliciti.

Quod si ejusmodi sunt superiores, ejusmodi plerumque esse solet et populus, hoc maxime nostrum esse debet, ut operum nostrorum exemplo subditos amoveamus a malo, firmemus in bonum, atque ad meliora pertrahamus. — Si tandem consuetudines sunt laudabiles, quammaxime fovendæ sunt, uti patet: Si tamen aliquarum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sint, ut ait idem Doctor<sup>4</sup> (BB).

280. Q. 5. Quid circa desuetudinem speciatim notandum est?

R. Duo sunt notanda præcipua quoad desuetudinem: unum respicit conditiones necessarias, alterum effectus inde provenientes. Desuetudinis conditiones sunt, ut ea sit tum rationalis, ideo non contra divinum jus; tum legitime præscripta, spatio nempe decem saltem annorum. Effectus vere desuetudinis est legi derogare, etiamsi in lege apposita sit clausula: Non obstante quacumque consuetudine; talis enim clausula præteritis tantum respicit consuetudines<sup>5</sup>.

Sed notandum est, quod ut desuetudo legi deroget, non sufficit intentio legem transgrediendi; sed expresse intentio requiritur legem delendi. Nihilominus si lex in bona fide, nempe ex legis ignorantia, non observaretur, ait Layman cum Suarez, Azorio, Glossa, etc., quod de-

<sup>1</sup> Fagnanus, in cap. Ad hæc, n. 54, De Rel. domib.

<sup>2</sup> Nonnullæ reprobatae consuetudines vid. tum penes Zambron, Collect. declarationum C. Concilii, vº Consuetudo; tum penes Alasia, De Legibus, diss. v, cap. II, n. 2, qui eas refert ab Ubaldo Giraldi; tum penes Filalete, Prolegomeni di Teologia.

<sup>3</sup> Ep. II ad Jan., c. v.

<sup>4</sup> S. Augustinus, Epist. LV ad Januar., c. XIX. Hoc maxime notent Parochi: vid. Tractatus De Obligationibus, ubi De Moribus Parochorum; et Appendix in fine.

<sup>5</sup> V. Liguori, Op. Mor., l. I, n. 107; et l. III, n. 290.

cennio ipsa præscribitur, etiam ignorante Principe; præsumitur enim Princeps, qui positive non obstat, approbare quemlibet usum, qui legitime præscriptus est. Dicunt autem Salmanticenses cum Granada, Salas, aliisque sufficere dictum eximii doctoris etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur. Bene tamen advertit Mazzota, quod in dubio de desuetudine possidet præceptum<sup>1</sup>.

## DISPUTATIO SECUNDA

### DE PRÆCEPTIS ECCLESIE

#### QUÆSTIO PRÆAMBULA

281. Q. Quid de Ecclesie præceptis generatim?

R. Quamvis sint plura quæ Ecclesia præcipit tum in jure Canonico, tum in Conciliis, et passim in ordinationibus ecclesiastici superioris; sex tamen specialiter in Catechismis proponuntur quæ ab universo fidelium cœtu, ubique gentium, sunt necessario observanda. Quæ quidem sequentibus versiculis includuntur:

*Festa colas præsens Sacro; Jejunia servès;  
Annua sit Confessio; sit Communio Pascha;  
Solvantur Decima; Vetito ne tempore nubas*<sup>2</sup>.

Quæ præcepta certum est, per se obligare sub gravi; sunt enim res maximi momenti ac data a legitima potestate. Res

<sup>1</sup> V. Liguori, Homo Apost., tract. II, nn. 80 et seq. Quod si revera lex intelligat derogare consuetudini futuræ, id intelligunt probabilius de illa quæ contraria foret legi divinæ naturali vel positivæ, ait idem S. Alphonsus in libro, Il Confessore diretto per le confessioni delle genti di campagna, c. II, n. 27; et Op. Mor., l. I, n. 108.

<sup>2</sup> De 5 præcepto erit Tract. De Pœnitentia; de 4 ubi de Eucharistia; de 6 ubi de Matrimonio; de cæteris vero in præsentiarum.

rem habeat vim, non revocatur, si ea non exprimatur in lege, ut S. Concilii Congregatio declaravit <sup>1</sup>.

279. Q. 4. An expediat inductas consuetudines evellere?

R. Si consuetudo sit contra fidem ac bonos mores, utique curandum, ut quoad potest, cito evellatur; cum nulla dari possit hac de re legitima præscriptio; imo non tam esset consuetudo, quam corruptela. Item præstat, ut evellatur quæ inutilis est atque minus ad pietatem favendam conducit; cum superioris esse debeat bonum subditorum curare<sup>2</sup>. Hic tamen magna prudentia opus est, et habenda ratio temporis, loci ac personarum; nam non raro, uti observat Augustinus<sup>3</sup>, ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat: oportet nempe, ut neque desides simus, neque plus æquo solliciti.

Quod si ejusmodi sunt superiores, ejusmodi plerumque esse solet et populus, hoc maxime nostrum esse debet, ut operum nostrorum exemplo subditos amoveamus a malo, firmemus in bonum, atque ad meliora pertrahamus. — Si tandem consuetudines sunt laudabiles, quammaxime fovendæ sunt, uti patet: Si tamen aliquarum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sint, ut ait idem Doctor<sup>4</sup> (BB).

280. Q. 5. Quid circa desuetudinem speciatim notandum est?

R. Duo sunt notanda præcipua quoad desuetudinem: unum respicit conditiones necessarias, alterum effectus inde provenientes. Desuetudinis conditiones sunt, ut ea sit tum rationalis, ideo non contra divinum jus; tum legitime præscripta, spatio nempe decem saltem annorum. Effectus vere desuetudinis est legi derogare, etiamsi in lege apposita sit clausula: Non obstante quacumque consuetudine; talis enim clausula præteritas tantum respicit consuetudines<sup>5</sup>.

Sed notandum est, quod ut desuetudo legi deroget, non sufficit intentio legem transgrediendi; sed expresse intentio requiritur legem delendi. Nihilominus si lex in bona fide, nempe ex legis ignorantia, non observaretur, ait Layman cum Suarez, Azorio, Glossa, etc., quod de-

<sup>1</sup> Fagnanus, in cap. Ad hæc, n. 54, De Rel. domib.

<sup>2</sup> Nonnullæ reprobatae consuetudines vid. tum penes Zambron, Collect. declarationum C. Concilii, vº Consuetudo; tum penes Alasia, De Legibus, diss. v, cap. II, n. 2, qui eas refert ab Ubaldo Giraldi; tum penes Filalete, Prolegomeni di Teologia.

<sup>3</sup> Ep. II ad Jan., c. v.

<sup>4</sup> S. Augustinus, Epist. LV ad Januar., c. XIX. Hoc maxime notent Parochi: vid. Tractatus De Obligationibus, ubi De Moribus Parochorum; et Appendix in fine.

<sup>5</sup> V. Liguori, Op. Mor., l. I, n. 107; et l. III, n. 290.

cennio ipsa præscribitur, etiam ignorante Principe; præsumitur enim Princeps, qui positive non obstat, approbare quemlibet usum, qui legitime præscriptus est. Dicunt autem Salmanticenses cum Granada, Salas, aliisque sufficere dictum eximii doctoris etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur. Bene tamen advertit Mazzota, quod in dubio de desuetudine possidet præceptum<sup>1</sup>.

## DISPUTATIO SECUNDA

### DE PRÆCEPTIS ECCLESIE

#### QUÆSTIO PRÆAMBULA

281. Q. Quid de Ecclesie præceptis generatim?

R. Quamvis sint plura quæ Ecclesia præcipit tum in jure Canonico, tum in Conciliis, et passim in ordinationibus ecclesiastici superioris; sex tamen specialiter in Catechismis proponuntur quæ ab universo fidelium cœtu, ubique gentium, sunt necessario observanda. Quæ quidem sequentibus versiculis includuntur:

*Festa colas præsens Sacro; Jejunia servès;  
Annua sit Confessio; sit Communio Pascha;  
Solvantur Decima; Vetito ne tempore nubas*<sup>2</sup>.

Quæ præcepta certum est, per se obligare sub gravi; sunt enim res maximi momenti ac data a legitima potestate. Res

<sup>1</sup> V. Liguori, Homo Apost., tract. II, nn. 80 et seq. Quod si revera lex intelligat derogare consuetudini futuræ, id intelligunt probabilius de illa quæ contraria foret legi divinæ naturali vel positivæ, ait idem S. Alphonsus in libro, Il Confessore diretto per le confessioni delle genti di campagna, c. II, n. 27; et Op. Mor., l. I, n. 108.

<sup>2</sup> De 5 præcepto erit Tract. De Pœnitentia; de 4 ubi de Eucharistia; de 6 ubi de Matrimonio; de cæteris vero in præsentiarum.

*māximi momenti, cum Dei cultum, animæ nostræ salutem, aliorumque jura tueantur; ut patet discurrendo per singula; nihilque in eis sit futilis ac inanis: hinc Angelicus, impium esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret<sup>1</sup>. Item sunt data a legitima potestate, ab Ecclesia scilicet Sancta Dei, sponsa Christi, ejus gratia dealbata, pretioso sanguine dotata; quæ totum possidet quod a viro suo accepit in dote<sup>2</sup>. Quid porro accepit in dote? viri potestatem, id est ligandi atque solvendi, pascendi atque regendi gregem Dei<sup>3</sup>. Hinc illa Christi verba ad Ecclesiæ Antistites: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*<sup>4</sup>. Iterum: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*<sup>5</sup>. Et Augustinus: *Nec habebit Deum patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrem; nihilque ei valebit quod credidit vel fecit tanta bona*<sup>6</sup>. Tandem Tridentinum definivit: *Si quis hominem... dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit*<sup>7</sup>. Hinc patet quam turpiter errent qui Ecclesiæ præcepta parvipendentes, ad rusticanos et infirmæ mentis homines ea emandantes, nihilominus catholici nomine glorianur.*

## CAPUT PRIMUM

DE PRIMO PRÆCEPTO SEU MISSÆ AUDITIONE<sup>8</sup>

**282. Q. 1.** *Quosnam obligat præceptum Missam audiendi Festo die?*

R. Omnes fideles rationis usum habentes qui moraliter advertere possunt ad Missam, cujuscumque sint status, ætatis et conditionis, etiam Sacerdotes non celebrantes, generali illo

<sup>1</sup> Suppl., q. 25, a. 2. — <sup>2</sup> Augustinus, *De Syn. ad catech.*, c. xiii.

<sup>3</sup> Matth. xvi. Act. xx. — <sup>4</sup> Luc. x. — <sup>5</sup> Matth. xviii. — <sup>6</sup> *Loc. citat.*

<sup>7</sup> Sess. vi, can. 20.

<sup>8</sup> Hoc præceptum antiquissimum est, ac illius meminit sæculo secundo S. Justinus martyr. *Apolog.*, n. 67.

præcepto sub gravi ligantur. Id probat universalis Ecclesiæ praxis et sensus, atque juris præscriptio<sup>1</sup>. Ideo tenentur etiam cæci, aut surdi tantummodo; quia Sacrificio moraliter præsentibus esse possunt: illi quidem *audiendo*; isti autem *videndo* Sacerdotem sacrificantem, vel saltem (si non possunt Sacerdotem videre) multitudini Missam audienti se conjungendo. Idem valet de surdomutis, cum videant.

Qui vero sunt cæci simul et surdi, hoc præcepto non tenentur; quia eorum præsentia non potest esse, nisi pure physica et materialis.

**283.** *Quænam (quæres) præsentia ad Missæ auditionem requiruntur?*

R. Talis requiritur præsentia ad Missæ auditionem, quæ sufficiat, ut quis Sacrificio interesse, et cum aliis audientibus moraliter conjungi dicatur et habeatur unus ex illis: ita theologi communiter.

Hinc 1. commune est eum satisfacere, qui Missam audit in choro post altare, vel post templi fenestras altare respicientes. Imo et post parietem sive columnas, vel per fenestram, quæ fert in templum (etiamsi Sacerdos celebrans non conspiciatur). Nam moralis cum aliis unio ex communi hominum judicio censetur adesse, sonitu campanulæ, cantu chori, motibus assistentium, etc.

2. Item commune est, et illos satisfacere qui ad breve tempus recedunt ab Ecclesia, ut sumant vinum, thus, etc.: vel ut pulsent campanas; cum talis recessus ordinetur ad sacrificium.

3. Docent etiam non improbabiler, tum illum satisfacere, qui Missam audit ex fenestra domus, licet via intermediet, modo prospiciatur altare et parva sit distantia, ut censeatur adhuc moraliter assistere; tum illum, qui in magna Basilica in aliqua capella distantissima moratur, si possit celebrantem respicere et videre quid agat. Spatium autem triginta passuum ab altari vel a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediatur, quominus quis Sacro adsit<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Can. 62 et 64, *De Cons.*, dist. 1. — V. Ségur, *Réponses courtes et familières*, etc., § 50. — <sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 312, etc.; et *Homo Apost.*, tract. VI, n. 35.

284. Q. 2. *In qua Ecclesia Missa audienda est ad satisfaciendum?*

R. In qualibet Ecclesia, publica tamen, etiamsi non sit parochialis, Missa ad satisfaciendum præcepto audiri potest, ut hodie certum est. *Integrum hodie, ait immortalis gloriæ Pontifex Benedictus XIV, omnibus esse in qualibet Ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum, sacris Mysteriis interesse (quia contraria consuetudine in toto orbe recepta derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem) docent Silvester, Navarrus, Trullenchus, Barbosa. Addentes insuper, non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis, ut se sistant Missæ parochiali; quia non potest delere consuetudinem, quæ cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam juris communis... Enim vero non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Tridentinum, sess. xxii, in Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missæ<sup>1</sup> (CC).*

285. Hac de re sic habet Synodus Novariensis (pag. 102): « Dominicus ceterisque Festis diebus unam tantum Missam in Oratoriis campestribus ab Ecclesia Parochiali valde dissitis celebrari permittimus circa ortum solis. In reliquis autem Ecclesiis diocesis præcipue Confraternitatum, Sacra fiant multo ante vel post Missam Parochialem, ita tamen, ut ubi plures sunt Sacerdotes, communis commodi ratio habeatur, prout Parochus censuerit. — Sed ut id omne amoveatur, quo populus a frequentanda Parochiali Missa abduceretur, volumus atque edicimus, ut dato ejusdem primo signo, nemo sive in Parochiali, sive in aliis Ecclesiis aut Oratoriis (prævio præsertim campanæ signo) Sacrum faciat, donec absoluta sit Parochialis Missa. »

286. Q. 3. *Quomoda Missa audienda est?*

R. Ad satisfaciendum præcepto Missa ab uno Sacerdote, integra, atque uti actio sacra audienda est.

Diximus 1. *ab uno Sacerdote.* Id patet ex Innocentio XI, qui damnavit illam n. 55 propositionem: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis Sacerdotibus audit.* Neque etiam (in longe probabiliori sententia) satisfaceret qui duas Missæ medietates

<sup>1</sup> De Sac. Miss. App., XII. II. Notificationibus XLIV et CV. Clarius, De Syn. Dioc., I. XI, c. XIV.

successive a duobus Sacerdotibus audiret, si nempe ab uno audiat usque ad Consecrationem inclusive, ab alio reliquum; nam Ecclesia præcipit auditionem Missæ, quæ sit unum et integrum Sacrificium: quod quidem non constituunt due duorum Sacerdotum medietates<sup>1</sup>.

Diximus 2. *integra*; nam ab Ecclesia præcipitur auditio Missæ non quoad sacrificium tantum, sed quoad totam liturgiam<sup>2</sup>; et talis est praxis fidelium. Hinc communius et probabilius docent: — 1. eum graviter peccare, qui omittit Missæ initium ad Evangelium inclusive (licet non pauci velint eum tantum venialiter peccare; cum illam non habeant uti partem notabilem): 2. graviter item eum peccare, qui Missæ non interest tempore consecrationis etiam unius speciei (licet cetera audiat); quia illa est pars præcipua, et probabilius pars essentialis Sacrificii. Idem dicendum de communione Sacerdotis, quæ vel pertinet ad Sacrificii naturam vel certe ad substantiale ejusdem complementum. Si vero quis omnia præmitteret, quæ Sacerdotis communionem subsequuntur, est commune cum Suárez<sup>3</sup>, quod non peccaret mortaliter, licet omiserit etiam omnia, quæ præcedunt Epistolam; cum ad essentialiam non pertineant<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Ceterum probabilis est sententia Layman, Navarri, Sa, Soti et aliorum, qui docent præcepto satisfieri, si quis unam v. g. Missam audiat ab uno Sacerdote usque ad Consecrationem exclusive; alteram vero ab altero a Consecratione usque ad finem. Nam jam audiret quod est de essentia Missæ ab uno Sacerdote. Conveniunt tamen, quod ille, qui duas sic dimidiatas Missas audiret, nullo modo excusari posset a peccato saltem veniali ob quamdam inordinationem. — V. Liguori, Op. Mor., I. III, n. 510.

<sup>2</sup> Ex qua parte non videtur quomodo facile possit a gravi excusari, qui in die Palmarum intrat Ecclesiam, postquam Passio jam lecta est, etsi Evangelium audiat; nam etsi Passio non pertineat ad Sacrificii substantiam, est tamen juxta communem hominum æstimationem pars notabilis liturgiæ Missæ, quæ quidem est in præcepto.

<sup>3</sup> Ceterum qui intrat Ecclesiam post Consecrationem ultimæ Missæ, reliqua audire tenetur; nam satis adhuc est probabile (quamvis contrarium sit probabilius) essentialiam Sacrificii in sola sumptione consistere; unde qui non potest certo, tenetur saltem probabiliter præceptum implere. — V. Liguori, Homo Apost., tract. VI, n. 55. — Ferraris, Biblioth. canonica, juridica, etc., vº Missa, art. 16 et 17.

<sup>4</sup> Hic autem notamus unicam Missam integræ sufficere etiam Nativitatis die, cum nullibi aliter invenitur præscriptum. Est unanimes sententia, ait Bouvier.

Diximus 3. *uti actio sacra*, nempe necessaria est intentio Missam audiendi uti actionem religiosam, ut sic dici possit actus humanus in ordine ad id quod præcipitur: hinc qui ex mera curiositate Sacro interesset, non faceret actum religiosum, neque proinde præceptum impleret. — Cum tamen opus jam sufficienter præstetur, non requiritur intentio explicita, sed sufficit implicita. Intentionem *explicitam* habere dicitur qui intendit audire Sacrum, vel præcise vult satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda: *Implicitam* vero intentionem habent qui templum petunt volentes implere officium Christiani; vel Missæ intersunt generatim tamquam rei sacræ, ad cultum divinum pertinenti.

287. Q. 4. *An requiratur attentio in Missa audienda?*

R. Præter intentionem ex parte voluntatis in Missa audienda requiritur etiam attentio ex parte intellectus ad validitatem. Ecclesia enim præcipit Missæ auditionem tamquam actum, qui pertinet ad cultum divinum; atqui cultus divinus plus exigit certe, quam solam præsentiam physicam et materiale. Unde mortaliter peccare et præcepto non satisfacere dicendi sunt qui per notabile temporis spatium (quod scilicet respondeat parti notabili Missæ, uti esset juxta omnes tertia pars), vel voluntarie dormiunt, vel cum aliis fabulantur, vel penitus distracti imagines, picturas, aliaque templi ornamenta perlustrant; vel sensibus abrepti sunt. Non tamen probabilius qui exstasim patiuntur, quia tunc adest attentio ad Deum perfectior, et libertas in exstasi non amittitur ex D. Thoma<sup>1</sup>: sane si in ea libertas animæ amitteretur, nihil meretur homo in exstasi; sed si hoc esset, raptus non esset gratia singularis, ut argumentatur Continuator Tournely (DD).

288. *An (quæres) præcepto satisfaciatur qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat, vel illam actu conficit?* — Ad illum quod pertinet, qui Missæ tempore ad Confessionem se præparat, dicendus est per se loquendo sufficienter Missam audire, quia sufficienter adhuc potest piis illis actionibus intendere. — Quoad illum vero, qui eo tempore persolvendæ Confessioni per notabile intervallum incumbit, multi adhuc affirmant dicentes quod per Confessionem honoratur Deus. Nos

<sup>1</sup> 1, 2, q. 115, a. 5, ad 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 513.

tamen cum Collet, Lugo aliisque communiter negamus, quia tunc ne præstaretur quidem attentio externa. Aliunde fidelis confitens adesset ut reus, non vero ut offerens Sacrificium cum Sacerdote<sup>1</sup>. Excipiunt Lessius et Croix, si agatur de famulis, qui aliter non confiterentur; *tunc enim*, prout ipsi aiunt, *saltem præsumitur, quod Ecclesia consentiat*.

289. Q. 5. *Quænam sunt causæ ab auditione Missæ excusantes?*

R. Regula generalis est, eum non teneri præcepto humano, qui illud non potest implere sine gravi incommodo. Idem est, si adest contrarius ac legitimus usus: dispensationem autem supponimus. Hinc citra dispensationem, ex communi æstimatione, quatuor notantur causæ excusantes: impotentia, charitas, officium et consuetudo.

1. *Impotentia* tum physica, tum spiritualis, tum moralis; Ecclesia enim pia mater non vult filios suos cum gravi ipsorum detrimento obligare. — b) *Ex impotentia physica*, excusantur qui gravi morbo laborant, aut a morbo ipso convalescunt, quando prudenter timent vel grave damnum, vel notabilem moram ad convalescendum, vel gravamen capitis exeundo domo, vel virium lassitudinem. Et si dubitetur, an tale damnum sit satis grave, standum erit iudicio vel medici vel superioris vel Parochi vel Confessarii vel alterius viri prudentis: et etiam proprio, si quis prudenter valeat judicare. Quod si adhuc petito iudicio dubium perduret, tunc valde probabile est piam matrem Ecclesiam in tali casu non obligare, ut dicunt Croix, Gobat, Lugo, Salmanticenses, etc. Et in tali dubio prævalet jus naturale conservandi salutem, tanto magis, quia jam possidebat morbus; — c) excusantur ex *impotentia spirituali* excommunicati, interdicti, quibus proinde prohibetur Sacris interesse. Hi tamen si facile possunt, probabilius tenentur sub gravi curare, ut absolvantur; nam qui ad legem tenentur, tenentur et ad removendos legis exequendæ obices, cum commode possunt, si maneant sub ejus influxu. Sane qui tenetur ad finem, tenetur quoque ad media

<sup>1</sup> Quod probat neque ipsam Sacerdotem, qui Confessionem excipit, Missam audire; quia adesset non uti auditor, sed uti iudex. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 514.



maxime faciliora; — *d*) ex *impotentia morali* excusantur qui timent notabile damnum, si domo exeant in bonis tam honoris, quam vitæ et fortunæ. Hinc probabiliter liberantur qui timent carcerari; item muliones, rhedarii, molitores, si grave damnum subituri sint.

Demum doctrina hæc convenit etiam tum uxori, quæ ex accessu ad Ecclesiam timeret mariti indignationem; tum famulis quorum ministerium est communiter necessarium et omitti non potest sine gravi incommodo dominorum (debent tamen hujusmodi servi procurare, si possunt, ut adsint Sacro cum aliquo incommodo, v. g., auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo); tum demum qui notabiliter distant a templo, habita ratione loci, personæ ac temporis<sup>1</sup>.

2. *Charitas*: sic excusatur qui nequit Missam audire, quin deserat infirmum, qui ab illo relictus gravem turbationem patiatur. Et hoc etiamsi adesset alius assistens; sed infirmus putaret non sibi hujus assistentiam sufficere, et alias gravem pateretur tristitiam. — Item excusantur qui aliter non possunt impedire blasphemias, rixas, furta, etc., ut ait Elbel. — Item ii, qui in incendio, exundatione, hostium vastatione, messis deperditione, etc., alios adjuvant. In concursu enim duarum legum, potior vincere debet: at auditio Missæ est de præcepto Ecclesiæ, officium vero charitatis est de præcepto naturæ.

3. *Officium*: sic excusantur *milités* in custodiis positi, vel si toto fere tempore matutino militaribus exercitiis, etiam

<sup>1</sup> Regulariter (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. VI, n. 41) putant Suarez, Castropalaus, Filliucius, Salmanticenses, Trullene, Croix, Mazzota et alii excusare distantiam trium milliariorum, aut iter pedestre unius horæ cum quadrante; et minus si plueret, aut ningeret, aut adesset alia causa excusans. Audiendus etiam Bouvier: *Habenda est ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis; spatium enim unius milliarii potest esse nimis molestum respectu nobilis puellæ, et pro nihilo reputatur a forti rusticand.* Iter unius leucæ (trium milliariorum) non est grave pro plerisque, dum tempus est serenum et via sicca; est vero incommodum, si gradiendum sit nocte, in nive, in aqua, in cæno, sub pluvia, aut frigore, etc. — Hæc igitur pensanda, et ex æquo et bona judicanda sunt. Sæpe rationes non absolute sufficiunt, et tamen personas ex bona fide agentes, si non a toto, saltem a tanto, id est a mortali peccato excusant.

sine causa ab impiis ducibus, occupentur; *pastores gregum, laborantes* in fusoriis, quando labor ante diem festum incœptus interrumpi nequit; *matres, nutrices* et similes, quæ assistunt infantibus vel pueris, si eos domi relinquere non possint, et in templo quietos et sine aliorum perturbatione continere nequeant<sup>1</sup>. Audiatur Ægidius de Coninck: *Omnino consulendum parentibus, ut pueros statim ac rationis usus in iis elucet, assuescant Sacra pie frequentare, etsi nondum ad id obligentur; hoc enim christianam pietatem omnino decet. Quamdiu tamen ita parvi sunt, ut neque res divinas ullo modo apprehendere, neque in templo quieti decenterque contineri possint, præstat eos domi manere: quia alios sæpe graviter turbant, et iis qui ipsos ducunt, impedimento sunt, quominus orare possint.*

4. *Consuetudo*, usus nempe rationalis et sufficienter approbatus. Sic alicubi usu receptum est, ut excusentur viduæ tempore luctus (quod mensem non excedat ex D. Carolo<sup>2</sup>); et puerperæ per aliquod tempus, at non ultra hebdomadas sex. Illæ tamen personæ, quæ domo jam exeunt, non possunt hisce causis excusari.

290. *Quid (quæres) dicendum de mulieribus non habentibus vestes convenientes?* — Mulieres quæ non habent vestes decentes juxta conditionem suam et statum, vel etiam non habentes famulam vel sociam, sine quibus magno rubore suffunderentur, bene excusantur a Sacro audiendo, si non possint eidem interesse vel summo mane vel in Ecclesia remota, quo populus minime concurrat. Ita docent Bouvier, Elbel, Mazzota, Salmanticenses et Suarez. — Quod etiam communiter dicunt cum Laymano ac Tournely de puella inhoneste prægnante. Ratio est; dum quis in eo statu est, in jure comparatur ei, qui vinculis est alligatus<sup>3</sup>, qui profecto Sacro non potest interesse.

Alii excusant etiam puellam, si una tantum esset Missa, et in ea proclamationes fiant illius nuptiarum. Sed hoc non potest admitti, nisi iis

<sup>1</sup> Nisi huic providere possint sistendo ad januam ipsius Ecclesiæ, ut aliqui dicunt. Quidquid tamen sit, si id fieri non possit absque Sacerdotis et adstantium perturbatione omnino domi manendum est; at curandum, quoad potest, ut aliæ atque aliæ substituuntur mulieres, ne eadem semper cogantur a Missa atque verbo Dei abesse. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 526.

<sup>2</sup> In Concil. Mediol. 1. — <sup>3</sup> Ex L. eodem causa ff. ex qualib. causis, etc.

in locis, ubi talis est usus; aut nisi forte puella magno rubore suffunderetur, quod in nostra sententia non potest nisi raro evenire.

An (inquires) *jactura lucri notabilis, extraordinarii, repentini et transitorii excuset a sacro audiendo?* — Contra multos multi probabiliter affirmant; et quidem merito, ait Bouvier; alioquin dicendum foret legem Ecclesie obligare cum magno incommodo<sup>1</sup>.

## CAPUT SECUNDUM

DE SECUNDO PRÆCEPTO SEU JEJUNIO  
ECCLESIASTICO

291. Bellarminus quadruplex jejunium distinguit: aliud *spirituale*, quod est abstinentia a peccatis, et obligat omnes semper et pro semper. Aliud *naturale*, quod est abstinentia a quocumque cibo ac potu (etiam per modum medicinae), et obligat sanos in Eucharistiae sumptione. Aliud *morale*, quod est parcimonia in cibo et potu ad temperantiae regulas. Aliud *ecclesiasticum*, quod certis nempe temporibus ab Ecclesia affixum est sub datis limitationibus obligans: de quo in præsentiarum.

292. Q. 1. An Ecclesia possit jejunia præscribere?

R. Affirmative: est contra Lutheranos et Calvinistas; si enim potuit Synagoga, nulla est ratio cur id Ecclesie nostrae denegetur: et revera ea potestate semper usa est, et eam agnoverunt Patres atque fideles. Præterea si jejunium sit res bona, et ad fines bonos conducens, poterit præcipi ab Ecclesia; atqui tale est jejunium. — *Res bona est*, cum illud Deus in veteri lege præscripserit, ac Christus in nova exemplo suo commendaverit. *Ad fines bonos conducit*<sup>2</sup>; nam 1. utile est ad carnem edomandam, subtrahit enim ligna foco. Hinc illud Pauli: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo*<sup>3</sup>; — 2. utile est ad cælestium contemplationem: sic Moses 40 dierum jejunio dignatus est colloquio Dei: sic Daniel jejunio hebdomadarum trium præparatur ad Domini revelationes acci-

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 501; *H. Ap.*, tract. VI, n. 22.

<sup>2</sup> V. S. Basilius, *Homil. de jejunio*. — <sup>3</sup> 1 Corinth. ix.

piendas<sup>4</sup>; — 3. utile est ad satisfaciendum Deo et ipsum placandum: unde Joel hortatur peccatores, ut convertantur ad Deum in jejunio et fletu et planctu<sup>5</sup>: et hoc modo Ninivite indicto jejunio, Deum placarunt<sup>6</sup>; — 4. utile est ad impetrandum: sic Sara per jejunium a dæmone liberatur<sup>7</sup>: et sic ceteris, ut videre est penes Bellarminum.

Ex quo patet hic non agi de jejunio per se sumpto sine relatione ad bonum finem; nam jejunium simpliciter acceptum uti solam significat abstinentiam a cibo et potu, non est nisi res indifferens; potest enim fieri ut quis absteineat a cibo, quia non habet quod manducet. Nos loquimur de abstinentia, quæ assumitur ex proposito ad bonum aliquem finem: quo sensu jejunium et perutile et laudabile tuemur.

Ino jejunium, prout aliquam carnis mortificationem importat, *cadit in communi sub præcepto legis naturæ*, ut ait Angelicus<sup>8</sup>. Cum enim illud mirifice inserviat hominum bono, et Deus jejunio in nobis *vitia comprimat, mentem elevet, virtutem largiatur et præmia*<sup>9</sup>; ideo unusquisque ex naturali ratione tenetur tantum jejunio uti, quantum sibi necessarium est ad prædictos effectus. Hinc merito Ecclesia temperat quidem, at non omnino jejunii legem abrogat, etsi non pauci ejus violatores notentur. Neque ideo excusantur, quia multi sunt contemptores: sed venit potius usurpandum illud Augustini: *Væ flumini humani moris!*

Huc facit illud:

*Dum caro pinguescit, vitæ destructio crescit;*

*Dum caro marcescit, tentatio prava quiescit.*

293. Jejunia Ecclesiastica nunc generatim usitata reducuntur: 1. ad *Quadragesimam*, quæ est institutionis Apostolicæ ad nos usque transmissa; nam in omnibus sæculis eam observatam videmus<sup>7</sup>; 2. ad *quatour tempora*, quæ pariter ab

<sup>4</sup> Exodi xxxiv; et Dan. x. — <sup>5</sup> Joel. ii. — <sup>6</sup> Jome iii. — <sup>7</sup> Job. iii.

<sup>8</sup> 2, 2, q. 447, a. 5. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Jejunium.

<sup>9</sup> *Præf. Quadrag.*

<sup>7</sup> Testes: Canon. Apostolorum lxxviii; S. Hieronymus *ad Marcellam*; S. Leo M. *Serm. vi de Quadr.*; S. Ignatius *ad Philippenses*; S. Iræneus, *Ep. ad Victorem*; S. Athanasius, *Ep. ad Orthodoxos*, etc. — Unde si quæ hac in re opponitur diversitas, est tantum circa accidentalialia, v. g. quoad

Apostolis initium sumere tradit Eusebius<sup>1</sup>. Ideo autem hæc tempora sunt instituta, tum ut pro acceptis beneficiis Deo agamus gratias; tum ut nostra crimina expiemus; tum ut novam gratiam efflagitemus; tum demum ut bonos altaris ministros impetremus; 5. ad *vigilias*. Vigiliæ erant nocturni cœtus, quos primi Christiani in Ecclesia habebant ante solemnem aliquam diem, in quibus et oratione et jejuniis se ad solemnitatem præparabant. Justa de causa sublatis vigiliis<sup>2</sup>, una excepta vigilia Nativitatis Domini, remanserunt jejunia in pervilegio quarundam solemnitatum<sup>3</sup> (EE).

294. Q. 2. Quosnam obligat jejunium Ecclesiæ, et ad quid obligat?

R. Ad 1 : Generalis jejunii lex lata est ab Ecclesia absque nulla distinctione; ideo omnes obligat baptizatos rationis compotes, nisi speciali aliqua causa, aut præscripta consuetudine eximantur. Imo ita arcta est lex ista, ut qui causam habent, v. g., ætatis, dispensati utique censeantur a parte jejunii, non a toto; adeo ut ipsis permissæ sint plures refectioes, sed non omnes cibi, nempe carnes<sup>4</sup>. Hoc autem præ-

rigorem : sic alicubi nonnisi semel post biduum vel triduum sumebatur cibus; sic alicubi etiam, ut apud Græcos, sabbatis non jejunabatur, sed una addebatur hebdomada. Unde non est dubitandum quod jejunium Paschale semper fuerit quadragenarium; non vero paucorum dierum, ut falso omnino nonnulli adstruunt.

<sup>1</sup> Hist., l. V, c. xxiii. — Ferraris, *Biblioth.*, v° Quatuor tempora.

<sup>2</sup> Antiquæ vigiliæ aliis noviter inductis locum cessere; sed illæ erant ad pietatem fovendam : hæc ad solatium et peccata insumuntur. Has porro suis temporibus inolescentes graviter insectabatur P. Segneri Junior; sic saltem fit ut tardius mane a lecto surgendo pluribus pietatis operibus valledicatur. — V. Mozzarelli, *Delle cause dei mali presenti e del timore dei mali futuri, e suoi rimedi*. Venezia, 1836, p. 99 et seq. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v° Vigilia. — Franco, *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne*, etc.

<sup>3</sup> V. Devoti, *Instit. Canon.*, t. II, l. II, tit. vi. — In aliquibus regionibus, uti in Regno Sabaudia, nonnullis suppressis festiuitatibus, jejunium indictum fuit tempore Adventus, his videlicet in hebdomada (Brevi Pii VII, 9 nov. 1814). — De Adventu et Novendialibus tunc temporis in usu videndus Benedictus XIV, *Notificazione* xi.

<sup>4</sup> Si tamen indultum est vescendi carnibus pro unica refectioe, tunc dispensati a jejuniis toties quoties carnibus vesci possunt, ut videre est in fine vol. *Append.*

ceptum obligat sub gravi, cum sit opus virtutis in suo genere grave. Hinc merito damnata est ab Alexandro VII hæc n. 25 propositio : *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subicere præcepto*<sup>1</sup>.

R. Ad 2 : Ex præscriptione Ecclesiæ, ex sensu Doctorum atque fidelium jejunii Ecclesiastici præceptum obligat sub gravi : 1. *ad abstinentiam a carnibus*, et quandoque etiam a lacticiis, ceterisque, quæ semen et originem habent a carnibus, uti sunt caseus, lac, ova et similia; 2. *ad unicam refectioem* per vigintiquatuor horarum spatium : quæ quidem est primaria jejunii conditio. Sed admittitur, ex Ecclesiæ indulgentia et legitima consuetudine, vespertina collatiuncula; 5. *ad certum refectiois tempus*. Hæc sequens continet versiculus :

*Quid, quoties, quando; tribus his jejunia servas.*

295. Opponent Novatores : *Christus habet : Quod intrat per os, non coinquinat hominem*<sup>2</sup>; *inutiliter ergo cibi prohibentur*. Hinc ipse Dominus ait : *Manducate quæ apponuntur vobis*<sup>3</sup>, *nulla facta ciborum vel dierum distinctione*. Et Apostolus : *Omne quod in macello venit, manducate*<sup>4</sup>. Imo *abstinentiam a cibis Paulus expresse damnat hisce verbis* : In novissimis diebus discedent quidem a fide, prohibentes nubere, et abstinere a cibis quos Deus creavit<sup>5</sup>. *Ergo res mala est ciborum abstinentia*.

R. ad 1. : Negari haud potest quin id quod intrat per os, aliquo modo coinquinat hominem; alioquin crapula et ebrietas quæ per os intrant non coinquinarent. Igitur Christus loquitur de cibo et potu ut sunt res corporales, quæ de sui natura non possunt animam, quæ spiritualis est, inquinare : quamvis ratione adjunctæ concupiscentiæ aut inobedienciæ utique valeant maculare animam. Voluit nempe Christus superstitionem Judæorum reprehendere, qui existimabant cibos quosdam esse natura sua immundos, ideo eos prohibuisse Deum : cum tamen Deus non eos prohibuerit utpote per se immundos, sed ob certam significationem rerum.

Ad 2. : *Manducate quæ apponuntur vobis*, id est cum hospitio vos

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 104 et seq.; *Homo Apost.*, tract. XII, nn. 2 et seq.

<sup>2</sup> Matth. xv. — <sup>3</sup> Luc. x. — <sup>4</sup> I Corinth. x. — <sup>5</sup> I Timoth. iv.

recipiunt ne quærite sumptuosos cibos, sed iis quæ apponuntur, contenti sitis; modo permisos et salutare. Neque enim puta si venenum apponeretur, ac carnes suillas tunc prohibitas, comedi voluit.

Ad 5. : Quidquid in macello venit Paulus comedi voluit, ut fideles liberaret a sollicitudine inquirendi, utrum carnes illæ essent idolis imolatae aut non; de hoc enim erat quæstio.

Ad 4. : Idem Apostolus eos damnat, qui se temperabant a cibis, non jam ut suam concupiscentiam refrænerent; sed quia putabant ipsas carnes de se immundas esse, et earum creatorem non esse Deum, sed diabolum<sup>1</sup>.

**Art. I. — De abstinentia a carnibus et lacticiis.**

296. Q. 1. An convenienter sit præscripta in Ecclesiæ jejunió abstinentia a carne, ovis et lacticiis?

R. Affirmative: *Jejunium*, ait S. Thomas, *ab Ecclesia est institutum ad repræmendas concupiscentias carnis;... et ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui et in comedendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium et respirantium, et quæ ab eis procedunt, sicut lactinia ex gressibilibus, et ova ex avibus. Quia enim hujusmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum<sup>2</sup>. Hæc autem abstinentia tum a carnibus (sub quibus comprehenditur etiam jusculum carniū), tum ab ovis et lacticiis, scilicet butyro, lacte, caseo et similibus, antiquitate commendatur. Illius enim meminit inter alios sæculo IV, S. Basilii<sup>3</sup>, et sæculo VI, S. Gregorius M.<sup>4</sup>.*

297. *Quorum (quæres) animalium carnes in jejunió prohibentur?* — S. Thomas docet in jejunió prohiberi carnes omnium animalium in terra nascentium et respirantium. Alii vero communiter dicunt ea animalia prohiberi, quæ carnes, non pisces usu habentur: ad quod discernendum non leve judicium est attendere, an diu extra aquam vivant. Magis tamen inspicienda est astimatio communis fide-

<sup>1</sup> V. Secondo Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione.*

<sup>2</sup> 2, 2, q. 147, a. 8. — <sup>3</sup> Hom. de jejunió.

<sup>4</sup> Relatus can. *denique* 6, d. 4. — Ferraris, *Bibliotheca canon.*, etc., v. Caro.

lium ac peritorum et consuetudo legitima. Hinc cum nutriantur uti pisces, et vix sanguinem habeant et frigidum, communiter non censentur prohibita *locustæ, limacæ, testudines, cammari, cancri, ranæ et conchæ*. Idem dicendum de *lustris, castoribus, fibris*, et aliis quæ piscibus comparantur. Ad aves vero quod attinet, licet aliquæ nutriantur in aquis uti *fulices, anates feræ* (canards sauvages) et *corvi marini*; inter carnes tamen adnumerantur. — In dubio autem videndum, an animal sit simile an dissimile iis, quorum esus interdictus est: et an illius carnes humanum corpus validius nutriant. Et si adhuc res nequeat resolvi, ea ad Sedem Apostolicam est deferenda ex Benedicto XIV<sup>1</sup>.

298. Q. 2. An dispensati ad carnes adhuc teneantur ad jejuniū?

R. Affirmative: dispensati ad carnes adhuc jejunare tenentur. Probat ex præscriptione Benedicti XIV, Bulla *In suprema*, anno 1741: et clarius Bulla *Libentissime*, anno 1745, cui quidem inserta est Epistola, *Fraternitas* data ad Archiepiscopum Compostellæ. In qua iste Pontifex declaravit hæc quinque sub gravi observanda esse ab iis omnibus, qui jejunii tempore ad carnes edendas obtinuerint dispensationem<sup>2</sup>. — 1. ut adhuc habeantur obstricti lege, quæ unicam in die comestionem præcipit, et epularum vetat permixtionem; — 2. ut nequeant carnibus uti in vespertina refectiuncula; sed eos tantum cibos assumant, et ea mensura, quibus utuntur jejunantes probæ conscientie; — 3. ut horam jejunantibus præscriptam in comestione observent; — 4. ut sciant epulas sibi licitas esse carnes, epulas autem interdictas esse pisces; ideoque non posse et illas et istos in eadem comestione simul assumere et manducare. Pisces tamen iis non prohibentur, qui habent tantum facultatem super ova et lactinia; — 5. ut præceptum de utroque epularum genere non permiscendo

<sup>1</sup> V. De Syn., l. XI, c. v. — Circa jejuniū V. alia Opera hujus doctissimi Pontificis, præter Bullas. De jejunió quatuor temporum agit *Notificazione* iv. — De jejunió quadragesimæ *Notificazione* xv. — De abstinentia a carnibus, ejusque dispensatione *Notificazione* xvi. — De abstinentia ab ovis et lacticiis, eorumque relaxatione *Notificazione* i.

<sup>2</sup> Si dispensetur a carnibus universali morbo ingruente v. g. cholera, et currant jejunii dies prohibitum est miscere carnes et pisces, non item in aliis diebus. (S. Pœnitentiaria.)

intelligatur extendi etiam ad dies dominicos Quadragesimæ, et ad ceteros pro jejuniis designatos extra Quadragesimam. Verum hæc non urgent illos, qui Bullæ *Cruciatae* diplomate gaudent<sup>1</sup>.

Dispensati ad carnes communissimum est quod possunt comedere etiam carnes non salubres, nempe porcinas et similes, quæ olim prohibebantur expresse; ubi enim non fit restrictio, res late accipienda est<sup>2</sup>. Item dispensati ad carnes, sunt dispensati eo ipso ad ova et lactinia; quia cui conceditur plus, conceditur etiam minus in eodem genere, ut ait Billuart. Item dispensati ad lactinia censentur eo ipso dispensati etiam pro ovis, nisi in dispensatione aliud clare exprimitur: hæc enim ex consuetudine æquiparantur.

299. Q. 3. An abstinentia a carnibus, ovis, lactiniis graviter obliget?

R. 1: Ad carnes quod attinet, certum est ex consuetudine et praxi fidelium, atque ex Pontificum decretis illarum abstinentiam obligare sub gravi omnes baptizatos ratione utentes, non solum in omnibus jejuniis; sed qualibet sexta feria et singulis sabbatis<sup>3</sup>. Excipitur ex privilegio Honorii III (pro iis, qui nec voto, nec regulari observantia jejuniis obstricti sunt), Nativitas Domini, si illis diebus contingat.

R. 2: Quoad ova et lactinia distinguendum est: vel agitur de jejuniis in Quadragesima; vel de jejuniis extra Quadragesimam.

Si 1, certum est abstinentiam ab ovis et lactiniis obligare

<sup>1</sup> Est diploma S. *Cruciatae* Bulla primitus 1509 a Julio II, ab aliis dein Pontificibus concessa Hispanis ob infidelium expugnationem. Hæc aliis justa de causa applicari solet. Continet autem multa privilegia, indulta et gratias, ideo *Cruciata* dicta est; cum non parum assimilatur iis gratiis, et indulgentiis, quas 1095 Urbanus II concessit militantibus pro recuperatione Terræ Sanctæ. — Hanc fusius exponunt Salmanticenses et Croix. Item Pavone in Op. *La luce fra le tenebre*. Napoli, 1858. *Dissert.* hac de re.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 8. *Op. Mor.*, I, III, n. 1009.

<sup>3</sup> Sabbatum in aliquibus regionibus dispensatum est, non certe tamen in Italia nostra: unde evellendus nonnullorum abusus, qui sexta feria legem servantes, eam Sabbati die floccifaciunt, quasi illud non sit ejusdem gravitatis, ejusdemque Matris præceptum firmum atque solemne. — V. Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. XI, c. v; et Epistola Encycl. *Jampridem* 23 jan. 1745.

sub gravi toto quadragesimæ tempore; tum quia ab Alexandro VII proscripta est hæc n. 52 propositio: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lactinia in Quadragesima obliget* (verbum autem *obliget* importat hic gravem obligationem, cum agatur de objecto in se gravi); tum quia id expresse colligitur ex jure canonico<sup>1</sup>. Imo quamvis non defuerint docentes, hanc obligationem non esse pro diebus dominicis in Quadragesima, attamen contrarium tenendum; nam in eodem jure absque ulla distinctione præcipitur abstinentia in diebus quadragesimalibus: atqui etiam dies dominici in Quadragesima profecto pertinent ad dies quadragesimales<sup>2</sup>.

Si 2, sententia communis docet, non vetari vesci in unica refectioe lactinia et ova *de jure communi*; nam id nullibi expresse prohibitum invenitur. Diximus *de jure communi*; quia contingere potest, ut adsit aliqua lex peculiaris vel peculiaris consuetudo pro peculiari Ecclesia ac regione: quo in casu consuetudo illa est observanda sub gravi, cum materia gravis sit.

300. Ad Novariensem Diocesim quod attinet, nulla est extra Quadragesimam talis consuetudo obligans, vel lex: imo in ipsa Quadragesima ibidem alicubi privilegium est, alicubi est consuetudo vescendi ovis et lactiniis. Sunt tamen nonnulla loca in Diocesi, in quibus, adveniente Quadragesima, usus invaluit, ut hæc consuetudo vescendi (in unica tamen refectioe) ovis et lactiniis cohonestetur facultate prius petita a proprio superiore, Episcopo vel Parocho, qui semper eam ultro libenterque concedunt. Id porro præstat observari, saltem in signum subdistantiæ. Audiatur hæc ipsa de re Episcopus Bouvier: *In Diocesis, ubi quotannis Episcopus a prohibitione manducandi ova dispensare solet si ex inadvertentia hæc dispensationem concedere negligeret, fideles manducantes juxta morem consuetum peccati mortalis accusare nollem; tum quia dispensationem præsumere possent; tam quia consuetudo*

<sup>1</sup> D. 4, c. *Denique*. — V. Liguori, *H. Ap.*, tract. XII, n. 5.

<sup>2</sup> Quod firmatur magis ex Rescripto Benedicti XIV ad Archiepiscopum Compostellæ, ubi etiam diebus dominicis prohibetur promiscuitas epularum. Et id quidem congruentius; hoc enim jejuniis cæteris solemnibus est, tum quia observatur ad imitationem Christi; tum quia sic disponitur ad Redemptionis nostræ Mysteria devote recolenda. Ita Angelicus, 2, 2, q. 147, a. 8.

*legi derogans sat firma videtur, ut excuset a tanto, si non a toto.*

**Art. II. — De unica refectione et quando sumenda.**

**301. Q. 1. *Quandiu durare potest unica resectio in jejunio?***

R. Qui refectionem notabiliter continuat, jejunii legem frangit; quia Ecclesia unam quidem refectionem permittit, sed uni ex ordinariis circiter respondentem. Probabiliter dicunt illam posse continuari ad duas horas; alii etiam ad tres vel quatuor ex consuetudine, sed merito dubitatur: res est resolvenda ex usu regionum et timoratorum judicio.

Non tamen contra jejunium faceret qui nimium comederet, sed tantum contra temperantiam; cum nullibi quantitatem ciborum in una refectione Ecclesia taxaverit.

**302. An (quæres) liceat refectionem interrumpere sine læsione jejunii?**

R. Si justa adest causa interrumpendi, certum est interruptionem jejunium non violare; quia tunc nova resectio habetur tamquam refectionis prioris complementum. Neque præsumi potest Ecclesiam velle, ut quis semipransus maneat: hinc Diana excusat ministrantes mensæ et lectores tempore mensæ, qui aliquid cibi sumunt immediate ante mensam; quia isti intendunt cum edentibus incipere refectionem, et post ministerium præstitum immediate eam perficere. Si vero nulla adest justa interrumpendi causa, casu quo interruptio sit notabilis, certum est jejunium graviter violari; quia tunc habentur refectiones multiplicatæ.

Quanta autem esse debeat et qualis hæc interruptio ad jejunii violationem, non tam facile potest definiri. Profecto si interruptio duret per integrum horæ spatium sine causa, consentiunt omnes non posse refectionem resumere sine jejunii violatione; habetur enim communiter uti notabilis. Idem sunt qui dicunt de dimidia hora; nam per hanc quoque, cum stomachus de novo præparetur ad cibos recipiendos, eluderetur jejunii lex<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Hæc tamen omnia moraliter accipienda sunt. Unde merito probabile

**303. Q. 2. *An ille peccet mortaliter, qui sæpe in die parum cibi suscipit?***

R. Affirmative: qui sine gravi causa sæpius in die parum cibi suscipit tempore jejunii, peccat mortaliter. Quia parvæ illæ cibi portiones pedetentim in die susceptæ coalescunt in aliquod grave quoad se reficiendum: quod quidem jejunio adversatur. Hinc Alexander VII damnavit hanc n. 29 propositionem: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit (etsi notabilem quantitatem in fine comederit), non frangit jejunium.* Excusantur tamen qui aliquid sumunt, puta unciam, ne corporis viribus deficiant, si prandium, v. g., multum differri contingat ultra horam consuetam, quemadmodum solet evenire Religiosis mensæ ministrantibus, lectoribus et famulis. Verum aliquid sumere ne potus noceat, vix semel atque iterum potest permitti in die.

**Quoties (quæres) peccat qui sæpe in eadem die jejunium culpabiliter frangit sumendo cibos in notabili quantitate? —** Notabilis quantitas juxta aliquos generatim sunt quatuor uncias. Escobar ponit quoad carnes unciam unam, Pasqualigus mediam unciam; in ceteris cibis duas uncias. At in nostra sententia quam tenent Leander, Roncaglia et Salmanticenses, quantitas notabilis seu gravis quoad carnes est quantitas excedens octavam circiter partem uncias, cum nimium nutriant (sed ratio habenda est diversitatis mensurarum). In ceteris vero cibis communibus probabiliter censet Diana cum aliis non esse notabilem, nisi materiam illam, quæ excedat uncias duas. Sunt tamen qui non tantum requirunt pro ovis et lacticiniis; eum adeo carnibus assimilentur. Hoc posito:

R. Cum distinctione: *vel* iste jejunium frangit sæpius in die sumendo carnes, aut ova et lacticinia; *vel* jejunium frangit plures tantum agendo comestiones, in iis nempe semper

est, quod ille qui jam surrexit e mensa animo non amplius comedendi, sine peccato poterit iterum ad comedendum redire, si aliud fereculum apponatur quod ille ignorabat, vel si convivæ adhuc comedant; quia moraliter censetur durare idem prandium. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1020. Imo Tamburini, Elbel, Filliucius concedunt generaliter posse cibum adhuc sumi post sesquiquadrantem, nempe post vigintiduo horæ momenta (*minutes*).

sumendo cibos esuriales. Si 1, certum est eum toties peccare quoties manducat; præceptum enim abstinendi a carnibus, ovis et lacticiniis est negativum: ideoque obligat semper et pro semper, id est toto jejunii tempore. Si 2, dicimus, unum duntaxat mortale committi; quia jejunii natura in ea unica comestione consistit ex D. Thoma<sup>1</sup>. Ideoque semel destructa formaliter ejus essentia, cessat jejunium, neque aliqua amplius superesse potest illius obligatio. Hinc pœnitens si peccavit primo modo, debet explicare quoties id egerit; cum tot sint peccata quot comestiones. Non autem si comederit cibos communes: quia post primam vicem remanet deobligatus. Ita communiter tenent Azorius, Cajetanus, Suarez, etc.

*Quid (dices) si quis inculpabiliter bis jam in die comederit? tenebitur se abstinere a tertia refectioe?* — Sunt qui negant probabiliter; quia essentia jejunii jam destructa est; nam post binam refectioem jejunium impossibile evadit; hinc illud axioma: *Semel fractum semper fractum*. Sed sententia probabilior contrarium docet; nam qui jejunium fregit bis comedendo sine advertentia et ideo sine culpa, fregit quidem materialiter, sed non formaliter. Unde cum primum advertit, legem tenetur servare et curare, ut ab ejus formali violatione abstineat<sup>2</sup>.

304. Q. 5. *An liceat cauponi in die jejunii omnibus indiscriminatim petentibus præbere cibos et carnes?*

R. Sunt qui absolute negant id licitum esse; quia esset concurrere ad malum alterius, et hoc peccatum est. Sed probabilius nobis videtur affirmandum cum Billuart, Bouvier, Gousset, Mazzota, Navarro, Sanchez, Sporer, Tournely, Viva, et aliis satis communiter, etiamsi caupo certo sciat personas cauponam ingredientes carere dispensatione pro manducandis carnibus; si tamen grave ac notabile omnino damnum timeat. Nam ad permittendum grave peccatum proximi, quod ille paratus est committere occasione a nobis præstita sufficit gravis causa, quæ nos deobliget a præcepto charitatis. Billuart id confirmat illis Angelici verbis: *Licite*

<sup>1</sup> 2, q. 147. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 20; *Op. Mor.*, l. III, n. 1029.

<sup>2</sup> V. Casena, *Responsio data cuidam theologo, sive examen illius axiomatis semel fractum, semper fractum; dissertatio*.

*possumus uti malitia alterius, vel etiam materiam qua abuteretur, non subtrahere, sed præbere, scilicet pro aliquo incommodo vitando*<sup>1</sup>.

Urgenda tamen esset, ad omne scandalum vitandum, lex merito alicubi indicta, quæ scilicet taliter comedentes vult separatim ab aliis collocandos esse. — Item observamus, quod non ita facile posset excusari caupo oppiduli, hac ratione quasi urgeat periculum diminutionis concurrentium; siquidem apud omnes caupones similium locorum sacrum est, uti esse debet, ut cibi vetiti nulli apponantur: atque concurrentes probe sciunt eos omnes idipsum agere.

305. Q. 4. *An electuaria frangant jejunium?*

R. Electuaria (vulgo *conserves*) sunt ea liquida, quæ rei de se nutritivæ, sed dilutæ substantiam continent. Conficiuntur ex electis rebus, v. g. saccharo et cedro, vel cerasis, malis citrinis, amygdalis, janipero, etc. De his habet Angelicus: *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*<sup>2</sup>. Quod si quis in parva quantitate electuaria sumat ob delectationem, jejunium venialiter violabit ex materiæ parvitate.

Ad potiones vero, quæ in usu sunt uti simplices potiones, v. g. coffea (*café*), theum (*thé*), et electuaria supradicta, aqua tamen multum diluta, docet communis sententia illas jejunium non frangere; cum potius inductæ sint ad sitim

<sup>1</sup> « Si sit dubium, iterum Billuart, an hospites habeant jus cenandi, debent hac de re interrogari, si decore fieri possit: sin minus propter eorum reverentiam, possunt præsumi posse; quia nemo debet reputari malus, nisi probetur... Tibi a jejunio exempto non licet urbanitatis causa invitare ad cenam tecum eum, quem scis jejunio teneri, quamvis paratum domi suæ cenare. Ita Lessins, Lothar, Azor et alii contra Navarrum. Ratio est, quia si sola urbanitas non sit causa sufficiens, ut licite præbeas occasionem aut materiam peccandi, a fortiori ut invites ad id, quod sine peccato hic et nunc fieri non potest. » — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 69; l. III, n. 1050.

<sup>2</sup> 2, q. 147, a. 6. Item rationabiliter sumuntur ad confortandum stomachum, ad oris fetorem tollendum, ad vocem conservandam, ad sitim sedandam, etc.

sedandam atque ad simplex corporis refrigerium, non ad nutritionem. Neque obstat, si ministrentur congelatæ (vulgo *sorbets*); congelatio enim naturam non mutat. — Diximus quæ in usu sunt uti simplices potiones; aliter enim esset de sumptione lactis, jusculi, succi pomorum (vulgo *melons*), et aliorum fructuum, item uvarum confectarum, aut tunc dentibus pressarum, licet postea expuantur. Nam hæc omnia censentur habere rationem cibi; et potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur (si excipias mustum, quod censetur verus potus). Imo quoad potiones lacte mixtas adest expressa prohibitio Clementis XIII, Bulla *Appetente sacro*, anno 1759<sup>1</sup>.

**306.** *Quid (quæres) de vino, cervisia et chocolate in jejunii diebus?*

R. Quoad *vinum*, commune est inter Doctores, imo *unanimes declaraverunt*, ait Benedictus XIV<sup>2</sup>, illud jejunium non frangere, etsi sumatur extra refectionem et collatiunculam. Quod valet etsi quis illud sumat ad sedandam famem; cum ad id ordinatum non sit; Porro *statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti*<sup>3</sup>. Unde hodie obsolevit vetus præceptum contrarium. — Hoc pariter dicendum est de cervisia seu birra, quæ conficitur ex aqua hordeacea et aliis ingredientibus; hæc enim pro vero, ac simplici potu accipitur ab omnibus.

Ad *chocolatam* autem quod pertinet, certum est quod illum manducare non dilatum, frangit jejunium, graviter vel leviter pro notabili ejus aut parva quantitate; quia cibus est et per modum cibi sumitur. Si vero cum aqua mixtus et dilutus ac coctus sorbeat, docent alii ejus potione jejunium frangere; quia non habet rationem potus, sed

<sup>1</sup> Aliter dicendum de *sero* lactis proprie dicto, nempe ultima operatione habito; cum hoc habeatur uti simplex potio, vel potius uti medicina. Adde illud nihil amplius de vera substantia factis retinere. Unde sicut liceret jusculum sumere, si operatione chimica, omnis carnea substantia subtraheretur; ita licet sumere serum, a quo per ultimam operationem lac extractum fuit. Neque sane serum dici potest lac verum, sed aqua e lacte. — At sunt qui jejuniis die non permittunt serum, nisi ex consuetudine, aut nisi quando sumitur uti medicina: cum censeant illud adhuc aliquid de vera substantia lactis habere. Non autem liceret lac sumere in cœnula seu collatiuncula, quia per privilegium licet caseum, ideo quia caseum est de lacte; nam in hac re non valet argumentatio.

<sup>2</sup> *Notificatione xv.* — <sup>3</sup> S. Thomas, in 4. d. 15, q. 3, a. 4.

magis cibi et alimenti ad instar lactis et jusculi. Alii tamen negant, modo illius usus sit moderatus, et non sumatur instar densæ pullis et in magna quantitate. Pro ratione proferunt universalem consuetudinem (saltem extra Galliam), quam sciunt nec reprobant Ecclesiæ Prælati: *Ex hoc ipso* (inquit Angelicus in re simili) *quod Prælati dissimulant, videntur annuere.* Huic sententiæ favet Benedictus XIV<sup>1</sup>; eamque et nos tenemus, modo toties non sumatur in die, quoties libuerit; sed semel tantum. Et relate ad quantitatem, attendatur consuetudo recepta apud viros probatos, ut nempe sumatur unus ciathus ordinarius, ut de more solet.

**307.** *Q. 5. Quandonam resectio sumenda est in jejunio Ecclesiastico?*

R. Hora refectionem sumendi primitus quoad jejunium Quadragesimæ erat post occasum solis; quoad alia vero jejunia erat hora nona: sed a sæculo XIV sensim sine sensu quoad omnia jejunia hora anteacta est ad meridiem. Hora autem hæc ita obligat in nostra sententia, ut qui *eam anticipat notabiliter sine causa*, mortaliter peccet; cum jejunium solvat. Probatur tum ex jure canonico, ubi anticipantes *multatenus jejunare credendi sunt*<sup>2</sup>; tum ex Angelico, qui ait: *Qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit*<sup>3</sup>; tum ex ratione: anticipando enim notabiliter violatur præceptum in re gravi; cum hora multum pertineat ad rationem abstinentiæ.

Diximus: — 1. *qui anticipat*, non enim peccaret quis posticipando; nam magis accederet ad antiquam consuetudinem, quæ quidem ad jejunii finem melius conducit; — 2. *notabiliter*; etenim, ait idem Angelicus, *ad jejunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem*<sup>4</sup>. Est autem probabilis integram horam constituere tempus notabile; — 3. *sine causa*; causa enim facit licitum in jure, quod non est licitum. Porro causa levis a levi, causa gravis a gravi anticipatione excusat: imo si admodum gravis, a jejunio liberat, uti patet<sup>5</sup> (FF).

<sup>1</sup> *Notificatione xv*; vid. *Analecta juris pontificii*, an. 1857, p. 2822.

<sup>2</sup> C. *Solent* de cons. d. 1. — <sup>3</sup> In 4. d. 15, q. 3, a. 4.

<sup>4</sup> 2, 2, q. 147, a. 7.

<sup>5</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, nn. 18 et 21.



§ unicus. — De collatiuncula vespertina.

308. Q. Quid notandum de collatiuncula vespertina in jejunio?

R. Collatiuncula vespertina a monachis aliquomodo cœpit, qui in jejniis a propria regula inductis, ante vel post sacra colloquia (*collationes dicta seu conferentias*) aliquos aquæ haustus, vel alterius potionis ad vires refocillandas sumebant. — Morem hunc amplexati sunt fideles in Ecclesiæ jejniis: qui mos eo venit, ut hodie cœna habeatur tametsi parvula, quam quidem legitimam esse probat ubique locorum recepta consuetudo. Circa hanc veniunt notanda:

1. Hora consuetudine determinata sumendi refectiunculam ea videtur esse, qua jejunans solebat sumere cœnam, vel sub vespere. Non ergo erit sine justa causa tempus et hora ejusdem commutanda: quod tamen si fiat, non excedet veniale; quia non violatur substantia jejunii, ut commune est cum Bouvier, Talento et aliis. Erit causa justa iter, officium, negotium, studium, etc. Gury merito addit: *Excusat autem etiam a veniali... loci aut conditionis consuetudo*, et hodie passim admittitur.

2. Duo in collatiuncula præsertim spectanda, cibi quantitas et qualitas. In quibus dicimus generatim esse tenendam probatam locorum consuetudinem, et piorum doctorumque praxim: quæ his in rebus pluris æstimanda sunt, quam quædam subtilioris ratiocinationis argumenta. Usus enim, qui cœnulam induxit, illam moderari poterit.

3. Ad quantitatem speciatim quod attinet, quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur; major autem concedenda iis, quibus hæc non sufficeret. Omnes autem conveniunt excessum duarum unciarum ultra permissas esse materiam levem. Quinam vero sit gravis excessus, non conveniunt: alii requirunt excessum supra cœnulam alteri dimidiæ cœnulæ æquivalentem; alii cum Billuart requirunt excessum, qui seorsim sumptus cœnulæ integræ æquivalet.

4. Quod respicit qualitatem certum est excludi carnes, ova

et lacticinia<sup>1</sup>: item dulciaria ovis confecta; nam ovorum substantia non deperditur, eo quod farina misceatur. — Cibi autem hodie permissi sunt panis, olera, poma, pyra, ficus, uvæ, nuces, castaneæ, amygdalæ, etc. Ad pisces quod attinet, multi merito dicunt juxta hodiernam consuetudinem cibum sumi posse de piscibus etiam recentibus et magnis: atque id nunc etiam in communitatibus religiosis passim obtinere assertit doctus Episcopus Milante (GG).

Art. III. — De causis a jejunii præcepto excusantibus.

309. Ab ecclesiastico jejunio excusant: 1. superioris dispensatio; 2. impotentia tum physica, tum moralis; 3. labor; 4. pietas. Humana enim lex vel contraria lege interveniente vel legitima dispensatione vel gravi in ea observanda incommodo, cessat habere vim. Dixi *gravi*; jejunandi enim difficultas per se non excusat; secus in fumum abiret hoc præceptum. Etsi autem contra famem capinam citra peccatum possit aliquid sumi; non certe tamen, a jejunio excusaret urbanitas, ut v. g. cum amico manduces.

*De his porro seorsim et accurate censeo disserendum, cum sint res omnes pertinentes ad praxim, et scitu necessariae. Sedulo curavi super hoc puncto quamplures auctores observare, eo quod doctorum auctoritas in hoc redundet in probabilitatem intrinsicam; cum agatur de re, quæ valde pendet ab æstimatione prudentium. Ita S. Alphonsus noster<sup>2</sup>.*

310. Q. 1. Quinam a jejunii præcepto dispensare possunt?

R. Possunt dispensare: 1. Summus Pontifex in Ecclesia universa, et quidem valide, etiamsi non adsit causa; cum dispenset in lege sua. — 2. Episcopus in sua Diœcesi, sed cum causa, cum suis subditis, et tantum pro casu particulari vel uno aut altero Diœcesis loco: non enim potest dispen-

<sup>1</sup> Quoad lacticinia excipiuntur loca, ubi ea sumendi etiam sero consuetudo, vel privilegium est. Diximus etiam sero; non ideo enim liceret, quia in unica refectione sunt permissa. Hinc interrogata S. Pœnitentiaria sub Benedicto XIV, an liceat sero parum casei sumere dispensatis ad lacticinia, optime conscia mentis Sanctitatis Sux, imo ipsa approbante, respondit negative.

<sup>2</sup> V. Op. Mor., l. III, n. 1052. — Hic etiam videri potest in fine voluminis: Sanctæ Apostolicæ Sedis responsa quædam recentiora circa jejunium.

sare pro tota Diœcesi sine Pontificis venia, neque in solo esu carniū: ita ei limitatur dispensandi facultas; cum jejunium sit lex superioris; — 3. Consuetudo et tacita Episcoporum permissio induxit, ut etiam Parochi in tota Parœcia, ipso præsente Episcopo, cum subditis particularibus hac gaudeant potestate, quam valent exercere tum per se tum opera Sacerdotum et Clericorum. Sed caveant, ne utantur ancilla, quod maxime dedecet, nisi utantur simpliciter uti nuntia. Et idem possunt Vicarii Parochorum, qui exercent actus parochiales, si Parochus non repugnet, uti docent Sanchez, Salmanticenses aliique (HH).

311. *Quid (dices) de Confessariis et Medicis?* — Satis omnibus notum, quod neque a jure, neque a consuetudine Confessarii potestatem habent dispensandi in jejunio proprie loquendo. Sed declarare utique possunt in foro conscientie, pœnitentes suos in data circumstantia ad jejunii præceptum minime obligari; tunc enim quasi pro tribunali doctores, ac judices sedent. — Multo minus Medici proprie dictam potestatem habent dispensandi: cum non sint jurisdictione Ecclesiastica præditi. Ad ipsos non pertinet, nisi declarare (conscientiose tamen ne aliorum peccatis graventur) quænam sit causa vere sufficiens.

312. Q. 2. *Quinam a jejunio excusantur ratione impotentie?*

R. 1. Ratione impotentie physice excusantur: — 1. infirmi, quibus jejunium graviter obesse posset: vel ita debiles, qui uno prandio male se haberent, uti convalescentes. Item illi, qui nisi bis reficiantur ex vacuitate stomachi capitis vertiginem patiuntur; — 2. mulieres fœtum utero gerentes vel prolem lacte nutriendas; quia ipsæ indigent alimentis copiosioribus, esto etiam quod viribus polleant. Imo consuetudo permittit eis etiam carniū usum, si proles ægrotet, aut mater sit valde debilis; — 3. pauperes, de quibus hæc scribit D. Thomas: *Dicendum quod pauperes qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejunio Ecclesie; a quo tamen excusari videntur illi qui frustatim elemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> 2. 2, q. 147, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1052.

313. R. 2. Ratione impotentie moralis excusantur a jejunio:

1. Illi, quibus jejunium affert *grave incommodum*, v. g. gravem capitis dolorem, vigilias diuturnas, etc.; nam leges Ecclesie non obligant cum incommodo gravi; obligant tamen cum aliqua difficultate: secus actum esset de omnibus Ecclesie legibus, quæ certo passionibus obstant; et maxime de jejunio quod eas mortificat. Utrum autem, si grave incommodum possit præcaveri prandium differendo ad vespervas et mane collatiunculam sumendo, ad hoc teneantur, probabiliter negat Viva cum aliis; quia hoc esset remedium extraordinarium et durum omnino: et ob hanc difficultatem veteri disciplina derogatum est.

2. *Milites* sive in castris, sive in hospitibus: ita communiter, tum quia statis horis non possunt comedere; tum quia congruum non habent cibum pro jejunio. Adde consuetudinem. Imo fere ubique dispensantur ab abstinentia a carniibus, nonnullis tamen diebus exceptis.

3. *Uxores*, quibus a maritis jejunium interdicitur (nisi interdicator in contemptum Religionis vel Ecclesie), et quæ jejunando paterentur gravem maritorum indignationem. Item *mariti* qui jejunantes nequeunt debitum conjugale uxoribus solvere, ut cum Laymano, Lessio, Salmanticensibus, Viva et aliis merito docet P. Concina<sup>1</sup>: ratio est quia præceptum naturale justitiæ, scilicet reddendi debitum, prævalet humano jejunandi utpote inferiori.

4. *Adolescentes* usque ad annum 21<sup>um</sup> completum; nam ipsi crebriori indigent alimento, tum ad incrementum naturæ, tum ad virium robur. Hoc autem est certum ex consuetudine universali: quod quidem locum habet, etsi aliquis adolescens

<sup>1</sup> Sed censet (Concina) teneri virum prius precibus hortari conjugem, ut a petendo desistat. Si tamen hoc omitteret, non putarem eum peccare saltem mortaliter. Ita S. Alphonsus in *Op. Mor.*, l. III, n. 1054. Aliter esset: 1. si conjux redderetur tantum minus potens ad reddendum; quia non teneretur cum spirituali jactura illud plus curare, cum aliunde opus jam sufficienter præstet; 2. si tantum redderetur impotens ad petendum, petere enim non est necessitatis: excipe nisi ex charitate teneretur petere. v. g. ad vitandum incontinentiæ periculum.

esset robustus; quia hic ex communi attenditur quod ordinarie contingit. Ita Angelicus<sup>1</sup>, subjungens nihilominus expedire, ut juvenes sese jejunio exerceant, tum ut culpas cohibeant, tum ut ad spiritualia eleventur.

5. *Senes*, qui ob virium imbecillitatem sine gravi incommodo jejunare non possunt, uti patet. — Quo ad illos vero, qui sunt viribus satis validi, utrum excusentur, non una est sententia. Illos a jejunio liberatos esse negant Bonacina, Layman et Filiucius; nam tunc non reputantur uti senes. Sed probabiliter affirmant multi de illis, qui 60<sup>um</sup> annum habent, etsi nondum completum; nam in favorabilibus annis inceptus habetur pro completo: idque ex universali consuetudine, quam testantur communius Doctores apud Roncaglia. Sed ratio potior et independens a consuetudine est, quia hujusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori: unde si quod est salutis robur ea ætate, apparens potius est et instabile, quam reale et constans, ut pro certo docet ipse Galenus<sup>2</sup>. Adde: difficilis est et anxietatum plenissima inquisitio, an sexagenarius aliquis sit satis robustus, necne, ad ferendum jejunium. Quod si ex una parte urget positiva jejunii lex, non minus urget ex altera parte jus, et naturalis obligatio propriam valetudinem servandi. Quidquid tandem sit, semper adest periculum moraliter certum gravis diminutionis virium, quæ semel amissæ nunquam reparantur.

314. Joverit tamen Synodi Novariensis consilium: *Qui jejunii abstinentiæque disciplinam ex infirmitate seu virium imbecillitate ferre nequeunt, aliis pietatis officiis et charitatis operibus jejunium et abstinentiam redimere studeant* (pag. 75).

315. Q. 5. *Quinam labor a jejunii observantia excusat?*

R. A jejunii observantia labor tunc liberat, quando est talis, ut sine notabili corporis defatigatione exerceri non possit. Hinc communiter ratione laboris inter operarios excusantur

<sup>1</sup> 2, q. 147, a. 4. Attamen notandum juvenem, qui v. g. hora tertia annum 21 complevit, probabilius teneri ad jejunandum reliqua die; nam præceptum statim obligat ac illius tempus advenit, et jejunium respicit totam diem.

<sup>2</sup> L. V, *De Sanit. tuenda*. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. XII, n. 25.

a jejunio *fossores, agricolæ, lapidæ, figuli, textores lanarii, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ, remigantes, fabri-lignarii, ferrarii atque murarii*. Item *percurrentes urbem ad merces vendendas, ornantes templa scalas circumferendo, magna horologia conficientes*; ac similiter laborantes per magnam diem partem. Item *cursores, sutores, furnarii, pistores, coqui dapes complures compluribus præparantes, si per totum fere diem laborare cogantur*. Item *typographi prælum versantes* (non vero typos tantum componentes; etsi hos quoque plurimi excusent, cum labor sit qui nimium et corpus et stomachum et caput defatigat). Denique excusantur *famuli*, qui tota die magnis incumbunt laboribus<sup>1</sup>.

316. Non vero excusantur *ancillæ lanam vel linum fuso torquentes, aut munia similia exercentes*. Neque *barbitonsores, sartores, pictores, notarii, molitores et sculptores*, nisi ob virium debilitatem vel ob laborem particularem artem suam exercere non valeant. Hæc in re hæc n. 50 propositio ab Alexandro VII merito damnata est, utpote nimis generalis: *Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum die jejunii*.

317. Q. 4. *Quinam excusantur a lege jejunii causa pietatis?*

R. Excusantur a jejunio causa pietatis qui præstant talia pietatis opera, quæ præstantiora sint et Deo gratiora, quam ipsum jejunium, quocum moraliter conjungi non possunt, id est sine notabili ac gravi incommodo. Ejus generis sunt Opera misericordiæ tam spiritualia quam temporalia, atque etiam opera religionis.

Sed dubium fit, an hujusmodi opera a jejunio excusantia, ut servire infirmis, crebrius concionari, etc., possint suscipi

<sup>1</sup> Etsi autem speculative loquendo videatur probabilius, quod isti omnes jejunare teneantur, si sint adeo robusti, ut id sat facile possint; in praxi tamen vix reperietur unus, qui ex illis laboribus non graviter relaxetur: aliunde lex non respicit quod per accidens evenit. — Item neque de jejunio tenentur illo uno vel altero die; quo labores intermittunt ratione resiciendæ lassitudinis, et virium servandarum ad proximos labores; excipe nisi illis diebus manifeste jejunare valeant sine incommodo gravi.

sponte; vel sint suscipienda ex officio vel obedientia? Dicunt Sylvester atque Navarrus, quod proprio Marte ob consilia non sunt negligenda præcepta; sed probabilius contradicunt Sanchez, Salmanticenses, Bouvier cum aliis pluribus. Idque expresse docet S. Thomas qui dicit: *Si enim sit tanta abstinentia quod homo ab operibus utilioribus impediatur (quamvis ad ea de necessitate non teneatur) indiscretum est jejunium, etsi non sit illicitum*<sup>1</sup>. Sane, habet idem Angelicus, non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuents jejunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas<sup>2</sup>; cum enim Ecclesia præcipiat jejunium uti promotivum ad bonum, non intendit obligare ad illud, uti est impeditivum majoris boni. Hoc tamen intelligitur sub conditione, quod opera illa præstantiora assumantur ex justa causa et commode differri non possint juxta doctrinam ejusdem S. Doctoris. *Ex justa causa, finis enim malus totum inficeret opus. Et commode differri non possint*, nam secus valeret adagium: *Unum facere et aliud non omittere*.

**318.** Hinc a jejunio liberantur *concionatores*, qui quotidie vel frequenter per hebdomadam in Quadragesima tota concionem habent, ut communiter docent Cajetanus, Navarrus, Salmanticenses, Toletus et Wigandt; nam actio sic concionandi est valde laboriosa<sup>3</sup>. Idque valet, uti dicunt Lessius, Sanchez, Sporer, etc. quamvis concio fiat cum lucro; est enim justum stipendium laboris; neque ex tali intentione impeditur utilitas audientium. — An vero idem dicendum sit de illis, qui ter vel quater in hebdomada aliquando per annum concionantur, pendet a majori vel minori mentis fervore, studio, labore et corporis agitatione, quæ illos faciant jejunio inhabiles<sup>4</sup>.

**319.** Multi excusant *Cantores*, qui jejunando vocem

<sup>1</sup> In 4, dist. 15, q. 3, a. 1. — <sup>2</sup> 2, 2, q. 147, a. 4.

<sup>3</sup> Quod etiam currit pro Missionariis, qui vehementiori corporis et animi agitatione per aliquod temporis quotidie prædicant: ita communiter cum Cajetano, Navarro, etc.

<sup>4</sup> Cum vero sacri Oratores et exemplo et verbis debeant prædicare, idcirco pro viribus eniti debent, ut jejunium servent. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1048.

amitterent; et *lectores scientiarum* (Sanchez addit et *magistros grammaticæ*), qui magno studio et labore indigent; non vero qui dictant lectiones jampridem ordinatas et sæpius repetitas. — Et idem dicunt de *judicibus, medicis, advocatis* ac similibus, qui animum valde intentum habere debent studiis, ut muneri suo satisfaciant; nam isti ob spirituum consummationem opus habent cibo, sin majori, saltem frequentiori. — Idem currit pro iis, qui *hospitalibus inserviunt*, sive id agant ex officio, sive ex obedientia, sive causa temporalis utilitatis. Item Roncaglia, Sanchez, Sporer, Viva et alii excusant *Confessarios*, qui tamen extraordinarium laborem subeant, nempe si confessiones audiant fere per totum diem, puta per septem vel octo horas.

**320.** Sed hic omnino advertendum, quod cantores, professores, judices, medici, advocati, hospitalibus inservientes, confessarii et similes non per se, sed tantum per accidens a jejunio excusari possunt, nempe si aliter non valeant suis muneribus satisfacere. Quod semper præ oculis habendum; nam ubi labor per se excusat, in dubio præsumptio stat pro exemptione jejunii: e converso ubi labor non per se, sed per accidens, nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personæ vel gravitatis laboris excusat, in dubio præsumptio stat pro obligatione jejunii<sup>1</sup> (II).

### CAPUT TERTIUM

#### DE ULTIMO PRÆCEPTO SEU DE DECIMIS<sup>2</sup>

**321.** Q. 1. *Quid sunt decimæ, et quotuplicis generis?*

R. *Decimæ* nomen non semper indicat decimam portio-

<sup>1</sup> Insaper advertunt, quod si quis non haberet causam sufficientem, qua excusari possit a jejunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret justam causam habere præcepto satisfaciendi ter, vel quater tantum in hebdomada jejunando, non debet Confessarius hunc obligare, ut quotidie jejunet cum adsit periculum, ne postea omne omittat jejunium. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 54.

<sup>2</sup> Decimarum originem ab ipso veteri fœdere repetendam esse, notum est omnibus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 12; *Homo Apost.*, tract. XX, n. 85. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Decimæ.

nem fructuum; sed plerumque duodecimam, quintamdecimam, imo alicubi etiam vigesimam, trigesimamve. Triplex autem est decimarum genus: sunt enim *prædiales*, *personales* et *mixtæ*.

**322.** *Prædiales* penduntur ex fructibus, vel proventibus prædiorum, sive urbana ipsa sint, sive rustica: cum hoc discrimine, quod quæ de grano, vino, fæno aliisque fructibus majoribus exhibentur, *majores*; quæ ex leguminibus et oleribus, *minores*; quæ ex prædiis vero recens excultis, *novales* nuncupantur. *Personales* persolvuntur ex rebus, qua sibi quisque opera et industria sua acquirit, v. g. negotiatione. *Mixtæ* oriuntur quidem ex rebus, sed fructum exhibentibus sola industria hominum, uti fœtus pecorum, lac, lana<sup>1</sup>.

**323.** Q. 2. *Quonam jure decimæ sunt persolvendæ?*

R. Vel decimæ spectantur materialiter, quatenus nempe sunt Ecclesiæ stipendium suis Ministris debitum, ad honestam eorum sustentationem. Vel spectantur formaliter, quatenus nempe constant certa ac determinata fructuum terræ quantitate.

Si 1, persolvendæ sunt tam jure divino positivo; quia dicente Apostolo: *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*<sup>2</sup>; quam jure naturali; quia, clamante Christo ipso, *dignus est operarius mercede sua*<sup>3</sup>. Addimus jus humanum; nam ex Tridentino qui eas subtrahunt vel impediunt, sunt excommunicandi<sup>4</sup>. — Si 2, tunc decimæ non sunt persolvendæ, nisi Jure Ecclesiastico<sup>5</sup>; nam in lege nova nullum adest præceptum divinum de solvenda nulla fructuum quantitate. Quod autem in lege veteri aderat, fatentur omnes illud utpote judiciale, una cum lege ipsa expirasse, sola remanente naturali ratione Ministros alendi. Hoc autem jus non obligat, nisi iis in locis, in quibus adhuc viget consuetudo decimas persolvendi: innumeræ enim sunt provinciæ, præsertim in Regno Pede-

<sup>1</sup> V. De Nicolis, *Annotationes Theorico-practicæ* ad tract. De decimis Petri-Monetæ.

<sup>2</sup> I Corinth. IX. — <sup>3</sup> Luc. X. — <sup>4</sup> Sess. XXV, c. XII de Ref.

<sup>5</sup> Ex cap. IV et seq., de decimis.

montano, ubi decimæ amplius non existunt; quia vel lege sublata, vel pactis conventis alio modo sunt compensatæ<sup>1</sup>.

**324.** Decimæ olim Episcopo solvebantur, qui eas Ministris distribuebat; sed, facta honorum divisione, de jure communi ad Parochum pertinent: prædiales quidem Parochi sunt, in cujus territorio prædia existunt; personales vero Parochi, a quo Sacramenta recipiuntur<sup>2</sup>.

**325.** Qui decimas fraudant, peccant contra religionem et justitiam.

1. Contra religionem; quia decimas præcepit Ecclesia etiam *in signum universalis dominii*<sup>3</sup>, quod habet Deus; consequenter in Dei cultum. Imo censent Elbel, Lessius et Sporer decimas non solveere etiam sacrilegium esse; quia illæ sacræ sunt, cum sint bona Ecclesiæ. Verum negant Croix, Palas et Tamburini hoc esse proprie sacrilegium; quia illæ donec ab Ecclesia non possidentur, sacræ non sunt.

2. Contra justitiam; quia decimæ sunt justum stipendium debitum Ministris Ecclesiæ; nam *quis militat suis stipendiis unquam? dignus est operarius mercede sua*<sup>4</sup>. Non ergo sunt puræ elemosynæ; ideo debentur etiam Ministris divitibus, etiam improbis, cum officio suo funguntur. Hinc

<sup>1</sup> V. Canestri, *Giurisprudenza canonica-civile del Piemonte*. Aless., 1841, cap. V.

<sup>2</sup> Ita sæculo XII Lucius III, cap. XX, de decimis.

<sup>3</sup> Cap. *Tua nos* 26 de decim.

<sup>4</sup> I Cor. IX, Luc. X. — V. S. Thomas, *Quodlibet*, q. 5, a. 10; et 2, 2, q. 87, a. 5. — Ad rem *Pontificale Romanum* (tit. de Ecclesiæ dedicatione seu consecratione, § 45) contra decimarum usurpatores illud profert D. Augustini (vel Cæsarii Arelatensis juxta alios): *Si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animæ consequeris: non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem; Deus enim noster qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse?... Cum enim decimas dando et terrena et cælestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione defraudaris? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revoceris: dabis impio militi quod non vis dare Sacerdoti; et hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.*

damnata est a Martino V in Concilio Constantiensi proposito: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.*

SCHOLIUM. — De Primitiis et Oblationibus.

326. Q. 1. Quid de primitiis?

R. Primitiæ sunt primi illi rerum fructus, qui primæva ætate tum ad cognoscendum Creatorem, tum ad sustentandos ministros a fidelibus dabantur. De his meminit et Origenes<sup>1</sup>, et Irenæus<sup>2</sup>, alique. Sed post sæculum V ulla vix occurrit de primitiis mentio<sup>3</sup>. Aliquod tantum vestigium remansit in quibusdam montanis regionibus, in quibus incolæ aliquas offerunt Parocho vel Ecclesiæ non tam ex obligatione, quam boni animi ergo.

327. Q. 2. Quid de oblationibus?

R. Oblationes munera sunt sponte Deo, atque Ecclesiæ a fidelibus oblata. Ab *agapis* seu sacris conviviis, quæ Apostoli instituerant, repetendæ sunt; in illis enim singuli fideles panem ac vinum, aliaque afferbant ad Ecclesiam: porro panis viniq; parte consecrata, reliquum in commune convivium conferebatur. Et huc spectat illud Pauli: *Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*<sup>4</sup>.

Inde natæ oblationes; quarum aliæ ad altare fiebant ad Sacrificium peragendum, et quod reliquum erat, cedebat Clericis et indigentibus. Dein cœpit offerri pecunia, et sic tandem venit honorarium Missarum<sup>5</sup>. Aliæ pro arbitrio in Ecclesia deponerentur in ipsius Ecclesiæ usum aut in Clericorum et pauperum alimoniam: ad hoc autem arca erat parata, quæ *corbona* hebraice dicebatur, cui postea suffectum est *gazophiliacium* seu locus ad recipiendas oblationes electus. Aliæ pro uniuscujusque pietate dabantur, quando suscipiebantur Sacramenta, vel alia sacra officia peragebantur. Cum vero istæ darentur non tanquam pretium rerum sacrarum, sed in præmium laboris et tanquam alimenta,

<sup>1</sup> L. VIII, contra Celsum. — <sup>2</sup> L. IV, contra Hæreses, c. xv.

<sup>3</sup> V. *Institutionum Canonicarum libri quatuor* cl. Episcopi Devoti omnium acclamatione excepti, quibus expletissimæ adnotationes additæ sunt doctissimi discipuli, qui postea fuit Pius VIII, ut legere est in lib. *Memorie di religione, morale e letteratura*. Modena, vol. II, XV, p. 242.

<sup>4</sup> I Cor. XI. De *Agapis* Vid. Tract. de *Eucharistia* sub initio.

<sup>5</sup> V. De Berlendis, *Dissert. de oblat.* — Sala, *In not. Rerum Liturg. Bonæ.*

quæ jus divinum Ecclesiæ ministris tribui vult; ideo anno 1215 Concilium Lateranense IV statuit, ut fideles eas oblationes præstarent, quas consueverant, et recusantes pœnis possent cogi ab Episcopo<sup>1</sup>.

Cum videantur fideles oblationes facere propter curam animarum, hinc, si aliud non obstat, illæ cedunt Parocho loci<sup>2</sup>.

328. Quid (quæres) de oblationibus in Oratorio rurali? — De oblationibus in Oratorio rurali B. Mariæ vel alterius Sancti factis, vel alicui imagini miraculosæ, nulla portio debetur Parocho, uti declaravit S. Concilii Congregatio 22 apr. 1799; sed totum cedere debet ipsi Oratorio vel loco pro eo ampliando, ornando, etc. Sed superioris licentia aliquid de hisce oblationibus detrahi potest pro Ecclesia parochiali, si indigeat: æquum enim est ut filia matri indigenti succurrat. Si vero ex usu, vel aliquo signo pateat hujusmodi oblationes ad celebrandas ibi Missas esse destinatas, Parochi est invigilare, ut Missæ (secundum regulas stipendia taxantes) celebrentur per se vel per alios, in loco designato<sup>3</sup>.

329. Monitum gravissimum: ad omnem malæ administrationis suspicionem cavendam, ne pigeat Parochos de iis, quæ Ecclesiis offerrentur, testes habere et rationem reddere: *Metus deponant*, ad rem Benedictus XIV, *ne virtutis opinionem apud populum amittant, quæ profecto nunquam magis concitari in animis solet, quam si de congestis eleemosynis aperta fronte ratio persolvatur, ut palam constet, eas parochorum commodo nequaquam tribui; sed piis operibus insumi, quemadmodum offerentes exigant*<sup>4</sup>. Et Concilium Chalcedonense, quod memorat Gratianus<sup>5</sup>, decernit, *ut nec sine testibus sit Ecclesiæ ministratio, nec ideo res ejus dissipenter, et probrum ac dedecus Sacerdotio inuratur.*

<sup>1</sup> Cap. xl, De *Simonía*. — V. L. Ferraris, *Biblioth.* etc., vº Oblationes, Primitiæ.

<sup>2</sup> V. Benedictus XIV, *Notificatione lxxii*; et *De Syn.*, l. V, c. viii. — Barbosa, *De Off. Parochorum*. — Fagnanus, *In c. ix de his, quæ sunt*. — Canestri, *Giurisprudenza*, ecc., c. vi; Reifensuel, De Luca.

<sup>3</sup> Cerei autem in honorem SS. Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis, vel alicujus Sancti oblatis, accendi et cremari debent; et eorum reliquæ, si quæ supersint, non in beneficium Parochi, sed in fabricæ Ecclesiæ utilitatem cedere debent. Unde neque sunt extinguendi, neque sunt sibi a Pastore arrogandi, cum talis offerentium non sit mens. Secus pastor et contra justitiam et contra religiosam pietatem peccaret. — V. Bouvier, *Instit. Theol.*, tit. De oblationibus.

<sup>4</sup> *Notificatione lxxii* cit.

<sup>5</sup> *Dist. lxxxix*. Administratio oblationum quæ fiunt Oratoriis, imaginibus etiam in pariete domus pictis spectat ad parochum; nisi aliter se habeat

## ADNOTATIONES

## AD TRACTATUM SECUNDUM

(A) Page 141.

330. Legis nomen varie sumitur, modo pro inclinatione ad aliquid juxta illud *Rom. 7*: *Video aliam legem in membris meis*; modo pro termino alicujus rei juxta illud *Prov. 8*: *Quando certa lege.... vallabat abyssos*; modo pro conditione alicui adjecta, ut cum dicitur: *Pasciscor tecum ea lege, ut, etc.*; modo pro opere a lege præscripto juxta illud *Joann.*: *Nemo ex vobis facit legem*; modo pro libro legem continente: sic dicitur *lex vetus, lex nova*. Sed proprie sumitur pro ordinatione ac norma humanarum actionum. — V. Ferraris, *Biblioteca canon.*, etc., v<sup>o</sup> Lex.

331. Communitas seu societas, quæ a P. Ventura definitur: *La concorde des intelligences unies entre elles par la soumission au même pouvoir pour la fin de leur conservation et de leur perfectionnement*, duplex distinguitur, perfecta et imperfecta. Perfecta est quæ est sui juris in potestate sua, quæque sibi sufficit ad finem suum obtinendum, quia libere uti potest omnibus mediis necessariis etiam coactivis ad illum consequendum; talia sunt regna, respublicæ, Ecclesia, et singulæ dioceses, etc. Imperfecta est quæ ad finem suum per se non sufficit, sed ad hoc alterius communis præsidio indiget, ut sunt collegia, familia, parœciæ. Porro lex proprie dicta non nisi de communitate perfecta esse potest. V. Ventura, *Saggio sul potere pubblico*, v. I, c. 1. — Sed hic vid. Taparelli, *Saggio teoretico di diritto naturale*, ubi omnia sapienter.

332. Notandum 1. nonnunquam nomina legis atque præcepti promiscue usurpari. Quo in casu non a nomine, sed a præfatis regulis attendenda erit differentia; neque enim nomina rebus, sed res nominibus vim tribuunt; 2. legem humanam pluribus aliis donari nominibus: vocatur *jus, constitutio, statutum, sanctio, edictum, decretum, rescriptum, mandatum, epistola, litteræ, motus proprius, præscriptio*, etc.; 3. communi usu inductum esse, ut Episcoporum

longa consuetudo, ut nempe illas colligant laici, et administrent, uti alicubi fit; sed de illis nihil sibi appropriare possunt. Ferraris.

ordinationes datæ extra Synodum, nisi ipsi Episcopi aliud expresse declarent, tunc tantum ut veræ leges habeantur, cum omnes suos Diocesanos et Clericos et laicos adstringunt: secus non nisi ut præcepta reputentur. Diximus *extra Synodum*; nam quæ in Synodo sunt ordinationes, ut veræ leges habentur de se perpetuo duraturæ, etsi unum tantummodo personarum cœtum respiciant; cum in Codice legislativo contineantur. Diximus *nisi aliud Episcopi expresse declarent*; nam semper ipsius liberum est etiam extra synodum leges pro uno cœtu tantum condere. Verum si de hoc clare non constet, illæ non leges, sed præcepta habentur ex recepta consuetudine. — Videatur Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. 5, n. 1.

Leges, ut consequantur finem suum, oportet ut sint: — 1. *stabiles* quoad potest; nihil sane magis societatem ac judicia perturbat, quam incertæ ac continuo novæ editæ leges, maxime si unæ aliis contrariæ sint; — 2. *paucæ*, cum enim nulla sit lex, quæ ansam cavillandi non præbeat, quo plures leges, eo plures cavilli; hinc Plato: *Ubi plurimæ leges, ibi lites et mores improbi*; — 3. *perspicuæ*, ut nempe ambiguitatibus careant et controversias celerrime solvant.

(B) Page 144.

333. Quatuor sunt præcipuæ legis æternæ proprietates:

*Prima*, quod lex æterna plus vel minus ab hominibus sit cognita, non quidem in se ipsa, sed in ejus effectibus; sicut si quis ipsum non videat solem, sed ejus splendorem in cacumine montis (S. Thomas, 1, 2, q. 95, a. 2). Et sane omnes cognoscunt aliqua eorum, quæ sunt participationes legis æternæ, ad minimum quantum ad principia communia honestatis.

*Secunda*, quod omnia, quæ in mundo sunt, eidem prorsum subjiciantur; sive sint creaturæ inanimes et irrationales, sive intelligentes et ratione præditæ: — 1. quidem intelligentes et ratione præditæ, tam si bene quam si male agant; nam si bene, obtemperant legi æternæ et ordinem nanciscuntur divinæ bonitatis præmia largientis; si male, contemnunt utique et declinant divinam bonitatem, sed incidunt in divinam justitiam pœnas infligentem: — 2. inanimes et irrationabiles juxta illud: *Fundasti terram, et permanet...; ordinatione tua perseverat dies; quoniam omnia serviunt tibi* (Ps. xviii).

*Tertia*, quod ceteræ leges ab ea dimanent. Naturalis quidem; quia hæc non est, nisi ipsius legis æternæ in hominum mente facta transcriptio. Divina positiva; quia ex Angelico oportet, ut altior modo dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem: et ideo superadditur lex divinitus data per quam lex æterna participatur

*altiori modo* (l. 12, q. 91, a. 4). Humana demum tum quia nihil iusti in humanis legibus esse potest, nihil firmi quod ad æterna non derivetur; tum quia ab æterna lege Principes habent potestatem justa decernendi juxta illud: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*<sup>1</sup>. Errant ergo toto cœlo politici illi, qui humanas leges atheas esse debere contendunt: sine religione leges neque populos neque principes ab iniquitate continere valent; non enim quod justum, sed quod utile ac delectabile homo religione destitutus haberet pro objecto suarum operationum<sup>2</sup>. Semel posthabita religione, imperantes haberent populum uti pecus, æstimantes eum sicut oves occisionis; et populus imperantes uti tyrannos.

Quarta, quod ipsa sit prima et sola actionum humanarum regula. Et sane extra Deum nulla est aut concipi potest norma, ad quam perpensæ humanæ actiones bonæ sint et honestæ; cum solus Deus sit radix et fundamentum totius bonitatis et honestatis. Si enim, dicente Augustino, lex æterna est ipsa voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans, nulla alia lex certo adsignari potest super hanc voluntatem Dei (S. Thomas, 1, 2, q. 19, a. 4).

334. *Poterit adsignari* (inquies) *ratio illa ipsa, ob quam voluntas Dei jubet ordinem naturalem conservari et hunc perturbari vetat, id est ipsa natura boni et mali prout est in se, et Dei voluntatem præcedens.* — R. negando; nam (præterquam quod ex vulgari Juristarum adagio *ratio legis non est lex*) ratio divinæ sapientiæ, in qua existit lex æterna, habet ex D. Thoma (1, 2, q. 95, a. 1), rationem artis vel exemplaris vel ideæ eorum omnium, quæ creata sunt; adeoque in ipsa præexistit ratio eorum quæ agenda sunt. Jam vero quidquid malum est, suapte natura tale est, quia natura sua ordini repugnat; ordo ergo intelligitur esse prior ipso malo. Omnis autem ordo præexistit in ratione divinæ sapientiæ; igitur nihil est malum, nisi

<sup>1</sup> *Prov. viii.* Triplici autem modo a lege æterna leges ceteræ dimanant: — 1. uti ab exemplari; cum nulla lex justa sit, nisi suum quasi exemplar imitetur æternam, eique plane conformetur; — 2. uti a causa sui efficiente, quatenus omnis potestas inferioribus legislatoribus non datur, nisi per legem æternam; — 3. quatenus lex æterna, mediante lumine rationis vel fidei, præcipit ut aliquæ leges fiant, eæque tales pro diversitate temporum, locorum et personarum. Unde esto, quod non omnes legislatores humani condendo leges directe consulant legem æternam, ut sunt infideles; illam tamen considerant in aliquo quod de ipsa participat, et ipsam refert, ut est naturalis ratio. *Suarez, Sylvius, Billuart.*

<sup>2</sup> Montesquieu, *Esprit des lois*, l. XXIV, c. II. — Civ. Catt., Ser. I, vol. I, 7: *Lo stato separato della Chiesa.* — Alasia, *De Lege generatim.* — Ventura, *Saggio sul potere pubblico*, c. II, § 6. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc. Religio naturalis et revelata.

quatenus rationem divinæ sapientiæ repugnat; et quod suapte natura malum a Deo agnoscitur, tale ab ipso agnoscitur, quia id videt Deus suis perfectionibus, suæque sapientiæ, secundum quam omnia sunt ordinata, repugnare. Non est igitur lex æterna libera quædam Dei voluntas... sed ipsa incommutabilis ratio divinæ sapientiæ, prout omnia dirigit ac movet ad debitum finem, ut ait idem S. Doctor, qui propterea eidem difficultati sapientissime occurrit his verbis: *Dicendum quod cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege æterna, secundario vero in judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum* (1, 2, q. 71, a. 6). Hactenus Gerdil contra l'Herminier, *Theol. Mor.* l. IV, *De pecc.*, p. 1.

## (C) Page 143.

335. Nonne ita se gerit quilibet legislator ut nempe prius mente sua concipiat subditos, ac postea intendat animum in lege iisdem imponendas pro publico bono?

Neque dicas: *Si ita est, ergo homo nascitur a Deo plane independens, quod est absurdum.* Responsionem præbet S. Alphonsus: « Nous répondons, et, pour nous expliquer plus clairement, nous avons recours à un exemple familier: Un Maure est vendu comme esclave à un chrétien: ce Maure est obligé d'obéir à son maître dans les choses qu'il lui commande; mais, si son maître, au lieu de lui faire connaître ses volontés, les retient dans le secret de son cœur, l'esclave est-il tenu de s'y conformer? C'est le cas dont il s'agit: Nous disons que l'homme ne naît pas libre et exempt de toute loi, qu'il naît soumis à Dieu, son Créateur, et qu'il est obligé de lui obéir dans tout ce qu'il lui plaît de lui commander; mais, jusqu'à ce que Dieu lui fasse connaître ses volontés, comment l'homme pourrait-il être tenu de les exécuter? » (Vid. *Apolog. e Conf. Monza*, v. I, p. 52, n. 41.) Deinde subjungit: « Il (l'homme) naît sujet, dépendant et obligé d'obéir à tous les préceptes que Dieu lui impose; mais, pour ces préceptes qui le lient, ils doivent lui être appliqués par leur promulgation, qui a lieu lorsqu'ils sont manifestés par la lumière de la raison: tant qu'il n'en a pas connaissance, il reste en possession de la liberté qu'il tient de Dieu, laquelle, étant certaine, ne peut être liée que par un précepte certain. » (P. 215.)

Saltem (addes) *negari non poterit humanam libertatem præcedi ab ipsa ratione hominis naturali.* Difficultatem dissolvit S. Alphonsus: « Pour voir si la raison précède ou non la liberté, il faut



savoir ce qu'on entend sous le nom de raison. Si l'on entend le raisonnement ou bien la faculté que l'homme possède, lorsqu'il est arrivé à l'usage de la raison, de discerner le vrai d'avec le faux, nous avouons que cette sorte de liberté précède la liberté et la volonté, mais elle n'ôte rien à la liberté de l'homme. Mais, si l'on entend par raison le discernement droit et actuel des vérités, nous n'admettons pas qu'il possède cette raison avant la liberté, parce qu'elle ne lie la liberté qu'après lui avoir été manifestée par la révélation d'elle-même. C'est ainsi seulement que nous disons que la pensée divine a eu en vue, antérieurement à la loi, l'homme, même raisonnable, mais dans le premier sens. » (*Ibid.*, p. 229.)

(D) Page 147.

336. Si præcepta naturalis legis obligant independenter a lege scripta, eccur (inquires) Deus per Moysen præcepta Decalogi promulgavit? — Audiatur S. Alphonsus (Apologie, ecc.): « Il est vrai que les préceptes naturels ont été publiés aussi par Moïse avec la loi écrite du Décalogue; mais déjà, avant cette loi écrite et pour les hommes qui vivaient sous la loi de nature, il y avait la loi naturelle divine, écrite (comme dit saint Paul) dans les cœurs des hommes, et au moyen de laquelle ils pouvaient discerner ce qui, de soi, était bien ou mal. Mais, comme ils négligeaient d'étudier cette loi (pour qu'ils n'eussent pas à se plaindre, dit saint Augustin, qu'il leur manquât quelque chose pour arriver à la parfaite connaissance de ce qu'ils devaient faire ou éviter), le Seigneur donna à Moïse, écrite de son doigt divin sur deux tables, cette loi qui déjà était écrite dans les cœurs. » Ideo qui violat legem naturæ per Decalogum cognitam, gravius quidem peccat, quia graviorem Deo injuriam irrogat; sed non committit duo peccata <sup>1</sup>.

337. Sed (quæres) legis naturalis obligatio oriturne ab ipsa rerum, vel entium natura independenter a Deo Creatore et Legislatore?

<sup>1</sup> Decalogus dicitur a græco *deca* decem, et *logos* sermo, quasi decem sermones Dei contineat. Cum autem Deum et proximum respiciant, ideo recte Christus (Matth., xxi) totam Decalogi substantiam ad Dei ac proximi amorem reduxit. S. Thomas (1, 2, q. 100, a. 5) exponit quomodo omnia præcepta naturalia in Decalogo contineantur. De hisce erit a nobis agendum: de primo præcepto, secundo et tertio erit tract. *De Virtute religionis*; de quarto et octavo erit *De Obligationibus*; de quinto et septimo erit *De Restitutione*; de sexto, nono et decimo erit *De Peccatis*.

R. Fuit olim opinio alicujus auctoris<sup>1</sup> naturam ipsam rationalem esse primam moralis honestatis regulam per se et independenter a Deo Legislatore, ita ut ex conformitate vel difformitate ad illam tota desumenda esset honestas et pravitas humanarum actionum, absque ullo respectu ad voluntatem Dei Creatoris et Legislatoris. Sed hanc sententiam Suarez et Du Hamel, cum aliis communissime declaraverunt omnino falsam, et alienam ab omnibus theologis atque philosophis. Doctrina est Angelici, leges omnes (et ideo earum obligationem) non aliunde oriri, quam a lege æterna Dei: lex autem æterna Dei ex Augustino est ipsa ratio divina et voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans (Contra Faustum, l. xii, c. 27). Hinc ipse S. Doctor sic peccatum definivit: *Dictum vel factum vel concupitum* (non contra naturam entium rationalem, sed) *contra legem æternam Dei*. Quæ vocabula perpendens Angelicus ait: S. Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit: *dictum vel factum vel concupitum*; aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit: *contra legem æternam* (1, 2, q. 71, a. 6). Ex quo sic concludebat Alphonsus noster: « Donc toute la raison du péché ne vient pas de la nature elle-même, mais de l'opposition avec la loi éternelle. Ce n'est pas la nature qui établit la loi et la mesure de l'honnêteté, mais c'est la loi que Dieu a imposée à ses sujets de chaque nature. La loi naturelle ne tire pas son origine des natures des êtres raisonnables, comme le supposent certains auteurs, mais elle la puise dans la loi éternelle <sup>2</sup>. »

Si ita est (inquires), qui violat legem naturalem absque ullo respectu ad Deum Legislatorem ejusque contrariam voluntatem, nullo modo peccat?

R. Utique, si suppositum admitti posset: si posset esse conversio ad bonum commutabile (inquirebat Angelicus) sine aversione a Deo,

<sup>1</sup> Iste est P. Vasquez, teste S. Alphonso dicente: « Cette opinion a été enseignée par le P. Vasquez, et je n'ai pas trouvé d'autre auteur, excepté lui, qui l'ait enseignée. » *Apol. e Confut.*, t. II, p. 15.

<sup>2</sup> V. *Apologia e Confut.*, V, II. Ubi notamus, quod decipiuntur vel decipere volunt qui dicunt hanc fuisse quæstionem quæ tantopere agitata fuit inter Sanctum nostrum et P. Patuzzi: iste imo expressè cum illo hac super re omnino consentit inquires: *Falsa est sententia patris Vasquez asserentis naturam ipsam rationalem esse primam moralis honestatis regulam, ita ut ex conformitate vel difformitate ad illam tota desumatur honestas et pravitas humanarum actionum: hæc, inquam, sententia falsa est.* (*Theol. Mor.*, t. I, *De Legib.*, c. v, n. 3.)

quamvis esset inordinata, non esset tamen peccatum mortale (2, 2, q. 20, a. 5). Sed hæc hypothesis a SS. Patribus atque Theologis habetur uti absurda, et impossibilis. Ego rectam rationem nego (ait Berti), quæ non sit cum participatione legis æternæ; et cum participatione legis æternæ nego posse dari invincibilem Dei ignoracionem. Hinc S. Alphonsus: « Il est impossible de comprendre qu'une chose soit conforme ou contraire à la droite raison, si l'on ne considère cette raison comme venant de Dieu. Quant à moi, en envisageant le péché comme l'offense de Dieu, qui est la bonté suprême et mon souverain Seigneur, qui m'a créé, qui m'a racheté, de qui j'ai tout reçu: je puis avec son secours en concevoir un vrai repentir. Au contraire, je ne saurais en concevoir un vrai repentir si je l'envisage comme une simple offense de la nature, qui n'est point ma souveraine, qui ne m'a ni créé ni racheté, et de qui je n'ai reçu aucun bien, vu que tout ce que j'ai, je reconnais le tenir de Dieu. »

338. « Afin de pouvoir dire que l'homme, dit l'illustre auteur (*Essai sur le socialisme et les doctrines et tendances socialistes*), agit moralement, il ne suffit pas qu'il ait une idée, mais il faut qu'il ait l'idée antérieure d'une loi. Celui qui n'a pas conçu la loi antérieurement à son action ne peut pas se former le jugement pratique de son action, savoir si elle est conforme ou non à la loi conçue et connue, et dès lors on ne peut dire qu'il agit moralement.

« La morale, disent nos philosophes incrédules, doit être fondée sur la nature même de l'homme et non sur la volonté de Dieu. (V. apud Bergier, *Dict. de théologie*, v<sup>o</sup> Morale, Bien et Mal moral.) Nous pensons que, de même que nous n'avons de morale chrétienne, sinon qu'autant que le Dieu des chrétiens est connu, ainsi nous n'aurons point la morale grossière des barbares, si, au moins d'une manière confuse, ils n'ont pas dans l'esprit l'idée du grand esprit, ou quelque autre idée qui indique un Être supérieur à l'homme et qui commande. » V. nostra *Ethica seu Philosophiæ moralis Elementa in usum scholarum clericalium*. (Pag. 54 et seqq.)

## (E) Page 158.

339. Patet, quam turpiter errent protestantes, qui ut Ecclesiæ denegent facultatem ferendi leges, eam esse dicunt instar collegii in republica, et ab ipsa indistinctam; utriusque enim potestatis suæ sunt partes: una nempe curat civium commoda, altera res sacras atque divinas. Unde falsum quoque, quod sit status in statu; cum duo sint status, uterque diversi generis, uterque cum sua provincia, uterque suos habens fines. Sive melius: Ecclesia est in statu non quasi res

status, sed ut dirigat qui in statu sunt; status autem est in Ecclesia, ut legibus Ecclesiæ subdatur. — V. Riccardi, *Gemiti*, etc. *Convers.* vi. — Audisio, *Introd. agli studi*, ecc., lib. IV. — *Civiltà catt.*, serie I, vol. I. — Lib. cui titulus *De l'autorité des deux Puissances*. — *Della pace tra la Chiesa e gli Stati*, per mons. Clemente-Augusto Sibour. Parisi 1844, de quo plura referunt *Annali religiosi*, serie II<sup>a</sup>, vol. I, pag. 94. — Franco, *Risposte*, etc.

Historia status separatistæ exposita reperitur in scriptoribus sæc. xiv et xv qui egerunt de utriusque potestatis limitibus. Verum celebrior omniumque primus inter eos fuit Guillelmus Ockhamus in libro *De potestate ecclesiastica et sæculari*, quem scripsit contra Bonifacium VIII pro Philippo Pulchro. — V. Perrone, *De matrimonio christiano*, l. I, sect. 2, c. iv. a. 1.

## (F) Page 159.

340. Jansenistarum vestigiis inherere videntur auctores illi, qui Pontificem Maximum solent appellare *primum Christi vicarium* in terris. Præverat tali vocabulo Quesnellus in sua fidei professione: subsecuta est Schismatica Ecclesia Ultrajectensis in suo quodam Conciliabulo: hanc demum imitatus est Pistoriensis Episcopus Ricci auctor damnatæ Pseudo-Synodi omnibus notissimæ (Encycl. 31 julii 1786). Non ea sane usus est voce inter ceteros D. Bernardus, a quo Summus Pontifex appellatur *unus Christi Vicarius; Pastor unus ovium et Pastor omnium*. Tu es (sic alloquebatur Eugenium III) *cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii Cæli Janitores et gregum Pastores; sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singulis, singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et Pastorum unus omnium Pastor*. — V. Dictionario Ricciano ed Anti-ricciano, v<sup>o</sup> *Primo vicario, Vicario*.

## (G) Page 159.

341. A quonam potestatem legislativam episcopi recipiant, alii dicunt recipere immediate a Christo, quia ab ipso est dignitas et officium episcopale immediate institutum: ita Vasquez. Alii cum Thoma 2, 2, q. 59, a. 5, dicunt recipere immediate a Pontifice; et sic definitum videtur a Gregorio C. Decr. *caus.* 2, q. 6, c. 11. Ceterum hæc quæstio est tantum de nomine; nam ex una parte certum est quod episcopi, licet immediate recipiant hanc potestatem a Christo, semper tamen suscipiant cum subordinatione ad Papam; et ex alia licet episcopi illam recipiant a Pontifice, possunt tamen leges ferre sine ejus licen-

tia, modo non apponantur illius legibus, vel specialiter non sit de re Pontifici reservata. Hæc quæstio fuit in Tridentino agitata nec tamen decisa. — V. Pallavicini, *Storia del Conc. Trid.*, l. XVIII, c. xiv et xv. — Devoti, *Instit. Canonic. Prolegom.*, c. III, § 20. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 404. — Salzano, *Lezioni di diritto pubblico, ecc.*, vol. II, pag. 134. — Muzzarelli, *Buon uso della logica in materia di religione*, opusc. XXI. — Bouix, *De Episcopo*, p. I.

Nihil certo potest Episcopus in lege superioris, cum inferior in superiore non habeat jurisdictionem. Hinc a Pio VI Bulla *Auctorem fidei damnata* est illa n. 8 propositio, quæ docebat Episcopum posse *ex iuribus sibi originalibus et suadente bono Ecclesie suæ statuere aliquid contra leges superioris*. — Monet autem Benedictus XIV cum Fagnano, ne ab Episcopo in Synodo decidentur questiones inter DD. catholicos controversæ, et a S. Sede non definitæ, nisi totius controversiæ cardo unice versetur circa jus commune quo solo inspecto, de licitate rei disputetur (*De Syn. Dioces.*, l. VII, c. I et v). Casus esset, v. g. si quid esset quidem a jure communi prohibitum, sed disputetur, an illa prohibitio in desuetudinem abierit; poterit illud Episcopus absolute prohibere, ac illicitum declarare.

342. Legislator potest adhuc abrogare legem suam, etsi hæc sit confirmata ab altiore superiore, v. g. a Pontifice; si confirmatio ista sit tantum accidentalis, in favorem legislatoris et ad majorem legis splendorem; secus vero si superior legem faciat suam. V. laudatus Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. v.

(II) Page 160.

343. Et antiquitati ignota et Ecclesie injuriosa et ejus potestati laxiva est illorum politicorum doctrina, qui volunt Ecclesie leges esse regio placito jure submitendas, ut vim habeant suam. Hanc limitationem non imposuit Christus rectoribus ac pastoribus suæ Ecclesie, neque laicales potestates judices ecclesiasticarum constituit. — V. Margotti, *Processo di Nuytz*. — *Civiltà Cattolica*, ser. I, t. VIII: *l'Essequatur nelle dottrine*. — Martinet, *Philosophie du catéchisme*: *Commandements de l'Église*. — Franco, *Risposte popolari alle obiezioni*, ecc., cap. xxx. — Sed maxime P. Tarquini e S. J.; ejusque doctissima Dissertatio hac de re integra est legenda (V. *Annali Religiosi*, Roma 1852, serie II, vol. X): in ea invictissime probat: « C'est une erreur intolérable de mettre au nombre des droits royaux la faculté d'assujettir à ce qu'on appelle l'Essequatur les bulles et les brefs pontificaux, et quoi que ce soit qui appartient au gouvernement de l'Église. »

Ad labefactandam Pontificiam autoritatem falsi juristæ argumenta desumunt maxime ex Operibus Van Espen Canonistæ Lovaniensis († 1728), ac Justini Febronii, qui vero nomine est Joan. Hontheim Treveritanus, Episcopus *in partibus* († 1790). Nil mirum, si tot falsa proferant! arbor mala non potest bonos fructus facere. — « Le plus grand défenseur du *Placet* (dit le célèbre Tarquini déjà cité) est Bernard Van Espen, vieux janséniste mort dans le schisme, à qui la secte a fait une grande réputation de savoir, et la débonnaireté des autres y ajoute encore foi; on l'étudie et le cite *honoris causa*. Cet homme, dès qu'il s'agit d'attaquer les droits des pontifes, est toujours en première ligne, non à visière levée, car les usages de la secte ne le comportaient point, mais tout couvert de ruses; architecte de fraudes et de pièges des plus habiles, il recueille les monuments anciens, et on lui fait de cela une grande gloire, ne sachant pas qu'il les altère impudemment. C'est le plus détestable des canonistes. »

De alio scribit Feller, *Dictionnaire historique*, v<sup>o</sup> Hontheim: « Ce que dit Bergier des contradictions de Febronius et de sa réfutation par lui-même (*seipsum enim retractaverat, sed ita ut suos errores confirmare videatur*) est vrai à un point qui passe toute vraisemblance, pour quiconque n'a pas eu le temps de s'ennuyer en parcourant cette lourde rapsodie. On y rencontre à chaque page le oui et le non prononcés de la manière la plus tranchante. Le lecteur attentif qui voit cela ne sait que penser, il craint l'illusion et se défie de ses propres yeux; il finit par déplorer l'aveuglement où les passions précipitent l'esprit de l'homme. *Ut quid ergo adeo a nonnullis celebratur!* Ce phénomène n'a rien de surprenant pour qui sait de quelle manière se font les réputations, et que le meilleur moyen de s'en faire une sûrement et promptement est de s'attacher à quelque faction puissante et bavarde. Or c'est là ce que fit Febronius en flattant la nombreuse cohorte des ennemis du Saint-Siège, et en particulier les Jansénistes. »

344. *Pauca de Concordatis, de appellatione ab abusu, atque Pontificis potestate in regna.*

a) Concordata nihil aliud sunt, quam conventiones, ac quædam veluti fœdera contracta inter potestatem civilem, et potestatem ecclesiasticam. Licet enim discrimen utriusque innitatur jure naturali et divino positivo; non potuerunt tamen fines proprii ita unicuique assignari, ut nulla unquam orirentur peculiare factorum circumstantiæ, in quibus ad tollendum omne discordiæ periculum non oporteret aliquando res *ex bono et æquo* componere. Hac igitur pertinet fœdera illa, quæ ubi rite percurta sint, *Concordatorum* nomine nuncupamus, et partes secum contrahentes ita obligant, ut eorum violatio sit contra ipsum jus naturale præcipiens *pacta legitime inita semper esse re-*

ligiose servanda. Ephemerides Gallicæ, quibus erat titulus *L'Avenir*, cum anno 1855 ausæ fuissent docere Concordata non esse obligatoria, S. Pontifex Gregorius XVI eam cito doctrinam aperte reprobavit et diris devovit. — V. *Della natura e carattere essenziale de' concordati*. Parigi, Didot, 1850. — Audisio, *Introduzione agli studi eccl.*, I. IV, c. VIII. — *Civiltà Catt.*, serie II, vol. XI et XII, *Concordato Austriaco*. — Wiseman, *Conferenza sui Concordati*. Milano, 1856. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v. Concordata, Beneficium, art. 11.

345. b) Si res mutuo finienda, reprobandæ appellationes sic dictæ ab abusu, quas nonnulli juristæ timentur cum Natali Alexandro (*Hist. ad sæc. IV*). Has tunc dari asserunt, quando in causa Ecclesiastica fit appellatio ad principem secularem ob putatum abusum potestatis Ecclesiasticæ. Quas tamen venerandæ antiquitati ignotas, omnium perturbationum fontem, vexationum in Clerum scaturiginem, ac manifestam jurium Ecclesiæ usurpationem appellavit Leo XII, Epist. ad Galliæ Regem, die 14 Junii 1824. Vel ipse Fleury in hæc re minime suspectus aiebat : *Les appellations comme d'abus ont achevé de ruiner la juridiction ecclésiastique*. V. Salzano, *Corso di storia Eccl.*, I. IV, n. 7. — II. *Animadversio in Natalem Alexandrum*, loco cit. — *Civiltà cattolica*, ser. I, t. VII : *il Professore Nuytz, ecc.* — *Prælectiones juris can.* habitæ in Seminar. S. Sulpitii, vol. III. — *Processo di Nuytz*. — V. *Mem. Moden.*, vol. I, pag. 107. — *Civiltà cattolica*, ser. II, vol. XI, pag. 329.

346. c) Agendo de suprema Ecclesiæ potestate quæstio recurrit adeo vehementer agitata olim, at ferme semper imperfecte discussa; quid nempe sentiendum sit de antea actis sæculis, in quibus aliqui Pontifices nonnumquam res civiles exterorum moderabantur? Nostrum non est hic immorari; id unum scire satis sit, veritatem suos hodie habuisse vindices, atque adeo, ut vel ex ipsis protestantibus nemo sit cui, vix a limine genuina historia salutata, palmare non sit, illa temporum iniquitate SS. Pontifices haud fines suos excessisse, sed ipsos ea esse potestate usos, quam eis tribuebat universalis consensus. Adde : hic est effectus ipsius majoris excommunicationis, quando excommunicatus vitandus est, in rigore ultimo sistendo.

V. Bouvier, *Instit. Theol.*, t. I, *De vera Eccl.*, sub finem. — De Maistre, *Du Pape*, t. II, c. IX et seqq. — *Pouvoir du Pape sur les souverains au moyen âge*, vol. un. in-8. — Harter, *Histoire du Pape Innocent III*. — Voigt, *Histoire du Pape Grégoire VII*. — P. Salzano, *Corso di Storia Ecclesiastica*. — *Il Cattolico*, vol. IV, pag. 64. — Bianchi, *La Polizia della Chiesa*, t. I. — Audisio, *La Reale Basilica di Soperga*, I. IV, c. II, etc.

## (J) Page 163.

347. Sunt pauci aliqui, qui ultro quidem fatentur idque tenent uti de fide, Ecclesiam habere vim coactivam; attamen volunt eam coactionem intelligendam esse de solis spiritualibus pœnis, v. g., excommunicatione, suspensione, interdicto, depositione a clericali officio, beneficii privatione et in clericos degradationis sententia. Coercere autem posse Ecclesiam jure proprio per temporales pœnas et corporales fideles, v. g., per carcerem, flagellationem, mulctas, exilium, etc., non admittunt.

Verum attentis a nobis adductis Pontificum definitionibus in textu, non apparet, quod possit uti probabilis sustineri hæc opinio: imo videtur ad minus erronea dicenda et temeraria. Attamen non videtur ipsi injuri posse notam hæreseos, quamvis Suaresius contrariam doctrinam dicat de fide; nam in prolatis definitionibus declaratur quidem Ecclesiæ competere potestatem *externe et exteriori judicio et salubribus pœnis coercendi atque cogendi*, non tamen expressis verbis additur *per corporales et temporales pœnas*. Et quamvis aptissime sensus ille in dictis definitionibus includatur, cum propriis terminis non exprimitur, uno saltem syllogismo opus est ad eum deducendum. Ceterum si non hæreticus, temerarius utique erit dicendus qui id teneret, quia esset Ecclesiam incesare, quæ hac coactione semper usa est.

Dices : *Non esse opus vi, quia religio cogi non potest?* — R. Cum Angelico: Utique non sunt cogendi ad religionem amplectendam infideles; quia credere est voluntatis, non necessitatis: quo sensu sic scripserat Lactantius (*De divinis Instit.*, I. V). Sed bene cogi possunt etiam corporali pœna hæretici et apostata ad fidem tenendam, quam semel amplexati sunt; nam si voluntatis est religionem suscipere, necessitatis est eam semel susceptam tenere. Ita liberum quidem est votum emittere, at semel emissum non est amplius voluntatis propriæ illud violare: et hoc plane sensu S. Augustinus scribit Epistola 185 ad Bonifacium. Idque maxime, quia hæretici moribus suis pravis alios ad malum vehementer nimis inducunt.

V. *Civiltà Cattolica*, ser. II, t. VII e VIII. — Bouix, *De judiciis*, part. I, ubi fuse. — Margotti, *Processo di Nuytz* art. 8 et seqq. — Balmes, *Saggio di diritto pubblico*. — Suarez, *De Religione*, ubi de hæreticorum pœnis. — Bianchi, *Della potestà e polizia della Chiesa*, t. V, part. II. — Devoti, *Institut. Canon.*, I. III, tit. I, etc., etc. — S. Thomas, 2, 2, q. 10, a. 8. — Martinet, *Solution des grands problèmes*, prob. III, c. LI. — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico* (opus cl. Vittadini); t. I, p. III.

## (J) Page 163.

348. Antiqua collectio, quæ ab Apostolorum ætate extenditur usque ad sæculum XII continet primo *Canones Apostolorum* 50 apud Latinos, 84 apud Græcos : qui in corpore juris post decretum Gratiani leguntur. Quamvis non sint ab omni nævo immunes, merito tamen reputantur insigne monumentum disciplinæ ecclesiæ per tria priora sæcula : sunt autem ab apostolorum successoribus, qui teste Tertulliano, *apostolici viri* nominabantur. Habentur ejusdem fere antiquitatis *Constitutiones Apostolicæ*, octo libris contentæ ac insertæ in priori volumine collectionis Conciliorum, quæ collectio venit sub nomine Pontificis Clementis. Hæc conflata est ab incerto auctore ex diversis synodis, legibus ac moribus Ecclesiæ orientalis usque ad quartum sæculum : horum tamen aliqua doctrinæ Ecclesiæ adversantur. — Accedit pro Græcis : 1. collectio canonum lecta in Concilio Chalcedonensi generali, anno 471; quæ desumpta est ex variis conciliis, Nicæno, Ancyrano, etc. ; 2. collectio Joannis Scholastici Constantinop. episcopi, anno 577, qui etiam ejusdem operis editionem dedit, in qua leges civiles quæ ad easdem materias referuntur, addebantur canonibus (unde ista collectio nomen *nomocanonum* accepit); 3. novus Codex conditus sæc. VII in Synodo Trullana; 4. collectio, quam sæculo IX, Photius concinnavit, ubi schismaticus ille præter canones legitimos a sanctis synodis editos, reposuit plures conciliabulorum regulas. Pro ecclesia Latina obtinuerunt primo *Canones Nicænæ Synodi*; dein Græcorum Codex latine redditus, et collectio *prisca* vocatur; postea venit percelebris collectio Dionysii Exigui initio sæculi VI; quæ etsi privata auctoritate conflata, a S. Sede probata fuit et dicta communiter *vetus Canonum codex* : huic autem plura adjecti ex Conciliis et Patribus S. Isidorus doctor Hispalensis. Hæc collectionibus accedit collectio Hadriani I pontificis, Ferrandi, Cresconii, Reginonis, Burchardi, etc., etc. — V, Ballerini fratres, *De antiquis collectionibus*. — Theiner, *Disquisitiones criticæ in præcipuas canonum et decretalium collectiones*, Romæ, 1836. — Zellingner, *Devoti, Bouix*, etc.

349. Quæres : *Quid de celebri collectione Isidori peccatoris vel mercatoris?*

« Les *Fausse Décrétales* sont une compilation postérieure à Charlemagne, antérieure à l'an 857, mise au jour à l'époque des guerres civiles qui éclatèrent sous Louis le Pieux; on ne peut mieux en préciser la date sans se lancer dans les hypothèses... C'est une œuvre française, au moins dans la forme dernière sous laquelle elle s'est montrée. Elle se répandit d'abord en France; elle y était assez connue pendant qu'on

l'ignorait en Italie : elle n'eut pas cours en Allemagne. Dire que les Papes y eurent une part, c'est une imputation gratuite que rien ne justifie et dont l'absurdité est démontrée par l'examen sérieux des circonstances et par l'étude des documents que la collection renferme. Nous l'appelons cependant une fraude, mais dans ce sens que l'écrivain pseudonyme a attribué des lettres et des canons à des personnes qui n'en furent pas les auteurs, et non parce que ces canons et ces lettres contiennent des principes erronés ou absolument nouveaux. L'auteur a eu pour but non pas d'attribuer à la papauté un pouvoir jusqu'alors inconnu, mais il a voulu venir en aide au clergé menacé et opprimé par la cour et les grands; opposer une digue à l'abus excessif que les métropolitains faisaient de leur autorité à l'égard de leurs suffragants, et arrêter la décadence de la discipline ecclésiastique. C'était là la situation malheureuse où se trouvait alors la France. Nous ne louons pas pour cela la fraude; nous ne l'excusons même pas. Le mensonge, comme tout autre péché, n'est jamais un véritable remède à aucun désordre. » — Sic Joseph Cossa, in *Amico cattolico*, vol. XV. — V. etiam le Surre, *Dissertation sur les Fausse Décrétales*. — Marchetti, *Critica della storia ecc. e dei discorsi del Fleury*, t. I, dissertaz. della collezione d'Isidoro mercatore o peccatore. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica*; opusc. x. — Devoti, *Institut. canonic. prolegomena*, c. v. — Et nostræ *Juris Canonici Institutiones*.

350. Quæres : *Quid de Gratiano Decreto?* — Gratianus monachus ordinis S. Benedicti, Bononiæ vitam duxit; post multos labores in studio canonici juris suam edidit collectionem anno 1151 sub titulo : *Concordia discordantium canonum*. Opus in tres partes divisit; prima constat 101 *distinctionibus* quæ singulæ plura capita complectuntur; in ea agitur de origine, de auctoritate ac principis juris; dein exponuntur status et officia clericorum. Secunda pars habet 50 *causas*, quæ in quæstiones, et quæstiones in capita seu canones distribuuntur; tractat de regulis in judiciis servandis. Tertia pars dicitur *de consecratione*, quia agit potissimum de ritibus sacris, de sacrificio, etc. : et in distinctiones et canones dividitur. Hæc collectio quæ fiebat plurimi, in multis deficiebat : hinc Pius IV et V, et præsertim Gregorius XIII emendari curarunt; hic ultimus Bulla *Cum pro munere* anno 1550 emendatam editionem approbavit, prohibens quidquam addere, aut immutare; quin tamen legis auctoritatem illi tribueret Berardi librum magna eruditione edidit in *Decretum Gratiani*, canones apocryphos notando, difficiliore illustrando, etc.

## (K) Page 164.

351. *Quæres: Quid de regulis Juris?* — Gregorius IX ad calcem *Libri V* Decretalium, et Bonifacius VIII in fine *Sexti* Decretalium inseruerunt regulas juris: quæ quidem sunt quædam sententiæ generales quæ plures leges seu canones de rebus diversis brevi compendio amplectuntur et proponunt. Regulæ juris si in decretalibus insertæ, sunt authenticæ, et habent legis vim quoad omnes casus non exceptos. Si insertæ non sint, habentur uti axiomata juris, sed omnem auctoritatem non habent; et doctrinales dicuntur, alio nomine *brocardicæ* (a Burcardo celebri canonista).

Regulæ juris licet authenticæ patiuntur exceptiones, quas doctores *fallentias* appellant, unde axioma: *Non est regula sine exceptione*. Restrictiones indicantur ab ipso jure, vel consuetudine generali satis notescunt. Semper maxima consetur earum utilitas, atque perutile illas legere, atque relegere, easque quantum fieri potest memoriæ mandare; tum quia cunctæ regulæ pro adjutorio memoriæ compendiosam notitiam juris præbent; tum quia juxta eas deducuntur casus emergentes, qui a jure specialium et expresse non sunt decisi, cum tales casus decidendi sint per similia. — V. Reiffenstuel, *De regulis juris*; in præmio. — *Prælectiones juris Canonici, habitæ in seminario S. Sulpitii, annis 1857, 1858, 1859, t. I, prolegom.*

Corpus juris Canonici in duo satis ingentia volumina includitur: 1<sup>um</sup> continet totam collectionem Gratiani; 2<sup>um</sup> ceteras collectiones. Per modum autem Appendicis in fine ponitur tum septimus liber *Decretalium* Petri Matthæi; tum *Institutiones* Pauli Lancelloti; sed omni destituantur legis firmitate.

352. *Quid (quæres) sentiendum est de rubricis titulorum, de superinscriptionibus et summariis capitulorum, de notis et glossis, quæ in Canonico ipso jure habentur?* — R. Rubrica a rubris litteris, quibus scribebatur dicta, est inscriptio indicans materiam tituli. In libris authenticis magnæ est auctoritatis; cum libri isti una cum rubricis probati sint; et ideo valet argumentum a rubro ad nigrum, hoc est a rubrica ad textum capituli, dummodo textus non dissonet: unde tunc rubrica potest allegari per modum regulæ generalis. *Superinscriptiones* sunt illa verba, quæ indicant unde textus capituli desumptus sit, vel ad quem directus. In libris authenticis, sunt authenticæ et ex illis validum est argumentari. *Summaria* sunt verba, quibus privati doctores capitula summarunt; ideo non sunt authentica, sed tantum inserviunt ad majorem legentium commoditatem. *Glossa* est uberior explanatio canonum ab auctoribus facta. Auctores præcipui sunt Accursius, Ber-

nardus, Tancredus, Joannes Andreas (filius); his accedunt veteres interpretes Innocentius IV (antea dictus Sinibaldus), Hostiensis, Speculator seu Guillelmus Durandus, Panormitanus et alii, quos refert Barbosa ac Fagnanus. Glossa non facit jus, licet reverenter audienda sit ob excellentem doctrinam glossatoris. Nota tandem est brevior illustratio, explicatio vel additio citationum: hæc habet auctoritatem, sed pro auctoritate auctoris, qui eam confecit. V. Mascart, *Prolegomena juris Canonici*. — Alasia, *De legibus*; de lege eccles. — It. nostra *Canon. juris Institutiones*.

353. Q. *Quid de Libris Liturgicis?* — Ad ecclesiasticas leges utique revocari merito possunt etiam *Libri Liturgici*, qui scilicet universæ Ecclesiæ modum tradunt divini cultus exercendi, et pro quibus tot Romani Pontifices curas posuerunt; cum enim hujusmodi libri et vere fidei unitatem ac protestationem contineant, et rerum sacrarum majestatem commendent, et fidelium mentes ad cœlestia erigant, plurimi eos esse faciendos nemo unus ignorat. Imo Romana Liturgia in præcepto est: Et 1. quoad *Breviarium Romanum* habetur Bulla Pii V *Quod a nobis*; quoad *Missale* vero *Romanum* Bulla *Quo primum* ejusdem Pontificis: in illis porro legitur, ab eo propria obligationi non satisfieri, qui alio Breviario vel Missali utitur, nisi agatur de ecclesiis, quarum breviora ac missalia illis ducentis annis antiquiora sunt. Idem statuitur ab ipso Pontifice Bulla *Superni* quoad Officium B. M. Virginis; — 2. quoad *Martyrologium*, ubi martyrum sanctorumque acta continentur, habemus Constitutionem *Emandato* Gregorii XIII, ubi præcipitur, ut omnes latine ecclesiæ etiam quæ proprium breviarium et missale legitime habent, romano martyrologio utantur in choro. Hodie tamen debent adhiberi exemplaria a Benedicto XIV correctæ, ut ipse præcipit Bulla *Postquam*, 4 jul. 1748; — 3. quoad *Cæremoniale Episcoporum*, in quo traditur modus, quo sacra sunt ab Episcopo peragenda, adest Bulla Clementis VIII *Cum novissime*, et Benedicti XIII *Licet alias*; quoad *Pontificale* vero *Romanum*, ubi habentur modus Ordines conferendi, et alia quæ sunt ordinis Episcopalis, est Bulla Urbani VIII *Quamvis alias*. In quibus Bullis obligantur omnes latine ecclesiæ ad hosce libros adhibendos; — 4. tandem quoad *Rituale Romanum* Paulus V, Constitutione *Apostolicæ Sedis* hortatur in Domino ecclesiasticos, ut in sacris functionibus illo semper utantur, tanquam Ecclesiæ romanæ filii, quæ verba tum ex natura rei, tum ex contextu de vero præcepto sunt accipienda, ut commune ac receptum est contra Catalani. Et firmatur ex S. Rituum Congregatione, quæ die 7 sept. 1850 declaravit: *Rituale Romanum, cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur*.

Cæremoniale tamen non obtinet ex S. R. C. 16 julii 1605, si adsit

laudabilis immemorialis consuetudo in contrarium. Benedictus XIV Brevi *Quam ardenti* curavit novam editionem emendam tum Ritualis, tum Cæremonialis, tum Pontificalis. — V. Bouix, *Tractatus de jure liturgico*. — Formici, *Institutiones liturgicæ*, editio novissima. Urbiveteri, 1857. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Martyrologium.

## (L) Page 165.

354. Italis primum celeberrimum Concilium Tridentinum promulgatum est, ab iisque lubentissime acceptum; ac primo a Venetis, Neapolitanis atque Siculis. — Item in Helvetia (*Vid. Cattolico*, vol. VIII, pag. 265): voluit in Helvetia Tridentinum non fuisse acceptatum in iis, quæ disciplinam respiciunt; sed contrarium probat et tuetur doctus Desegesser in suo libro *Storia della Repubblica di Lucerna*: V. Civil. Catt., serie IV, t. I, pag. 108. Sed vide fusius Tractatum de Matrimonio, ubi de clandestinitate in adnotatione. — Item fere statim acceptatum fuit in Hispania, Lusitania, Belgio et Polonia. — In Germania item promulgatum fuit sed reuocantibus protestantibus. — Quoad Galliam autem audiatur Cabassutius (*Notitia Eccl.*, sec. XVI): *Edictum confirmationis sacro sancti Concilii publicatum Romæ, 7 kalend. febr. 1564, universus Clerus Gallicanus in Provincialibus, quæ passim in tota Gallia postea concta sunt, Conciliis, atque in generalibus sacri Cleri Comitibus, sacrosanctæ hujus Synodi Decreta ita complexus est, ut nefas sit ei refragari*. Similia profert alter insignis inter Gallos scriptor, ut ait Billuart, nempe Pontas, v<sup>o</sup> *Bénéficiar*: qua item probat Robrbacher in sua *Eccl. Historia*, lib. LXXXVI. Hoc porro in aliis quoque regionibus (ubi primum non fuerat acceptatum Concilium) contigisse, opera nempe Episcoporum per Synodales Constitutiones, opinio est DD. — V. Baldassari, *Istoria compendiosa de Concilio Ecumenico*, Venezia, 1715. — Et maxime, *Storia del ricevimento del Concilio di Trento nei diversi Stati cattolici, con documenti giustificativi*. Amsterdam e Parigi, 1752.

An (queres) Tridentinum obliget iis in locis ubi non fuit promulgatum? Certum est: 1. obligare quoad fidem et mores; cum et fidei et morum una sit regula, ac omnibus necessaria. Certum est: 2. non obligare quoad decretum latum circa clandestina matrimonia; decernit enim Concilium, sess. XXIV, cap. 1, de Ref., ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos. Tota quæstio est circa alia decreta, quæ disciplinam

respiciunt: quæritur nempe an obligent in iis Diocæsis, ubi Tridentinum non fuit promulgatum?

Negandum est in sententia Cabassutii, Beccani et aliorum, qui contendunt leges pontificias, ut omnes obligent, promulgari debere non solum Romæ, sed etiam in singulis provinciis. Affirmandum autem in communi sententia Suaresii, Laymani, etc., qui docent, quod leges Romæ promulgatæ, quocumque tandem modo id fiat, si sint sub clausula quod statim debeant totum orbem obligare, illico obligant absque nova promulgatione aliis in locis; porro Bulla, quæ determinat diem quo incipit Tridentinum obligare, ad totum orbem data est. Verum alii cum Roncaglia tuentur Bullas tunc tantum omnes omnino obligare, quando Romæ promulgantur locisque solitis affiguntur non solum sub præcepto quod omnes obliget, sed etiam cum hac clausula: *Ut autem præsentibus litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas ad valvas, etc., affigi et publicari, sicque publicatas omnes et singulos quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent*. Vel alia clausula: *Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur observantia, ac si unicuique forent exhibitæ vel ostensæ*. Hæ clausulæ satis ostendunt (ait S. Alphonsus, in *Op. Mor.*, l. I, tract. II, n. 96) mentem Pontificis esse velle omnes fideles obstringere ad talia statuta independentem ab eorum publicatione in singulis provinciis. Bullæ vero, ubi illæ vel aliæ similes clausulæ desunt, non obligant ante dictam promulgationem, ne dicatur clausulas illas esse superfluas, quod de legibus dicendum non est.

Juxta hanc sententiam quid de Tridentini obligatione pro iis locis, ubi specialiter illud promulgatum non fuit? — Non conveniunt: alii tenent Concilium non obligare; quia illæ clausulæ nullimode habentur in Bulla, quæ statuit diem obligationis pro toto orbe. Verum alii nihilominus recte pro obligatione certant; tum quia in Bulla confirmationis hæ clausulæ leguntur: porro in hac Bulla statuitur quod Concilium ab omnibus sit observandum; tum quia esto quod Bulla quæ designat obligationis diem, non contineat dictas clausulas, at constat eas observatas fuisse, siquidem dicta Bulla fuit solitis modis ac locis publicata, prout fidem fecit Magister Cursor. V. Gousset, *Exposition des principes du Droit canonique*, cap. xxvi. — Zaccaria, *Lasciamo stare le cose come stanno, ossia dissertazione sulla mutabilità poco intesa dai più della disciplina ecclesiastica*. Item Co-

mandi chi può, ubbidisca chi dee, ossia dissertazione della forza obbligatoria della disciplina ecclesiastica. Roma, 1856. — Muzza-relli, *Il buon uso della logica in materia di religione*, Opuscul. V. *disciplina ecclesiastica*. — *Analecta juris Pontificii*; Romæ (Juillet 1856, pag. 2508). — Item dicenda de promulgatione legis.

## (II) Page 166.

355. Placet hic Conciliorum Generalium probatorum quæ celebrata fuerunt, catalogum texere; nonnullis additis de aliquibus, circa quæ quæstio institui solet.

1. *Nicænum primum*; Concilium generale I Nicææ (hodie *Isnich* in Anatolia) sub S. Sylvestro celebratum anno 325, cum Episcopis 518. Verbi consubstantialitatem cum Patre contra Arium definivit, diem Paschatis contra quartodecimanos statuit, Meletium episcopum schismaticum, et ab eo ordinatos exauctoravit. Et numero 20 canones disciplinares statuit, ut videre est apud Dionysium Exiguum (C. *Canones*, dist. XV).

2. *Constantinopolitanum primum*, anno 381, cum Episcopis 150; consubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre et Filio contra Macedonium definivit; quam definitionem symbolo inseruit (C. *Canones*, ibidi). Principio hoc Concilium non fuit œcumenicum, deficiente Pontificia convocatione, et assistentia; at postea evasit quoad res tantum fidei, Damaso Pontifice probante.

3. *Ephésinum* sub Celestino I, anno 431, cum episcopis supra 200; contra Nestorium prædicantem in Christo duas personas, et Mariam non esse veram matrem Dei (C. *Canones*, ibid.).

4. *Chalcedonense* sub Leone Magno; Chalcedone (hodie Schodra, *Scutari*) celebratum anno 471, cum Episcopis 600; contra Eutyceem unicam in Christo naturam asserentem. Item 28 canones emanavit quoad disciplinam quam partim approbavit, partim reprobatum Sedes Apostolica (C. *Canones*, ibid.).

5. *Constantinopolitanum secundum* sub Vigilio, anno 553, cum Episcopis 160; errores Origenis et tria capitula seu libellos Theodori Mopsuesteni, Theodoretæ et Ibas proscriptis (C. *Quoniam*, dist. XVI).

6. *Constantinopolitanum tertium* sub Agathone, anno 680, cum Episcopis 289 contra Monothelitas celebratum (C. *Sancta octo*, dist. XVI), qui unicam in Christo voluntatem et operationem assererant. Mortuo Agathone, Concilium confirmavit S. Leo secundus.

7. *Nicænum secundum* sub Adriano I, anno 787, cum Episcopis 350; contra Leonomachos pro cultu sanctarum imaginum (C. *Sancta octo*, ibid.). Octava sessio, quæ fuit ultima, Constantinopoli habita fuit.

8. *Constantinopolitanum quartum* sub Adriano II, anno 869, cum Episcopis 102; contra Photium quem exauctoravit, restituto Ignatio (C. *Sancta octo*, ibid.).

9. *Lateranense primum*; Romæ in palatio Laterano videlicet celebratum sub Calixto II, anno 1125; investituras per annulum et baculum ab Imperatoribus fieri solitas abrogavit; expeditionem contra Saracenos decrevit. Et plures edidit canones contra simoniacas ordinationes, atque simoniacas beneficiorum collationes, et contra ecclesiasticorum concubinatuum; auctoritatem episcoporum in parochos confirmavit, et de honorum Ecclesiæ custodia egit. Episcopi interfuerunt ultra 300.

10. *Lateranense secundum*, sub Innocentio II, anno 1159; Petri Leonis schisma extinxit, errores Petri de Brusis, Arnaldi de Brixia damnavit, triginta insuper disciplinæ canones edidit; confirmavit plures canones Lateranensis primi; canon autem duodecimus agit *della tregua del Signore*, vulgo dicta. Interfuerunt 1000 circiter episcopi.

11. *Lateranense tertium*, sub Alexandro III, anno 1179, contra Waldenses celebratum. Adfuerunt 500 episcopi. Agit etiam de electione Pontificis; et concluditur 27 canonicis sanctionibus disciplinariis.

12. *Lateranense quartum*, sub Innocentio III, anno 1215; de confessione et communione annua, de doctrina SS. Trinitatis, de incarnatione agit. Damnât errores Joachimi Abbatis et Amalarici, et Albigenisium; decreta expeditio Terræ Sanctæ, ac 70 canones disciplinares conditi sunt. Episcopi 412.

13. *Lugdunense primum*, sub Innocentio IV, anno 1245; Fridericum Imperatorem excommunicatum et contumacem sua dignitate deiecit; et de Terra Sancta recuperanda mandavit. Interfuerunt 140 episcopi. Decem et septem acta sunt de disciplina decreta, relata in 6<sup>o</sup> Decretalium.

14. *Lugdunense secundum*, sub Gregorio X, anno 1274; Græcos in unitatem Ecclesiæ recepit, expeditionem sacram in Palestinam decrevit. Fuerunt 500 circiter episcopi. Habentur etiam triginta Canones disciplinares, ut videre est in 6<sup>o</sup> Decretalium.

15. *Viennense* (in Gallia), sub Clemente V, anno 1311; Templarios extinxit; Fraticellos, Beguinos, Beguardos, et Dulcinistas damnavit; bellumque sacrum indixit. Interfuerunt juxta alios 160, juxta alios 300 episcopi. Restaurata etiam disciplina ecclesiastica et explicata regula S. Francisci. Vide decreta in *Clementinis*.

16. *Florentinum*, sub Eugenio IV, 1458; orientales iterum ad unitatem Ecclesiæ revocavit. Datur decretum pro Armenis quod incipit *Exultate Deo*. Interfuerunt 140 episcopi.



17. *Lateranense quintum*, sub Julio II et Leone X, ab anno 1512 ad 1517; conciliabulum Pisanum damnavit; pragmaticam sanctionem quæ in Gallis a Concilio Basileensis tempore obtinebat, abolevit. Interfuerunt ab initio episcopi 83; dein vero 114. Definuit animæ immortalitas; Montes pietatis sustentur, et de expeditione Terræ Sanctæ agitur.

18. *Tridentinum*, sub Paulo III, Julio III et Pio IV, ab anno 1545 ad 1565; contra errores protestantium et pro disciplina restituenda. Ejus historiam perdocte et elegantissime italico idiomate conscripsit cardinalis Sforza Pallavicini, ejus Opus innumeris ubique laudibus merito celebratur; maxime quia a putidis fabellis turpibusque mendaciis Pauli Sarpi Concilium vindicavit. Hoc autem Opus contraxit paucis S. Alphonsus noster libro, *Opera dogmatica contro gli eretici pretesi riformati*. — De Paulo Sarpi sic scribit clariss. Bossuet: « Sous le froc Sarpi cachait un cœur de huguenot... Il travaillait secrètement à détruire la messe, bien qu'il la célébrât chaque jour. » En auctor ille, ille inquam, cui nostra etiam ætate solent Janseniani thus adolere suum!

Concilium Tridentinum constat sessionibus vigintiquinque, et unaquæque ferme sessio duas habet partes: 1<sup>a</sup> *Canones* 150 complectitur, quibus damnantur hæreses et Catholicum Dogma contra Protestantes firmatur; 2<sup>a</sup> continet plura *Decreta*, quæ disciplinam respiciunt et morum regulas, ac præinde inscribitur *de Reformatione*: quod in citandis Concilii oraculis diligenter præ oculis tenere debemus, indictum fuit Bulla *Initio* a Paulo III, anno 1542 die 22 maii.

I Sessio Tridenti celebrata fuit sub Paulo III, 15 dec. 1545: et datum fuit Decretum de ipso inchoando Concilio.

II Sessio celebrata fuit 7 jan. 1546 et conditum decretum de modo vivendi tempore Concilii, et de aliis in Concilio servandis, in discussionibus, in votis dandis, etc.

III Sessio habita fuit 4 febr. 1546, ubi lectum *Symbolum Nicænum*, quo S. Romana ecclesia nititur tanquam principium illud, in quo omnes qui fidem Christi profitentur necessario conveniunt. Hæ tres primæ sessiones sunt tanquam præambula Concilii. Indicta porro fuit quarta sessio; hoc medio tempore mortuus est Lutherus (anno 1546 die 18 febr.).

IV Sessio celebrata fuit 8 apr. 1546; et datum decretum de *Canonicis Scripturis*; item aliud de *editione et usu* sacrorum Librorum.

V Sessio habita fuit 17 jun. 1546, et condita decreta *de peccato originali*. In decreto vero *de reformatione* actum est 1. de erigenda cathedra S. Scripturæ et liberalium artium; 2. de Verbi Dei concionatoribus, et quæstoribus eleemosynariis.

VI Sessio die 15 jan. 1547 decretum dedit *de justificatione*; ac 1. de naturæ et legis ad justificandos homines imbecillitate; 2. de dispensatione et mysterio adventus Christi; 3. de iis qui per Christum justificantur; 4. insinuat descriptio justificationis impii et modus ejus in statu gratiæ; 5. de necessitate præparationis in adultis et unde sit; 6. de modo præparationis; 7. quid sit justificatio impii et quæ ejus cause; 8. quomodo intelligitur impius per fidem et gratis justificari; 9. refellitur inanis hæreticorum fiducia; 10. de acceptæ justificationis incremento; 11. de observantia mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate; 12. prædestinationis temeraria præsumptio cavenda; 13. de perseverantiæ munere; 14. de lapsis et eorum reparatione; 15. quolibet mortali amittitur gratia, non fides; 16. de fructu justificationis, de merito honorum operum. Hæc de re 35 canones conditi sunt, qui sequuntur. — In decreto autem *de Reform.* actum est 1. de residentia prælatorum; 2. de residentia aliorum beneficiatorum; 3. de excessibus clericorum et regularium extra monasteria ab Ordinario corrigendis; 4. de visitatione ecclesiarum; 5. episcopi in aliena diocesi nec pontificalia agant, nec Ordines conferant.

VII Sessio habita fuit 3 mart. 1547 et conditum decretum *de sacramentis*; et editi 15 canones de sacramentis in genere, 14 de baptisate; 5 de Confirmatione. — In decreto *de Refor.* actum 1. de eo qui est capax regiminis Cathedralium; 2. qui tenent plures Cathedrales, jubentur omnes dimittere, una excepta; 3. habilibus sunt conferenda beneficia; 4. est contra plurium beneficiorum retentores; 5. de iis qui plura beneficia curata obtinent; 6. quæ beneficiorum uniones valide censentur; 7. de beneficiis curatis unitis alicui communitati; 8. ecclesiæ reparantur, cura animarum sollicitè habeatur; 9. consecratio electi ne differatur; 10. sede vacante, non dandæ dimissoria nisi ætatis; 11. facultates de promovendo nemini sine justa causa suffragentur; 12. facultas de non promovendo annum non excedat; 13. certis exceptis, presentati examinentur, probenturque; 14. cause civiles exemptorum, Clericorum et regularium degentium extra monasterium ab episcopo cognoscantur; 15. de hospitalium administratione.

VIII Sessio habita fuit 11 mart. 1547, et datum decretum ob grassantem pestem de translatione Concilii ad civitatem Bononiæ; jam facta facultate illud alio transferendi a Pontifice Paulo III, Bulla *Regimen*, die 22 febr. 1547.

IX et X Sessiones habite fuerunt Bononiæ sub Paulo III; 21 apr. et 2 jun. 1547; in iis data decreta prorogationis sessionis, ob nonnullorum Patrum absentiam. Paulus III decessit, die 10 nov. 1549.

XI Sessio habita fuit Bononiæ 1 maii 1551 et dedit decretum de resumendo Concilio, juxta Bullam Julii III, *Cum ad*, 4 dec. 1550

(qui defuncto Pontifici successit 8 feb. 1550); sed Tridenti, ad quam civitatem Concilium reduxit.

XII Sessio Tridenti celebrata 1 sept. 1551; in ea datur decretum prorogationis sessionis ob plures supervenientes episcopos.

XIII Sessio habita fuit 11 oct. 1551, et condidit decretum de *Eucharistiæ sacramento*; et 1. agit de præsentia reali; 2. de ratione illius institutionis; 3. de excellentia super alia sacramenta; 4. de transsubstantiatione; 5. de cultu et veneratione eucharistiæ; 6. de ea asservanda, et infirmis deferenda; 7. de præparatione ut digne percipiatur; 8. de ejus usu: nam alii sacramentaliter tantum suscipiunt, ut peccatores; alii tantum spiritualiter per pium desiderium; alii et sacramentaliter et spiritualiter simul, qui de facto pie suscipiunt ac digne. Dein dantur canones undecim. — In decreto de *Ref.*: 1. episcopi invigilent moribus, nec ab eorum correctione detur appellatio; 2. quando datur in criminibus ab episcopis appellatio; 3. acta prima instantiæ danda reo intra 30 dies; 4. quando exautorandi Clerici; 5. summarie cognoscat episcopus de gratis quibus peccatum remittitur aut poena; 6. non citetur personaliter episcopus nisi depositionis aut privationis causa; 7. qualitates testium contra episcopum; 8. graves episcoporum causæ a Papa cognoscuntur. — Tandem datur decretum prorogationis definitionis quatuor articulorum de eucharistia, id est de communione sub utraque specie, an minus sumat qui sub una tantum communicat, an in hoc erret ecclesia laicos et non celebrantes sub una specie dumtaxat communicando, et an etiam parvuli sint communicandi. Hæc prorogatio est ut audiantur protestantes, qui fuerunt ad Concilium invitati et iis datus *salvus-conductus*.

XIV Sessio habita fuit 25 nov. 1551; et data decreta de *Pœnitentia et Extrema Unctione*; ac 1. de necessitate et institutione Pœnitentiæ; 2. de ejus differentia a baptismo; 3. de ejus partibus et fructibus; 4. de contritione; 5. de confessione; 6. de ministro et absolutione; 7. de casum reservatione; 8. de satisfactionis necessitate et fructu; 9. de operibus satisfactionis. De *Extrema Unctione* dein agit; ac 1. de ejus institutione; 2. de effectu; 3. de ministro, et tempore quo dari debeat. Postea condidit 15 canones de Pœnitentia; et 4. de *Extrema Unctione*. — Decretum de *Refor.* agit de munere episcopi monendi subditos præsertim qui in cura animarum, de proprio officio. Et deinde 1. de prohibitis ascendere ad Ordines, si ascendant; 2. de episcopo qui non sibi subditos ordinat; 3. de male promotis; 4. nullus clericus eximendus a correctione episcopi; 5. de Conservatorum jurisdictione; 6. de clericis qui decenti non utuntur veste; 7. voluntarii homicidæ nunquam, causale quomodo ordi-

mandi; 8. nulli alienos clericos ex privilegio punire liceat; 9. beneficia unius diocesis non unienda beneficiis alterius; 10. beneficia regularia dentur regularibus; 11. de translatis de uno ad alium regularem Ordinem; 12. non nisi ex fundatione vel dotatione jus patronatus obtinetur; 13. præsentatio de necessitate fiat Ordinario; 14. tandem in futuro decernitur tractandum de Missa, Ordine et Reformatione.

XV Sessio habita 25 jan. 1552, dedit decretum prorogationis Sessionis, ut expectentur cum salvo-conductu doctores protestantes, qui fidem dederant de interveniendo; at inutiliter.

XVI Sessio celebrata fuit 28 apr. 1552; in ea ob bellicos tumultus suspenditur Concilium. Interim moritur Julius III, 23 mart. 1555; eligitur Marcellus II, qui 1 mai. eodem anno e vita cessit; cui succedit Paulus IV qui pariter ante revocationem Concilii decessit 19 aug. 1559.

XVII Sessio habita est 18 jan. 1562, et datur decretum de continuando Tridenti Concilio juxta Bullam *Ad Ecclesiæ regimen* Pii IV 25 nov. 1560, qui fuit renuntiatus Pontifex 26 dec. 1559.

XVIII Sessio acta 26 febr. 1562 decretum edidit de *delectu librorum*; et sub fide publica ac salvo-conductu omnes ad Concilium invitavit, etiam dissidentes.

XIX Sessio habita fuit 14 mai.; et confutatis legatis Galliæ et Hispaniæ qui contendebant quod Concilium Tridenti revocatum aliud esset ex primo, datum fuit decretum de prorogatione sessionis.

XX Sessio habita 4 jun. 1562; ut omnia cum majori deliberatione procedant, datum fuit decretum prorogationis sessionis.

XXI Sessio celebrata 16 jul. 1562 tradita fuit doctrina de *communione sub utraque specie et parvulorum*; ac 1. declaratum laicos et clericos non conficientes non adstringi jure divino ad communionem sub utraque specie; 2. quæ Ecclesiæ potestas circa dispensationem eucharistiæ; 3. quod totus et integer Christus ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumitur; 4. parvuli non obligantur ad communionem. Postea canones 4 condidit; alios duos articulos hæc de re excutiendos in sequenti reservans. — In decreto vero de *Refor.* 1. Episcopi gratis tum Ordines tum dimissorias ac testimoniales tribuant; 2. arcentur a sacris Ordinibus qui non habent unde vivant; 3. de distributionibus quotidianis; de poena in non residentibus; 4. de administrandis sacramentis, et ratione novas parochias erigendi; 5. possunt episcopi facere uniones perpetuas in casibus permissis; 6. imperitis rectoribus deputentur vicarii, et in scandalo perseverantes possunt ab episcopo privari beneficiis; 7. episcopi transferant una cum honoribus ecclesias, si nequeunt restaurari;

8. monasteria commendata quando visitanda; 9. quæstorum eleemosynarum nomen et usus tollitur; indulgentias et gratias spirituales Ordinarii publicent; duo de capitulo gratis eleemosynas accipiant.

XXII Sessio habita 17 sept. 1562 agit de sacrificio Missæ; ac 1. de ejus institutione; 2. definitur propitiatorium pro vivis et defunctis; 3. de Missis in honorem Sanctorum; 4. de canone Missæ; 5. de cæremoniis; 6. de missa in qua solus sacerdos communicat; 7. de aqua in calice vino miscenda; 8. de missa in vulgari non celebranda, et mysteriis populo explicandis; 9. prolegomenon canonum qui sequuntur numero novem. Dein datur decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ. In decreto vero de Reform. 1. canones de vita et honestate Clericorum innovantur; 2. quinam ad Cathedralis assumendi; 3. de distributionibus; et portione absentium; 4. in Cathedrali vel Collegiata vocem non habet qui non est in majoribus; et quid de promovendis; 5. dispensationes extra Curiam datæ ab episcopo examinentur; 6. circumspectæ mutandæ ultimæ voluntates; 7. innovetur cap. Romana de appellationibus in sexto; 8. episcopi piis omnium dispositionibus exequantur; pia loca visitent; nisi sint sub immediata Regum protectione; 9. administratores piorum locorum reddant rationes Ordinario, nisi aliter in fundatione cautum sit; 10. notarii examini episcopi subiaceant; 11. occupatores bonorum pii loci aut ecclesiæ puniantur. Dein datur decretum super petitione concessionis Calicis.

XXIII Sessio celebrata 15 jul. 1565, in qua agitur de Sacramento Ordinis; ac 1. de institutione Sacerdotii novæ Legis; 2. de septem Ordinibus; 3. an Ordo vere sit Sacramentum; 4. de ecclesiastica hierarchia et Ordinatione. Dein 8 canones editi. — In decreto de Reform. : 1. rectorum non residentium uegligentia coercentur, et animarum cura providetur; 2. Ecclesiæ præsulibus intra tres menses consecrentur, et quo loco; 3. episcopi nisi ægroti, per se Ordines conferant; 4. qui prima tonsura initiandi; 5. ordinandi quibus instructi esse debent; 6. ætas 14 annorum ad beneficium ecclesiasticum; qui privilegio fori gaudere debeat; 7. a quibus examinandi ordinandi; 8. quomodo et a quo quisque promovendus; 9. episcopus familiarem ordinans, conferat statim ei beneficium; 10. episcopis inferiores prælati nec Tonsuram nec minores conferant nisi regularibus sibi subditis; nec dimissorias concedant sub pœna; 11. interstitia in susceptione Minorum et alia observanda; 12. ætas ad majores Ordines; et digni tantum assumendi; 13. subdiaconi et diaconi ordinatio et munus; ne duo sacri Ordines conferantur eodem die; 14. ad presbyteratum assumendi et munus; 15. nullus audiat confessionem nisi ab Ordinario approbatus; 16. ab Ordinibus arcentur

inutiles et vagi; 17. qua ratione exercitia minorum Ordinum repetenda; 18. de Seminarii erectione, et plura observanda; de educatione promovendorum in Cathedralibus et majoribus Ecclesiis.

XXIV Sessio celebrata 11 nov. 1565 circa Sacramentum matrimonii; exposita doctrina et canones duodecim edidit. — In decreto autem de Reform. : 1. matrimonii solemniter contrahendi forma in Lateranensi præscripta innovatur; quoad proclamationes dispensat episcopus; qui aliter quam presentibus parochio et duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit; 2. de cognatione spirituali; 3. de publica honestate; 4. de affinitate; 5. ne quis intra gradus prohibitos contrahat; qua ratione in illis dispensandum; 6. de raptu; 7. vagi caute jungendi; 8. concubinitus gravissime punitur; 9. ne domini temporales aut magistratus faciant contra matrimonii libertatem; 10. nuptiarum solemnitates aliquando prohibite.

Item prosequens materiam : 1. agit de norma procedendi ad creationem episcoporum et Cardinalium; 2. de provincialibus synodis et diocesanis celebrandis; 3. de visitatione per prælatos faciendæ; 4. de prædicatoris munere; Ecclesiæ Parochialis ad audiendum verbum Dei adeunda; nullus contradicente episcopo prædicet; cause criminales contra episcopos majores a Papa, minores a Concilio provinciali cognoscantur; 6. detur episcopis potestas circa irregularitatum et suspensionum dispensationes, et criminum absolutiones; 7. sacramentorum virtus ab episcopo et parochio populis explicetur; et inter Missarum solemnia sacre pagine explanentur; 8. publice peccantes publice pœniteant, nisi aliud episcopo videatur; et Pœnitentiarius in Cathedralibus instituat; 9. a quo visitandæ ecclesiæ seculares nullius diocesis; 10. executio visitationis ne a subditis suspendatur; 11. privilegia particularia episcopi juri non detrahunt; innovatur cap. Cum capella extra de privil.; 12. de promovendis ad dignitates et canonicatus Cathedralium; 13. de consulendo Cathedralibus et parochiis tenuioribus; parochiæ certis finibus distinguendæ; 14. ne quis ad possessionem beneficii aut distributionem admittatur convertendo fructus ad usus non pios; 15. ratio augendi tenues præbendas Cathedralium et Collegiatarum insignium; 16. sede vacante auctoritas Cathedralis Capituli; 17. de beneficiorum collatione et plurium retentione; 18. de vacatione Parochiæ, et qua forma examinandi vocati ad illam; 19. mandata de providendo et expectativæ antiquantur; 20. ratio tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes præscribitur; 21. ratio pertractandi negotia in generalibus Conciliis.

XXV et ultima sessio habita die 5 et 4 dec. 1565 edidit Decretum de Purgatorio; item de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et Sacris imaginibus. Item agit quoad Regulares et

moniales: ac 1. eos ad præscriptum regularum urget; 2. proprietates Regularibus omnino prohibetur; 3. monasteria quæ non prohibentur possunt possidere immobilia. Numerus personarum constituendus; nulla monasteria sine episcopi licentia erigenda; 4. regularis a conventu non recedat nec alteri se subjiciat sine superioris licentia; absens studiorum causa in Conventibus commoretur; 5. de clausura monialium; 6. ratio eligendi superiores; 7. de eligenda abbatissa et præfecta: duobus monasteriis nulla præficiatur; 8. de monasteriis non habentibus ordinarios Regulares visitatores; 9. monasteria monialium immediate subjecta Sedi Apostolicæ ab episcopo regantur; alia a suis; 10. moniales unoquoque mense confiteantur et communicent; de confessario extraordinario; apud illas extra publicam ecclesiam non conservetur Eucharistia; 11. de monasteriis in quibus imminet cura personarum secularium; 12. conformentur regulares secularibus in observatione censurarum episcopaliū et fastorum diocesis; 13. controversias de præcedentia statim componat episcopus; de exemptis in strictiori clausura haud viventibus; 14. de pœna imponenda Regularibus publice delinquentibus; 15. professio non fiat, nisi anno probationis exacto, et decimo sexto ætatis completo; 16. renuntiatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla; finita probatione, novitii aut profiteantur aut ejiciantur. In pio instituto Clericorum Societatis Jesu nihil innovetur. Cavetur, ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem; 17. puella major duodecim annis si habitum regularem suscipere voluerit, exploretur ab Ordinario; iterum ante professionem; 18. ne quis, exceptis casibus a jure expressis cogat mulierem ad monasterium, aut prohibeat; 19. quomodo procedendum contra eos qui religionem deserunt; 20. superiores Ordinum episcopis non subjecti, inferiora monasteria visitent et corrigant, etiam commendata; 21. monasteria regularibus conferantur; Ordinum capita nemini in posterum commendentur; 22. prædicta de regularium reformatione statim observentur.

In Decreto de Reform. habetur: 1. Cardinales et omnes prelati modestam suppellectilem et mensam habeant, neque consanguineos aut familiares de bonis Ecclesiæ augeant; 2. a quibus nominatim decreta Concilii solemniter recipi debeant; 3. excommunicationis gladio temere non utendum: neque in hoc se immisceat civilis magistratus; 4. ubi nimius missarum numerus, statuunt Episcopi, Abbates et Generales ordinum quod expedire judicaverint; 5. rebus bene constitutis cum suis oneribus nihil detrahatur; 6. de visitatione Capitulorum exemptorum; 7. accessus et regressus ad beneficium tolluntur: coadjutor quomodo, cui, et quare concedendus; 8. de administratori-

bus Hospitalium; 9. de probatione jurispatronatus: accessiones vetite; 10. iudices a synodo designandi ad finiendas breviter causas; 11. de locatione honorum ecclesiasticorum; 12. de decimis et de subveniendis parochiis tenuibus; 13. de quarta funeralium; 14. ratio procedendi contra clericos concubinos; 15. filii clericorum illegitimi a quibus beneficiis arcendi; 16. beneficia curata ne convertantur in simplicia; vicariæ cessent, cura ad titulos revocata; 17. episcopi suam tuantur dignitatem, nec cum regibus ac potentibus indigne se gerant; 18. canones serventur: si qui dispensandi, mature et gratis sit; 19. duellum gravissime punitur; 20. quæ juris ecclesiastici principibus commendantur; 21. demum in omnibus hactenus constitutis semper sit salva suprema Sedis apostolicæ auctoritas.

Die 4 dec. continuatur Sessio, et editur decretum de Indulgentiis; item de delectu ciborum, jejuniis et diebus festis; item de indice librorum et catechismo, Breviario et Missali. Dein agitur de loco adsignato Oratoribus, quibus declaratur nullum factum præjudicium; postea de recipiendis et observandis Decretis Concilii; item lecta fuerunt Decreta Concilii sub Paulo III et Julio III; et facto verbo de fine Concilii, et de confirmatione petenda a S. Pontifice, ipsi Pontifici, Regibus, Cardinalibus, Episcopis et omnibus fortunatis, clausum fuit hoc celeberrimum œcumenicum Concilium: quod demum Pius IV Bulla *Benedictus Deus* 26 jan. 1564 confirmavit auctoritate sua.

356. Pro coronide: De nonnullis aliis Conciliis quæstio instituitur: 1. est Concilium *Sardicense* sub Julio I habitum anno 347 in quo episcopi 500 circiter interfuerunt; etsi œcumenicum, habetur tamen tantummodo uti appendix Concilii Nicæni, cum in eo nihil novi definitum sit. In eo comprobata fuit S. Athanasii innocentia, episcopi catholici propriæ sedi restituti, ac plures disciplinares canones editi; — 2. Concilium *Ephesinum* anno 448 merito *latrocinium* dictum, quia in ea et eulychiana hæresis confirmata, S. Flavianus occisus, et fugati legati Pontificis; — 3. Concilium *Quinisextum* anno 692, sic dictum uti additum quinto et sexto Concilio; vel etiam *Trullanum* a loco palatii imperialis Constantinopoli. Interfuerunt 241 episcopi ex oriente et plures editi canones disciplinae; illud tamen Pontifex Sergius noluit adprobare; — 4. Duo *Constantinopolitana*, unum anno 750 a Leone Isaurico, aliud anno 754 a Constantino Copronymo convocata contra catholicam fidem, nempe contra sacras imagines; quæ ideo absit ut œcumenica sint: — 5. *Constantiense* ab anno 1414 ad 1418, sub tribus Pontificibus dubiis primum, tandem sub Martino V vero Pontifice absolutum et probatum quoad omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei concilialiter; non aliter nec alio modo:

et ideo etiam inter concilia generalia adnumeratur post Viennense. Adprobata autem decreta respiciunt et damnant errores Joannis Huss, Wiclephi et Hieronymi de Praga; — 6. *Basileense*, anno 1451 et seqq. ab Eugenio Papa primo convocatum, dein reprobatum, in conciliabulum desinit; — 7. *Pisanum* anno 1511 schismatice et impudentissime a paucis celebratum contra Julium II; — 8. adde Conciliabulum *Arimenense* anno 365; in quo vox *consubstantialis* a Nicæno symbolo temerarie expuncta fuit: quod absit ut œcumenicum habeatur.

CONCILIA NATIONALIA, PROVINCIALIA, DIOECESANA

357. 1. *Nationalia*. Concilium nationale est legitima prælatorum alicujus regni seu integræ gentis sub Patriarchæ aut Primatus (vel isto deficiente, sub legati Pontificii) præsentia, celebrata in ordine ad negotia ecclesiastica illius regni vel nationis. Cum hæc celebratio inter causas majores habeatur, inductum est ut sine Pontificis consensu non fiat; item ad ipsum decreta referenda sunt.

2. *Provincialia*. Concilium Provinciale est legitima congregatio Episcoporum certæ provinciæ ecclesiasticæ sub Archiepiscopi seu metropolitani præsentia, ad negotia tractanda totius provinciæ. Ex Tridentino tertio quoque anno esset habendum, sess. 24, c. ii de R. Decreta autem promulgationem sunt mittenda ad S. Concilium C. ex Constitutione *Immensa* Sixti V. Sunt vocandi episcopi qui accedere tenentur; item prælati jurisdictionem episcopalem habentes; ceteri abbates invitandi sunt, sicut et Cathedralia Capitula ex declaratione S. C. C. Decreta ligant omnes et singulos de provincia, etiam ipsos episcopos et metropolitam; quia nullus eorum singulariter sumptus adæquatur auctoritati totius Concilii. — V. Benedictus XIV, *De Synodo Diœc.* — Bouix, *De Concil. Provinc.*, etc. — Gousset, *Exposition des principes du Droit canonique*, Paris 1859. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v. Concilium. — *Analecta juris Pontificii*, Romæ; t. I, an. 1855; des Conciliorum Provincialium.

3. Quod spectat ad diœcesanam Synodum vid. *Appendix* in fine volum. primi. Quoad Concilia omnia præter Historiæ Ecclesiasticæ scriptores vid. 1. Petavius, *Rationale temporum*, t. II; append. *Canonicum Conciliorum*. 2. Baldassarri, *Istoria compendiosa de Concilio*, ecc. 3. *Dictionario portatile de Concilio*, Venezia, 1789. — Fuscus agit Battaglini, *Storia generale di tutti i Concilii generali e particolari*, t. II. Et Ludov. Bail, *Summa Conciliorum omnium*, etc. tomo II. Item Schram, *Summa Conciliorum*, t. IV. — Fuscus in Opere, *Conciliorum omnium tam generalium quam provincialium*

lium etc. *Volumina quinque*; Venetiis, 1635. — Sed omnibus præstat celeberrimum opus per pluribus tomis comprehensum, *SS Conciliorum nova et amplissima collectio, in qua præter ea quæ Labbæus et Conartius, et Coleti in lucem edidit, ea insuper exhibentur quæ Joan. Dom. Mansi evulgavit*, etc. Florentiæ, 1759, et seqq.

(N) Page 168.

358. Pontificis jura fuse prosequitur Salzano, *Lezioni di diritto pubblico*, etc., v. II, lez. III, etc. — It. Passaglia, *Commentarium de prærogativis B. Petri Apostolorum Principis auctoritate divinarum litterarum comprobatis*. Ratisbonæ 1850. — Barruel, *du Pape et de ses prérogatives*, p. 2 et 3. — Liguori, *Dissertatio de infallibilitate Papæ*, *Op. Mor.*, l. I, nn. 110 et seqq. — Muzza-relli, *Il buon uso della logica*. Opusc. 3 et 14. — Gregorius XVI, *Il trionfo della S. Sede*.

Nobis satis sit cum S. Salesio (*Des Règles de la Foi*) adnotare nomina præcipua, quibus R. Pontifex et Sedes a tota antiquitate donatur. Vocatur:

*Petri cathedra*, *Ecclesia principalis*, *exordium unitatis sacerdotalis*, *vinculum unitatis*, *Ecclesia in qua est potentior principalitas*, *apostolico culmine sublimatus*, *dignitate Aaron* a S. Cyrilliano; *Sacerdotii sublime fastigium* a S. Irenæo; *Ecclesiæ radix et matris* a S. Anacleto; *Sedes*, *super quam Dominus universam construxit Ecclesiam* a S. Damaso; *cardo et caput omnium Ecclesiarum* a Marcellino I; *Episcoporum refugium* a Synodo Alexandrina; *Summa Sedes Apostolica* a S. Athanasio; *caput pastoralis honoris*, *principalis apostolici Sacerdotii dignitas*, *caput omnium Ecclesiarum*, *prima Sedes omnium* a S. Prospero; *caput orbis et mundi religionis*, *Sacerdos magnus* ab Imper. Valentiniano; *ceteris prælata Ecclesia* a Victore Uticensi; *Ecclesia præsidens* ab Imper. Justiniano; *prima Sedes a nemine judicanda*, *universalis patriarcha* a S. Leone Magno; *tutissimus communionis catholice portus* a Synodo Romana; *fontis apostolicus* a S. Ignatio; *sanctissimus Ecclesiæ catholice Episcopus*, *sanctiss. ac beatiss. patriarcha* a Synodo Sinuessa; *caput orbis Ecclesiæ* ab Innocentio; *apostolice cathedre principatus*, *beatissimus Dominus* a S. Augustino; *pater patrum*, *summus omnium præsulum pontifex*, *summus Sacerdos*, *princeps episcoporum ordine Melchisedech* a concil. Chalcedon.; *rector domus Domini et vineæ custos dominicæ*, *Christi vicarius et fratrum confirmatio* a Concil. Carthag.; *princeps Sacerdotum* a S. Stephano; *patriarchatu Abraham* a S. Ambrosio; *director dis-*

*cupulorum, conservator clavium regni Dei a S. Cyrillo; os discipulorum, anima Ecclesiae, fidei basis, fundamentum confessionis Christi a S. Chrysostomo; haeres Apostolorum, primatu Abel, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, ovis dominici pastor, claviger Domus Domini, pastor pastorum omnium, in plenitudine potestatis vocatus a D. Bernardo, etc.*

359. Quid nunc dicendum est de catholicis illis (forsan etiam Ecclesiasticis) qui certo ut R. Pontificis auctoritatem infirmant, et quae ei debetur reverentia et amor, ad nauseam usque vel ipsis laicis hominibus insinuare non desunt, nihil humani a RR. Pontificibus alienum fuisse, saepe etiam de pastoribus in lupos mutatis? — Audiant isti sacrilegi atque animarum fidelium interfectores Tullium Dandolo, qui in opere *Ricordi inediti di Girolamo Morone Gran-Cancelliere dell' ultimo Duca di Milano sul decennio dal 1520 al 1550, ecc.*, Mil. tip. Pogliani, 1855, p. 55, ait ad rem: « Reprôchons à l'homme les fautes de l'homme; mais refusons-nous à imputer aux papes, en leur qualité de souverains pontifes, ce qui n'a pas de rapport avec un aussi auguste caractère, assurés que le Rédempteur n'a pas abandonné à la faiblesse humaine son éternelle vérité. Les papes, en petit nombre, que l'histoire a peints comme mauvais, ne se fourvoyèrent jamais en fait de doctrine; et cependant il semble qu'ils auraient pu chercher dans le pervertissement de la doctrine l'excuse ou la justification de leurs mœurs dépravées (comme le firent les patriarches de Constantinople). Il y a huit noms qu'on signale ordinairement comme ayant déshonoré la tiare: Sergius III, Jean IX, Jean XII, Benoit IX, Sixte IV, Innocent VIII et Adrien VI. (Quelques-uns, avec Doellinger, ajoutent Boniface VIII.) Mais voyez le card. Wiseman, *Défense de quelques points de la vie de Boniface VIII*; Tosti, *Boniface VIII*.) Nous pourrions, à bon droit, mettre de côté les deux premiers, que l'histoire a lavés des calomnies de Luitprand; nous aurions à faire des observations sur quelques-uns des derniers; mais accordons aux adversaires de la papauté ce nombre entier. Qu'on veuille bien remarquer qu'il y a eu deux cent soixante et un papes; il n'y en aurait donc qu'un de mauvais sur trente-deux bons, tandis que, dans le collège même des Apôtres, il y a eu un traître sur douze. Nous ferons observer encore que le rapport de la bonté à la perversité croit dans une proportion décuple, si l'on compare les papes à la meilleure dynastie ancienne ou moderne. Ce sont là les calculs d'une statistique historico-morale, accessible à tout le monde. » V. aliud Opus ejusdem Auctoris, *Roma e i Papi*, studi storici, filosofici, letterari ed artistici; vol. I, § XXII.

360. A S. Petro ad Pium IX 257 numerantur Pontifices, quorum 204 Itali (ex quibus 101 Romani), 14 Græci, 13 Franci, 7 Alemanni, 5 Siculi, 5 Syriaci, 2 Dalmati, 2 Hispani, 2 Africani, 1 de Lusitania, 1 de Germania, 1 de Hollandia, 1 tandem de Anglia.

(O) Page 170.

361. a) Mira sane institutio Congregationis de Propaganda! mirum Catholica veracitatis praesidium et decus! quo ex universo orbe selecti juvenes excolendi confluunt. Unde veluti a salutaris fonte puritas Doctrinae, erga Apostolicam Sedem observantia, studium Regni Dei plenius et securius hauriuntur: ubi quod, stupentibus omnibus, infra Octavam Epiphaniae quadraginta et amplius idioma-tum quotannis exhibetur specimen, illud Actorum II in mentem revocat: Quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi et Medi et Aelamitae et qui habitant Mesopotamiam, Judaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam, Pamphyliam, Aegyptum et partes Libyae.... Judaei quoque et proselythi, Cretes et Arabes? Qui percelebris hujusce institutionis genesim, indolem, statuta, opera, progressus aliquatenus dignoscere cupit, adeat *Vita del giovane Egiziano Abulcher Bisciaral alunno del Collegio Urbano di Propaganda, scritta dal P. Antonio Bresciani*. — Tullio Dandolo, *Roma e i Papi*, vol. IV, § 76. — *Lettres édifiantes; Annales de la Propagation de la foi* (ad imitationem Propagandae aliae in subsidium Scholae habentur Parisiis, Mediolani et Genuae). — Margotti, *Roma e Londra*, c. xvi.

362. b) Quoad Congregationem S. Officii, contra quam adeo iniquiter debacchantur, vide inter ceteros Bouvier, *Inst. Theol., De Legib.* — *Annali religiosi*, Roma, t. XX. — Maistre, *Du Pape*. — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico*. — Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> Inquisition. — Balmes, *le Protestantisme*, etc., c. xxxvi. — Margotti, *Processo di Nuytz*. — Muzzarelli, *Buon uso della logica*, Opusc. xvi: Inquisizione. — Taparelli, *Saggio teoretico*, ecc., t. I: nota sopra la inquisizione. Hic satis sit referre verba Lacordaire: « La Congrégation romaine du Saint-Office, le tribunal le plus doux qu'il y ait au monde, le seul qui, entris cents ans de durée, n'ait peut-être pas versé une goutte de sang. » — *La Civiltà Cattol.*, vol. XII, p. 409. — Albini, *Risposta all' Istoria dell' inquis. di Paolo Sarpi*. — Marsallier, *Histoire de l'Inquisition*. — Nicolas, *Del protestantismo paragonato al Cattolicismo ne' suoi rapporti coll' incivilimento*. — Secondo Franco, *Risposte*

popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione. — Martinet, *Solution des grands problèmes*, etc.

Ceterum quæ contra Romanam inquisitionem obijciunt, non illi, sed demagogia conveniunt. V. *Fatti atroci dello spirito demagogico negli Stati Romani*: racconto estratto dai processi originali. Firenze 1853. — Balleydier, *Histoire de la révolution de Rome de 1846 à 1850*. — *Histoire des révolutions d'Autriche*, 1853. — D'Arincourt, *L'Italie rouge*, 1851. — *Civiltà Catt.*, ser. 3, t. IX: *Saggio di intolleranza negli Anglicani*. Quid autem de hæreticis? Sit ex tot unum exemplum apud Rohrbacher, *Histoire de l'Église*, l. LXXXIV, § 8.

363. c) Concilii Congregationis Decreta exhibet liber: *Thesaurus resolutionum S. Congregationis Concilii* (plurimis tomis), Romæ editus (sed non nisi ab ætate Cardinalis Lambertini hæc decreta publicari coeperunt; unde quæ prius data adhuc manuscripta sunt: hinc difficultas ea consulendi; attamen hodie omnia publicantur). Has resolutiones contraxit octo voluminibus J. Zamboni in libro, *Collectio Declarationum S. Congregationis Cardinalium sacri Concilii Tridentini*. Viennæ, 1812.

SS. Rituum Congregationis decreta sub hortatu et auspiciis Card. de Somalia, regnantibus Pio VII et Leone XII, immenso labore et patientia fideliter conscripsit ejusdem Congregationis assessor Aloysius Gardellini. — Ex qua collectione cuilibet Ecclesiastico magis utilia selegit P. Barthol. a Claudio Capuce. in Opere, *Manuale Ecclesiasticorum*, etc., Taurini (et Romæ tertio edito, emendato et aucto, anno 1855 typis Propagandæ).

364. Quoad Indulgentias, vid. Prinzivalli, *Resolutiones seu Decreta authentica S. Congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ ab anno 1668 ad ann. 1864 accurate collecta*; Romæ, 1862.

365. d) Romæ alii sunt Conventus pro bono totius Christianitatis laudabiliter sane instituti. — Est *Consistorium* consensus omnium Cardinalium, quem celebrat Pontifex in suo palatio per modum majoris senatus, modo publicè, modo secreto, in quo tractantur maximæ causæ (De Luca, *Rel. R. Curie for. dis. 5*). — Est *Cancellaria*, tribunal, per quod Apostolicæ litteræ conficiuntur et expediuntur. — *Congregatio est pro universitate studii Romani*, ad aliarum etiam Universitatum studiorum commodum instituta (Sixtus V Const. *Immensa*). — Est sacra *Rota*, tribunal, ubi materiæ maxime beneficiales discutuntur (De Luca, *Theatrum veritatis et justitiæ*, tom. XV). Decisiones Rotæ frequenter citantur, et magni ponderis sunt, cum non dentur nisi cum maturitate: attamen non faciunt jus; nam non est nisi simplex tribunal potestate instructum ferendi sententiæ juxta

jura et in causis particularibus partes tantum obligantibus. — Est *Fabrica*, ita dicta S. Petri, cui committitur cognitio onerum ac reductio Missarum legatorum, piarumque foundationum, et similium. Hæc institutio a Julio II primum, a Leone X, Clemente VII, Pio IV et Sixto V, ut ita dicam inchoata, stabilitatem obtinuit a Clemente VIII (V. Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. XIII, c. ult.). — Est *Dataria* ubi tribuantur gratiæ pro foro externo (vide dicenda de *Matrimonii dispensationibus*).

Tandem est *Sacra Pænitentiaria*, ubi non tantum expediuntur, gratiæ et dispensationes pro foro interno ex dicendis item de *Matrimonio*; sed etiam resolvuntur conscientia dubia pro tota christianitate; hæc enim facultate a Pontifice ipso donata est: *Dubia omnia* (ait Benedictus XIV *Bulla Pastor bonus*) *in materia peccatorum seu forum pænitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio doctorum et theologorum suorum, valeat declarare*. Ex quo patet quanta sit hujusce tribunalis auctoritas, et quanti sit faciendæ illius resolutio in casibus occurrentibus; ideo magis quia in omni re gravi non nisi facta Pontifici relatione ac juxta ejus mentem respondet: quod semper evenit, quando agitur de publica fidelium agendi ratione.

Plurima quoad omnes romanas Congregationes habet tum Bouix, *Tractatus de Curia Romana*; tum Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Congregationes Ecclesiasticæ Romanæ (articulus novus Cassinensis), v<sup>o</sup> Declarationes, Resolutiones, etc. — Gousset, *Exposition des principes du droit canonique*. — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*.

366. NOTA. Plura SS. Congregationum decreta habentur in fine vol. *App. II*. Aliquando SS. Congregationum responsiones non videntur conformes; hoc evenit vel ob varietatem circumstantiarum, vel etiam quia agitur de rebus dubiis et nondum facta est discussio; quo in casu si illico sit respondendum, solent Romanæ Congregationes communiori sententiæ adherere, quin intendant quidpiam veritati detrudere, ut notant Benedictus XIV, *De Synodo*, l. VI, c. vi, n. 4; et Perrone, *De Matrimonio christiano*, l. II, sect. II, c. III, a. 1.

Quanto sint in honore habendæ RR. Congregationum declarationes fassus est vel ipse hæreticus Leibnitiuss, qui habet: *Utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, veluti Rituum, Inquisitionis, Indicis, etc.; nam talia a me minime spernantur*: Opp. ed. Dutens, t. II. — V. Bergier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> *Congrégation*. — Benedictus XIV, *Notificazione* cvii, n. 6. — Bouix, *De principiis Juris*, etc.; et maxime *De Curia Romana*, ubi fuse. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106.

367. Jurisdictio Congregationum cum sit ordinaria, non expirat sed suspenditur Apostolica Sede vacante; attamen ex quo Cardinales con-

clave ingressi sunt, non expediuntur negotia quæ subscriptionem cardinalis Præfecti requirunt, nisi urgente gravi necessitate. V. Fagnanus, in Cap. *Cum olim*, n. 63, etc., de *majoritate et obedientia*, l Decret.

(P) Page 174.

368. Quid ergo restat? Restat, ut mala consilia abjiciamus, et Sanctissimi D. N. Pii Papæ IX Encyclicam Epistolam quam nuperrime dabat ad omnes omnium locorum Ordinarios, libentissime suscipientes, eidem ex toto corde subscribamus, uti subscribimus libentissime; in ea enim Pontifex alia, vetera et nova, objecta victrici manu dissolvit.

PIUS PP. IX.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Nullis certe verbis explicare possumus, Venerabiles Fratres, quanto solatio, quantæque lætitiæ Nobis fuerit inter maximas Nostras amaritudines singularis ac mira vestra, et fidelium, qui Vobis commissi sunt, erga Nos et hanc Apostolicam Sedem fides, pietas et observantia, atque egregius sane in ejusdem Sedis juribus tuendis, justitiæ causa defendenda consensus, alacritas, studium et constantia. Etenim ubi primum ex Nostris Encyclicis Litteris die 18 junii superiori anno ad Vos datis, ac deinde ex binis Nostris Consistorialibus Allocutionibus cum summo animi vestri dolore cognovistis gravissima damna, quibus sacræ civilesque res in Italia affligebantur, atque intellexistis nefarios rebellionis motus et ausus contra legitimos ejusdem Italiæ Principes, ac sacrum legitimumque Nostrum et hujus S. Sedis principatum, Vos Nostris votis curisque statim obsecundantes, nulla interjecta mora, publicas in vestris Diocæsi-bus preces omni studio indicere properastis. Hinc non solum obsequentissimis æque ac amantissimis vestris Litteris ad Nos datis, verum etiam tum pastoralibus Epistolis, tum aliis religiosi doctisque scriptis in vulgus editis episcopalem vestram vocem cum insigni vestri ordinis ac nominis laude attollentes, ac sanctissimæ nostræ religionis justitiæque causam strenue propugnantes, vehementer detestati estis sacrilega ausa contra civilem Romanæ Ecclesiæ principatum admissa. Atque ipsum principatum constanter tuentes, profiteri, et docere gloriati estis, eundem singulari divini Illius omnia regentis ac moderantis providentiæ consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestatis unquam subjectus supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum

plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat. Atque nobis carissimi catholice Ecclesiæ filii vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati eosdem sensus Nobis testari summopere certarunt et certant. Namque ex omnibus totius catholici orbis regionibus innumerabiles pene accepimus tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cujusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis Litteras etiam a centenis catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam erga Nos, et hanc Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, et rebellionem aususque in nonnullis Nostris Provinciis admissos vehementer detestantes, Beati Petri patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni injuria defendendum esse contendunt; ex quibus insuper non pauci id ipsum, vulgatis apposite scriptis, docte sapienterque asservere. Quæ præclaræ vestræ, ac fidelium significationes, omni certe laude ac prædicatione decorandæ, et aureis notis in catholice Ecclesiæ fastis inscribendæ ita Nos commoverunt, ut non potuerimus non læte exclamare: « *Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra.* » Nihil enim Nobis inter gravissimas, quibus premimur, angustias, gratius, nihil jucundius, nihilque optatius esse poterat, quam intueri quo concordissimo atque admirabili studio Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad hujus S. Sedis jura tutanda animati et incensi estis, et qua egregia voluntate fideles curæ vestræ traditi in idipsum conspirant. Ac per Vos ipsi vel facili cogitatione assequi potestis, quam vehementer paterna Nostra in Vos, atque in ipsos catholicos benevolentia merito atque optimo jure in dies augeatur.

Dum vero tam mirificum vestrum, et fidelium erga Nos et hanc Sanctam Sedem studium et amor Nostrum lenibat dolorem, nova aliunde tristitiæ accessit causa. Itaque has Vobis scribimus Litteras, ut in tanti momenti re animi Nostri sensus Vobis in primis denuo notissimi sint. Nuper, quemadmodum plures ex Vobis jam noverint, per Parisienses ephemerides, quibus titulus « *Moniteur* » vulgata fuit Gallorum Imperatoris Epistola, qua Nostris respondet Litteris, quibus Imperialem Majestatem Suam omni studio rogavimus, ut validissimo suo patrocinio in Parisiensi Congressu integram et inviolabilem temporalem Nostram et hujus Sanctæ Sedis ditionem tueri, illamque a nefaria rebellionem vindicare vellet. Hac sua Epistola summus Imperator commemorans quoddam suum consilium paulo ante Nobis propositum de rebellibus Pontificiæ Nostræ ditionis provinciis Nobis suadet, ut earundem provinciarum possessioni renuntiare velimus, cum ei videatur hoc tantum modo præsentis rerum perturbationi posse mederi.

Quisque vestrum, Venerabiles Fratres, optime intelligit, Nos gra-



vissimi officii Nostri memores haud potuisse silere cum hujusmodi epistolam accepimus. Hinc, nulla interposita mora, eidem Imperatori rescribere properavimus, Apostolica animi Nostri libertate clare aperteque declarantes, nullo plane modo Nos posse ejus annuere consilio, propterea quod *insuperabiles præ se serat difficultates, ratione habita Nostræ et hujus Sanctæ Sedis Dignitatis, Nostrique sacri characteris, atque ejusdem Sedis jurium, quæ non ad alicujus regalis familiaris successionem, sed ad omnes catholicos pertinent, ac simul professi sumus non posse per Nos cedi quod Nostrum non est, ac plane a nobis intelligi, victoriam, quæ Emilie perduellibus concedi vellet, stimulo futuram indigenis, exterisque aliarum provinciarum perturbatoribus ad eadem patranda, cum cernerent prosperam fortunam quæ rebellibus contingeret.* Atque inter alia eidem Imperatori manifestavimus, *non posse nos commemoratas Pontificiæ Nostræ ditionis in Emilia provincias abdicare, quin solemnità, quibus obstricti sumus, juramenta violemus, quin querelas motusque in reliquis Nostris provinciis excitemus, quin catholicis omnibus injuriam inferamus, quin denique infirmemus jura non solum Italiæ Principum, qui suis dominiis injuste spoliati fuerunt, verum etiam omnium totius christiani orbis Principum, qui indifferenter videre nequirent perniciosissima quedam induci principia.* Neque prætermisimus animadvertere, *Majestatem Suam haud ignorare per quos homines, quibusque pecuniis, ac præsiidiis recentes rebellionis ausus Bononiæ, Ravennæ et in aliis civitatibus excitati ac peracti fuerint, dum longe maxima populorum pars motibus illis, quos minime opinabatur, veluti attonita maneret, et ad illos sequendos se nullo modo propensam ostendit.* Et quoniam Serenissimus Imperator illas Provincias a Nobis abdicandas esse censebat ob rebellionis motus ibi identidem excitatos, opportune respondimus, hujusmodi argumentum, utpote nimis probans, nihil valere: quandoquidem non dissimiles motus tum in Europæ regionibus, tum alibi persæpe evenerunt; et nemo non videt legitimam exinde capi non posse argumentum ad civiles ditiones imminuendas. Atque haud omisimus eidem Imperatori exponere, diversam plane fuisse a postremis suis Litteris primam suam Epistolam ante Italicum bellum ad Nos datam, quæ Nobis consolationem, non afflictionem attulit. Cum autem ex quibusdam imperialis epistolæ per commemoratas ephemerides editæ verbis timendum Nobis esse censuerimus, ne prædictæ Nostræ in Emilia provinciæ jam essent considerande veluti a Pontificia Nostra ditione distractæ, idcirco Majestatem Suam Ecclesiæ nomine rogavimus, ut etiam proprii ipsius Majestatis Sux boni utilitatisque intuitu efficeret, ut hujusmodi Nostri timor plane evanesceret. Ac pa-

terna illa charitate, qua sempiternæ omnium saluti prospicere debemus, in Ipsius mentem revocavimus, ab omnibus districtam aliquando rationem ante Tribunal Christi esse reddendam, et severissimum iudicium subeundum, ac propterea cuique enixe curandum ut misericordiæ potius quam justitiæ effectus experiatur.

Hæc præsertim inter alia summo Gallorum Imperatori respondimus, quæ Vobis, Venerabiles Fratres, significanda esse omnino existimavimus, ut Vos in primis, et universus catholicus orbis magis magisque agnoscat, Nos, Deo auxiliante, pro gravissimi officii Nostri debito omnia impavide conari, nihilque intentatum relinquere ut religionis, ac justitiæ causam fortiter propugnemus, et civilem Romanæ Ecclesiæ principatum, ejusque temporales possessiones ac jura, quæ ad universum catholicum orbem pertinent, integra et inviolata constanter tueamur et servemus nec non justæ aliorum Principum causæ prospiciamus. Ac divino Illius auxilio freti qui dixit: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (Joan., c. xvi, v. 33), et: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth., c. v, v. 10), parati sumus illustria Prædecessorum Nostrorum vestigia persequi, exempla æmulari, et aspera quæque ac acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiæ, ac justitiæ causam ullo modo deseramus. Sed vel facile conjicere potestis, Venerabiles Fratres, quam acerbo conficiamur dolore videntes quo tetterimo sane bello sanctissima nostra religio maximo cum animarum detrimento vexetur, quibusque maximis turbibus Ecclesia, et hæc Sancta Sedes jactentur. Atque etiam facile intelligitis quam vehementer angamur probe noscentes quantum sit animarum discrimen in illis perturbatis Nostris provinciis, ubi pestiferis præsertim scriptis in vulgus editis pietas, religio, fides, morumque honestas in dies miserrime labefactatur. Vos igitur, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostræ partem vocati estis, quique tanta fide, constantia, ac virtute ad Religionis, Ecclesiæ et hujus Apostolicæ Sedis causam propugnandam exarsistis, pergite majore animo studioque eandem causam defendere, ac fideles cura vestræ concreditos quotidie magis inflammate, ut sub vestro ductu omnem eorum operam, studia, consilia in catholice Ecclesiæ et hujus Sanctæ Sedis defensione, atque in tuendo civili ejusdem Sedis principatu, Beatique Petri patrimonio, cujus tutela ad omnes catholicos pertinet, impendere nunquam desinant. Atque illud præsertim a Vobis etiam atque etiam exposcimus, Venerabiles Fratres, ut una Nobiscum fervidissimas Deo Optimo Maximo preces sine intermissione cum fidelibus curæ vestræ commissis adhibere velitis, ut imperet ventis et mari, ac præsentissimo suo auxilio adsit Nobis, adsit Ecclesiæ suæ, atque exurgat et judicet causam suam, utque cælesti sua gratia omnes Ec-

clesiæ et hujus Apostolicæ Sedis hostes propitius illustrare, eosque omnipotenti sua virtute ad veritatis, justitiæ, salutisque semitas reducere dignetur. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad Nostras, vestras, omniumque fidelium preces, petamus in primis, Venerabiles Fratres, suffragia Immaculatæ Sanctissimæque Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ amantissima nostrum omnium est mater et spes fidissima, ac præsens Ecclesiæ tutela et columen, et cujus patrocinio nihil apud Deum validius. Imploremus quoque suffragia tum Beatissimi Apostolorum Principis, quem Christus Dominus Ecclesiæ suæ petram constituit, adversus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt, tum coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum Cœlitum, qui cum Christo regnant in cœlis. Nihil dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra religione ac sacerdotali zelo, quo summopere præstatis, Nostris hiscè votis postulationibusque studiosissime obsequi velitis. Atque interim flagrantissimæ Nostræ in Vos charitatis pignus Apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam et cum omnis veræ felicitatis voto conjunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantie commissis peramanter imperlimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 19 januarii anno 1860.  
Pontificatus Nostri anno decimoquarto.

(Q) Page 177.

369. Potestas Ecclesiastica, ait A Lapide in cap. xiii ad Rom. est immediate a Deo; quia Christus expresse præposuit Petrum, Apostolos et sic successive; et regnum Ecclesiæ monarchicum est, quia summa potestas uni Petro, ejusque successoribus tributa fuit. Sunt qui cum Bellarmino tuentur, Ecclesiæ monarchiam aristocratia aliquatenus temperatam esse; quod tamen alii negant cum Salzano, *Lezioni di diritto, ecc.*, vol. I, l. VII. — V. Cercià, *De Ecclesia*; et Gregorius XVI, *Il trionfo della S. Sede*; discorso preliminare.

Etiã secularis potestas a Deo procedit. Sed mediate tantum (si excipias nonnullos casus, in quibus etiã immediata regum electio a Deo erat, ut apud Judæos), Deus enim dedit principia justitiæ et ordinis politici, sed immediate non præstabilivit gubernii formam, neque personas gubernantium: reliquit ut id determinaretur facto aliquo societatis, ex libera hominis voluntate, nempe vel per popularem electionem, vel per successionem hæreditariam, quæ quidem a principio fundamentum habuit in aliquo expresso vel tacito societatis pacto. Hoc semel præstabilito, accedit Dei auctoritas, quæ pactum illud firmat, electo auctoritatem tribuens: sane auctoritas liberis hominibus

præsidenti non nisi a Deo esse potest, a quo omne dominium est. Hinc illud Danielis ad Nabuchodonosor: *Deus tibi dedit regnum, fortitudinem et imperium*. Hinc illud Pauli: *Non est potestas nisi a Deo in quem locum ait Chrysostomus: Quid dicis? ergo omnis Princeps a Deo constitutus est? Istud non dico; non enim de quovis Principe mihi sermo est, sed de re ipsa, id est de ipsa potestate: quod enim Principatus sint, quodque non simpliciter et temere cuncta ferantur, divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit: Non enim Princeps est, nisi a Deo; sed de re ipsa disserit dicens: Non est potestas, nisi a Deo.* — V. *La Repubblica italiana del 1849, suo processo*. Torino 1850, cap. xxvi. — Taparelli, *Saggio teoretico, ecc.*: la società. — Salzano, *Elementi di Storia antica*, lib. II, § 6.

370. S. Alphonse, le plus grand des docteurs de l'Église dans notre temps, s'exprime ainsi dans les additions qu'il a faites à la théologie de Busembaum: « Certum est dari in hominibus potestatem ferendi leges; sed potestas hæc quoad leges civiles a natura nemini competit, nisi communitati hominum; sed ab ipsa transfertur (sicut debet necessario transferri) in unum vel plures a quibus communitas regatur. »

Et semel hæc potestate prima vice translata in unum, non est amplius de ipsius populi arbitrio in alium legitime transmittere, cum illam non amplius retineat; neque enim populus auctoritatem creat, ut illam primigenie possit ad libitum donare et auferre. Omnis potestas sive in cœlo sive in terra a solo Deo est; et proinde ab ipso divino auctore naturæ tanquam a fonte primario fluere debet potestativa facultas regendi populos. Utique homines prima vice eorum consensu efficere possunt ut subjectum aliquod sit hujusce potestatis capax, habita ratione ad diversam regnorum formam; sed Deus est qui tali subjecto potestatem tribuit: quo facto, omne populi jus consummatum est: et suo jure legitime acquisito sine gravissima injuria expoliari nequit electus, aut ejus legitimus successor, habita ratione diversæ regnorum formæ. Sic puella libere quidem valet matrimonium contrahere cum hoc vel illo; sed matrimonio semel contracto cum uno, non est amplius in ejus arbitrio illud inire cum altero; neque efficere potest ut jure divino non debeat esse subjecta suo marito. Clarius, fons auctoritatis Deus est; consensus populorum est administratum, seu canal, qui illam necessario prima vice transmittit; canal enim aquas non creat, non mutat, sed recipit; non retinet acceptas, non revocat semel missas. « Et voilà pourquoi les scolastiques, en accordant que le pouvoir venait de Dieu, mais par l'intermédiaire du peuple, ajoutaient que le peuple n'était plus libre de le reprendre une fois qu'il l'avait cédé, et qu'il ne restait pas maître de ce pouvoir que

par la nécessité même de sa nature il était obligé de transférer à un chef suprême. Ces hommes dans leur sagesse comprenaient que, si la nature impose le droit de transférer, elle ne peut accorder celui de retenir; qu'admettre une force *ordonnatrice* soumise à des sujets est une chose aussi contradictoire que de vouloir un architecte guidé par ses maçons... En conséquence un supérieur établi légitimement devient, en vertu de son autorité même, le centre et la base de l'ordre social. Le principe universellement admis qui exige la stabilité de cet ordre exige, par cela même, l'inviolabilité du supérieur sur lequel il est appuyé. » *Civiltà Cattolica*, serie II, t. X : *Il superior*.

371. *Si les princes sont institués pour le bien de la société, quand ils font le mal, ils perdent le droit à la souveraineté, puis- qu'ils manquent à leur fin, et alors le peuple peut les destituer.*

Cette assertion, qui a beaucoup de rapport avec les erreurs de Jean Huss, de Wiclief et d'autres hérétiques, renverserait la société, si elle était prise au pied de la lettre. Elle provient d'une confusion entre le but du pouvoir et le principe de la légitimité. L'autorité vient de Dieu et elle a été instituée pour le bien général : celui qui la possède est tenu de la diriger vers ce but; s'il y manque, il sera châtié par Dieu qui lui a confié cette autorité comme un *talent à faire valoir*. Mais donner aux sujets ce bon usage du pouvoir comme titre et principe de la légitimité, c'est les constituer maîtres de celui auquel ils doivent être soumis, et usurpateurs d'un droit que l'ordonnateur suprême s'est réservé. Il n'y aura que trop d'esprits dangereux et pleins d'audace, sous un gouvernant injuste, disposés à servir d'instruments à la vengeance divine. Mais autre chose est de dire que la vengeance divine châtière le crime du prince par le crime du sujet; autre chose est de dire que le crime du prince le dépossède de son autorité...

Quand une société se forme, celui qui gouverne possède naturellement une habileté toute particulière, plus nécessaire alors que jamais; et celui qui obéit se soumet avec d'autant plus de facilité, que l'obéissance lui paraît être moins l'accomplissement d'un devoir que la satisfaction d'une sympathie personnelle... Les sujets qui obéissent au mérite en sont, dans cette première période, les juges compétents, bien qu'il ne leur fût pas permis de refuser la soumission à celui qu'ils regardent comme nécessaire au salut public; cependant ils ne découvrent en lui cette aptitude à diriger la société que par une sorte d'intuition à la suite de laquelle vient la volonté d'obéir. Au contraire, quand le pouvoir est déjà personnifié et possédé par un supérieur déterminé, l'obéissance des inférieurs ne dépend plus de la raison d'ordre social ou de la capacité du chef, mais de ce qu'ils voient incarnée en lui cette autorité abstraite qui a pour office de réunir en une forte

unité la volonté et l'action des sujets. Ils pourront bien examiner si la matière sur laquelle portent ses ordres est de sa compétence, si une autre loi supérieure (les lois naturelle ou divine, par exemple) ne s'y oppose point; mais, la compétence et la moralité du précepte étant admises, il est aussi déraisonnable que les sujets en discutent la convenance qu'il le serait de voir l'ordonné devenir ordonnateur. *Loc. citat.*

*Mais les peuples, en se choisissant à l'origine un prince, ne pouvaient engager leurs descendants, qui restent libres de se choisir aussi un gouvernement.*

R. Non-seulement ils ont pu s'assujettir à un homme pour le bien général, mais encore lier à cet homme leurs successeurs. Comme ils ont formé un corps et choisi une tête, tout ce qui se produit dans ce corps resté soumis à la tête. De plus, le bonheur devant être non-seulement général mais perpétuel, il était également nécessaire que la forme du gouvernement fût stable et permanente... Personne ne peut donc se soustraire à la première Constitution : ni ceux qui l'établirent, puisqu'ils ont enchaîné volontairement leur liberté; ni ceux qui sont venus ensuite, parce que de main en main chacun a été tenu de se lier pour le bien général. Présentons cet argument sous une autre forme. Personne ne pourrait se retirer du premier pacte sans troubler le bonheur de la nation; tous étaient donc tenus à s'y conformer.

*Dans quel état, par conséquent, naît l'homme sous un gouvernement monarchique? Naît-il libre? — R. Il naît citoyen, mais citoyen sujet; car il naît membre d'un corps, et c'est là l'origine de sa qualité de citoyen; ce corps est sujet à un chef, et c'est là l'origine de sa dépendance. — Mais la nature l'a fait libre? — Non; la nature a fait libres ses aïeux qui naquirent avant la Constitution. On ne saurait en dire autant de lui. La nature l'a fait fils d'un père sujet, et membre d'un corps sujet; elle l'a donc fait sujet et non libre. » Muzzarelli, *Lettera a Sophie*, ecc.*

372. *Quand un événement inattendu produit, à l'insu de tous, un héros, un dictateur pour le salut commun, qui peut lui refuser l'autorité et la légitimité du pouvoir?*

R. Dans un moment de trouble ou de péril, il surgit un dictateur improvisé par son propre génie, qui rassemble les honnêtes gens, les harangue, les arme, les conduit à la mêlée, sauve le pays en danger, la nation entière. Qui a poussé la multitude à lui obéir? Qui a donné au dictateur l'investiture de ses droits? Personne, si ce n'est l'évidence du péril et de la capacité de cet homme à écarter le danger; personne, si ce n'est l'évidence de l'obligation de chacun envers soi

et envers les autres de faire ses efforts pour éviter ce péril. Ces deux évidences ont parlé à la foule, et tous, comme par une intuition et un accord soudains, s'étant écrié au jour du danger : « Si je n'obéis pas à ce héros, je suis perdu... nous sommes perdus... M'est-il permis de me perdre avec ma famille, de laisser périr mes concitoyens? Je serais insensé, J'obéirai donc. » Cette conviction unanime a obligé les honnêtes gens à obéir et imposé au héros le devoir de commander. — Mais est-il devenu pour cela d'une manière durable le supérieur légitime? Peut-on voir dans cette évidence du péril réunie au devoir de sauver la société tout entière un principe de légitimité tel que nous le recherchons? Il y a eu sans doute une certaine légitimité dans le fait de son autorité, comme il y a eu un devoir dans l'obéissance. Si cette autorité et cette obéissance se continuaient (*legitime tamen, ex inferioris dicendis*), elles pourraient arriver à constituer une supériorité et une soumission pleines et perpétuelles. Mais le commandement et l'obéissance sont nés dans le premier moment sous l'impression d'un péril passager, qui demain sera dissipé par le secours de l'armée et du pouvoir régulier. *Civiltà Catt. Loc. cit.*

Quand un homme, fût-il usurpateur, est arrivé à ce point que sans lui la société périrait, c'est l'intérêt commun de la société qu'il continue à commander, jusqu'à ce que revive le pouvoir légitime. C'est un devoir pour tous de lui obéir en ce qui regarde l'ordre et la vie de la société. Et si les citoyens doivent l'obéissance, le Pouvoir a le droit de l'exiger... Ce droit ne vient pas du crime de l'usurpateur assurément, mais des besoins de la société. Et qu'on ne trouve pas étrange que d'un crime sorte indirectement une sorte de droit. L'adultère qui est un crime confère bien le droit et le devoir d'élever les enfants qu'il produit. Le corsaire n'est-il pas tenu de conduire au port l'équipage du vaincu qu'il a pillé et dont il a tué le capitaine? L'usurpateur du domaine et des bestiaux d'autrui n'a-t-il pas le devoir et le droit de veiller à leur conservation? (*Ibid.*, série II, tom. III.)

**373.** Mais quand le gouvernement est constitué, quand le fait est consommé, le bien public exige qu'on l'accepte et qu'on lui obéisse.

Le simple fait ne crée le droit, ni dans l'ordre privé, ni dans l'ordre public; le jour où un pareil principe serait reconnu, ce jour même les idées de raison et de justice disparaîtraient du monde. Certains hommes, peut-être, eurent en vue de flatter les gouvernements par cette doctrine; ils ne songèrent pas qu'ils les ruinaient par la base et répandaient une semence féconde d'usurpations et d'insurrections. Qu'y aura-t-il d'assuré ici-bas, si nous établissons le principe que le succès décide de la justice? N'est-ce point exciter les hommes à mépriser toute

notion de droit, de raison, de justice? La doctrine du fait se montre tellement contraire aux notions le plus communément admises, qu'aucun homme raisonnable ne saurait l'accepter. Je ne nierai point qu'il n'existe certains cas où, même sous un gouvernement illégitime, il est à propos de recommander aux peuples l'obéissance : lorsqu'on prévoit, par exemple, que la résistance sera inutile, qu'elle ne conduira qu'à de nouveaux désordres et à une plus grande effusion de sang. Mais, en recommandant au peuple la prudence, ne mêlez point de fausses doctrines au langage de la prudence; afin de calmer l'exaspération de la multitude, gardez-vous de répandre des erreurs subversives de tout gouvernement, de toute société. — Balnes, *le Protestantisme comparé au Catholicisme dans ses rapports avec la civilisation européenne*.

Que les faits accomplis produisent quelquefois relativement à la société innocente un effet analogue à celui de la prescription civile, nous ne voulons pas le nier, puisque posséder un principe d'ordre est un bien véritable dont on ne doit pas dépouiller le particulier de bonne foi. Mais, dans un temps où les usurpations se succèdent à chaque phase de la lune, où chaque usurpateur à peine assis sur un trône crie : Le fait est accompli; où le chœur des fatalistes s'agenouille et encense le Dagon du jour, tout prêt à le renverser le lendemain, il nous semble nécessaire de déterminer d'abord avec précision ce que c'est que le fait accompli, et d'ajouter ensuite qu'à l'égard de l'usurpateur il n'est pas la prescription, mais seulement qu'il lui ressemble; car la prescription sauve la conscience de celui qui possède; le fait accompli sauve seulement l'obéissance et l'ordre social, mais non la conscience de l'usurpateur. (*Civiltà*, ser. III, t. XI, pag. 190.)

Sive imperet tota natio uti in Republica, sive unus homo uti in monarchia, si nullimode consentiant, qui eorum usurpat jura et imperium, semper iniquus usurpator est. Ad rem Cappellari postea Gregorius XVI in opere, *Il trionfo della S. Sede*; discor. prelim., § 22 : « Les usurpations n'enlèvent pas le droit. Un conquérant injuste (au sentiment de plusieurs juriconsultes philosophes) ne peut, malgré toute sa puissance, dépouiller de ses droits la nation injustement conquise. Il pourra par la force la rendre esclave, renverser ses tribunaux et ses magistrats, faire mourir ses représentants; mais il ne pourra jamais, en dehors de son consentement tacite ou exprimé, la priver de ses droits originaires à ces magistrats et à ces tribunaux, c'est-à-dire à ce qui la constitue souveraine. Ainsi une révolution, un délire populaire pourra précipiter du trône le monarque et lui substituer un gouvernement illégitime; mais dépouiller la personne du monarque

et, si le royaume est héréditaire, dépouiller sa race du droit à la souveraineté, il ne le pourra jamais, tant que d'un long silence du monarque détroné ou de sa race on ne pourra pas raisonnablement conclure à un abandon spontané. »

*Le succès d'un fait injuste ne porte aucun préjudice à la sainteté du droit.* Pie IX, Alloc. du 10 mars 1861.

374. *L'Écriture ordonne d'obéir aux puissances sans distinction, donc une puissance établie a toujours le droit de se faire obéir.*

Je vois contre cette objection les réponses suivantes, toutes décisives : 1° La puissance illégitime n'est point puissance : l'idée de pouvoir implique l'idée de droit, sans quoi il n'y a qu'un pouvoir physique, c'est-à-dire la force. Donc, lorsque la sainte Écriture prescrit d'obéir aux puissances, elle parle des puissances légitimes ; 2° le texte sacré, expliquant pourquoi nous devons nous soumettre à la puissance civile, nous dit qu'elle est ordonnée de Dieu même, qu'elle est le ministre de Dieu lui-même ; il est clair que l'usurpation ne se trouve jamais revêtue d'un si haut caractère. L'usurpateur sera, si l'on veut, l'instrument de la Providence, le *fléau de Dieu*, comme s'intitulait Attila, non son ministre ; 3° la sainte Écriture prescrit l'obéissance aux sujets par rapport à la puissance civile, de la même manière qu'elle la prescrit aux esclaves par rapport à leurs maîtres. Or de quels maîtres s'agit-il ? Évidemment de ceux qui avaient un domaine légitime, tel qu'on l'entendait alors, conforme à la législation et aux mœurs régnantes ; s'il n'en était pas ainsi, il faudrait dire que le texte sacré fait un devoir de la soumission, même aux esclaves réduits en servitude par un pur abus de la force. Ainsi donc, de même que l'obéissance à l'égard des maîtres, prescrite par les livres saints, ne prive point de son droit l'esclave injustement retenu en servitude, de même l'obéissance envers les autorités établies ne doit être entendue que des autorités légitimes, ou lorsque la prudence le conseille pour éviter le trouble et le scandale.

A l'appui de la doctrine du *fait*, on allègue la conduite des premiers chrétiens. « Ils obéissaient, dit-on, aux autorités constituées, sans s'inquiéter si elles étaient légitimes ou non. A cette époque, les usurpations étaient fréquentes ; le trône impérial se trouvait fondé sur la force ; ceux qui l'occupaient tour à tour devaient fréquemment leur élévation à l'insurrection militaire, ou à l'assassinat de leur prédécesseur. Néanmoins, on ne voit pas que les chrétiens se soient jamais mêlés de la question de légitimité ; ils respectaient le pouvoir établi ; lorsque ce pouvoir tombait, ils se soumettaient sans murmure au nouveau tyran. » On ne peut nier que cet argument ne présente, au

premier coup d'œil, une difficulté grave : quelques réflexions cependant suffisent pour en démontrer la futilité.

Pour que l'insurrection contre un pouvoir illégitime soit légitime et prudente, il faut que ceux qui entreprennent de le renverser soient sûrs de son illégitimité, aient en vue de lui substituer un pouvoir légitime, et comptent d'ailleurs sur la probabilité du succès. Ces conditions venant à manquer, le soulèvement manque d'objet ; ce n'est plus qu'un emportement stérile, une impuissante vengeance, qui, au lieu d'apporter quelque avantage à la société, ne sert qu'à faire verser du sang, à exaspérer le pouvoir qu'on attaque, et n'a d'autre résultat qu'un redoublement d'oppression et de tyrannie.

A l'époque dont nous parlons, aucune des conditions que nous venons de mentionner n'existait ; l'unique parti qu'eussent à prendre les gens de bien était de se résigner tranquillement aux calamités de leur temps, et d'élever leurs prières vers le ciel pour qu'il prit pitié de la terre. Lorsque les armes décidaient de tout, qui pouvait établir que tel ou tel empereur s'était légitimement élevé ? Quelles règles présidaient à la succession impériale ? Où était la légitimité qu'on aurait dû substituer à l'illégitimité ?...

375. *At populi nonne jus habent ad propriam nationalitatem et independentiam?*

R. Quid est nationalitas? Est illa qualitas seu character, vi cujus certa hominum multitudo fit et dicitur natio, ditio, status, civilis societas, quæ quidem definiri potest : *Unio independens et permanens, constans sufficienti personarum numero, sub legitima potestate, ad commune bonum.* Ex hac definitione universim accepta habemus genuinæ nationalitatis seu politice et civilis societas constitutiva ; oportet nempe ut ea sit *independens*, quæ scilicet de se valeat sibi providere suis legibus, suis judiciis, ac propria auctoritate ; *permanens*, id est perpetua, prout perpetua est ipsa hominum successio, quæ illam constituit ; *constans sufficienti personarum numero*, aliter esset societas domestica vel herilis, quæ inepta est ad tot civilis societas officia complenda ; *sub potestate*, secus haberentur plura individua, non una societas ; *legitima* tamen, ut ita excludantur usurpatores ; tandem *ad commune bonum*, ideo enim societas ineunt homines, ut propria jura tueantur, et bono potiuntur, quo alioquin carerent penitus, vel parcius aut majore cum periculo fruenterent. En ergo ad quæ populus jus habet, et quæ ideo sibi vindicare potest, ut sua potiatur nationalitate, ac independentia, et sit natio, status, per-

<sup>1</sup> Balmès, *le Protestantisme comparé au Catholicisme dans ses rapports avec la civilisation européenne.*

fecta societas. Cetera autem uti naturalia confinia (uti dicunt), linguae uniformitas, communis populorum et imperantis origo, etc., conferre atque possunt ad splendorem, ad utilitatem, ad incrementum ac majorem securitatem, et ideo haec quaeri possunt, sed legaliter ac opera quae justitiam non laedat, sed non sunt de nationalitatis essentia, quasi sine illis ratio nequeat consistere; quaeque tandem mediis iniquis urgeri non possunt contra aliorum jam acquisita jura; neque enim utilitas, sed honestas facit jus.

**376.** Dices: *Constitutiones suas mutare possunt populi; ut mutare non possent, si auctoritas suprema a solo Deo descenderet, ut volunt catholici.*

R. Cum Bouvier (*Institut. philosophiae moralis*, § de societate politica): Quamvis Deus jubeat observari contractus juste initos, eos tamen per novas conventiones mutare licet, et tunc novis conventionibus standum est; ita pariter fieri potest, ut constitutiones populorum legitime mutantur, licet suprema auctoritas a solo Deo veniat; modus enim existendi est humanus, auctoritas autem ipsa est divina. Sic romani Pontifices et catholici Episcopi divinam habent auctoritatem, et tamen modus eos constituendi est humanus. Ex hisce plura inferuntur magni momenti: 1. neque principes ex una parte, neque populos ex altera, fundamentales constitutiones regni mutare posse; sicut enim in ordinariis conventionibus humanis partes contrahentes conditionibus stipulatis bona fide stare debent, ita et in actibus essentialibus inter principes et populos statutis; 2. a fortiori, populos non habere jus adversus principes rebellandi, eosque pro nutu deponendi; tale enim principium ad exitiales necessario deducet effectus; praesertim cum integri populi non soleant adversus principes insurgere, sed quidam viri turbulenti, rerum novarum amatores, audaces, in alios dominantes, eos seducentes, aut violentia trahentes, etc.; 3. rejiciendum esse dogma supremae auctoritatis populi a protestantibus excogitatum, ab Anglis admissum, et temporibus nostris tam frequenter praedicatum. Versus finem saeculi XVIII minister Jurieu demonstrare conatus est insurrectiones calvinistarum adversus regem et gubernium gallicum legitimas fuisse et sanctas. (V. Bossuet.) Idem systema, longius procedens, edocuit Rousseau in libro *Contrat social*, in quo propugnat homines esse natura liberos, independentes; gubernatores autem non esse nisi populi commissarios ad nutum amovibiles; et hoc jus esse in populo inalienabile. « Les traditions, l'histoire, les opinions de tous les philosophes depuis le commencement du monde jusqu'aux deux derniers siècles, protestent contre ce principe erroné... La doctrine (ad rem cl. Solaro Della Margarita, in Op. *Avvedimenti politici*, c. II te XXI) que toute autorité dérive de Dieu, fut professée par les païens

eux-mêmes et ne fut pas mise en doute avant le seizième siècle de notre ère. » *Sit igitur persuasum civibus dominos esse omnium rerum ac moderatos deos: eaque quæ gerantur, eorum gerit ditione ac numine*, dit le philosophe romain (Cic., *De legib.*, lib. II, n. 7). Tércntius, parlant à l'empereur, disait: *Tibi summum rerum judicium dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est*. Et Plinè à Trajan: *Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice sua fungatur* (*Panegyricus Traj.*). Hobbes, le premier, rêva le pacte social. Spinoza et Locke le suivirent dans le perfide dessein de renverser tout ordre politique et religieux. Puffendorf, Burlamaque et presque tous les publicistes protestants, admirent le pacte social, s'inquiétant peu que ce fut une invention récente. » *Quidquid ergo multi in novissimis temporibus vel ignorantes vel blasphemantes contra jus divinum dixerint, certum est, supremam principum auctoritatem regulariter constitutam, quæcumque sit ejus forma, a Deo auctore naturæ provenire ac consequenter esse divinam in suo genere, sicut divina est suo modo auctoritas mariti in uxorem, patris in familiam, etc.; et non solum reges sed quoscumque societatum moderatores ac magistratus congruo modo constitutos, ad sensum D. Pauli Dei esse ministros, vi potestatis a Deo descendentes imperare, regere, judicare, etc., et Deum cunctis subditis strictam conscientiae obligationem parendi imponere.*

**377.** *Verum D. Thomas docet quod licet aliquis injuste usurpatus fuerit alterius statum, si postea subditi ipsi uti dominum recognoscerent, tunc legitimus dominus evadit: Qui per violentiam (ait) dominium subripit, non efficitur dominus; et item cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere, nisi postmodum dominus verus effectus sit vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris* (2 *Sent.*, dist. 44, q. 2, a 2). *Ergo populorum est imperantes eligere, et creare* (apud Liguori, *Hom. Apost.*, tr. VIII, n. 130).

R. Miramur quod adversarii tantopere urgeant hoc testimonium, quasi nempe Angelicus de quocumque populorum consensu fuerit locutus. Præterquamquod enim hoc semel admissio, actum esset de virtute obedientiae, quam tamen S. Thomas assidue urget; ac de omni politicae societatis stabilitate, cum populus de facili mutetur fugaci utilitate deceptus, pravorum consiliis seductus et novitatis cupidine allectus; ecur Sanctus ille in eodem loco objecto aperte docet, quod *prælatio semper a Deo est, qui debitum obedientiae creat? si aliquando prælationem efficit populi consensus, non illa semper a Deo esset; nec Deus, sed populus debitum obedientiae crearet, ac prout liber esset in obediendo vel non obediendo. Ecur in Opusculo De regimine principis adeo urget obedientiam erga regem tyrannum, volens ut si ad ius multitudinis non pertineat sibi providere de supremo*

imperante, multitudo tenetur obsequium obedientiamque illi præstare, cum subditi nunquam jus habere possint de rebus gestis principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam aut ad regnum amittendum (l. 1)? At si multitudo posset suos reges efficere, semper ad populum pertineret sibi providere de supremo imperante; et populus jus haberet judicandi gesta veteris principis, et ipsum condemnare ad regnum amittendum, novum scilicet recognoscendo: quod tamen perspicue negat Angelicus, qui etiam in casu iniquiter regnantis, vult recurrendum ad Deum, ut nobis præsto sit in tribulatione nostra, non autem principem exauctorandum. Non ergo de quocumque populi consensu, sed de legitimo tantummodo loqui voluit: quod quidem evenit vel quando prima dynastia penitus extinguitur; vel quando nulla amplius facultas adest priorem dominum in suo jure restituendi, sed ex omni parte, omnino impossibile est (omnibus adjunctis sine ulla præventionem coram æterna lege consideratis) ut princeps amissum regnum unquam recuperare valeat: tunc enim in re idem est ac si ille extinctus esset. Sane sicuti ex eodem D. Thoma (2, 2, q. 66, a. 5) dominium proprietatis cessat cum omnino impossibile exadit, ut aliquando res possit pervenire ad suum possessorem; sed res illa tanquam derelicta habetur, et redit ad primævum jus naturæ: ita fere dici potest de dominio jurisdictionis, quando scilicet neque in præsentiarum neque in posterum ulla vel minima spes adest, ut societatis regimen recuperet prior dominus; cum societas sine supremo imperante subsistere nequeat, tunc jam de se jure extincto illius primi, populus alium designare potest et debet, qui bono gubernii studeat. Attamen Deus solus utpote cujuslibet ordinis auctor ac conservator, dat tali gubernatori auctoritatem imperandi, et obedientiam præscribit subditis, qui ideo sine gravissima injuria in Deum et in principem, qui principatum legitime tenet, nequeunt ab hoc vinculo se liberare. (V. Civ. Catt., ser. 2, t. 12: L'autorità spiegata dagli Scolastici; S. Tommaso. — Sanseverino, La dottrina di S. Tommaso sull'origine del potere e sul preteso diritto di resistenza.)

378. Hæc doctrina intellectu facilis est, sed quoad praxim gravissimas habet difficultates; unde enim ememus solidas rationes ad definiendum, sine ulla omnino dubitatione, an revera hic et nunc omnis spes sublata sit etiam in futurum a vero principe quoad revindicationem regni, adeo ut populus possit alium in legitimum regem habere? Hic opus, hic labor: certo judicium tanti momenti, a quo regum jura, populorum quies et societatum securitas atque stabilitas pendet, non ita citius, ab incunabilis, ab ipsa nempe violenta domini subreptione ac animorum agitatione tuto ferri potest; tanto minus si adhuc vivit

conflictus, et pulsus princeps nedum juri suo cesserit, imò molis omnibus protestatur et nititur illud vindicare, et invasorem repellere; item cum sanior subditorum pars exterrita passive tantum se habet; aliorum vero consensus seductionibus, minis, armis, carceribus ac violentiis omnibus extortus est; et principatus detinetur vi. Hoc autem si de omnibus regnis, multo magis dicendum est de temporali principatu romanæ Sedis; Romanus Pontifex semper vivit et in virido est; et illius civile imperium non unus vel alius populus, sed totus catholicus orbis jus simul habet et onus tuendi, defendendi, ac perpetuo servandi ad decus, ad incrementum, ad tutelam, ad independentiam rei spiritualis. « L'objection d'une non-intervention étrangère que l'on pourrait alléguer serait hors de propos. (V. Allocutio Pii IX Novos sept. 1860). Tout catholique, prince ou peuple ou même tout individu, intervient dans une affaire qui lui est propre quand il intervient pour la défense du pape. Voudrait-on dire que les membres sont étrangers à la tête, et que les sujets du Christ sont étrangers à celui qui sur terre représente sa personne et son autorité? Il ne faut donc pas s'étonner si les papes, pour défendre la possession et l'intégrité de leurs États, ont toujours fait et font encore appel aux armes catholiques, en appelant à leur secours sans distinction tous ceux qui professent la vraie foi de J. C., et s'honorent d'obéir à son vicaire dans ce monde. » V. Civiltà Catt., ser. iv, t. iv: Ragioni e Diritti dei Papi al principato. — Laurentie, Rome est à moi.

379. Militat ergo pro R. Ecclesiæ civili dominio specialissima ratio, que omnimode nec semper urgeri potest pro ceteris civilibus principatibus. Plures enim numerantur tituli quorum vi politica et summa auctoritas acquiritur, vel de uno in alium transfertur; hos autem pressim indicat Bouvier: 1. est libera electio, quamvis enim summa auctoritas in populo non resideat, nec a populo conferri possit; certum est tamen, secluso anteriori contractu et alio titulo politicæ auctoritatis non existente, populum vel primores gentis juxta constitutionem, aliquem eligere et supremum principem constituere posse; qui autem sic eligitur, jus imperandi a Deo accipit, a quo est omnis potestas; 2. victoria in bello; qui enim arbitrio armorum se committit, ejus exitum sustinere debet; addunt tamen quod bellum debeat esse justum (quanquam singule et contrariæ partes semper juste bellare contendunt); 3. fœdera inita, pacta enim ligant; at regulæ æquitatis et sanæ administrationis servantur; 4. legitima successio, ut passim fit, que tamen aliquando limitatur, sic v. g. alicubi mulieres a successione excluduntur; 5. solida præscriptio, id est longa possessio tranquilla, præsertim si jam non existat legitimus principis expulsi successor, qui

ad coronam prætentat; alioquin florentissima regna turbarentur, ut patet. — At quænam esse debeat duratio temporis ad perficiendam hujusmodi præscriptionem, regula firma determinari nequit. Hæc duo certa videntur: a) principem qui supremam auctoritatem de facto et post prædecessores suos tranquille exercet, esse legitimum tam coram Deo quam ante homines, si nullus jam existat prætendens ad thronum; b) subditos debere obsequium principi supremam auctoritatem de facto exercenti, quando habita ratione circumstantiarum, impossibile omnino est primam dynastiam solio restituere. Sed quando hæc erunt? hic opus, hic labor; certo cordatus nemo rem adeo momentosam super qua totius societatis cardo vertitur, definiendam relinquet usurpatori ipsi, aut factiosis qui omnia susdeque vertunt.

Si tuto agere velimus, perarduum in praxi quæstionem resolvendo, et nulli præjudicium inferre, ultro Ecclesia sancte dabimus, id est summo Pontifici, qui a Deo habet, ut sit infallibilis morum magister, supremus conscientiarum director, omniumque dubiorum decretorius resolutor.

(R) Page 179.

**380.** Quoad officia subditorum erga regni usurpatorem hæc scite disputat Bouvier in suis *Instit. Philosoph.* Certum est usurpatorem, qui supremam auctoritatem vi aut astutia consequitur, magnum esse latronem, juxta verba Scythæ apud Q. Curtium (l. VII, n. 25), et nulla acquisivisse jura in populum, quem regere intendit. Attamen leges facit, populo imperat, pœnas decernit, etc.: petitur quid illo casu agere possint, aut debeant fideles subditi?

a) Obsequium legitimo principi certo præstare tenentur, quamdiu illud velut sibi utile postulat; solo enim usurpationis facto, a vinculo fidelitatis erga illum solvi non potuerunt. Hinc ad ipsius vocem debent arma contra usurpatorem sumere, illum expugnare, vincere, illumque expellere si possunt.

b) At ex hypothesi quod princeps legitimus obsequium non exigit, aut obsequium sit moraliter impossibile, vel prorsus inutile, peccantne subditi obediendo usurpatori? Aliqua distinctione hic opus est; vel enim agitur de legibus jam antea existentibus, aut ab usurpatore conditis, sed ad tranquillitatem publicam, aut ad prosperitatem regni conducentibus; vel de legibus, aut mandatis contra legitimum principem directis.

In priori casu non solum possunt, sed tenentur subditi legibus obedire et obsequium usurpatori præstare, non quidem vi ipsius auctoritatis quæ nulla est, sed vi ordinis naturalis id evidenter postulantis: in

societatibus enim politicis suprema lex est salus populi. Atqui salus populi postulat manifeste ut in casu dicto leges usurpatoris custodiantur; nisi enim servarentur, omnis ordo in confusionem mox verteretur, et ipse status in ruinam abiret. Unde hic sapienter observat Grotius, quod legitimus princeps saltem tacite jubeat, ut istæ leges serventur; quia supponi non potest illum destructionem regni sui velle. Hinc colligitur magistratus civiles functiones publicas sub usurpatore acceptare et exercere posse; necesse est enim ex dictis, ut leges observentur; observari autem non possunt, nisi præponantur magistratus qui illarum observationi et publicæ tranquillitati continuo invigilent. Qui ergo tales functiones ex recta intentione suscipiunt, contra voluntatem legitimi principis rationabiliter præsumptam non agunt, sed rem ipsi gratam faciunt, et causam ejus utiliter fovent, quam si, vitam privatam eligentes, locum improbis hominibus vel usurpatoris fautoribus cederent. Quinimo fidem suam usurpatori in his functionibus obeundis sub juramento obstringere possunt; juramentum enim est de re licita, et laudabili fine præstatur. Verum, rebus mutatis et legitimo principe auctoritatem suam de novo obtinente, vinculum juramenti erga usurpatorem præstiti statim cessat, quia tum fieret de re illicita.

In posteriori vero casu, id est, si usurpator aliquid contra legitimum principem directe jubeat, v. g., si præcipiat subditis, ut vi armata illum repellant, aut adversus exercitum ejus debellant, illi parere non licet (sicut neque partes ejus directe tuendas suscipere). Attamen qui ab usurpatore sub pœna mortis cogentur ad militiam, non peccarent arma sumendo, vestem militarem induendo, inter agmina stando, donec tuto fugere posset; sed defensores legitimæ auctoritatis ferire non posset, nec periculo eos vulnerandi vel occidendi se exponere.

c) Milites qui sub usurpatore adversus hostes patriæ, privatos aut publicos, internos vel externos, pugnant, culpari non debent, modo ex pura intentione agant; tum enim non causam usurpatoris defendunt, sed causam patriæ: porro semper licet causam patriæ defendere, quia ordo id præscribit et in eo causa legitimi principis indirecte defenditur. Verum uti patriæ hostes haberi non debent extranei exercitus, qui partes legitimi principis defendentes, contra subditos ejus rebelles dimicant: potius veluti amici et protectores æstimandi sunt; sunt quidem onerosi, sed onera inde provenientia solis rebellibus tribui debent. (V. etiam de Restit., tit. de Bello.)

(S) Page 180.

**381.** Cum utraque potestas ecclesiastica et civilis sit suprema in genere suo, et una ab altera in sui juris exercitio minime pendeat, di-



cente Gelasio Papa ad Anastasium Imperatorem: *Dux sunt, quibus mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum et Regalis potestas; contingere nequit, ut illæ inter se pugnent, nisi alterutra potestas in lege ferenda limites suos excesserit.* Quando id porro contingit, attendendum imprimis est, utrum agatur de materia religiosa, an civili. In primo casu prævalet lex ecclesiastica: in secundo vero casu lex prævalet civilis: *Potestas spiritualis et temporalis, inquit Angelicus, utraque deducitur a potestate divina; et ideo in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his, quæ ad salutem animæ pertinent: et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quam sæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari, quam spirituali.* (In 4, dist. 44, a. 7.)

Si autem res dubia sit, videantur Concordata, interrogetur consuetudo: at si, omnibus rite perpensis, dubitetur adhuc, consulenda erit suprema auctoritas Ecclesiastica, quæ doctrinali iudicio rem totam definit; cum ad eam uti nobiliorem pertineat leges omnes tam naturales, quam positivas certo ac finaliter interpretari: quo sensu dicitur *jure canonico jus reformari civile* (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 106). Saltem amabiliter mutuis consultationibus res tota, quæ est controversa, finiatur: aiebat Cocceus: *Tot sunt paces, quot sunt pacta.*

(7) Page 154.

**382.** Quæres: *An legislator suis ipse legibus ligari dicendus sit?*

R. Si regimen, in quo vivit legislator, est vel Aristocraticum in quo summa potestas est penes Optimates, vel Democraticum in quo ea est penes populum, vel Representativum seu constitutionale, ut aiunt, in quo potestas ferendi leges est penes regem ac simul penes suos et populi delegatos, utique legislator legibus propriis ligatur, nisi in ipsa lege aliqua sit facta exceptio. Ratio est, quia singuli sunt inferiores ipsa communitate, a qua leges feruntur: sic Ordinum Religiosorum Generales legibus in generali Capitulo latis subjunguntur: sic *Parlamentorum* deputati ligantur legibus ab ipsis prolatis.

Si vero regimen sit Monarchicum, in quo summa potestas penes unum residet regem, tunc vel legum materia talis est ut ad legislatorem Monarcham (uti est Rex in Regno, Pontifex in Ecclesia) nullo modo pertineat; vel talis est, ut ipsi quoque conveniat. — In primo casu legibus iis minime ligatur; aliter ejus dignitas læderetur: sic nemo dixerit regem ligari legibus, quæ armorum vetant gestationem.

In secundo vero casu legibus suis Rex in conscientia tenetur; tum quia recta ratio jubet, ut caput, quo magis fieri potest, membris suis conformetur: *Si enim, ait Augustinus, turpis est omnis pars suo universo non congruens, quanto magis caput* (l. III *Confess.*, c. VIII)? tum quia ipse vi officii sui legum observantiam promovere tenetur; at qui nihil est ad hunc finem conducibilius, quam proprium illius exemplum. Unde D. Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem scribebat: *Quodcumque præscripsisti aliis, præscripsisti tibi* (Epist. XXI). Quare graviter peccare dicendus esset, v. g. Episcopus, qui contra graves Synodi suæ Diocesanæ Constitutiones cauponas ad manducandum atque bibendum ingrederetur extra casum necessitatis.

**383.** *Quid (quæres) si monarcha in materia gravi contra propriam legem delinquit; sed occulte, absque alterius scandalo et injuria?* — R. Non desunt qui cum Laymano eum graviter peccare contendunt; cum sit agere contra naturalem æquitatem et proprium officium in re gravi. Attamen probabiliter alii cum Lessio eum a mortali liberant, si revera absit scandalum, neque agatur de materia justitiæ, in qua oportet servare æqualitatem; quia non vi propria legis tenetur, cum sibi ipsi nequeat imperare; sed tantum ex naturali quadam decencia, quæ ex se non videtur tam stricte graviterque obligare.

*Monarcha publice delinquens* (addes), *ultra peccatum quod admittit, incurrit pœnam, quam ipse transgressoribus imposuit?* — R. Negative: ut enim ait Angelicus, *nullus proprie cogitur a seipso; lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate.* Sic igitur Princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud, *Ps. I: Tibi soli peccavi, dicit Glossa, quod Rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet* (l. II, q. 96, a. 5, ad 5). Ex hoc consequitur, quod si Episcopus, qui sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibuit, ne Clerici sui cauponas ingrediantur, ipse eas ingrediatur, suspensionem non incurrit. — Hic tamen cum communi excipiendus est casus, quo lex contractus respiciat vel pretii taxationem; justitia enim postulat, ut in his cum reliquis monarcha pari conditione utatur ad servandam æqualitatem. Vid. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 154.

**384.** Ut quæstio de legis subjecto diversis regnis aptari possit, non abs re erit referre, quæ habet Bouvier, *De Divisione societatis politicæ, Opere: Institutiones Philosophicæ.*

*Monarchia* (a duobus verbis græcis *monos, solus; et arco, dominatio, principatus* sic dicta) est societas, in qua unus totam habet auctoritatem, et vocatur rex, imperator, princeps, dux, comes, etc. Duplex est monarchia, absoluta et temperata. *Absoluta* ea est in qua sola

Monarchæ voluntas vim legis habet, et subditos tenet obstrictos (et hoc est regimen omnium perfectissimum ex Angelico). *Temperata*, quando Monarchæ voluntas intra quosdam limites determinatos coercetur. Rex enim plenam non possidet auctoritatem condendi leges, tributa exigendi, etc.; sed insuper requiritur consensus per majoritatem suffragiorum expressus, utriusque conventus, scilicet conventus *Parium regni* et conventus *Delegatorum populi* (vulgo *la Chambre des Pairs* et *la Chambre des Députés*). Hæc monarchia gallicæ appellatur *gouvernement représentatif*. V. Taparelli, *Gli ordini rappresentativi*. — *Civiltà Catt.*, ser. II, vol. I: *Di un'apologia cattolica degli ordini rappresentativi*; ser. III, vol. VIII.

*Aristocratia* (a vocibus *aristos*, *optimus*; et *cratos*, *potestas*) est societas, in qua primates supremam auctoritatem habent, sive nobilitate sive opibus sive capacitate ceteris præcellant. Tale diu fuit gubernium Venetiarum. Si in hoc regimine quidam irrepant abusus, v. g. si primates populum opprimant, si dignos a concilio avertant, si indignos vel incapaces admittant, tunc gubernium istud vocatur *oligarchia* a vocibus *oligos*, *pauca*; et *archo*, *potestas*. — *Democratia*, quæ etiam in usu vulgari appellatur *Respublica*, illa est societas, in qua suprema auctoritas penes generalia populi comitia residet. Nomen accipit a verbo *demos*, *populus*; et *cratos*, *potestas*. Hæc gubernii forma usi sunt Lacedæmones, Athenienses, Romani, etc. Gubernium democraticum male constitutum, in quo plebs infima prævalet, dicitur *ochlocratia*, nempe a vocibus *oclos*, *multitudo*; et *cratos*, *potestas*.

385. Sunt adhuc gubernia, quæ vocantur *fœderata*, et coalescunt ex pluribus societatibus a se divisis, aliquo tamen vinculo unitatis inter se conjunctis, et sub hoc respectu unicum societatem politicam constituentibus. Talia sunt fœdera inter respublicas Helvetiorum, inter Principes Germaniæ, inter provincias Americæ (*les États-Unis*), etc. Porro si unum excipias *Monarcham absolutum*, ceteri omnes legislatores (etiam regnorum fœderatorum in iis, in quibus simul hæc regna consociantur), suis legibus tenentur; quia iis in societatibus legislator non est homo singularis, sed communitas. — V. Gerdil, *Della Sovranità, del Sovrano e dei Sudditi*. Scritto inedito. Genova, 1853. — Della Margherita, *Avvedimenti politici*, c. III: forme diverse di governo. — Balmes, *le Protestantisme comparé au Catholicisme*, c. LVII.

(U) Page 186.

386. Quod Ecclesiastici jure divino exempti sint a potestate sæculari quoad materias spirituales vel mere ecclesiasticas, ut sunt ordinationes, electiones prælatorum, etc., est certum; siquidem Ecclesiæ, non

sæcularibus, hæc fuit tributa potestas. — Quoad loca vero atque personas Ecclesiasticas, utrum exemptio a certis oneribus sit non tantum de jure humano, sed divino, quæstio est; multi affirmant cum Suarez, Azorio, Laymano, etc. Quidquid sit, negari non potest naturali æquitate, et per consequens divinæ ordinationi consentaneum esse, ut qui sacris Mysteriis sunt deputati, non omnino in omnibus ceteris æquiparentur hominibus; quos enim in omnibus pares habemus, eos non tanti facimus, neque etiam eorum officium. Vel in ipsa Republica ejus præsentator pluribus gaudet supra cæteros; idque merito, nam illius dignitas vilesceret, si ab aliis non distingueretur. Nonne apud ipsos gentiles eorum Sacerdotes semper magno in honore habebantur? Romæ ipsi erant a juramento liberi, in Ægypto a tributis soluti, in Græcia negotiorum consultores, in Asia præsides judiciorum, in Gallia præceptorum magistri, etc. — V. Liguori, *Hom. Apost.*, tr. XX, n. 18.

« Ce que Gioberti n'a pas craint d'avouer pour appuyer ses théories (dit l'auteur du livre *Saggio intorno al socialismo*, p. 644) n'est pas du tout vrai; savoir: que *la morale évangélique est essentiellement démocratique, parce qu'elle est fondée sur le dogme de l'égalité naturelle*. Apol. du Jésuite mod., ch. 1; car l'Évangile lui-même établit dans la société spirituelle, la seule qu'il constitue, les inégalités les plus prononcées entre l'état clérical et l'état laïque, entre le corps enseignant et le corps enseigné. Il ne conseille, dans les sociétés humaines, aucun ordre de préférence à un autre, aucune forme préférablement à une autre forme; il ne confère et ne retire à qui que ce soit le droit du commandement ou de la propriété autrement qu'il n'en doit être d'après ses titres légitimes, fondés sur les inégalités naturelles et civiles, sans lesquelles la société publique serait impossible. La morale évangélique, faite pour compléter les lois divines antérieurement connues et pour réhabiliter la nature déchue, est essentiellement conservatrice de tous les droits et de toutes leurs limites, comme la nature et la justice les établissent, et comme la loi humaine les distribue, les classe et les répartit légitimement. »

Et, en note, il ajoute: « Si l'Évangile était essentiellement démocratique, il répugnerait à la condition du genre humain, qui est essentiellement hiérarchique sur la terre; hiérarchique dans la distinction des sexes et la propagation; hiérarchique dans la succession des générations qui héritent des biens spirituels et temporels et d'enseignements de toute sorte; hiérarchique dans les différences d'âge, d'aptitude, de capacité relative et de sagacité. Tous ces linéaments ou éléments de hiérarchie, qui subordonnent constamment les hommes les uns aux autres sous divers rapports, ou l'Évangile les a développés et ennoblis en créant une nouvelle hiérarchie sacrée dans la société religieuse, en

sanctifiant l'union conjugale, vu que la sainteté du mariage rend sacrée pour la femme l'autorité du mari, qui est son chef, comme le Christ est celui de l'Église, et qu'elle fait la même chose pour l'autorité des parents sur leurs enfants; ou il les a sanctionnés en prescrivant le respect et l'honneur à l'égard de toute puissance et autorité légitime, de tout titre respectable de science et d'âge et de tous les droits; de telle sorte que, en consultant la nature avec la vertu et la lumière évangélique, un grand nombre d'hommes agglomérés sans classification se classent bientôt eux-mêmes. Ainsi, à dire vrai, la démocratie absolue est impossible dans la nature; elle n'a jamais duré cinq minutes, comme l'écrivait Jean Muller, entre des hommes raisonnables et de bonne foi. Dans les républiques les plus démocratiques, pour peu qu'elles soient raisonnablement constituées, le principe démocratique et la hiérarchie artificielle qu'il est appelé à établir ne règnent qu'à la surface *secundum quid*, et encore dans des limites fort restreintes quant à leur objet; tandis que la vie sociale se meut toujours, appuyée, comme sur sa base la plus durable, sur la hiérarchie naturelle, qui se révèle avec la force de l'autorité à toute la famille humaine, et limite toutes les libertés, et qui s'affermi encore avec douceur par la hiérarchie religieuse chez les nations catholiques.

V. Thomassin, *De Nova et Veteri Ecclesiae Disciplina*, tom. III, lib. I. — De Héricourt, *Compendium Thomassin*. — Bingam, *Origines et antiquitates Eccl.*, tom. II, l. V. — Natalis Alexander, *Hist. Eccl.*, sec. IV et V. — Vaudet, *Des Changements opérés dans l'administration de l'Empire*, tom. II, c. n. — Dupues, *Traité de la Jurisp. crim.* — Bergier, *Dictionnaire*, v° Immunité. — Muzzarelli, *Il buon uso della Logica*, ecc. Dissertaz. Sulle immunità eccles. — *Dell'origine delle immunità del Clero cattolico, e d'ogni altro sacerdozio creduto dagli uomini legittimo e santo*, libri due, Cesena, 1791. — Item dicenda Tractatu *De Ordine*, ubi de privilegiis Clericorum. — Luc. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v° Clerus, Clericus, art. 2 et 7. — *Civiltà Cattolica*, ser. I, tom. X: l'unico foro dei governi ammodernati.

(V) Page 193.

387. Si dubitetur an lex in aliqua sua parte præcipiat, an tantum spædat, vel non obligat vel obligat sub levi, ut dicunt Croix, Sanchez, et fuse probat Gobat. Ratio quia libertas est in possessione, et in obscuris minimum est sequendum; atque semper in dubiis benigniora preferenda sunt. Idem dicatur, si post diligentem veritatis inquisi-

tionem dubium sit, an lex obliget sub gravi; nam est Sanctorum doctrina declarari non debere quidpiam uti mortale, nisi constet ex certa vel Scripturæ, vel Traditionis, vel Ecclesiæ auctoritate, aut saltem ex ratione manifesta. Neque obstat quod lex, si tantum consuleret, non esset lex, cum lex non sit consilium sed præceptum; nam satis jam ipsa sustinetur in ea parte, qua præcipit. Quod si universim videretur consulere, rediret quod supra, quod nempe obligaret dumtaxat sub levi, id est a minus; obligaret tamen.

Quid (addes) si dubitetur, an res sub præcepto expressa licita sit, necne? Verior sententia et communis affirmat tunc subditum teneri dubium deponere et superiori obtemperare, nisi res præcepta esset valde difficilis, molesta et periculosa, prudentum judicio. Dubium autem deponet, si vix consulat rationem et auctoritatem: — 1. Rationem, tum quia ipsa præcipit, ut superior legitime existens in possessione imperandi, eadem non debeat expoliari, nisi aperte constet rem imperatam esse illicitam; tum quia clare patet nullam hominum societatem consistere posse, si semel subditis concederetur facultas sese eximendi ab obedientia, quotiescumque dubium occurreret de honestate actionis a superiore imperate; — 2. auctoritatem, quia clamat Deus: *Si difficile, et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... facis quodcumque dixerit qui præsumt loco, quem elegerit Dominus (Deut. xix)*. Clamat jus canonicum, obediendum esse, si quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est. Clamat jus civile, obediendum in omnibus, quæ non sunt contraria animæ et regulæ. Clamant omnes præclariore Theologiæ mysticæ Magistri, quorum unum tantum appellamus, nempe sanctum Ignatium, qui ait (V. *Cattolico di Lugano*, t. XXIII, p. 25): *Obediendum in omnibus ubi peccatum non cernitur, id est ubi nullum manifestum est peccatum*. Item est si dubitetur an superior sit legitimus, si talis habeatur communiter.

Diximus: *Nisi res præcepta esset valde difficilis, molesta et periculosa*, v. g. si personam exponeret certo periculo gravis damni subeundi in vita, fama, honore et fortuna. Nam tunc subditus non tenetur se privare suo jure certo, quod jam possidet circa talia bona magni momenti. Neque lex humana per se obligat cum gravi incommodo; eo igitur in casu præceptum est certe exorbitans. Ita communiter Billuart, Dens, Salmanticensis, Sanchez, etc. (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 99; l. III, n. 617.)

Sed (dices) si in dubio de existentia legis, possidet libertas; cur non etiam in dubio de illius justitia? Latum est discrimen; nam in 1° casu, cum dubium sit an lex existat, possidet utique libertas quæ anterior est. Non item in 2°; cum enim quæretur de legis justitia,

jam supponitur ipsa præexistere; ideo ipsa possidet, nostrumque propterea est illius inhonestatem certo probare.

Eadem ratione possidet lex, si dubitetur *an* cessaverit, *an* abrogata, *an* ierit in desuetudinem, *an* acceptata, *an* eam impleveris. — V. Li-guori, *Op. Mor.*, l. I, n. 97, etc.

(X) Page 201.

388. Ad rem quoad populorum insurrectionem hæc leguntur in libro, *La République italienne de 1849*, c. XLIII. « Il n'y a, à proprement parler, aucun souverain sur la terre, et cette parole d'Alfiéri est vraie et pleine de solennité : « En face de Dieu, qui donc est roi? » La justice seule est souveraine, sa lumière est la règle des droits et des devoirs, son épée brille sur les peuples et sur les trônes, et à son tribunal elle convoque ensemble les princes et les nations. Mais, dans l'intervalle qui nous sépare de ce jour suprême de la justice, qui contrôlera les princes prévaricateurs au détriment des peuples? — Telle est la question qui agite la France, l'Italie, l'Allemagne, le monde entier. Cherchons-en la solution.

« Tout accusé a droit à ce qu'on lui accorde un tribunal compétent, une procédure, une sentence mûrement délibérée. On ne peut arracher un cheveu à un particulier sans un jugement bien pesé et conforme à la légalité; parmi les nations les plus libres, le jugement doit être encore plus réfléchi, plus authentique. Et maintenant où est le tribunal, où est la loi, où sont les juges faits pour les souverains? Au moyen âge on trouvait le tribunal auprès du souverain pontife et des premiers dignitaires de l'Église catholique. Le célèbre Leibnitz était émerveillé de ce système, parce qu'il imposait un frein aux rois, en même temps qu'il assurait une garantie aux peuples. Durant cette dictature fondée sur de purs motifs de moralité et de justice, l'humanité aurait été délivrée des deux plus grands fléaux, qui sont les guerres et les révolutions, dans lesquelles il faut combattre, comme dans les luttes avec les bêtes féroces, par l'agilité et la force, non par la justice et la raison. Déliver, par exemple, les peuples de leur serment de fidélité envers Henri IV et Henri VIII, n'était-ce pas leur donner une garantie de liberté contre la tyrannie?

« Mais cette jurisprudence, concession spontanée des peuples et des rois, rayon de civilisation suprême brillant au-dessus de la suprême barbarie, n'était pas inhérente à l'Église : elle résultait d'un pacte accidentel fait à cette époque, et elle n'existe plus. Nous nous retrouvons en face du principe applicable à tout membre de l'humanité. Les souverains doivent être jugés par une autorité compétente sortie du droit

et non de la violence : et je répète ma question : Où est ce tribunal authentique qui juge les souverains? On répond : Ce tribunal, c'est la nation.

« Soit : S'il y a en effet une cour devant laquelle le roi doit comparaître, c'est certainement la nation, puisqu'il est souverain par la grâce de Dieu et de la nation. Mais les sociétés secrètes, mais la tourbe des factieux et des révolutionnaires, ne sont pas la nation : elles l'empêchent d'exprimer sa pensée en la séduisant par la ruse et la perdant par la violence. Que ces juges incompétents et corrompus se retirent donc et laissent, avant de s'insurger, la nation, dans une discussion libre et calme, prononcer son jugement à la lumière du soleil. Est-ce là le procédé des conspirateurs? Respectent-ils la souveraineté du peuple? Ne sont-ils pas plutôt ces noirs démons qui rôdent dans les ténèbres, et ne se montrent que lorsqu'ils ont assez attisé l'incendie qui envahit les nations. Les socialistes de France et de toute l'Europe avaient-ils consulté la nation avant de la lancer dans le gouffre béant de la révolution? Ils sont comme le rocher qui se détache des monts et qui, dans sa chute précipitée, écrase les arbres, les demeures des hommes, les troupeaux et leurs pasteurs. Direz-vous alors que ces pasteurs, ces troupeaux, ces demeures, ces arbres, ont été consultés et écrasés librement? Telle est pourtant l'œuvre des révolutions : elles brisent les peuples, et les peuples n'entrent pour rien dans leur organisation. Le choc de quelques séditeux les emporte sans qu'elles puissent savoir où. Et voilà l'histoire de presque toutes les insurrections.

« Insistons encore sur ce tribunal de la nation. Pour quel crime la nation pourrait-elle priver le souverain de son autorité, et se soulever en armes contre lui et ses partisans? Parce que, outre les raisons de droit, il y a ici à calculer les conséquences d'une lutte civile entre ceux qui soutiennent et ceux qui repoussent le souverain, car il n'est pas aussi facile de trouver l'unanimité des esprits dans un empire qu'il le fut au sein de la ville de Rome, alors si petite, quand il s'agit de l'expulsion d'un roitelet comme Tarquin; les fantaisies de la politique moderne ne sauraient amener cet accord des esprits qui se manifesta contre une famille superbe et perdue de mœurs. Pour quelle faute du prince sera-t-il donc juste et convenable à la nation de s'insurger à main armée contre lui, et de se précipiter elle-même dans les horreurs de la guerre civile? Ici les publicistes pâlisent : et ceux même qui défendent la souveraineté du peuple, descendant des hauteurs de leurs spéculations, s'accordent, avec les défenseurs du droit divin des princes, à nier dans la pratique la moralité et la convenance des insurrections armées.

« Saint Thomas, Bellarmin et Suarez accordent à toute la nation le droit de soustraire à l'obéissance du prince qui viole dans sa substance le pacte fondamental de l'État et exerce la tyrannie; mais ni ces docteurs ni aucun autre théologien de valeur ne reconnaissent le droit d'insurrection par les armes. Suarez, expliquant Bellarmin, reconnaît au peuple le droit de défense dans les cas extrêmes, mais jamais le droit d'offensive (Suarez, *Defens. fidei*, lib. III, c. III). Saint Thomas veut bien que le tyran soit destitué par un décret national, et il rappelle l'exemple de Tarquin et de Domitien, et encore ces actes furent-ils annulés par le sénat; mais il ne reconnaît ce droit que dans le cas de tyrannie parfaitement déclarée, et à la nation seulement, non aux individus. Il fait observer que les plaintes doivent être portées légalement des inférieurs aux supérieurs, comme firent les Hébreux quand ils dénoncèrent à Auguste les exactions d'Archélaüs, imitateur de la scélératesse de son père. Si ce moyen ne pouvait être pris, ou que ce ne fût pas le cas, et que la justice humaine n'aidât en rien, S. Thomas, loin d'autoriser l'usage des armes, conseille de recourir au Roi des rois, dans les mains duquel est le cœur des princes. C'est lui qui changea en douceur la férocité d'Assuérus; lui qui rejeta du trône et même du commerce des hommes le superbe Nabuchodonosor; lui qui vit dans l'Égypte les souffrances de son peuple et engloutit dans les flots de la mer Pharaon et son armée. Son bras ne s'est pas raccourci depuis lors. Dieu envoie les mauvais princes pour le châtement des peuples; faites donc cesser les crimes du peuple pour que la plaie des tyrans cesse aussi. Tels sont les arguments et les conclusions de S. Thomas. *De Regim. Princip.*; l. I, c. VI.

« Autre n'est pas l'enseignement de l'Église de Jésus-Christ, de celui qui distinguait les deux chefs du monde social et les nommait César et Dieu. S. Pierre commanda d'obéir au prince *propter Deum*; S. Paul, *propter conscientiam*, et même aux mauvais princes, pourvu que leurs ordres ne soient pas mauvais. L'auteur des *Constitutions apostoliques* appelle cela la loi de Dieu : *Hoc enim est Dei lex*. Tertullien, tandis que le fer des tyrans brillait sur la tête des chrétiens, écrivait à Scapula : « Le christianisme n'est ennemi de personne, pas même de l'Empereur; il sait que le prince est établi par son Dieu, et qu'il doit l'aimer, le respecter, l'honorer et prier pour son salut. »

« Mais personne n'a mieux dépeint la conduite des premiers chrétiens et la sagesse qui les inspirait que le grand S. Augustin : « Julien, dit-il, fut un empereur infidèle, fut apostat, impie, idolâtre. Alors les soldats chrétiens obéissaient à un empereur infidèle; mais, dans la religion de Jésus-Christ, ils ne connaissaient d'autre empereur que

« celui qui règne aux cieux. Quant il fallait aller devant les idoles, ils préféraient Dieu à l'Empereur. Quand il disait : Mettez-vous en ligne, combattez ! ils obéissaient, parce qu'ils distinguaient le Maître éternel du maître temporel, et qu'au nom du Maître éternel ils obéissaient au maître temporel : *Distinguebant Dominum æternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum æternum Domino temporali.* » (*De civit. Dei*, l. XVIII, LIII.) Voilà la théorie et la pratique du christianisme, exposée par le plus grand génie qui ait illustré la philosophie et l'Évangile : Obéir dans le bien, supporter le mal. »

(I) Page 308.

389. Nonne (inquires) *Roma est, uti vocant Politici, territorium exterum relate ad provincias et regiones, quæ extra Ditionem Romanam sitæ sunt? Ergo ne ipso quidem volente Pontifice, leges Romæ promulgatæ pro dictis provinciis et regionibus valere possunt, nisi in ipsis quoque debita donentur promulgatione.*

R. Distinguendo ant. *Roma est territorium exterum relate, etc.*, in rebus politicis atque civilibus, *concedo*; in rebus religiosis et sacris, *nego*. Nos hic loquimur de legibus ad Religionem spectantibus, et datis ad orbem catholicum. Hoc autem sensu absolute negamus Romanam esse, vel dici posse territorium exterum; nemo enim ignorat hoc regnum et territorium non esse aliud, nisi mundum ipsum universum, a solis ortu usque ad occasum, juxta illud Christi ad præcones suos Apostolos : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. At hujus regni seu territorii centrum sive urbs, Roma est uti residentia Pontificis Maximi, visibilis Christi Vicarii, ac Supremi Legislatoris pro toto dicto territorio et regno, in rebus utique religiosis et sacris. Ergo sicuti repugnat ac dedecet Romanum Pontificem (*verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiæ Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem*, ut Concilia loquuntur et Patres) Principis exteri nomine noncupare relate ad eos fideles, qui extra fines Ditionis Romanæ morantur; dedecet pariter et repugnat, quando agitur de legibus Pontificiis ad omnes Christianos Romæ datis, Romam ipsam territorii exteri vocabulo appellare, cum totius unitatis catholice ea sit centrum. — Attamen notandum est cum Suarez, nempe quod leges illæ Ecclesiasticæ, quæ infirmant contractum natura sua validum, aut jurisdictionem auferunt jam existentem in foro Sacramentali, possunt benigna donari interpretatione et sic intelligi, ut non censeatur esse mens R. Pontificis illas obligare, nisi in singulis

Provinciis promulgentur. Alioquin ipsæ redundarent in detrimentum fere commune.

« Rome (dit Fénelon) est la patrie commune de tous les chrétiens : tous les chrétiens sont concitoyens de Rome, chaque catholique est Romain. »

« Les hommes politiques (*ad rem episcopus Parisi*, de l'Église et de l'État) accueillaient généralement avec faveur cette parole, si blessante pour nos âmes catholiques, que le Pape est un *souverain étranger*.

« Oh! non, le Pape n'est pas pour nous un souverain étranger; il est au contraire le souverain de chacun de nous dans ce que nous avons de plus personnel et de plus intime, car il commande à nos esprits par sa parole, à nos consciences par sa volonté.

« Cette souveraineté, le Pape l'exerce toujours et sur tous, soit par lui-même, soit par l'intermédiaire des pasteurs, dont il domine toute la hiérarchie. Il s'étend aussi bien aux chrétiens dispersés dans des pays idolâtres qu'aux fidèles agglomérés dans les contrées catholiques : car tous, malgré les distances et les obstacles, malgré la diversité des mœurs et la rivalité des nations; tous, quelque langue qu'ils parlent, à quelque classification sociale qu'ils appartiennent, sont les membres d'un même corps, les citoyens d'une même patrie, les sujets enfin d'un même chef visible préposé au gouvernement d'une même société, spirituelle dans son objet, néanmoins nécessairement soumise dans son existence à toutes les conditions des sociétés humaines. »

390. « Cependant il peut arriver qu'une loi, qu'une constitution disciplinaire, quelque sage qu'elle soit, ne convienne pas également partout, et qu'elle offre des inconvénients particuliers dans un ou plusieurs diocèses. Alors les évêques de ces diocèses peuvent et doivent même en suspendre l'exécution, à charge par eux d'exposer leurs motifs au Souverain Pontife, en le priant ou de ne pas appliquer cette loi à leurs Églises, ou d'en accorder la dispense au moins pour un certain temps; pourvu que d'ailleurs ils soient dans la disposition de s'en rapporter à la décision du Pape : *Illud autem omnino tenendum est* (dit le dernier concile de Reims, an. 1857, c. iv, d'après Benoît XIV), *ut in hujusmodi recursibus debita apostolicæ sedis reverentia semper servetur; et cum ipsa, omnibus auditis, judicium suum protulerit, illius sententiæ obtemperetur, ejusque jussa prompte executioni demandentur...* At non hic agitur de Pontificis constitutionibus, ut addit idem Benedictus (*De Syn.*, l. IX, c. viii) dogmaticis quæ ad fidem pertinent, cum in his irreformabile sit R. Pontificis judicium. Agitur itaque de constitutionibus ad disciplinam pertinentibus; at non ad illam quæ sacros respicit ritus, cæremonias, sacramenta, clericorum

vitam. » Gousset, *Exposition des principes du droit canonique*, n. 100, etc.

(Z) Page 221.

391. Q. *Quænam sunt regulæ ad doctrinalem interpretationem?*

R. Ad doctrinalem interpretationem regulæ receptæ sunt :

1. In legis interpretatione sequi oportet naturalem verborum proprietatem, nisi sic agendo sensus fieret absurdus, aut lex ipsa prorsus inutilis. Cum enim lex debeat esse clara, præsumendus est legislator eo loqui sensu, quem verba in communi hominum acceptione referunt.

2. Lex generaliter loquens omnia significata propria complectitur : sane ubi *lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*. Quod si verba legis sint æquivoca, eorum significatio sumenda est ex antecedentibus et consequentibus, ac præsertim ex fine legis; cum finis sit quasi prima ratio operis. In dubio autem fit interpretatio pro valore actus.

3. In legis interpretatione præ oculis semper habendum est vulgatum illud : *Odia restringi, favores convenit ampliari*. Quare in odiosis stricta, in favorabilibus lata interpretatio adhibenda. Idem tenendum est quando lex exhibet duplicem sensum, unum naturalem, alterum civilem : sic v. g. vocabulum *mortis* ex communi acceptione tribuitur morti naturali, sed ex jure accommodatur etiam exilio et professioni religiosa (in penalibus sensus naturalis teneatur; civilis in favorabilibus; vid. Liguori, *Ho. Ap.*, tract. II, n. 76). Sic nomen *fili* ex communi intelligentia refertur ad filium naturalem, sed ex beneficio legis accommodatur etiam adoptivo.

Ex Codice civili hic ordo tenendus : — 1. ut attendatur diligenter verbum et sensus naturalis legis scriptæ; — 2. ut si ex legis scriptæ verbo et sensu naturali nequeat controversia dissolvi, tunc recurratur ad casus æquales (si qui possunt haberi) jam a lege ipsa definitos, vel ad principia legum aliarum ad illam materiam pertinentium. Dicitur *jam a lege ipsa definitos*; nam definitiones Magistratum etiam Supremorum nullam habent vim legis; — 3. ut si adhuc casus remaneat indefinitus, consulantur principia generalia juris, bene perpensis singulis circumstantiis. Porro generalia juris principia inveniuntur potissimum in jure communi.

392. Quoad mortem civilem hæc pro nostris temporibus habet, ut notat *Giurisprudenza degli Stati Sardi*, Genova, 1851, disp. viii :

« 1. La mort civile, telle qu'elle est établie en France, n'existe dans aucun pays de l'Europe. Parmi les peuples chez lesquels elle

avait été introduite avec le Code civil français, la Belgique (art. 15 de la Const.) et les Pays-Bas (art. 4 du Code civil) l'ont abolie formellement. Dans les Deux-Siciles (art. 28 et suiv. du Code civil) et dans le royaume de Sardaigne (art. 45 et suiv. du Code civil), elle n'a été conservée qu'avec des modifications. Ainsi, par exemple, dans les États sardes, la mort civile n'exerce aucune influence sur le mariage (comme contrat) du condamné. Le nouveau Code pénal du grand-duché de Bade (§ 17) a abrogé implicitement la mort civile. La Bavière est le seul État allemand qui ait admis la mort civile, en en faisant la conséquence de la peine des fers (Code pén. de 1813). En Angleterre et dans le reste de l'Europe, la mort civile est inconnue.

« 2. Il n'est pas exact d'assimiler la mort civile à la mort naturelle. Tant que le condamné est en vie, il peut avoir l'espoir de sa grâce ou de quelque événement qui le remette en possession de ses droits civils perdus. Il faut admettre une exception unique, commandée également par les principes les plus élémentaires du droit et par l'équité, à propos des effets de l'amnistie : c'est celle qui résulte des droits légalement acquis par des tiers, et qui doivent être maintenus dans leur intégrité. »

(44) Page 234.

393. Hic nonnulla notanda pro praxi : — 1. valet dispensatio alicui improbo concessa, quem dispensator probum putavit, etsi cognita improbitate, ipse certo non fuisset dispensaturus, quia probitas non reputatur nisi causa impulsiva; — 2. valet, etsi concedatur in mala fide, ut eum putat dispensator causam non adesse, quæ revera adest; nam valor non pendet a cognitione, sed ab existentia causæ. Item valet si causa finalis tempore petitionis sit falsa; sed vera fiat tempore concessionis; quia a concessione dispensatio obtinet; — 3. valet dispensatio concessa a primario superiore, licet ab alio jam fuerit negata, etsi de negatione mentio non fiat. Imo probabiliter valet etsi a primario negata, fuerit a secundo superiore concessa; quia potestas inferioris non est restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat; — 4. advertunt recte Salmanticenses, non bene se gerere Prælatos qui ad se confugientes in dubio pro dispensatione, illorum conscientie relinquunt; sic enim conscientiarum tranquillitati non provident. Consultius erit, vel ut aperte dispensent, vel ut aperte dispensationem denegent in illo casu; semper autem clare loquantur, ne novo dubio fiat locus.

Quæres: An Episcopi possint extra Synodum Diocesanam abrogare leges ipsas Synodales, et novas condere contrarias? — Affir-

mative, sive leges a se sive a suis antecessoribus factæ fuerint, quibus in omnibus succedunt; nam per quas causas res nascitur, per eas dissolvitur, ut recte docent cum L. Ferraris, *Biblioth. Can.*, v<sup>o</sup> Concilium, art. 2. Unum excipe: nempe non possunt Episcopi dispensare in lege Synodali taxativa congruæ pro Ordinandis, quæ est lex scripta; nec in non scripta, scilicet consuetudine regionis. Ratio est Bulla Innocentii XII, *Speculatores* (quam refert Croix, n. 2166), edita anno 1694: statuit enim, ut *beneficium ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad SS. Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur*. Unde Pontifex implicite admittit Episcopo facultatem dispensandi, seu potius arbitrandi, aut faciendi supputationem suo modo, licet pro illa vice tantum. Ita resolvit Lib. *Praxis Secretariæ Tribunalis Cardinalis Urbis Vicarii*, auctore Romualdo Honorante. Romæ, 1662, cap. viii.

394. Sed (quæres) an superior, justa extante causa, teneatur dispensare? — R. Si justa causa sit talis, ut tantum reddat convenientem dispensationem, non tenetur superior dispensare; nam est mera gratia, ideo libera. Sed e contrario dispensare tenetur, si dispensatio sit necessaria ad grave damnum avertendum, vel bonum commune procurandum; ideo enim ipsi potestas data fuit. Denegata tamen dispensatione, subditus nequit agere contra legem, cum adhuc sub ipsa sit: excipe, nisi causa adeo urgeat, ut eum a lege omnino subducat; nam *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (cap. iv de reg. juris).

Quid (addes) si dubitetur, an causa extans justa sit, ac sufficiens? — R. Eo in casu superior poterit dispensare in lege humana; quia possidet illius potestas, et causa extans præsumitur legitima. Secus si dubitetur, an quis habeat potestatem, vel an adsit causa: tunc ipsa remanet probanda (nisi tamen dubitetur post factum; nam *præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum*).

In dubio autem sive positivo, sive negativo, an aliquis casus indigeat dispensatione, satius erit adire superiorem, saltem ad majorem tranquillitatem, ut ipse casum declaret vel dispense; est enim commune, quod in casibus dubiis prælatus, quamvis inferior, possit dispensare, etsi nihil specialiter circa hoc sibi commissum fuerit a superiore. Attamen poterit tunc et ipse subditus uti sua libertate; quia idem est ac dubitare, an casus ille sit inclusus in lege. Excipe dispensationes matrimoniales ratione Sacramenti, ne illud frustrationis exponatur periculo.

An (quæres) valeat legis dispensatio extorta per metum, vel

*tacita de presenti, vel præsumpta de futuro?* — R. Dispensatio extorta *per metum* etiam injustum valet, si non constet omnino de fuisse in superiore animum dispensandi; quia metus non tollit voluntarium. — Item valet dispensatio *tacita*, modo possit juste præsumi consensus de presenti: tunc enim æquivalet expressæ. Hinc si superior videat suam legem negligi, et taceat, cum possit facile ac sine incommodo corrigere, nec monendo majus malum timeat, juste præsumentur dispensare; ne dicatur superior peccare. — Non tamen valet dispensatio *præsumpta de futuro*; nam præsumptio indicat tantum dispositionem ad dispensandum, non actualem et veram dispensationem (V. Liguori, *Hom. Apost.*, tr. II, n. 51.)

Nec refert, quod valeat licentia præsumpta; etenim dispensatio cum sit vulneratio legis, strictè est accipienda. Non item licentia, quæ non aufert legis obligationem, sed tantum conditionem apponit, sub qua lex non obligat. Sic v. g. si agere aliquid prohibeatur sine licentia, qui licentiam illam obtinet a superiore, ut agat, non proprie in lege dispensatur, imo potius operatur juxta legem ipsam, quæ vult ut in casibus occurrentibus licentia petatur.

395. Quoad dispensationes hæc adhuc perutilia sint cum Auctore libri, *Examen raisonné*, etc. :

« Les rescrits qu'on prétend avoir été expédiés à Rome sont censés nuls, quand il y a quelque erreur manifeste dans les termes ou dans la construction : *Falsa latinitas vitiat rescriptum*, disent les canonistes, fondés sur la décision du Pape Lucius III : *Quibus litteris, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere*. Cap. II de Rescript. Ici se présentent plusieurs questions, que nous allons brièvement examiner.

a) Lorsque dans la supplique on s'est trompé sur les noms et prénoms des suppliants, sur les noms de leur paroisse et de leur diocèse, la dispense est-elle nulle ou du moins suspecte de nullité?

— Si l'erreur ne tombe que sur les noms et prénoms des suppliants, et même sur le nom de leur paroisse, et qu'elle soit réparée par des circonstances qui fassent suffisamment connaître la personne des impétrants, elle n'est qu'accidentelle et n'annule point la dispense, puisqu'elle ne change pas la volonté du supérieur par rapport à la grâce qu'il a accordée. *Sic communitèr*. Cependant, pour procéder juridiquement, l'official est obligé de faire constater par témoins les circonstances qui rectifient l'erreur; et, en entérinant le bref, il doit rendre raison du changement qu'il fait dans le nom. *Collet*<sup>1</sup>. — Si

<sup>1</sup> Si error contingat in nomine aut pronomine supplicantis, omnes resolvunt ab isto errore de jure non vitari dispensationem, modo satis constet de persona; Pyrrus tamen docet ex stylo romanæ Curie vitari; quod

l'erreur tombe sur le nom du propre diocèse, Collet, Pontius et quelques autres croient qu'elle n'est encore qu'accidentelle; mais Sanchez, Corradus et plusieurs autres théologiens regardent avec plus de probabilité cette erreur comme essentielle, et la dispense obtenue en conséquence, nulle: en effet, la dispense vient de Rome en forme commissaire; par conséquent, pour l'entériner, il faut être délégué du Saint-Siège. Or quel sera l'official qui sera délégué dans ce cas? ce ne sera pas l'official du diocèse dont le bref porte le nom, puisque l'intention du Souverain Pontife est de ne déléguer que l'official de la personne impétrante; ce ne sera pas non plus celui-ci, puisque, pour être délégué et acquérir une juridiction, il faut non-seulement que le supérieur veuille communiquer son pouvoir, mais encore qu'il manifeste sa volonté en particulier; et, comme le Pape ne désigne point dans le bref l'official de la personne impétrante, il suit qu'il n'est nullement délégué: donc, etc.

396. b) *Toutes les fois qu'ayant obtenu une dispense, on en demande une seconde, est-on tenu de faire mention de la première?* — Si la première dispense obtenue a un rapport avec la seconde, et qu'elle la rende plus difficile, d'après le droit on est strictement obligé d'en faire mention: ainsi, par exemple, si un mari, après s'être défait de sa première femme, avait encore tué celle qu'on lui avait permis d'épouser, et qu'il demandât une seconde dispense, il serait tenu de faire mention de la première, autrement la seconde dispense serait nulle. Mais, si la première dispense n'a aucun rapport avec la seconde, et qu'elle ne la rende nullement plus difficile à obtenir, il n'y a point l'obligation de faire mention de la première: si quelqu'un, par exemple, était dispensé pour une autre parente, et que le mariage ne se conclût point, il pourrait demander une semblable dispense pour une autre parente, sans faire mention de la première qu'il avait obtenue. » *Cetera de Matrimonio*.

(BB) Page 244.

Plura circa consuetudines adnotamus.

397. a) Circa prudentiam in evellenda consuetudine audiendus inter ceteros Benedictus XIV, qui Constitutione *Paternæ charitatis*, quoad mercatus, qui festis diebus alicubi agebantur, ait: « Quia malum universale est, ac alte radices egit, opus est prudentia et maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet: *Quod possumus, exigent*

Rosa De Justi, et La Croix restringunt ad dispensationem in forma pauperum, ita *Dens*.



dum est, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam minis; et si minæ quandoque intententur, servandum est exacte monitum sapientissimum S. Augustini, *Epist. xxii ad Aurelium Carthaginensem Episcopum*, qui agens de auferenda convivorum licentia totam passim Africam fœde occupante, sub inani obtentu honorandi festa Martyrum, scripsit: *Non aspere quantum existimo, non duriter: non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo; magis monendo quam minando; sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.* — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Abusus.

398. b) Triplicem in consuetudine veluti temporis statum distinguunt Salmanticensis: *Initium, progressum et finem*. Initio introducens consuetudinem contra legem omnes peccant; quia adhuc obtinet lex. In progressu non peccant qui ea jam a majoribus inducta utuntur bona fide, sed adhuc possunt a Principe puniri; quia nondum ea est legitimata. In fine neque peccant, neque amplius puniri possunt: cum jam sit vera lex.

399. c) *Nemo consuetudinem rationi et veritati præponat; quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit* (Decret. dist. viii, c. iv). « On ne peut, par exemple, regarder comme raisonnable un usage qui, sans être mauvais de sa nature ou dans son objet, est une occasion de péché pour un grand nombre, et devient pernicieux au salut des âmes. On doit également mettre au nombre des coutumes illégitimes celles qui sont repoussées par le droit (V. Decret. cap. *Cum in cunctis; c. Noverint; c. Cum terra; c. Cum inter; c. Irrefragabili; c. Cum officii*, etc.), ainsi que celles qui tendraient à altérer la constitution de l'Église qui est une vraie monarchie; ou à troubler l'ordre hiérarchique qui élève le Souverain Pontife au-dessus de tous les évêques, et les évêques au-dessus de tous les prêtres de leur diocèse, ou à rompre le nœud de la discipline ecclésiastique, soit en faisant dépendre l'exécution des Constitutions apostoliques du placet des souverains ou de l'acceptation des évêques, soit en favorisant des actes contraires au libre exercice de la juridiction du Chef de l'Église. » Gousset.

d) Si lex contra quam prævalere dicitur consuetudo sit valde necessaria ad servanda jura Ecclesiæ; si timendum ne nervus disciplina solvatur ea lege semota; si consuetudo allegata sit affinis aliis a S. Sede improbatis, illam admodum suspectam habebimus. E contrario si consuetudo ita moribus regionis indulgeat, ut non detur locus hisce peri-

culis, reputabitur rationalis. Quod si res dubia sit, erit præsumenda rationalis, ait Reiffenstuel, ac bono publico expediens; *in dubio enim favor consuetudinis velut in possessione existentis, erit firmandus*.

400. e) An decreta Tridentini possint temperari per contrarias consuetudines, plures Canonistæ negant cum Lambertini (*Notificatione* 60), De Luca (*Discur.* 1 in Trid.), Devoti et aliis; nam Pius IV, Bulla *Benedictus* abrogat omnia quæ Tridentino contraria esse possunt, ideoque nullius efficit momenti consuetudines quæ illi adversantur. Sed alii canonistæ affirmant; nam verba Pii sunt potius intelligenda de antea consuetudine; est autem de principio generali, quod non obstante clausula vel decreto irritante, contraria consuetudo induci possit. Hoc autem passim admittunt cum S. Alphonso, *Op. Mor.*, l. IV, n. 15. Hæc cum ita sint (concludit auctor Operis, *Prælect. juris canon. habitæ in semin. S. Sulpitii*) probabilior nobis videtur secunda opinio; ea tamen conditione, ut servata disciplina et mente Concilii, accidentalem solummodo illius decretis derogationem inducat consuetudo: sed pronuntiare nostrum non est. In hac re sicut in aliis sensus nostros filiali animo submittimus iudicio ecclesiæ romanæ, cujus est dare veram certamque interpretationem decretorum Concilii et Constitutionum Sanctæ Apostolicæ Sedis.

401. f) *Quid de consuetudinibus nonnullarum ecclesiarum?* — Majores ecclesiæ privilegia seu consuetudines vulgo *libertates* nunquam urgent: sunt nempe quædam exceptiones a jure et disciplina communi, v. g. ut episcopus dispenset in impedimentis, etc., quin fiat recursus ad romanam sedem; ne ab episcopo interdicatur regnum; etc. Quæ si habeant assensum expressum vel tacitum Apostolicæ Sedis, non sunt reprobandæ. Hoc spectat privilegium concessum regibus subalpinis a Bonifacio VIII, a Julio II, a Leone X et Clemente VII, 15 feb. 1529, ut nempe excommunicatio in reges, vel generale interdictum in totum regnum non possit ferri nisi a Papa ipso vel ab expresse delegato a Papa.

Quoad libertates ecclesiæ Gallicanæ de quibus tot abusus, vid. *Prælectiones* laudatæ. Id unum notamus experientia multarum gentium, nedum particulares ecclesiæ lærentur ex hisce libertatibus, quas tenacius retinere contendunt, in periculum potius veniunt vera jura amittendi: hoc mira verborum concinnitate significat Fenelonius: *Libertés à l'égard du Pape, servitudes à l'égard du roi*.

(CC) Page 248.

402. Cum plurimum conveniat ut populus Missæ Parochiali assistat, tum ut oves suam agnoscant pastorem, tum ut Verbum Dei audiant,

unum adhuc poterit Episcopus, uti declaravit S. Congregatio 25 maii 1552, disponere, ut diebus festis Missæ celebrari non debeant in altis Ecclesiis, nisi celebrata Missa in Ecclesia Parochiali. Et D. Carolus gravibus ac per viscera misericordiæ J. C. omnes adhortatur et obsecrat, ut ad parochiam festis diebus conveniant (*Act. Eccl. Med.*, p. I, p. 302). — Et sane (ad rem Stapf) res est pessimi omnium, si ovicula, derelicto pastore suo, diebus festis huc illuc discurrunt. Præterquamquod tales dum ad pascua aliena deflectunt, in doctrina salutis plerumque jejuni manent, etiam multis magnisque vitiorum illecebris implicantur, tum in ipsis locis celebrioribus ubi per diem commorantur, tum in transitu et reditu ex illis; atque exinde curatores animarum præsertim illis in communitatibus parum solatii experiuntur, quæ urbi vel oppidulo cuidam adjacent. » (§ 221.)

Sunt qui parochum post Evangelium concionaturum statim descendent, templo quasi columbario exeunt; ac nonnisi finita concione, revertuntur. Abusus est eliminandus; sic enim agentes si Missæ non deficient, deficient instructioni, cujus quidem nulla major necessitas. Hujusmodi homines olim a Concilio Carthaginense IV excommunicabantur: quot hæc tempestate hanc penam incurrerent! At videamus ne et ipsi nos culpa teneamur, si populus nauseat super cibo nostro, utpote levissimo. Nullam forsitan industriad impendimus in concione ac catechesi paranda, illas similitudinibus, exemplis ac certa quadam expositionis festivitate exornando: quæ quidem adeo auditores alliciunt. Nullam fidelibus reverentiam exhibemus; nil de illis blande prædicamus, aliquando si opus, laudem ipsis concedendo; sic enim eorum corda lucrifunt.

**403.** An (quæres) præcepto satisfaciat Missam audiens in Oratorio privato, in iis nempe sacellis quæ in domo privata erecta sunt ex privilegio Papæ, ut ibi peragantur divina mysteria?

R. Ex Brevibus concessionis habetur non satisfacere præcepto qui Missam audiunt in Oratoriis privatis, nisi vel sint domini aut eorum conjuncti, qui habitent in eadem domo eorumque expensis vivant; vel sint servi, qui a dominis alantur, et quidem familiares necessarii. Imo et pro istis festa principaliora excipiuntur, nisi concessio facta sit causa infirmitatis.

Non tamen uti privata Oratoria sunt habenda:

1. Oratoria benedicta et designata ad usus sacros, licet erecta in domibus privatis; si tamen ingressus pateat etiam a via publica; —
2. Oratoria erecta in seminariis, conservatoriis, hospitalibus, et domibus religiosorum; sic enim habet praxis, nec sunt private domus; —
3. Oratoria erecta in palatiis Episcoporum ac Cardinalium ex

S. Concilii Congregatione: imo Episcopi possunt celebrare vel celebrare facere, se presentibus, in omnibus domibus (etiam extra Diocesim), ubi reperiuntur causa visitationis, aut itineris, aut moræ extra Diocesim a jure vel a Sancta Sede ob aliquam causam peculiarem permissæ. Ita Bulla *Apostolici muneris* Innocentii XIII confirmata a Benedicto XIII.

Festa principaliora, ex S. R. C. anno 1607, in quibus non licet ut privilegio, sunt Pascha Resurrectionis, Feria V in Cæna Domini, Ascensio, Pentecostes, Nativitas, Epiphania; Annuntiatio et Assumptio B. V., Festum Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum. Merito autem docent Pasqualigus, Gattico et alii, quod dominus tenetur pro se et suis uti privilegio Oratorii privati in festis, si non possit adire Ecclesiam, non quidem ex vi privilegii, quia privilegium liberum est uti tale, et nemo tenetur eo uti; sed ex vi præcepti, quod obligat ad Missam audiendam illos omnes, qui illud sine gravi incommodo implere valent. — V. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., vº Oratorium. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 318 et seq.; *Homo Apost.*, tract. VI, nn. 37 et seq. — De Bonis, *De Oratoriis publicis et privatis*. — Bouix, *De episcopo*, p. V, c. XIII, ubi plura. — *Analecctis juris Pontificii*, an. 1858: *Traité des chapelles domestiques*.

(DD) Page 250.

**404.** Quæres: Qualis attentio requiritur in Missa audienda? — Duplex attentio: interna et externa. Interna ea est, qua quis advertit, et animum applicat vel ad verba et actiones Sacerdotis ex fine hono; vel ad sensum et mysteria, quæ per actiones et verba significantur; vel ad Deum precibus ac meditatione adorandum, laudandum, colendum. Externa vero in eo consistit, quod qui Sacrum audit, non ponat actionem externam impediendam mentis suæ applicationem.

Jam vero certum est, necessariam esse attentionem externam; cum illius defectus impediatur Missæ attendere humano modo. Hinc non satisfacit qui tempore Missæ scribit, pingit, legit libros profanos, imo etiam sacros, si sint historiarum, et legat vel sola eruditionis vel curiositatis vel studii causa. Item nec satisfacit qui per notabile tempus aut de re seria confabulatur, aut imagines attente considerat uti res artis, aut inscriptiones legit, aut scientias meditatur aut dormit etiam involuntarie. Dormitans tamen interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo advertat ad id quod fit, ita ut rationem sibi reddere possit quod reapse Sacro assistat, etsi vexatus a somno non satis attendat ad significationem.

Quod vero pertinet ad internam attentionem, sententia commu-

nior, probabilior et consulenda cum S. Thoma (In 4 dist. 15, q. 4, a. n), Billuart, Elbel, Salmanticensibus, aliisque recentioribus præsertim, docet ipsam quoque requiri, saltem virtutalem et confusam, ita nempe ut aliquo saltem modo advertatur quid fiat : nam ita sufficienter applicatur mens ad divinum cultum; nec plerumque a rudibus perfecta applicatio attendi potest. Item nec requiritur ulla oratio vocalis; nam assistentia religiosa etiam sine illa haberi potest : tamen in praxi rudibus maxime suadendum, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missa vel Rosarium, ne nimis distractionibus exponantur. Etsi autem Ecclesia directe non præcipiat actus internos, eos tamen præcipit indirecte, in quantum videlicet actio interna necessaria est, ut actio illa externa bene et rite fiat : sive ut Missæ Sacrificium pio et religioso modo audiatur. Ceterum ad levamen fidelium præstat animadvertere : 1. Ut dicatur quis præcepto de Missa audienda minime satisfacisse, requiritur non solum ut voluntarie se distrahat per notabile tempus : sed etiam ut plene advertat, se in Missa audienda distrahi, et tamen adhuc in illa mentis divagatione moretur. Si secus, locus sexcentis anxietatibus foret; — 2. satisfaciunt collectores eleemosynæ, cantores, musici, attollentes folles, etc., si aliquo modo attendere studeant. Ratio est, quia tales actiones Sacrificio inserviunt, et ad Dei cultum referuntur. Sentit autem probabilius Croix, sacerdotem posse Missam alienam audire, dum ipse celebrat, quia dum celebrat, jam orat.

**405. Quomodo dirigendus scrupulosus circa Missæ auditionem?**

R. En regulas ad dirigendum scrupulosum circa Missam :

1. Pœnitens ne sit anxie sollicitus circa intentionem; sufficit enim intentio implicita assistendi Missæ tanquam rei sacræ. Hanc autem habet quicumque templum petit volens facere officium hominis baptizati, vel quod faciunt alii fideles. Imo sufficit intentio Deum per Sacrificium honorandi, gratias eidem agendi, beneficia alia impetrandi, implendi Ecclesiæ præcepta in genere, satisfaciendi pro peccatis. — Imo sufficit, etiamsi non possit indicare ullam causam, ob quam templum ingressus est, dummodo tamen aperte non constet de causa mala.

2. Ne item sit anxie sollicitus circa attentionem tam externam, quam internam; utraque enim facillime obtinetur : *Externa*, si modeste se gerat, et omittat quod est incompassibile cum attentione interna. *Interna* autem juxta omnes habetur, si quis externe ita se gerat, ut possit rationem reddere eorum, quæ in altari geruntur. Hinc fatentur communiter hanc ordinari stare posse cum distractione involuntaria, imo etiam cum voluntaria (nisi positive et plene quis advertat se distrahi et quidem ab attentione ad Missam, et velit nihilominus se distrahere).

Alioquin onus nimis grave fragilitate hominum imponeretur; cum ferme sit impossibile mentis nostræ volubilitatem ita cohibere, ut unum opus valeamus perficere absque ulla vagatione.

3. Caveat Confessarius, de scrupuloso permittat Sacrum aliud audire in eum finem, ut scrupulo suo satisfaciat de Missa jam audita. Sed eundem certo satisfacisse, neque plus ab eo Ecclesiam requirere dicat; constat enim experientia istos ab angoribus minime liberari, etsi post secundam Missam audiant tertiam et quartam.

**406. Quæres : An qui ab audienda Missa legitime excusatur, alium religionis actum in compensationem elicere teneatur?** — Audiendus Bouvier : « Certum est eos ad nullum teneri vi præcepti Ecclesiastici, quo Missæ assistentia præcipitur et nihil ultra. At notat Billuart, cum ex præcepto naturali aliquando divinis vacare debeamus, aliquam hujusmodi compensationem Deo præstare debent; non tamen die Dominica, potius quam altera die; quia præceptum naturale non determinat tempus. Qui ergo preces matutinas et serotinas recitat, Missam infra hebdomadam audit loco Dominicæ, huic naturali præcepto plene satisfacit. »

(EE) Page 256.

**407. De jejunio Ecclesiastico inter cæteros poterit vid. Natalis Alexander, Hist. Eccl., sæc. II, diss. 4. — Bellarminus, Controv. de bonis operib., l. II, c. XIV. — Concina, De jejunio, diss. 7, c. I. — Bergier, Dict., v<sup>o</sup> Carême, Abstinence. — Scotti, Teoremi., part. IV, teor. 8; id. Omelie, t. I, Dom. 1 di Quares.; id. Catech. medico. — Belli, Sul digiuno e le astinenze, Roma, 1842. — Virringh Medicus, De jejunio et abstinentia medico-ecclesiasticis. — Gaume, Catechisme de persévérance, part. IV, leç. 55. — Doctor Pistelli, Commentario fisico sull' astinenza e il digiuno, Lucca, 1841. — Righetti, Lettere sul Digiuno e la Quaresima, Roma, Genova, Milano. — Præstat hic referre quæ leguntur in diario l'Armonia, n. 25, 1852, suppl. : « Dans toutes les pratiques du catholicisme se montre cette parole de Montesquieu : Elle fait ici-bas notre bonheur, tandis qu'elle n'a pour but que le bonheur de l'homme dans l'autre vie.**

« Les Saints Pères ont l'habitude d'insister sur ce point, que le jeûne est avantageux à la santé et à même ses joies. Le jeûne, disaient-ils, est la santé du corps, la force des membres, la prolongation de la vie, il augmente les goûts des mets, il est l'aliment des repas, parce qu'il est plus agréable de manger lorsque l'appétit est plus grand.

« Tous les exemples de longévité sont toujours unis à une grande

sobriété dans le manger. Rappelons-nous les plus célèbres moines du désert : Antoine, Romuald, Sabas, Paphnuce, Arsène, Euthyme, Jean le Solitaire. Or tous ces hommes, en se livrant à des jeûnes continus, ont vécu plus d'un siècle. On sait que les chartreux ne font pas usage de la viande même dans les plus graves maladies. Lorsque le saint-siège était à Avignon, un pape envoya dire au prieur de la Grande Chartreuse de Paris de permettre à ses cénobites de manger de la viande dans les cas de maladie. Cette permission causa tant de peine, que les moines résolurent d'envoyer une députation au pape pour le prier de pouvoir garder dans leurs règles un précepte si ancien. La députation était composée de vingt-sept moines, et le plus jeune avait quatre-vingts ans, et il y en avait plusieurs qui en avaient quatre-vingt-quinze. Dès que le pontife les vit à cet âge si avancé, si forts, si frais, il n'insista plus, et il les renvoya continuer leur vie mortifiée.

« Si les exemples des moines n'étaient pas reçus, nous avons eu aussi grand nombre de médecins qui, en pratiquant l'abstinence, ont atteint une longue vieillesse. Hippocrate avait cent neuf ans; Galien, quoique d'un tempérament délicat, finit sa vie décrépite, parce qu'il avait coutume de ne jamais satisfaire complètement son appétit; Hecquet dépassa soixante-seize ans, en ne mangeant que du maigre et ne buvant que de l'eau; soixante-dix et quatre-vingts ans ont atteint Stahl, Santorius, Cirille, Sacco, et un grand nombre d'autres qui vivaient toujours dans l'abstinence. »

(FF) Page 267.

408. « On pèche mortellement, a dit Gousset, *Théol. Mor.*, n. 304, lorsque malgré la défense de l'Église on fait manger de la viande ou à ses enfants, ou à ses domestiques, ou à ses ouvriers; ce qui malheureusement n'arrive que trop souvent. On doit excuser une femme, un enfant, une cuisinière qui servent de la viande, si le mari, le père, le maître de la maison le veulent absolument. L'Église les dispense de résister, à raison des inconvénients qui pourraient résulter d'un refus. Quant aux enfants de famille, s'ils n'ont pas d'aliments maigres, ils peuvent manger de la viande, car il serait trop dur de les condamner à ne manger que du pain. Il en est de même des domestiques et des ouvriers auxquels on ne donne que du gras, s'ils ne peuvent quitter leur maître sans de graves inconvénients. Mais, et les enfants, et les domestiques, et les ouvriers, doivent, autant que la prudence le permet, réclamer contre cette violation des lois de l'Église. »

409. Ad *Viatores* quod attinet, si isti præter cibos vetitos nihi

in canponis reperiunt, neque alio divertere possunt, eos licite sumunt, si indigeant cibo; serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur, et sola ratio itineris eos non eximit a lege abstinentiæ, etsi a jejuniis ob nimiam defatigationem eximeret. Insuper sciant eos non excusari ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates; secus fere omnes agentes iter ab hac lege eximerentur. *Gury.*

410. *Quid* (quæres) *sentendum est de larido et sagimine?* — Non est dubitandum laridum et sagimen veras esse carnes, quia vere de substantia carnis participant: ideo iis non licere uti diebus esurialibus, salva consuetudine diversa, si alicubi vigeat. Sed quoad pauperes nimis dura videtur illorum sententia, qui eos damnant, qui oleo carentes frustulum sagiminis aut laridi adhibent ad herbas temperandas, si carentia esset per tempus notabile, v. g. per hebdomadam. Saltem in tali necessitate probabiliorum censemus sententiam Alensis, Elbel et Layman, qui laridum pauperibus permittunt.

411. *Quinam* (quæres) *excusatur ab abstinentia a carnibus, ovis et lacticiis?* — R. Probabile nobis videtur cum Croix, *Salmanicensibus*, Sanchez, etc., eum, qui in longa inedia est per plures dies (ubi aliud haberi non possit quam panis) posse utique vesci non solum ovis et lacticiis, verum etiam carnibus. Idem affirmandum, quoad ova et lactinia, de pauperibus, qui non possunt aliud sibi comparare ad alendum se et familias suas; lex enim humana nequit obligare cum gravi incomodo. Docent nonnulli id esse tenendum etiam de iis, qui per plures dies carerent piscibus: hoc Roncaglia probabiliter asserit de illis, qui piscibus sunt assueti; sed non de rusticis, qui pane et herbis, aut leguminibus ordinariè aluntur. Hi tamen probabiliter ab unica comestione eximuntur, eo quod tales cibi parum sustentent (V. *Benedictus XIV, Notificatione xv, n. 15.* — *Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 1008).

412. *An Constitutio Carthusianorum qua ipsi sub gravi prohibentur vesci carnibus, obliget in extremis, si aliter se liberare nequeunt?* — Sanchez ita distinguit, si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. g. morbo ex quo judicio medicorum convalescere nequeat sine tali esu, ait probabiliter eum non teneri vesci, etsi licite possit; quia morietur naturali morbo, ejus ipse non est causa. Si vero sit ab extrinseco, v. g. ob inopiam aliorum ciborum, vel quia cibi permisi sunt venenati, fame esset moriendum, tenetur carnibus vesci; quia mors illa cum sit violenta, ipsi imputaretur. — *Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 370.

## (CC) Page 269.

413. Primitus ita jejunium (maximè quadragesimale) rigorosum erat, ut nihil omnino extra unicam refectionem sumeretur in die, prout testantur S. Athanasius, *De Virginitate*; S. Basilius, *Orat. 1 de jej.*; S. Epiphanius *adv. hæreses* in fine; S. Ambrosius, *Serm. 8 in Ps. 118*; D. Hieronymus *ad Eustoch.*, etc. — Ferraris, *Biblioth. canon.*, v<sup>o</sup> Jejunium, art. 1.

Qui ex refectione prandii satis est confortatus, aut qui vespere non esurit, nihilominus collatiunculam juxta morem receptum sumere potest, tum propter consuetudinem existentem, tum propter anxietates ex contraria doctrina continuo obventuras. Ita Azor et Cozza apud Dens, qui eos citat et approbat. Bouvier. — Quod autem pertinet ad quantitatem, ad rem Goussset: « Il ne nous paraît pas qu'on puisse donner ici aucune règle fixe et générale; on doit avoir égard au plus ou moins de force du tempérament, de la constitution physique, qui n'est certainement pas la même pour tous. Il est des personnes qui, en mangeant même la moitié plus que d'autres, feront cependant une collation plus pénible et plus méritoire. Il faut encore avoir égard à la continuité du jeûne; la collation des vigiles ou des quatre-temps doit être moins forte que celle du carême, parce qu'il est plus facile d'en soutenir la rigueur. — Ainsi, pour ce qui regarde la collation, les personnes tenues au jeûne prendront autant de nourriture qu'elles le jugeront nécessaire pour éviter une indisposition qui les empêcherait de remplir convenablement leurs fonctions, eu égard à la force ou à la faiblesse de leur constitution, aux fatigues qu'elles éprouvent, et aux occupations auxquelles elles sont obligées de se livrer. Un curé, par exemple, qui est chargé d'une paroisse considérable, peut certainement, sans être dispensé du jeûne, prendre plus de nourriture qu'un autre qui travaille moins, toutes choses égales d'ailleurs. » *Théol. Mor.*, n. 297. Quod etiam currit de aliquibus juvenibus studio indefesse vacantibus: attamen cavendum est, ne cœnula de facili convertatur in cœnam.

In vigilia Nativitatis communiter admittitur collatiuncula duplo major, nempe sexdecim unciarum, ratione talis Solemnitatis; etiamsi talis vigilia incidat in sabbato quatuor temporum... Si quis autem vellet in eadem vigilia anticipare collatiunculam in mane, ut cœnet vesperi, rationabiliter advertit Sanchez contra id, quod sentiunt alii, non posse excedere octo uncias; quia tunc non adhuc incipit Festivitas, quæ incipit a vesperis. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 16.

414. Sed (quæres) an liceat sumere in collatiuncula panem, in aqua simul cum oleo decoctum (vulgo panade)? — Affirmant cum Gury ex hodierna etiam timoratorum consuetudine; et hoc supponit S. Alphonsus. Quæstio est de uncias; aliqui octo uncias admittunt; sed hæc opinio jure merito ab aliis communiter refellitur, quia panis per coctionem et fermentationem in aqua diversam materiam acquirit; nam ita consubstantiatur cum aqua, ut non amplius possit separari: unde esset quid et magis nutriens et excedens quantitatem. Vix ergo poterit permitti cum Tamburini panem in vinum aut aquam infundere, et illico illum sumere; quia tunc non intervenit fermentatio (quod quidem magis valet de castaneis vino madefactis, quæ difficiliter licet decoctæ, modo non sint omnino pressæ, intumescunt; neque fermentantur, aut fiunt quid unum simul tunc ponderandum). Aut cum Roncaglia permitti possunt quatuor, vel cum Salmanticensibus ad summum quinque uncia panis aridi decocti in aqua cum oleo et sale. Et idem fortius videtur posse dici de leguminibus coctis seu aqua elixatis, quæ quidem minoris sunt nutrimenti.

Probabilior autem Azorius, Bonacina, Laymanus, Leander, Mazzotta, Palauus, Salmanticenses et Viva permittunt vesci jusculo ex herbis coctis cum oleo, aqua, aceto aut vino decocto. Sed advertendum cum Viva, quod oleum et acetum computanda sunt in pondus octo unciarum, dum hæc non habent amplius rationem potus. (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1029.)

## (III) Page 270.

415. Quoad dispensationem in jejunio habemus tres Bullas Benedicti XIV: Bulla *Non ambigimus* ait dispensare cum integra civitate, populo vel communitate circa qualitatem ciborum Sedi Apostolicæ reservatum esse. — Bulla *Prodiit jam dudum* ait esse *communior* et *magis in ratione fundatam* opinionem, quæ docet Episcopum non posse neque pro particulari causa, neque una vice pro tota communitate vel dispensare vel mutare jejunium, quamvis periculum sit quod non observetur. Si tamen jejunium eaderet in festum Patroni, tunc dicit jejunium esse transferendum in præcedentem diem. — Tandem Bulla *Libentissime* docet Episcopum petere non debere ab Apostolica Sede dispensationem circa qualitatem ciborum, nisi gravissima et urgente necessitate, et toties quoties. Nec valere quod sit usus eam impetrandi etiam a pluribus annis; aut quod pisces vel ova caro pretio vendantur; aut quod milites permanentes abstinentiam non servent; aut quod deficient oleum et pisces, si ova et lacticia haberi possint. Sed esse cau-

sam sufficientem morbum universalem, vel deficientiam earum rerum, sine quibus jejunium observari nequit.

416. In Litteris concessionis, quæ ad Ordinarium mittuntur per Congregationem S. Officii, facta nonnullorum dierum reservatione, additur: « Il aura soin de mentionner le pouvoir qu'il aura reçu du Saint-Siège, d'inculquer à ses diocésains l'observance du jeûne du carême, et de les exhorter à compenser l'indult accordé par d'autres œuvres pies, parmi lesquelles il est agréable à Sa Sainteté d'enjoindre la visite, chaque semaine, d'une église désignée. » Hanc autem visitationem injungunt Episcopi, alii declarantes eam sub levi tantum obligare, ut legere est in Epistola Pastoralis Episcopi Montis Regalensis, anno 1844; alii vero eam simpliciter imponunt nihil declarando, uti passim fit. Illic notamus duo Opuscula: 1. *Breve Istruzione sopra il digiuno Quadragesimale*, Venezia tip. Tondelli; 2. *Orazioni per la Visita settimanale da farsi in una Chiesa nel corso della Quaresima*, Venezia, tip. Merlo.

Jejunium occurrens in diebus Festis Titularis vel Patroni vel nundinarum a S. R. Congr. conceditur anticipari arbitrio Episcopi, uti in Papiensi, Mediolanensi, Cremonensi, Derthonensi, in Hibernia, 27 junii 1644, 21 julii 1655, 5 dec. 1672, 2 apr. 1677, 6 sept. 1698, 26 aug. 1745, 7 junii 1742. — Si nempe recurratur pro casibus particularibus; ita S. C. R. 7 sept. 1816.

Anno 1855 episcopi Belgii petierunt a Sua Sanctitate, ut dignaretur auferre legem qua prohibetur esus carniûm die Sabbati. Sanctitas Sua non abrogavit legem illam, sed dignatus est concedere illis episcopis facultatem dispensandi cum iis qui id petunt. Natum est dubium, et quæsitum fuit an illi qui obtenta dispensatione peregrinantur extra Belgium, liceat comedere carnes in locis, in quibus viget ista lex? S. C. Officii 10 jan. 1855 respondit *negative*. « Motivée par la difficulté de se procurer des aliments maigres, la dispense est censée en pareil cas plutôt locale que personnelle. » Ita *Analecta juris pontificii an. 1857*, pag. 382.

(II) Page 375.

417. Benedictus XIV, Bulla *Prodiu*, ad dispensandum cum particulari in esu carniûm, ovorum, et lacticiûmorum requirit *utriusque medici consilium*, id est tum spiritualis (confessarii nempe, vel parochi), tum physici seu medici corporum. Synodus autem Novariensis, p. 72, pro esu carniûm requirit medici iudicium in scriptis Parocho exhibendum. Ubi notandum: simpliciter dispensati a jejunio, non ideo intelliguntur dispensati in esu carniûm. Jejunium est divisibile: et sic

communiter accipitur dispensatio, ut valeat in reliquis, non in esu carniûm, nisi speciatim nominentur carnes.

Præstat hic etiam audire Cardin. Archiep. Gousset: « Assez généralement les fidèles se croient dispensés du jeûne et de l'abstinence sans avoir recours au Curé, lorsque, à raison de quelque indisposition, le médecin leur conseille de faire gras ou de ne pas jeûner. — Nous pensons qu'on ne doit point les inquiéter à cet égard, soit parce qu'ils sont dans la bonne foi, soit parce qu'ils ont un certain usage en leur faveur. Un curé n'est point responsable des abus qui résultent de la trop grande facilité des médecins en matière de jeûne et d'abstinence. » (N. 307; *Theol.*)

*Sed (quæres) an subditus semper debeat petere dispensationem?* — En verba S. Alphonsi: *Ait S. Thomas, quod si causa, quæ a jejunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi; præsertim cum sibi non esset facile superiorem adire (hoc intelligitur ob suæ conscientie majorem quietem). Sed si causa est dubia, debet tunc subditus sine dubio ad Prælatum confugere; tunc tuum est probare causæ sufficientiam ad te liberandum a lege jejunii, quæ te jam ligat: unde tunc vel obtinenda est dispensatio, vel observanda est lex* (2, 2, q. 147, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1052; *Homo Apost.*, tract. 12, n. 22). Ceterum notandum est, aliud esse dubitare, num talis casus indigeat dispensatione: et aliud, num extet causa sufficiens ad te dispensandum. Nam in prima facti specie dubitatur, num casus sit inclusus in lege et cadat sub ejus influxu, ita ut dispensandus sit; et tunc possidet libertas. In secunda vero facti specie non jam dubitatur de influxu legis, cum jam supponatur eam influere, sed tantummodo, an adsit causa sufficiens ad te liberandum ab illo influxu; ideoque possidet lex alia circumstantia præcisa. Vid. *de legis dispensatione*.

418. Quoad *sexagenarios*, quod a jejunio liberentur, consuetudinem testantur pro Italia, Viva, Roncaglia, Elbel; pro Hispania Salmanticenses, Azor, Palaus; pro Lusitania Sa; pro Germania Busebaum. Gousset Archiepiscopus Gallicanus id pro certo admittit pro septuagenariis.

« Sporer rapporte en faveur de ce sentiment que S. Pie V a déclaré lui-même de vive voix, que les sexagénaires ne sont plus tenus au jeûne ecclésiastique: il cite un auteur, Jérôme Lamas, qui atteste avoir été témoin de cette déclaration. » Ita lib. *Examen raisonné ou Décisions théologiques*, etc. — Hic audiendus card. Cajetanus, qui floruit sæc. XVI, et quem laxitatis nota nemo incusat. Ait enim de jejunio: « Excusantur senes, quia senectus morbus est incurabilis. Sed ætas, qua incipit senectus, non est determinata; quia naturaliter aliqui trigésimo anno senescunt, aliqui quadragesimo, alii quinquagesimo, prout

habent naturaliter diversas aetates. Communiter tamen qui sunt sexaginta annorum senes sunt, quia scriptum est: *Dies annorum nostrorum septuaginta anni*. Unde in hac aetate, nisi evidenter constet ex robustiore complexione posse absque lasione jejunare, non tenentur ad jejunia; quia ex quo de aetate constat et de robore est ambiguum, non est expectandus casus amplior virtutis, quae quum manifeste deficere incipit, irreparabilis est. »

An autem excusentur a jejunio feminae quinquagenariae, affirmant Escobar, Pellizarius et alii; quia in foeminis antecedit senectus. Sed Layman, Croix, Elbel, etc., negant, excepto casu specialis debilitatis; nam experientia constat quod foeminae sine detrimento facilius jejunant, cum indigeant minori nutrimento. Primam sententiam non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere.

419. Qui vovit jejunare, v. g. semel in hebdomada *toto vitae suae tempore*, id exprimendo, in veriori sententia contra Sanchez et alios, tenetur jejunare etiam in aetate sexagenaria; quia tali expressione censetur advertisse ad omnem aetatem, et voluisse jejunare usque ad mortem. Idem putamus de religiosis, si ex regula expresse promittatur observantia *usque ad mortem*; eo in casu tenentur ad jejunium, etiam sexagenarii; secus non.

Quid (dices) si jejunium subrogatum sit voto castitatis, an vovens teneatur jejunare post annum 60? — Disputant; putarem hunc tenere ad impetrandam dispensationem, pro qua aetas illa est quidem sufficiens causa. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 1037, et seqq. ]

420. Quid (dices) de eo, qui ideo praecise laborem suscipit, ut a jejunio liberetur?

R. Non est dubitandum, quin iste a jejunio sit liber, postquam, labore suscepto, graviter defatigatum se sentit: cum evaserit moraliter impos. Attamen peccavit operando in fraudem legis; quia omnis lex obligat etiam, ut nemo sine gravi causa, cum manet *sub legis influxu* (id est quando adhuc est in eo loco ubi lex viget; V. de peregrinis), data opera quidquam agat, quo ejus elidantur praeccepta. Ita docet S. Thomas, qui damnat de omissione Sacri fidelem, qui talibus se occupat, quibus ab eundo in Ecclesiam impediatur (2, 2, q. 117, a. 4). Hinc graviter peccat qui ultro sine causa gravi, sed merae recreationis, vel delectationis gratia assumit laborem gravem qui stare nequeat cum jejunio, v. g. per venationem, piscationem, lusum pilae, etc.

Sed (quaeres) quid dicendum de studio vacantibus? — Quod dicitur de artifice, illud dicendum est etiam de iis, qui studiis operam navant. Videlicet si ratione debilitatis, modicis ac crebris refectionibus ad laborem sustinendum indigeant, a jejunio excusabuntur; nihil enim refert utrum labor corporis sit, an mentis.

An (quaeres) opifices divites qui ex officio artes mechanicas exercent, teneantur die jejunii a laboribus se suis abstinere?

R. Alii affirmant probabiliter cum Angelico, ad hoc teneri opifices divites, ut valeant jejunare; cum abstinere possint sine jactura gravi. Verum sententia communis negat, et pro ea habetur expressa declaratio Eugenii IV, anno 1440, quam nunquam audeo, quamdiu non constabit, apocrypham dicere (ut aliqui contendunt), postquam tot classici auctores communiter pro vera illam tuentur. Ratio est quod Republicae plurimum interesse videtur, ne artifices hujusmodi suos intermittant labores jejunando. Et ita fert etiam consuetudo et praxis quotidiana ab Ecclesiae Praelatis non improbata. Billuart.

421. Quid (dices) de itinerantibus? Distinguendum est: vel itinerantes agunt iter breve et expeditum; vel longum agunt iter et asperum. Si 1, quomodocumque illud iter agant, a jejunii lege non liberantur; cum non sit gravis incommodum. Si 2, liberantur, modo pedibus illud conficiant, nempe ob grave incommodum: si vero illud conficiant curru vel equo, praeccepto *ordinarie* adhuc ligantur ob rationem contrariam. Hinc ab Alexandro VII damnata fuit haec n. 51 propositio: *Excusantur absolute a lege jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiam si iter unius diei conficiant*. — Diximus *ordinarie*: nam recte aiunt excusari, qui etiam equo aut curru iter agunt ad plures dies cum incommodo; vel si iter sic agendum sit cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus; vel si equitans sit debilis, et iter arduum, aut extraordinarium.

« Billuart a jejunio excusat itinerantem ubi defatigatio est gravis, uti et laborantem honesta recreationis gratia: addit autem *aliave fine honesto*. Adeoque puto non mere delectationis causa; haec enim non concordat cum penitentiali jejunio; sed simul adsit alia causa, v. g. exercitii corporalis, ad recuperandam vel conservandam valetudinem, ad relaxandum animum studio defatigatum, ad invisendum ex honestate amicum infirmum, etc.; tunc enim commiscetur titulus quispian, sive necessitas convenientiae; similiter excusat eum, qui instituit peregrinationem ex devotione. » Haec Dens inter probabilioristas non ultimus; quae tamen non omnia probamus; neque enim sola convenientia, vel relaxatio animi, vel sola peregrinatio (si potest differri) videntur causae sufficientes. Quamquam ex communi, si jam peregrinatio coepta fuerit, non est obligatio intermittendi eam, ut jejunium servetur.

Quoad iter, ratio potior a jejunio excusans est gravis defatigatio, quae venit mensuranda non tam a tempore, vel duratione, quam a qualitate itinerantis et arduitate itineris. Tamburini recte excusat famulos pedestres comitantes dominum qui per totum diem equitaret per urbem. Et sic adhuc probabiliter quidam doctus excusat famulos qui jugiter

per diem inseruiunt, ambulantes ad emendum, ad comitandum, ad litteras ferendas, etc. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1047.

422. *Quid faciet qui jejunii die mane sumpsit jentaculum vel ex ignorantia, vel ex eo quod intendebat complere iter vel opus laboriosum, a quo tamen postea fuerit impeditus?* Si mane sumpserit jentaculum æquivalens refectio, non potest nisi sumere collatiunculam vespertinam. Si illud vero fuerit solum æquivalens collatiuncula, poterit plenam refectioem capere ad vesperam, vel etiam meridie, si ratio quædam requirat; quia debet salvari unica refectio quoad potest; omissa collatiuncula. Si tandem jentaculum æquivaleat semiplene refectio, poterit tantum sumere collatiunculam; excipe nisi pateretur nimia incommoda. *Billuart, Sylvius, Gury.*

Concludamus cum Stapf: « Caveatur, ne abstinentia quæ virtutis subsidium esse debet, eidem adversetur; unde multam reprehensionem merentur si qui jejuniis addicti, domi sui inquieti, injuriarum impatientes, dissolutæ linguæ, vani, imperiosi, etc., sunt, in solo quasi jejuniis arbitrario officiorum summam consistere autumantes: *Cave ne si jejunare aut abstinere cæperis, putes te esse sanctum; hæc enim virtus adjuvamentum est, non perfectio sanctitatis. Quid enim tenuatur abstinentia corpus, si animus intumescit superbia? quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? quid virtutis habet vinum non bibere et ira et odio inebriari?* (D. Hieronymus, *Epist. ad Celant.*) » V. Stapf, *Theol. Mor.*, § 550, etc.

## TRACTATUS TERTIUS

### DE OBLIGATIONIBUS

423. A Legibus, ut effectus e causa, diversæ oriuntur obligationes, quæ hominem afficiunt in quacumque conditione; seu quædam præcepta particularia dimanant, quæ certo hominum statui propria sunt.

Hinc postquam de Legibus in genere actum est, erit nunc de Obligationibus in specie.

#### QUÆSTIO PRÆAMBULA

424. Q. *Quid est obligatio, et quomodo dividitur?*

R. ad 1. : Obligatio sic dicitur quasi *ligatio ob*, id est ob aliquam causam, justum nempe superioris præceptum. Potest autem definiri: *Vinculum accommodatum naturæ intelligenti, validum et internum, quo adstringimur ad aliquid faciendum, vel omittendum.* — Dicitur: 1. *vinculum*, ut sic indicetur vis illa maxima, qua prædita est lex ad ligandos subditos; 2. *accommodatum naturæ intelligenti*. Si enim creaturæ irrationales ad actum trahuntur pulsu exteriori et per impressiones corporeas, naturæ intelligentes et rationales trahi debent modo sibi convenienti, videlicet rationabili superioris ordinatione; 3. *validum*, quod nempe gravibus ac certis rationum momentis innitatur, ut valeat nos determinare; 4. *internum*, quo nempe ipsa conscientia afficiatur; 5. *quo adstringimur*, etc.; obligatio enim ita moraliter agit in homine, ut clare ipse perspiciat se debere aliquid facere vel omittere, ne cogatur se reprehendere et pœnis dignum judicare, si renuat (A).

R. ad 2. : Homo quilibet duplici sub respectu hic a nobis consideratur, vel quatenus est membrum Ecclesiæ, vel quatenus est membrum Reipublicæ. In quacumque vero socie-



per diem inseruiunt, ambulantes ad emendum, ad comitandum, ad litteras ferendas, etc. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 1047.

422. *Quid faciet qui jejunii die mane sumpsit jentaculum vel ex ignorantia, vel ex eo quod intendebat complere iter vel opus laboriosum, a quo tamen postea fuerit impeditus?* Si mane sumpserit jentaculum æquivalens refectio, non potest nisi sumere collatiunculam vespertinam. Si illud vero fuerit solum æquivalens collatiuncula, poterit plenam refectioem capere ad vesperam, vel etiam meridie, si ratio quædam requirat; quia debet salvari unica refectio quoad potest; omissa collatiuncula. Si tandem jentaculum æquivaleat semiplene refectio, poterit tantum sumere collatiunculam; excipe nisi pateretur nimia incommoda. *Billuart, Sylvius, Gury.*

Concludamus cum Stapf: « Caveatur, ne abstinentia quæ virtutis subsidium esse debet, eidem adversetur; unde multam reprehensionem merentur si qui jejuniis addicti, domi sui inquieti, injuriarum impatientes, dissolutæ linguæ, vani, imperiosi, etc., sunt, in solo quasi jejuniis arbitrario officiorum summam consistere autumantes: *Cave ne si jejunare aut abstinere cæperis, putes te esse sanctum; hæc enim virtus adjuvamentum est, non perfectio sanctitatis. Quid enim tenuatur abstinentia corpus, si animus intumescit superbia? quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? quid virtutis habet vinum non bibere et ira et odio inebriari?* (D. Hieronymus, *Epist. ad Celant.*) » V. Stapf, *Theol. Mor.*, § 550, etc.

## TRACTATUS TERTIUS

### DE OBLIGATIONIBUS

423. A Legibus, ut effectus e causa, diversæ oriuntur obligationes, quæ hominem afficiunt in quacumque conditione; seu quædam præcepta particularia dimanant, quæ certo hominum statui propria sunt.

Hinc postquam de Legibus in genere actum est, erit nunc de Obligationibus in specie.

#### QUÆSTIO PRÆAMBULA

424. Q. *Quid est obligatio, et quomodo dividitur?*

R. ad 1. : Obligatio sic dicitur quasi *ligatio ob*, id est ob aliquam causam, justum nempe superioris præceptum. Potest autem definiri: *Vinculum accommodatum naturæ intelligenti, validum et internum, quo adstringimur ad aliquid faciendum, vel omittendum.* — Dicitur: 1. *vinculum*, ut sic indicetur vis illa maxima, qua prædita est lex ad ligandos subditos; 2. *accommodatum naturæ intelligenti*. Si enim creaturæ irrationales ad actum trahuntur pulsu exteriori et per impressiones corporeas, naturæ intelligentes et rationales trahi debent modo sibi convenienti, videlicet rationabili superioris ordinatione; 3. *validum*, quod nempe gravibus ac certis rationum momentis innitatur, ut valeat nos determinare; 4. *internum*, quo nempe ipsa conscientia afficiatur; 5. *quo adstringimur*, etc.; obligatio enim ita moraliter agit in homine, ut clare ipse perspiciat se debere aliquid facere vel omittere, ne cogatur se reprehendere et pœnis dignum judicare, si renuat (A).

R. ad 2. : Homo quilibet duplici sub respectu hic a nobis consideratur, vel quatenus est membrum Ecclesiæ, vel quatenus est membrum Reipublicæ. In quacumque vero socie-

tate homo sit, non debet certe ignorare quæ sui muneris sunt: *Unusquisque*, ait S. Augustinus, *scire tenetur legem et statum, quem profitetur*<sup>1</sup>. Unde Apostolus: *Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas*<sup>2</sup>. Hoc posito dicimus obligationem generatim acceptam, aliam ligare hominem in societate religiosa; aliam eum ligare in societate civili.

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS

DISPUTATIO PRIMA  
DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE RELIGIOSA

425. Cum obligatio afficiat ipsas hominum personas, patet tot ejusdem esse genera distinguenda in societate religiosa, quot in ipsa distinguuntur genera personarum; atqui in ipsa duo distinguuntur genera personarum, nempe *Laici* et *Clerici*. Clerici autem vel sunt sæculares, et *Clerici* simpliciter dicuntur; vel regulares, et *Religiosi* appellantur. Clericorum porro obligationes aliæ sunt *communes*, aliæ *speciales*.

Communes respiciunt ea quæ clericis omnibus vel generatim *prescribuntur*, et revocantur ad animi sanctitatem, ad exercitium ministerii et ecclesiæ cultum, ad exterius sese gerendi methodum atque ad habitum clericalem; vel generatim *prohibentur*, et sunt quædam actiones, artes et officia, v. g. armorum gestio, habitatio cum mulieribus, choreæ, tabernæ, ludus, venatio, negotiatio, medicina, procuratio, etc.

Speciales autem obligationes respiciunt ea quæ nunquamque afficiunt in ordine hierarchico, quem quisque in ecclesia tenet. Cum tamen de omnibus singillatim agere sit potius canoniste; ideo in præsentiarum erit tantum de episcopis, vicariis, canonicis, parochis, tandem de simplicibus presbyteris, quibus nullum inest munus speciale ob beneficium, ac ceteris Clericis inferioribus. — Quod vero ad Regulares pertinet, illos consideramus prout ipsa monachorum qualitate sunt præditi; quatenus enim sunt clericali dignitate insigniti, sub Clericorum nomine veniunt.

<sup>1</sup> De Fid. et Oper., l. I. — <sup>2</sup> Coloss. iv.

## CAPUT PRIMUM

## DE OBLIGATIONIBUS LAICORUM IN SOCIETATE RELIGIOSA

426. Q. Quænam sunt Laicorum obligationes in societate religiosa?

R. Omnes Laicorum obligationes generales in societate religiosa eo reducuntur, ut præcepta Dei et Ecclesiæ fideliter observent, si velint ad societatis ipsius scopum pervenire, qui est salus æterna.

Primo præcepta Dei, quæ quidem Decalogo continentur; Christus enim cuidam ab eo sciscitanti quid agendo vitam æternam haberet, hoc dedit responsum: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata*<sup>1</sup>. Nomine autem mandatorum vocabantur præcepta Dei. — Secundo præcepta Ecclesiæ; aperta enim sunt illa Christi verba ad Ecclesiæ Antistites: *Qui vos spernit, me spernit*<sup>2</sup>. Et iterum: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*<sup>3</sup>.

427. Qui autem Christi Ecclesiam vexare, ejus aspernari præcepta, ministros irridere, constitutiones proculcare, eique bellum intentare non erubescunt, audiant nunquam satis laudata verba percelebris *Montalembert*<sup>4</sup>: « Permettez-moi une comparaison familière... Lorsqu'un homme est condamné à lutter contre une femme, si elle n'est pas la dernière des créatures, elle peut le braver impunément, et lui dire le front haut: Frappe, mais tu te déshonores et tu ne me vaines point. Eh bien, l'Église n'est pas une femme, elle est bien plus qu'une femme, elle est mère. Oui, elle est mère! Elle est la mère de l'Europe, la mère de la société moderne, la mère de l'humanité moderne. Un fils peut être ingrat, de nature rebelle, mais il restera toujours fils, et le moment vient dans lequel cette lutte parricide devient insupportable au genre humain, et celui qui la provoque tombe brisé, anéanti, soit par la défaite, soit par la réprobation unanime de l'humanité (B). »

<sup>1</sup> Matth. xix. — <sup>2</sup> Luc. x.

<sup>3</sup> Matth. xviii. — Ferraris, vº Laicus; et supra, n. 289

<sup>4</sup> Œuvres de M. de Montalembert, Discours, t. III.

## CAPUT SECUNDUM

## DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

428. Q. Unde oriuntur et ubi continentur Clericorum obligationes?

R. ad 1. : Duo sunt fontes, ex quibus obligationes hauriuntur Clericis peculiariter impositæ : 1. excellentia status, quem profitentur; unusquisque enim naturali jure clamante, tenetur ea peragere, quæ propria sunt sui status : status autem Clericalis est status perfectionis, juxta illud Hieronymi ad Nepotianum : *Propterea Clerici dicuntur, quod de sorte Domini sint, vel quia Dominus sors, id est pars Clericorum est*<sup>1</sup>; 2. ratio boni exempli laicis exhibendi ex illo Apostoli ad Titum : *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum*<sup>2</sup>.

Diximus Clericis peculiariter impositæ; nam per has Clericis non liberantur a mandatis unicuique christiano communibus, si hæc ipsis conveniant. Neque enim, qua Clerici, christiani esse desinunt : imo fortius obligantur ex eodem duplici memorato capite.

R. ad 2. : Obligationes Clericorum continentur : 1. *implicitè* in jure naturæ et publico, quatenus utrumque præcipit, ut omnes proprii status officia fideliter impleant; 2. *explicitè*, præterquam in Scriptura et Traditione, continentur in Jure Canonico, in Bullis Pontificum, in Conciliis generalibus, et maxime in Tridentino. Item in Synodis Provincialibus et Diœcesanis, quæ ideo præcipue conditæ sunt. Uno verbo in omnibus superiorum statutis, ac consuetudine legitime præscripta. In quibus omnibus sita est illa *vita et honestas Clericorum*, de qua sacri Canones tam gravia verba faciunt.

429. Cura Clericorum vitæ et honestati invigilandi Episcopis incumbit, ut tradit Tridentinum : *Statuit sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita, ho-*

<sup>1</sup> Clerici nomen est a græca voce *cleros*, quæ sortem significat.

<sup>2</sup> Capite II. — V. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., vº Clericus, ubi perplura.

nestate, cultu, doctrinaque retinenda; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, ludibus ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancta fuerint, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio. Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quæ vero ex his in desuetudinem abiisse compererint; ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant<sup>1</sup>.

Qua in re decretoria quoque sunt verba Pii Papæ IX anno 1856 Encyclica *Qui pluribus* ad omnes Episcopos : ait *summa cura et studio Ipsi esse elaborandum, ut in Clero morum gravitas, vitæ integritas, sanctitas atque doctrina eluceat, et Ecclesiastica disciplina ex Sacrorum Canonum præscriptio diligentissime servetur, et ubi lapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur*<sup>2</sup>.

Art. I. — De obligationibus clericorum communibus<sup>3</sup>.

## § I. — De iis, quæ clericis generatim ac communiter præscripta sunt.

430. Q. I. An Clerici teneantur ad vitæ sanctitatem?

R. Affirmative : Ecclesiastici omnes tenentur ad vitæ sanctitatem :

Prob. 1. *Scripturis*. In veteri Testamento Dominus de suis ipse Ministris inquebat : *Sancti erunt Deo suo, et non polluent Nomen ejus : incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt*<sup>4</sup>. Jam vero (inquit Bellarminus<sup>5</sup>) si tanta vitæ sanctitas requirebatur in illis, qui sacri-

<sup>1</sup> Sess. xxii, c. 1, de R. — V. *Concordatum Austriæ*, art. 11.

<sup>2</sup> Ex quibus constat, quam dura et atrox sit injustitia eorum, qui Episcopos debitis pœnis Clericos malos plectentes nimis severitatis audent insimulare. Vid. Benedictus XIV, *Notificazione* car. — Bouix, *De Episcopo ac De Judiciis*. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Clericus, art. 8.

<sup>3</sup> V. *Specchio del Clero coll' aggiunta di un esame sui principali doveri degli ecclesiastici*. Milano, Pogliani. Et maxime *Appendix* in fine volum. *Avis au Clergé*. — Dubois, *Le saint prêtre, Guide du séminariste et du jeune prêtre*.

<sup>4</sup> Lev. xxi. — <sup>5</sup> In Ps. x, v. 9.]

ficabant boves et oves, quid requiretur in iis, qui sacrificant Divinum Agnum? Ex novo autem Testamento sufficiat gravissimum illud monitum Apostoli ad Timotheum: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*<sup>1</sup>, id est non ante exercitium virtutis et experimentum sanctitatis, ut exponunt Patres et Interpretes, et ratio ipsa suadet.

Prob. 2. *Patribus*: Divus Hieronymus majorem in Clerico sanctitatem requirit, quam in simplici religioso: scribit ad Rusticum: *Sic vive in monasterio, ut Clericus esse merearis*. Sane status religiosus est status ad perfectionem; at status Clericalis est status perfectionis. S. Augustinus habet: *Clericus duo professus est, sanctitatem et clericatum*<sup>2</sup>. Et D. Thomas: *Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita et superiores sint merito sanctitatis*<sup>3</sup>.

Prob. 3. *Conciliis*: Sufficiat Tridentinum, cujus hoc est decretum ab omnibus alta mente tenendum: *Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant*<sup>4</sup>.

Prob. 4. *Ratione*: Cur in Ecclesia Ministri sunt constituti? teste Evangelio, non alia de causa, quam ut sint *sal terræ et lux mundi*; atqui tales esse non possunt sine præclara morum sanctitate. Deinde Ecclesiastici sunt *Doctores pietatis*, ut eos vocat D. Chrysostomus: sunt *salvatores mundi*, ut eos vocat S. Hieronymus: sunt *januæ populis Civitatis æternæ*, ut eos vocat S. Prosper. Sed tales esse nequeunt, si sancti non sint. Unde concludere possumus cum ipso Hieronymo<sup>5</sup>: *Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem*<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Ep. I, c. v.

<sup>2</sup> Serm. LXXXIII, de Div. — <sup>3</sup> Sup. q. 35, a. 4.

<sup>4</sup> Sess. XXII, c. 1 de R. — Vid. Stapf, § 58. — <sup>5</sup> Ep. LVIII.

<sup>6</sup> F. Liguori, *Selva di materie predicabili*, p. VII, c. III. — Clary, *Lo spirito del Sacerdozio cristiano*. — Sevoy, *Devoirs ecclésiastiques*, etc. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Sacerdotium, Sacerdos, etc.

431. Clericorum sanctitas sita est; — 1. in peccatorum etiam venialium fuga; quomodo sane dici poterit filius perfecte diligere patrem, si a gravibus tantum, non vero a levibus injuriis ei irrogandis se absteat? Adde tam excellentem esse Ecclesiasticorum electionem, ut (verba sunt Leonis Magni) *quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita*; — 2. in virtutum exercitio, præsertim vero castitatis; magna sane cordis mundities in eo requiritur, qui minister est Agni immaculati, qui *pascitur inter lilia*<sup>1</sup>; humilitatis, quia dicente S. Bernardo, *tanto quisque debet esse humilior, quanto est sublimior*<sup>2</sup>; obedientiæ, quia hac decet illum esse præditum, qui Sacerdotio perfungitur pro Christo Jesu, qui *est factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*<sup>3</sup>; patientiæ, quia Ecclesiasticus verus est Minister illius, qui *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur*<sup>4</sup>; denique charitatis: in Deum quidem, ita ut possint indesinenter Clerici omnes clamare; *quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram*<sup>5</sup>? in proximum vero; quia Clerici supremum illum Pastorem debent profecto imitari, qui *in charitate perpetua dilexit nos*<sup>6</sup>.

432. Media autem ad vitæ sanctitatem in Clerico præcipua sunt:

1. Quotidiana lectio spiritualis; ait enim D. Bernardus<sup>7</sup>: *Per eam discimus quid facere, quid cavere, quo tendere debeamus*. Qua in re recte monet Stapf: *Libri spirituales non raptim et præpropere, sed attente, mature atque iterato evolvantur; sepe sensum victoris tum demum assequimur, ubi bis terve illum versamus: prout ad scientiam, ita etiam ad pietatem valde conducit, ut multum quidem, non tamen multa legamus. Hunc in finem, ubi mentem nostram aliqua veritate suaviter attrahi et commoveri sentimus, lectionem jam non prosegui, sed tandiu suspendere convenit, donec dapes appositæ rite digestæ, atque in succum et sanguinem conversæ fuerint*<sup>8</sup>.

<sup>1</sup> Cant. vi. — <sup>2</sup> De 7º Dono S. S., c. vii. — <sup>3</sup> Philipp. ii.

<sup>4</sup> I Petri ii. — <sup>5</sup> Ps. LXXII. — <sup>6</sup> Jerem. XXXI.

<sup>7</sup> V. Opera cl. Dubois, Rodriguez, Scaramelli, Baudrand, etc.

<sup>8</sup> Huc optime faciunt, *Manuale ecclesiastico proposto al Clero Novarese dal cardinale Morozzo*. — *Méditations ecclésiastiques*, etc. Lyon, 1856.

— Croust, *Méditations de præcipuis Fidei misteriis ad usum Clericorum*. Parisiis, 1856.

2. Frequens oratio, tum vocalis, ut veniat in nos *spiritus sapientiæ*<sup>1</sup>; tum mentalis, hæc enim ex eodem D. Bernardo, *regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus*<sup>2</sup>.

3. Quotidianum conscientiae examen, tum generale quo omnes, tum particulare, quo aliquem specialem defectum illa die commissum studiosius inquirimus ad correctionem. Hujus exercitii utilitatem vel ipsi gentiles agnoverunt: *Hoc nos pessimos facit*, ait Seneca, *quod nemo iram suam respicit, nemo se pravum esse intelligit, nemo cupidum, nemo elatum*. Unde de se ipso aiebat: *Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico: cum ablatum est lumen, totum diem mecum scrutor, facta et dicta mea remetior*<sup>3</sup>.

4. Sacramentorum frequentia: confessione enim peccatorum avertimur a creaturis et convertimur ad Deum. Per sacram vero Synaxim sumitur qui plenitudo est, fons et origo totius sanctitatis.

5. Custodia cordis et sensuum per cogitationem præsentiae Dei. *Dic mihi*, perbelle ait D. Chrysostomus, *si tibi semper prope principem standum esset, an non cum timore adstares? Adeoque quando comedis, cogita præsentem Deum; adest enim. Quando dormiturus es, quando irasceris, quando deliciaris, et quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum*<sup>4</sup>. Ipse Seneca ad rem aiebat: *Maxima pars peccatorum tollitur, si peccatoribus testis assistat*<sup>5</sup>.

6. Exercitia spiritualia, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel comprobatur, uti ait Clemens XI, Encyclica Reverendissime ad omnes Italiae Episcopos et insularum adjacentium, data 1 feb. 1710 (quod urget etiam Benedictus XIV Encyclica *Ubi primum* 3 dec. 1740; Pius VI, 25 dec. 1775; et Pius IX Encyclica *Qui pluribus*). Et Christus ipse jam insinuavit illis verbis ad Apostolos: *Venite in locum*

<sup>1</sup> Sap. VII. — <sup>2</sup> De Consid., l. I, c. XXVII.

<sup>3</sup> V. Tronson, *Examens particuliers*. — Dubois, *Le saint prêtre*, c. v. part. III. — Stapf, *Theol. Mor.*, § 527.

<sup>4</sup> Hom. VIII, in Phil. n. — <sup>5</sup> Epist. XI.

*desertum seorsim, et requiescite pusillum*<sup>1</sup>. Hic autem notandum, omnes qui residentiae lege et chori servitio tenentur, semel in anno per id temporis, quo, Episcopo annuente, huic saluberrimo exercitio, in aliqua religiosa domo diu noctuque manendo, operam navant, ex citato Clemente præsentibus esse censendos<sup>2</sup>.

7. Denique pia ac fervens devotio in Beatam Mariam Apostolorum Reginam: *In qua*, dicente S. Bernardo, *totius boni plenitudinem posuit Deus, ut proinde si quid spei nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare*<sup>3</sup>.

— Hinc versus:

*Sancta legas, ora, recolens tua facta labora,  
Sit Deus ob mentem, videat te ad Sacra frequentem,  
Sedulus ad pia secedas, sit corde Maria.*

433. Q. 2. *Quænam sunt Clericorum obligationes relate ad ministerii Clericalis exercitium, et Ecclesiae cultum?*

R. Obligationes Ecclesiasticorum hac de re præcipuæ sunt:

1. Ut singuli Ordinis proprii munia recte cognoscant et exerceant, ne dicantur inaniter ordinati.

2. Ut Ecclesiae, cui addicti, ex animo inserviant: et operam præsent assiduam tum in doctrina Christiana explananda, tum in cæteris functionibus (die præsertim festo) celebrandis; nam turpe esset lucrosa officia libenter obire, cætera prætermittere. Nemo autem sine licentia Episcopi potest Ecclesiam derelinquere, cujus servitio fuerit addictus:

<sup>1</sup> Marci VI. — V. Stapf, *Th. Mor.*, § 548. — De *Imitatione Christi*, l. I, c. II.

<sup>2</sup> Hæc permissio ab Episcopo nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimæ tempore ac in solemnioribus festivitibus. Nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus; sed adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur. Et quoad Parochos, idoneis prius Oeconomis ab ipsomet Ordinario approbandis relictis, qui animarum curam laudabiliter administrant: sunt verba Clementis XI. (Vid. *Synodus Novariensis*, p. 156.)

<sup>3</sup> *Serm. Dom. infra oct. Assumption.* — V. Righetti, *Il mese di Maria proposto agli ecclesiastici* (sub initio). — Sevoy, *Devoirs ecclésiastiques*. — Monforte, *Della divozione a Maria SS.* Modena, 1861. — Maria Immac. Madre di Dio; *ricordi agli Ecclesiastici*, etc.

Quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicitur, ait Tridentinum<sup>1</sup>.

3. Ut in sacris ipsis functionibus, præter talarem vestem, induant etiam mundum et decens superpelliceum; et præditi sint clericali biretto, ut rite ac decenter munere suo fungantur.

4. Ut sacros ritus ac cæremonias ediscant, et adamussim observent: atque in Ecclesiæ cantu sese exercent. Teste experientia, summa reverentia Mysteriis sanctis hoc modo conciliatur<sup>2</sup> (C).

5. Ut in scientiarum studia sibi, et populis profutura summa ope nitantur. Hoc ipsius officii ratio postulat indesinenter. Clerici enim super ceteros constituuntur, ut eos viam salutis edoceant: at quomodo edocebunt quod nesciunt? quomodo scient quod non ediscunt? Hinc Deus habet: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*<sup>3</sup>; Et Concilium Toletanum IV (omnium hispalensium celeberrimum, cui præfuit S. Isidorus): *Nullus ad sacra Mysteria veniat indoctus, sed solus accedat, quem morum innocentia et litterarum splendor reddunt illustrem; aliter ordinaturis et ordinandis imminet in posterum Dei et Ecclesiæ vindicta*.

Hic etiam valde increpanda est eorum agendi ratio, qui studiis vacant in Clericatu; sed vix ad Sacerdotium evecti illis valedicunt, atque obiter munus suum obeuntes reliquum tempus inutilibus terunt nugis. Sic otio torpescunt, quod est malorum fons. Sic et illa pauca amittunt quæ didicerunt clerici; nam non scimus nisi quod recordamur; nec recordamur nisi quod sæpe repetimus. Sic perpetuo ignorant plurima, quæ continuo occurrunt addiscenda in salebroso ministerio: et hoc quidem non sine maxima animarum pernicie. Sic tandem et se ipsos et proprium munus penes sæculares contemptibile reddunt (D). Hinc versus:

<sup>1</sup> Sess. xxiii, de R., c. vi; et Benedictus XIV, Constitut. *Ex quo*. — J. Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. xxiv. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., vº Testimoniales et Commendatiliæ litteræ (articulus novus Cassinensis).

<sup>2</sup> V. Fornici, *Institutiones liturgicæ ad usum Seminarii Romani*. — *Trattato delle sacre cerimonie* proposto dal cardinale Morozzo. Novara.

<sup>3</sup> Osee iv. — V. Liguori, *Hom. Apost.*, tract. VII, n. 52.

*Fungere muneribus, templo famulare libenter,  
Congrua sint vestis, ritus, doctrina Levitæ.*

434. Q. 3. *Quænam Clericorum obligationes relate ad methodum sese exterius gerendi, ad spiritualem fidelium ædificationem?*

R. Obligationes omnium Clericorum quoad methodum sese exterius gerendi ad spiritualem fidelium ædificationem sunt:

1. Ut interiorum animi pietatem exteriori agendi ratione expriment Clerici; nam *ex visu cognoscitur vir*<sup>1</sup>. Huc præcipue spectant illa Tridentini verba: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vitam et exemplum, qui se divino ministerio dedicant. Cum enim a rebus sæculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur*<sup>2</sup>. Unde perbelle ait Synodus Turritana (anno 1557): *Liber laicorum vita Clericorum*; 2. ut sese abstineant Clerici ab iis, quæ malum vel mali speciem aliis ingerere valeant, juxta illud Apostoli: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*<sup>3</sup>. Pro nobis facit illud D. Bernardi: *Sicut non omne quod libet, licet; sic non omne quod licet, expedit*<sup>4</sup>.

Hoc notent nonnulli ex nostris, qui contententes opus quod aggrediuntur nihil mali continere in se, illud sine scrupulo peragunt, etsi laici et infirmi scandalum sumant, tuto aientes: *Qui scandalizatur, ipse videat; nos licita agimus*. Verum si non res, utique charitas urget nos, ne offendiculum proximo ponamus; *quis infirmatur, ait Apostolus, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror*<sup>5</sup>?

435. Q. 4. *Quænam Clericorum obligationes relate ad habitum*<sup>6</sup>?

R. Clericorum obligationes relate ad habitum sunt:

1. Ut proprius Clericorum habitus (excepta itineris causa,

<sup>1</sup> Eccl. xix. — <sup>2</sup> Sess. xxii, c. 1, de Ref.

<sup>3</sup> II Cor. vi. — <sup>4</sup> Epist. xxv. — <sup>5</sup> II Cor. xi.

<sup>6</sup> V. Gregorius M. *Dial.*, c. iv, c. xl; Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XI, c. viii; *Concil. Med. Provino.*, I, p. 2, tit. *De Vestibus cler.* — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº *Habitus Clericus*, art. 3.

aut cum quis rure versatur) censeatur vestis talaris nigri coloris, quæ zona vel globulis sit clausa, ut pars nulla vestium interior conspici valeat, addito superpelliceo in sacris functionibus peragendis. Hanc continenter, ait Synodus Navariensis (pag. 165), Ecclesiasticus quisque in urbe præsertim et in oppidis Diœcesis frequentioribus gestare deberet. Ceterum ab omnibus ubique locorum adhibenda est festis diebus, donec saltem parochiales functiones in vespertis fuerint expletæ.

2. Ut nemo in publicum prodeat sine decenti collari lineæ lænia obducto<sup>1</sup>. Item vestes omnes, quibus Clerici publice incedunt, sint coloris nigri; vix in itinere tolerantur subobscuræ vel nigricantes. Pileum triangulare præscribitur. Etiam femoralia genu prætergredientia hominis potius militaris et laici propria Clericis penitus interdiciuntur.

3. Ut tonsuram singuli Ordini suo congruentem habeant<sup>2</sup>; et annulum non deferant, nisi vel honoris gradum in Academia sint consecuti, vel officii ratio postulet; illumque deponant in Missæ sacrificio<sup>3</sup>.

4. Ut in omni vestis genere neque appareat elegantia studiosius quaesita, neque conspiciantur sordes et incuria; sed in omnibus elucescat modesta quædam simplicitas, quæ Clerici animum indicet ab omni prorsus sæculari vanitate alienum. Quis non irrideat, quos interdum videre est, *cincinnatiulos, calamistratos, et amusiunculos* Clericos, contra quos sacra ira abreptus D. Hieronymus exclamabat (Epist. ad Nepotianum): *Omnis eorum cura de vestibus est, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia... tales cum videris, sponso magis existimato, quam Clericos.* Hinc verus:

*Vestis, collare, et pileum, tonsuraque sunt  
Longa, imo obductum, triangulare, patens.*

<sup>1</sup> Animadvertendum collaria *artificiose elaborata* fuisse jampridem ab invictissimo illo Ecclesiasticæ disciplinæ restauratore D. Carolo Borromeo reprobata.

<sup>2</sup> V. Thomassinus, *De Eccl. Discipl.*, p. I, l. II, c. xxxix.

<sup>3</sup> De annulo, Benedictus XIV, *Notificatione* xxxiv. — Clericatus, *Decisiones*. — *Bibliotheca liturgica studio Pauli Carli Canonici. Brixiae, 1832, vº Annulus.*

436. *An (quæres) peccent Clerici non deferentes habitum clericalem neque tonsuram?*

R. ad 1.: Certum est Clericos beneficiatos aut in Sacris mortaliter peccare, si per notabile tempus sine rationabili causa Clericalem habitum non deferant; nam Tridentinum (Constitutionem Clementis V ea de re ampliando) ita de ipsis loquitur: *Tanta aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem Clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales; pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates aut Personatus, Officia aut Beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per publicum edictum monitæ fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correptæ denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum, coerceri debeant<sup>1</sup>.* Quæ sane loquendi ratio arguit peccatum grave.

Diximus 1. *clericos beneficiatos aut in sacris*; nam communius docent cum Holzman, Navarro et Soto, simplices Clericos, qui scilicet neque beneficium possident neque in Sacris sunt constituti, non peccare, si clericalem habitum non deferant, cum hæc gravis obligatio Clericis in Sacris, ac beneficiatis tantum sit imposita. Excipe nisi id Episcopi statuant pro Clericis omnibus, ut hodie merito passim fit<sup>2</sup>; congruum enim est ut omnes suo statui se conforment. Diximus 2. *per notabile tempus*, si enim id rarissime fiat, ad breve intervallum, nec sit ad malum finem, et sine scandalo, non censeatur tam gravis inordinatio<sup>3</sup>. Attamen excipe nisi statutis diœcesanis pronuntietur pœna suspensionis ipso

<sup>1</sup> Sess. xxii, c. 1, de Ref. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 188; l. VI, n. 825, etc.

<sup>2</sup> Uti in Novariensi, p. 165.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, App. iii, n. 50; *Op. Mor.*, l. VI, n. 826

facto in eos qui cum veste laicali in publicum prodeunt; hoc enim supponit gravem prohibitionem etiam semel tantum patratam. Diximus 5. *sine rationabili causa*, ut est si urgeat periculum persecutionis in clericis, ut patet; item si clerici pergant in regiones, in quibus ecclesiastici viri non soleant clericalibus vestibus induti in publicum prodire, casu saltem quo periculum adsit ne ideo gravibus se exponant probris. Quod non currit de illis qui cum se itineri committunt, de facili proprium habitum dimittunt, quocumque tandem pergant, quia hodie fere ubique ægre feruntur Clerici; tunc enim pluribus aliis statutis esset valedicendum.

437. R. ad 2. Quidam damnant de peccato mortali Clericos, qui non deferant tonsuram, ad modum quo eos damnant, si non deferant habitum clericalem; quia Lateranense Concilium sub Leone X statuit: *Clerici in Sacris constituti nec barbam nec comam nutriant: sed tonsuram ferant. Siquis contra fecerit, excommunicationem incurrat.* Verum, bene ait Croix, facilius peccare mortaliter qui habitum non defert, quam qui non defert tonsuram; cum in illo sit longe major inordinatio fidelibus scandalum præbens. Unde præfatus auctor neque Sacerdotem tonsuram per sex aut octo hebdomadas non deferentem damnat de mortali. Non est vero certum ibi Concilium (nomine *tonsuræ*), locutum fuisse de simplici tonsura hodierna: sed potius videtur locutum de tonsione longioris comæ, quæ proprie venit tonsuræ nomine, quæque tunc temporis erat in usu una simul cum barbæ nutritione (E).

438. Q. 5. *Quæ pænæ in non deferentes habitum ac tonsuram?*

R. Clericus in Sacris vel beneficiatus non deferens habitum neque tonsuram, si tertio admonitus ab Episcopo, neque emendetur, amittit privilegium fori et canonis<sup>1</sup>. Si vero clericus sit in minoribus, et clericalem habitum ac tonsuram non deferat, nec alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat, vel in Seminario aut alia schola de ejus licentia non

<sup>1</sup> Ex C. *Contingit* 45 de sent. excomm. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 827.

versetur, privilegium fori amittit absque ulla monitione<sup>1</sup>. Requiritur tamen sententia iudicis declaratoria; cum agatur de juris acquisiti amissione<sup>2</sup>: excipe nisi Clericus habitum ita dimittat, ut satis appareat animum clericandi dimisisse; tunc sine ulla declaratione forum amittitur. Iste tamen Clericus non ideo amittit simul privilegium canonis, aut competentiae, uti a S. Concilio C. declaratum est<sup>3</sup>.

§ II. — De iis quæ clericis generaliter et communiter prohibentur.

439. Q. 1. *Quid de armorum gestatione, quoad Clericos?*

R. Arma offensiva et defensiva gestare extra necessitatem Clerici prohibentur; tum quia dedecet illorum characterem, qui ad Christi exemplum debent esse mites corde; tum quia arma Clericorum debent esse spiritualia; cum eorum sit militare contra potestates tenebrarum: *Clerici arma portantes, ita in jure, et usurarii excommunicantur*<sup>4</sup>. Hinc et consequenter extra necessitatem ipsi per se pugnare eodem canonico jure prohibentur; cum eis potius competat proprium, quam aliorum sanguinem effundere, uti notat Angelicus<sup>5</sup>. — Adde bellica exercitia maximas habere inquietudines, quæ a spiritualibus avertunt. Unde unanimiter docent cum Benedicto XIV, Clericos in majoribus constitutos mortaliter peccare, si militiam amplectantur<sup>6</sup>.

Diximus: 1. *extra necessitatem*; nam necessitas legem non habet; 2. *per se*; constat enim ex variis juris capitibus eos

<sup>1</sup> Tridentinum, sess. xxiii, c. vi. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XX, n. 19.

<sup>2</sup> In Regno Sabaudie iis locis, ubi viget § 15 *Instruct. Benedictinae*. Clerici qui expuncti sint a tabella, quæ in Sacristia Cathedralis apponi debet referens omnes Clericos Diocesis, jam ipso jure privati existunt omnibus privilegiis.

<sup>3</sup> Glossa in c. xxiii, q. 5, *Miles*; et cap. *Qui malos, habet: Clericus immiscendo se enormitatibus amittit privilegium Canonis*: Si quis suadente... Competentem. — V. Il *Cattolico*, giorn. di Genova, 1852, nn. 900, 914 et 916. — Benedictus XIV, *De Synod.*, l. XII, c. ii et iii.

<sup>4</sup> Decr. Greg., l. I, t. III, *De Vita et honest. Cleric.*, c. ii. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº *Arma*.

<sup>5</sup> 2, 2, q. 49, a. 2. — <sup>6</sup> *Notificatione* c.



bellum justum posse suadere, ad strenue pugnandum hortari; et si temporalem habeant jurisdictionem, bellum indicere, exercitum conscribere, arma præbere; non tamen personaliter Ducis officio fungi; — 5. *canonico jure*; id enim juri divino non repugnat: hinc Sacerdotes licite pugnabant in lege veteri<sup>1</sup>.

440. Q. 2. *Quid de Clericorum habitatione cum mulieribus?*

R. Quoad Clericorum habitationem cum mulieribus, notatu digna sunt quæ in Nicæno I (anno 525) leguntur: *Vetuit omnino Synodus, ne liceat Episcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec uni penitus eorum, qui sunt in Clero, introductam (id est extraneam) habere mulierem, præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt*<sup>2</sup>. Hinc fere omnes Episcopi sapienter præscripserunt, ut Clericis propriis cum iis tantum mulieribus cohabitare fas sit, quæ primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu junctæ sunt; et modo nullam occasionem præbeant scandalosæ suspicioni. Secus et ipsæ dimittendæ sunt, et dimittere renuentes ab Episcopo *pænis a sacris canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur*<sup>3</sup>. — Quod si de consanguineis nulla suspicio, videant Clerici ne suspicio de iis habeatur, quæ consanguineas invisunt: hinc Augustinus nec cum sorore habitare consensit, dicens: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt*<sup>4</sup>.

441. Ad *fumulas* vero quod attinet, voluerunt eas compertæ omnino probitatis: debent ergo esse ætate graves, morigeratæ, honesto loco ortæ, ac illius cui inserviunt, pietatis æmulatores. Imo nonnulli etiam ætatem in iis præscripserunt, annorum nempe 40 completorum (ita in Synodo Novariensi, ubi mulcta 40 libellarum in usus pios impendenda

<sup>1</sup> I Machab. x.

<sup>2</sup> Can. III. — V. Pavone, *Spicilegio*, etc., n. 214. — Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XI, c. IV. — Bouix, *De Parocho*, part. V. — Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, part. II, c. VI.

<sup>3</sup> Tridentinum, sess. XXV, de R., c. XIV.

<sup>4</sup> Possidius, *Vita S. August.*, c. LXXXVI.

contraventoribus imponitur<sup>1</sup>). Cujus quidem pergravis præcepti sapientiam nemo non videt: *In medio mulierum noli commorari*, ait Scriptura; *de vestimentis enim procedit tineæ, et a muliere iniquitas viri*<sup>2</sup>. Neque in præterita castitate qui confidat; monet Augustinus apud S. Thomam: *Magnos prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi et Ambrosii*<sup>3</sup>. Et D. Bernardus scribit: *Cum femina semper esse et non peccare cum femina, plus est quam mortuum suscitare*<sup>4</sup>. In hac re nulla vigilantia satis, siquidem sub omni lapide scorpius dormit: *Prima tentamenta sunt Clericorum seminarum frequentes accessus*, scribebat ad Oceanum D. Hieronymus; *quid tibi cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? te cuncti in publico et in agro... graviter lacerabunt, si contra depositum fidei cum feminis habitare contendas*.

Per gloriam ergo Dei, æternamque eorum salutem cunctos adjuramus Ecclesiasticos, ut Conciliorum statutis, Patrum monitis, ac Episcoporum ordinationibus obtemperantes, mulieres maxime juniores, apud se ne facile detineant, eas non visitent, cum eis familiariter non loquantur, multo minus eas amplectantur aut in cubiculum suum introducant. Heu, quot inde prodire mala! quot ipsi religioni opprobria!

Dices: *Femina illa est vetula, ac deformis*. Sed time: *Diabolus pungens*, ait Cyprianus, *speciosum efficit quidquid horridum fuerit: et omnia pulchra videntur amanti; caveas ergo ne te illi familiarem quoquomodo exhibeas, vel per jocum etiam ei manum contingas, etc.* — Dices: *Mihi est consanguinitate conjuncta*. Sed adhuc time: *Diabolus enim*, ait S. Philippus Neri, *optimus logicus abstractit a propinquitate, faminam solam relinquens*. — Dices: *Sancta est*. Sed ite-

<sup>1</sup> V. Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXII et LXXXIII. — Synodus Novariensis, p. 167; et Litteræ ad Clerum 45 nov. 1851.

<sup>2</sup> Eccl. XLII. — *Id est*, explicat A Lapide, *sicut tibi nihil tale volenti nascitur tineæ; ita tibi nihil tale volenti nascitur a femina desiderium*. Sit ergo, monet Augustinus in Ps. L, *cum feminis sermo brevis et rigidus, ac sola necessitate cogente*. Et Christum omnes imitemur, cui adeo insolitum erat cum mulieribus sermocinari, ut Apostoli mirati sint quadam die, qua ipsum viderunt Samaritana loquentem. Quod fecit ad instructionem nostram; neque illi aliquid timendum erat ex colloquutione,

<sup>3</sup> *De Modo confit.*, a, 2. — <sup>4</sup> Serm. LXV in Cantica.

rum time; nam mulieres quo sanctiores, eo magis alliciunt, ait divus Augustinus, et sub prætextu blandi sermonis immiscet se viscus impiissimæ libidinis: unde de facili spiritualis dilectio in carnalem convertitur. — Dices: Vilis est. Sed time: Ancillas tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior eorum conditio, tanto facilior est ruina, ut ait D. Hieronymus ad Nepotianum: Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis<sup>4</sup>. — Dices: Illa mea instructione indiget. Time, ne dum eructas verba, mortem bibas: si instructionem quærit, adeat nutricem (iterum Hieronymus), adeat magistram, vel piam quampiam mulierem; tu ad instruendum ecclesiam habes. — Verum ægroto, et illius cura egeo. Time, multum time, ne faciat consuetudo et licentia quod non facit voluptas; morbus carnis igniculos non extinxit: oh quot hac specie convaluere corpore, sed anima miserime interierunt! Hic nulla cautela satis.

442. Q. 3. Quid de Clericorum interessentia choreis et comædiis?

R. Choreis tam publicis quam privatis, et publicis spectaculis interesse Clericos passim sub obedientiæ præcepto prohibent post Tridentinum<sup>2</sup> Synodi omnes, ut notant Benedictus XIV, tum propter gravissimum damnum et status Clericalis dedecus, quod inde solet exoriri; tum ob periculum, cui exponitur Clericalis vitæ sanctitas<sup>3</sup>. Imo nonnulli Episcopi suis in Synodis eo usque merito pervenerunt, ut pœnam suspensionis ipso facto incurrendæ et reservatæ inflixerint illis, qui in Sacris constituti, vel comædias agere vel in choreis publicis saltare, vel deposito habitu Clericali per vias personati incedere præsumpserint. Ita in Synodo Novariensi (pag. 168): ubi etiam quoad inferiores Clericos decernitur a statu Clericali dejectio.

Hoc tamen non prohibet, quominus honestæ recreationis et exercitationis causa Clerici agant vel intersint (uti fert usus) iis representationibus, quæ in communitatibus habentur, servatis tamen modestiæ ac temperantiæ regulis, et ceteris servandis. Cum enim res sit ex se indifferens, nil prohibet quominus illa in bonum finem dirigatur.

<sup>4</sup> V. Liguori, *Selva*, ecc., parte II<sup>a</sup>, i. truz. III<sup>a</sup>. — Meccchetti, *Esami pratici per gli Ecclesiastici*. — Dubois, *Le saint prêtre; Pratique du zèle eccl.*; le *Séminariste*. — Ferraris, *Biblioth. Canonica*, v<sup>o</sup> Luxuria Clericus, art. 4.

<sup>2</sup> Sess. xxii, c. 1, de R. — <sup>3</sup> De Synod., l. XI, c. x.

443. Q. 4. Quid de Clericorum ingressu in popinas atque tabernas?

R. Ingressus in propinas et tabernas extra necessitatem Clericis omnino vetatur ex Concilio Lateranensi IV: Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Id vel ipse prohibuit apostata Julianus falsorum numinum ministris: Sacerdotem, scribit ad Ursacium, hortare ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat... et qui tibi in his resistunt, expellito<sup>1</sup>. Et sane hoc nimium opponitur Clericali modestiæ et gravitati.

444. An (quæres) ludus alearum Clericis sit prohibitus? — Ludus alearum Clericis saltem beneficiatis et in Sacris constitutis sic expresse prohibetur in Lateranensi IV: Clerici ad aleas, et taxillos non ludant nec hujusmodi ludis intersint<sup>2</sup>. Et Cyprianus multis argumentis probat, quod indignum est, ut manus quæ Sacramenta consumunt, aleas tractent<sup>3</sup>. Jam vero si agatur de aleatore publico, consentiunt omnes eum peccare graviter, si in magna quantitate aleis ludat; aut in modica, sed frequenter; quia id graviter dedecet statum Clericalem, et nimium animus avocatur a divinis. Si vero non agatur nisi de Clerico qui ludat raro, moderate et privatim sine scandalo, putamus cum Laymano, Sporer et aliis hunc peccare solum venialiter. Imo probabiliter ne venialiter quidem, si ludat recreationis causa, ubi non tam rigide observetur prædictus Canon; cum non videatur ex se gravis inordinatio<sup>4</sup>. Excipe Religiosum et Episcopum, qui etiam semel tantum ludentes ludo aleatorio, nobis videntur difficulter excusari posse a peccato gravi; quia difficulter possunt excusari a gravi scandalo. Quod etiam dicendum quoad alios ludos, etsi non omnino fortuitos, si frequenter in iis Religiosi vel

<sup>1</sup> Epist. xlix.

<sup>2</sup> Can. x. Quoad inferiores Clericos communiter dicit Lugo, Sanchez, etc., id non prohiberi; quia quoad ipsos saltem ex consuetudine canones contrarii derogati sunt.

<sup>3</sup> De Aleatoribus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 895.

<sup>4</sup> Imo in ipsis communitatibus certis anni temporibus ludi, qui sunt pure sortis (ut sunt ludi vulgo *l'oise*, *la tombola*) publice permittuntur, si sint moderati.

Episcopi versentur; cum hoc ipsis nimis indecens videatur<sup>1</sup>.

445. *Quid (dices) de ludo chartarum?* — Chartarum ludus, si sit puræ sortis et omnino aleatorius (uti v. g. vulgo *la bassette, le trente-et-un*), jam patet de eo idem esse dicendum quod supra de aleis. Si vero sit mixtus, qui nempe pendet partim a sorte, partim ab arte, scientia et industria ludentis (uti sunt v. g. vulgo *tarots*), tunc dicimus Clericos sic ludentes non peccare mortaliter, nisi alicubi esset specialis prohibitio aut grave scandalum, et modo propria ministeria non negligantur. Imo ne venialiter quidem, si id agatur mera recreationis causa absque scandalo, moderate ac parvam exponendo summam, et privata in domo; uti fert hodierna ferme universalis consuetudo.

In Synodo Novariensi postrema, præter taxam libellarum 15 monetæ novæ Pedemontanæ Parochiali Ecclesiæ applicandam, indicitur etiam pena suspensionis ipso facto incurrendæ et reservatæ iis omnibus Ecclesiasticis, qui sive in cauponis quibuslibet, sive in liquorum seu potationum officinis (vulgo *cafés*), ad easque pertinentibus diversoriis, tam in urbe quam extra tabulis lusoriis (vulgo *cartes, tarots*), vel taxillis ludentes (vulgo *aux dés*), vel digitis micantes commorari ausi fuerint (pag. 168)<sup>2</sup>.

446. Q. 5. *Quid de venatione quoad Clericos?*

R. Venatio vel clamorosa est, uti Scholæ loquuntur, quæ nempe exercetur magno clamore et apparatu armorum, canum, etc., ut majores feræ capiuntur, v. g. cervi. Vel est quieta, quæ nempe nullum importat clamorem, et exercetur laqueis, retibus et similibus, vel etiam sclopeto ex Bene-

<sup>1</sup> Ex allato Canone patet Clericos prohiberi etiam interesse illis ludis. Attamen hodie communiter docent assistentes non peccare graviter; cum ex se non videatur inordinatio gravis. Excipe nisi fortasse sint causa ludi mortalis: vel negligenter ludentes corrigere; vel nisi de tali ludo, uti mortali, sibi ipsi complacerent; vel nisi agatur de Episcopis, qui ex proposito et frequenter assistant; cum isti a gravi scandalo vix ac ne vix quidem valeant excusari. — V. Benedictus XIV, *Notificatione xxxvii*.

<sup>2</sup> Neque refert, si forsau clericus pro alio ludat qui hic et nunc impediatur; semper enim verificatur, quod ipse ludit. Item est si ludat in cubiculo proprio, si in ea domo parentes cauponem agant, et simul cum illis clericus vivat in una familia, ut declaravit cardinalis episcopus Morozzo qui Synodum dictavit.

dicto XIV<sup>1</sup>, sed paucis adhibitis canibus, et sine ullo strepitu, ad occidentas minores feras, v. g. lepores.

Clamorosa venatio Clericis absolute prohibetur, et de eo communiter accipiunt verba Concilii generalis Lateranensis IV: *Venationem et aucupationem universis Clericis interdiximus, unde nec canes nec aves habere præsumant*<sup>2</sup>. Quieta tamen venatio hodie permittitur, uti fert usus: modo (quod caute perpendendum) mentem a Deo non distrahat, neque a studio, ab oratione, ceterisque muniis vocationis nostræ. Gravissime enim venit reprehendenda illorum ecclesiasticorum agendi ratio, qui sæcularibus vestibus induti cum sæcularibus hominibus venationem ad plures etiam dies protrahunt, de Missa nihilo curantes, Breviarium negligentes, omnem clericalem decorem pessumdantes, et portentosum scandalum in tota regione seminantes: quot scelera! Hujus periculi causa venatio indiscriminatim in Synodo ultima Novariensi (pag. 170) prohibita fuit<sup>3</sup>.

447. Hic non loquimur de *piscatione*; cum commune sit eam licitam esse utpote quæ natura sua sit omnino quieta, nec ullibi legatur proscripta. Quamquam non desunt qui eam comparant venationi.

448. Q. 6. *Quid de Clericorum negotiatione?*

R. Negotiatio proprie dicta tunc habetur, quando aliquid emitur animo illud idem non mutatum carioris vendendi. Sub gravi vetatur Religiosis et Clericis Alexandri III decreto: *Secundum instituta Prædecessorum Nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur*<sup>4</sup>. Benedictus vero XIV Bulla Apostolicæ constituit pœnas inflictas adversus Clericos negotiatores extendi

<sup>1</sup> *De Syn. Dioc.*, l. XI, c. xx.

<sup>2</sup> Can. xv. Quod omnis venatio sit prohibita est antiquo juri conformior; cum in eo nulla habeatur distinctio inter clamorosam ac quietam. Sed cum hodie inter DD. hæc distinctio sit recepta, ideo merito illius habetur ratio in questionis resolutione. — V. Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. XI, c. x. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 191. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v. Clericus, art. 6.

<sup>3</sup> Hoc tamen periculo præcluso, hodie ab omnibus venatio quieta habetur permissa, ipso superiore connivente.

<sup>4</sup> *Decr. Greg.*, l. III, t. I, *Ne Cler. vel Mon.*, c. vi.

etiam debere ad *Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent*. Tandem Clemens XIII Bulla *Cum primum* rursus prohibuit Clericis, ne per personas interpositas negotientur; ac præsertim ne cambium activum per alios contrahant; addens quod si adsit familiæ necessitas vel si negotium obveniat aliquo titulo a laicis, v. g. hæreditate, Clericus adhuc negotiari non possit sine Sedis Apostolicæ in Italia, extra vero sine Episcopi licentia<sup>1</sup>.

Juxta plures graviter peccat qui frequenter negotiatur, licet præciso scandalo, neque in materia gravi; *tum quia negotiatio nimis implicat animum sæcularibus curis; tum quia est ordinata ad terrenum lucrum, cujus Clerici esse debent contemptores*<sup>2</sup>. Qui tamen bis vel ter in levi, vel semel in gravi materia negotiatur, aiunt illum peccare venialiter tantum; quia jura vetantia videntur indicare habitum.

Pœna in negotiatores sunt excommunicatio, suspensio ab officio ac depositio a gradu et ordine; omnes tamen ferendæ sententiæ. Ceterum *Clericorum* nomine in præsentî non veniunt nisi clerici beneficiati vel in sacris ex communi Doctorum.

Diximus *negotiatio proprie dicta* seu lucrativa; solet enim distingui etiam *œconomica*, qua emuntur necessaria ad sustentationem et superflua venduntur; et *artificialis*, qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur. Harum neutra prohibita est: — non 1<sup>a</sup>, id est *œconomica*; eam enim prudentia ac necessitas suggerit, et si quid inde lucretur, id per accidens evenit; — non 2<sup>a</sup>, id est *artificialis*; quia ut ait S. Thomas, sic agere non est *proprie negotiari, sed præmium*

<sup>1</sup> Notat Alasia: usus et consuetudo negotiari permittunt (modo per se negotium non exercent) Clericis, si una cum fratribus in patris negotio succedunt.

<sup>2</sup> Angelicus, 2. 2, q. 77, a. 4; et Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 851. — Et addunt etiam probabilius et communius licitum esse clerico negotiari, si adsit necessitas gravis conservandi statum decentem pro se aut suis; nam leges ecclesiasticæ non obligant cum gravi incommodo; et probant ex C. *Multa 2 ne cler. vel Monac.* (Liguori, n. 857.) Sed ne facile fingatur ista necessitas; avaritia subdula febris est.

*laboris accipere*<sup>1</sup>. Et Apostolus hoc modo victum sibi comparabat<sup>2</sup>: unde non est verus negotiator qui emit colores ut vendat picturas, ferrum ut vendat gladios, uvas ut vendat vinum, asseres ut vendat scamna, lanas ut vendat pannum; modo non conducatur alios operarios ad hæc efficienda: secus opus valde accederet ad negotiationem. Item nec est verus negotiator qui proprios agros colit, ut fructus vendat; vel emit animalia, et ea suis in prædiis alit, ut ex foetu, lana, lacte pecuniam conficiat, aut ut saginata vendat. Sed agros vel prædia aliena conducere in hunc finem a sæculo V prohibuit Concilium Chalcedonense; licet vera negotiatio non sit<sup>3</sup>.

449. Synodus Novariensis habet ad rem: « Caveant Ecclesiastici, ne ullum mercaturæ aut negotiationis genus, sive per se, sive per interpositas personas, exercent. Unde nec laicorum prædia reditusve lucri causa, conducant aut societatem cum conductoribus ineant, nec aliena negotia procuratoris, institorisve officio agant, aut per mundanas vel mercatus discurrant, non sine gravi decoris sui detrimento. Hæc omnia Sacerdotibus singulis districte vetamus, nisi forte in gratiam propinquæ alicujus personæ ob evidentem ejus indigentiam, vel aliam rationabilem causam fiant, cujus recognitionem semper exigemus Nobisque reservamus (pag. 170). »

450. Q. 7. *Quænam artes et officia Clericis prohibentur?*

R. ad 1: Prohibetur Clericis (in Sacris tamen, prout verius dicunt<sup>4</sup>), ac Monachis ars Medicorum et Chirurgorum, ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione, nec adsit necessitas: et quidem sub irregularitate, si inde mutilatio vel mors sequatur; id enim opponitur lenitati, quam jugiter omnes habere debent Clerici. Si tamen peritus non adsit et casus urgeat, Clericus sine peccato, proinde sine pœnæ aut irregularitatis periculo, incisionem vel adustionem agere poterit. Item Ecclesiastici aliis præsto esse possunt, ac subvenire optimis artis salutaris consiliis<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> 2. 2, q. 77. — V. Liguori, *Hom. Apost.*, tr. X, n. 192.

<sup>2</sup> Act. xviii. — V. Pavone, *La luce fra le tenebre*, dissert. vi.

<sup>3</sup> Decr. II<sup>a</sup> pars, dist. lxxxvi, c. ult.

<sup>4</sup> Cap. *Sententiam*, Ne Clerici vel Monachi.

<sup>5</sup> V. Opus a Leone XII benigne exceptum, *Il Parroco istruito nella Medicina del dott. Barzaletti*. Milano. — Antonacci, *Catechismo medico ra-*

Omnibus autem Clericis eodem canonico jure prohibetur ars quælibet, quæ status Clericalis honestati generatim contraria censetur: uti ars macelliariorum, tabernariorum, joculariorum, etc.<sup>1</sup>.

451. R. ad 2. : Cum nemo specialiter militans Deo implicare se debeat negotiis sæcularibus, hinc Clerici beneficiati vel in Sacris passim jure canonico prohibentur officia exercere<sup>2</sup>: — 1. Tutoris, Curatoris, aut Procuratoris minorum, et quodcumque aliud, quod sit ministerii publici, quodque eos obliget ad reddendas rationes de justitia vel de bonis administratis, excepto casu quo pupilli seu minores sint proximi Clericorum propinqui<sup>3</sup>; — 2. Judicis in causa sanguinis; item Militis, item Advocatorum, Procuratorum et Notariorum in Curiis sæcularibus, excepto casu, quo Clericus agat causam vel suam vel suæ Ecclesiæ vel egeni vel personæ sibi in quarto gradu conjunctæ; — 3. administratoris bonorum personæ laicæ, privatæ, non miserabilis, cum obligatione reddendi administratæ substantiæ rationes. Ceterum non audeam damnare de mortali Clericum, qui ob talem procuratorem sua ministeria non negligeret; maxime si id non faceret avaritiæ causa, sed ad decentius statum suum et familiæ conservandum: jus enim loquitur tantum de eo, qui ita se

gionato a complemento del Manuale di medicina, chirurgia, e farmacia pubblicato già per comodo specialmente delle missioni straniere. Roma, 1854. — Aquistapace, Memoria diretta ad un Parroco sul bene, che può fare nelle malattie de' suoi parrocchiani. Milano, 1854. — Debreyne, Etude de la mort; it. la Physiologie et la Médecine dans son accord avec la Théologie. Paris.

<sup>1</sup> Sext. Decr., l. III, t. I, c. unic. — Liguori, Op. Mor., l. IV, n. 489; l. VII, n. 854. — Pavone, Spicilegio, n. 217.

<sup>2</sup> V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 858; l. IV, n. 190. — Lucius Ferraris, Bibliotheca Canonica, etc., vº Clericus, art. 5. — Bouix, De Judiciis, v. I, ubi omnia discutit ex jure antiquo et novo.

<sup>3</sup> Et ob hanc causam Clericus quoadusque deposita administratione, idoneam fidejussionem de suis gestis præbeat, sic irregularis ex C. unic. De Obl. ad rationem. At si Clericus suscipiat administrationem post ordinationem, etsi peccet, non tamen incurrit irregularitatem; cum hæc non inveniatur expressa in jure. Incurrit tamen suspensionem ab officio, sed non nisi ferendæ sententiæ ex C. Sed nec 4 ne Cler. vel Mon.: a qua adhuc ex eodem textu excusat ignorantia crassa. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 858.

immergeret in hujusmodi procurationibus, ut sua ministeria cogereetur negligere<sup>4</sup> (F).

452. Synodus Novariensis habet (pag. 170): *Ecclesiasticorum nemini fas sit in occupatione vili, aut in curanda re familiari, aut domus gubernatione famulari, vel in aliqua arte sæculari, præsertim inhonesta, aut sordida versari; vel forensi causarum, litiumve patrocinio se dedere. Quoties vero honestum aliquod officium in laicorum domo suscipere voluerint, licentiam ab Episcopo obtineant. Quæ porro omnia libere Episcopum constituere posse, etiam sub pœna, constat maxime ex Tridentino; hoc enim necessarium est ad Clericorum vitam continendam*<sup>5</sup> (G).

## Art. II. — De obligationibus ecclesiasticorum in particulari.

### § I. — De Episcopis ac Vicariis Generalibus.

#### 453. Q. 1. Quænam sunt Episcopi obligationes?

R. Plurimæ ac gravissimæ sunt Episcopi obligationes: cum ipsis commissa sit gubernatio totius Diocesis<sup>6</sup>; unde merito aiebat D. Augustinus: *Episcopatus nomen est oneris, non honoris*<sup>4</sup>. Nos præcipuas (hisce versibus) indicabimus obligationes ex S. Alphonso<sup>5</sup>, quem Pius VII appellabat *illustre Episcopalis ordinis decus*:

*Sanctis Sancta dabis, curas, sacrumque Tribunal,  
Audi, vise, vigil sis, sta, sal esto jubarque.*

1. Oportet, ut Episcopus ad altaris ministerium dignos dumtaxat eligat, qui sint bonitate positiva præditi ac debita scientia instructi. *Accurate investigandum, ait Angelicus, nim videlicet Dei causa tan-*

<sup>4</sup> C. Sed nec 4 ne Cler. vel Mon.

<sup>5</sup> Sess. XXII, c. 1, de R. — V. Marioni, Speculum Asceticum. — Salamo, Regula Cleri, etc.

<sup>6</sup> V. Opus a Benedicto XIV commendatum, Iconografia, ossia piano o pianta della vita e dei doveri del Vescovo. — Clary, Lo spirito dell' episcopato cristiano, e principali doveri. Napoli. — Abelly, Episcopalis sollicitudinis Enchiridion. — Bolgeni, L'Episcopato. — Maraviglia Episcopus Novariensis, De Legibus prudentiæ episcopalis. — Bouix, De Episcopo.

<sup>4</sup> L. XIX De Civ. Dei, c. XIX. — V. Salzano, Lezioni di diritto, ecc., vol. II.

<sup>5</sup> Homo Apost., tract. VII, n. 47, etc. It. ejusdem Opus, Riflessioni a' vescovi per la pratica di ben governare, ecc.

tum, aut potius suæ commoditati gratia ad Ordines capessendos aspirent, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, Sacris inhiantes, et honores ab hominibus expetentes: quisquis talis est, non Dei filius, nec ovilis Christi idoneus pastor futurus, sed mercenarius est<sup>1</sup>. « Vobis summopere cavendum (ita Episcopos alloquitur Pius IX sua prima Encyclica *Qui pluribus* 9 nov. 1846) ne cupiamus juxta Apostoli præceptum cito manus imponatis (I Tim. 5); sed eos tantum Sacris initiis Ordinibus ac sanctis tractandis admoveatis Mysteriis, qui accurate exquisitèque explorati, ac virtutum omnium ornati et sapientiæ laude spectati, vestris Diœcesibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quæ Clericis vetita; et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinæ, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (I Tim. 4); cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianæ Religionis institutionem fingant, excitent, atque inflament; melius enim profecto est, ut sapientissime monet immortalis memoriæ Benedictus XIV, pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles; quam plures qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri<sup>2</sup>. »

2. Ut bonos Parochos et Confessarios eligat, ipsi continuo invigilando: Unus Confessarius, qui sit ignarus aut moribus pravis, potest totam regionem perditam facere, ait D. Alphonsus: quod magis currit de Parochis, ut patet. Loquendo autem de eorum electione affirmat: Pro certo habendum, Parochum probum uno mense utiliorem esse populo, quam Parochus doctior, sed minus probus toto anno. Ut autem bonos confessarios, parochos atque ministros habeant episcopi, curare debent omni studio, ut ab ineunte ætate, omnes juvenes in Seminariis ad pietatem morumque integritatem et ad canonicam disciplinam informetur. Eadem vero collegia (ita Episcopis loquitur laudatus Benedictus XIV) singulari vestra sollicitudine foveantur necesse est, videlicet ea sæpe inviscendo, singulorum adolescentium vitam, indolem et in studiis profectum explorando, magistros ido-

<sup>1</sup> 2, q. 189, a. 1. — Dices: Qui Episcopus potest certior fieri de recta candidatorum intentione, de eorumque in bono perseverantia? R. Sanctus Alphonsus Liguori (*Opuscolo, Degli abusi nel prender le Messe*, ecc., n. 41): « Chacun sait que sur cette terre de ténèbres les hommes ne peuvent agir que d'une manière humaine; on ne pourra avoir une certitude physique de la bonne intention dont il s'agit, mais on peut en avoir la certitude morale, et cela suffit pour tranquilliser la conscience des évêques. Il faut en dire autant à propos de la persévérance. »

<sup>2</sup> Bulla *Ubi primum* 3 dec. 1740; data catholico orbi, cum Pontifex renuntiatus fuit.

neos virosque ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando, litterarias ipsorum exercitationes sive ecclesiasticas funciones quandoque præsentia vestra decorando, aliqua demum beneficia iis qui virtutum suarum specimen clarius præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo... Consueverunt episcopi sæpius dolere messem quidem esse multam, operarios autem paucos; at fortasse eis quoque dolendum esset, non eam quam debuissent, industriam ipsos adhibuisse, ut operarii ad messem pares aptique formarentur: boni namque et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad episcoporum solertiam industriamque maxime pertinet, etc.

3. Ut continuo meminerit, se pro bono Diœcesis, non pro se positum Episcopum, nempe omnium patrem atque magistrum omnibus omnia factum. Ideo necesse est, ut quoad potest, unum teneat locum, vel saltem ut notum faciat quo se confert, ut fideles, et præsertim Ecclesiastici suis in necessitatibus ad illum subito confugiant: Accessum ad se patenter assidue tenere debet subditis (verba sunt S. Alphonsi), et præcipue Parochis et Vicariis Foraneis, quos statim ad sui præsentiam admittere tenetur. Item et ceterorum de Clero sollicitam curam gerere, ne verificetur illud D. Bernardi: Insolentia Clericorum mater est negligentia Episcoporum<sup>1</sup>. Ipsi autem Episcopi provideant non coacte, sed spontaneæ secundum Deum...; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo<sup>2</sup>. Hinc D. Hieronymus ad Nepotianum, postquam sic Clericum est allocutus: Esto subjectus Pontifici tuo et quasi animæ parentem suscipe, addit: Illud etiam dico, quod Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos honorent Clericos, quasi Clericos, ut et ipsis a Clericis, quasi Episcopis, honor deferatur. — Item (ne teneatur etiam de peccatis alienis) videat quos sibi eligit in negotiis expediendis adjuutores, et officiales ac vicarios, quos oportet esse probos, corrumpi nescios, secretum silentes, boni nominis ac nemini dantes ullam offensionem in moribus; doctos et expertos, ut recte tot diversis et arduis provideant, neque magis coarctent quos solvere debent; operosos ac promptos, omnibus nempe omnia factos, neque propriis commoditatibus, sed aliorum necessitatibus sedulo studentes.

4. Ut totius Diœcesis visitationem frequentius, et quoad potest, per se ipsum, et cum debita diligentia persolvat, prout districtè præcipit Tridentinum<sup>3</sup>. O quot perturbationibus occurritur a Prælato cir-

<sup>1</sup> Ep. c. lii. — <sup>2</sup> I Petr. v.

<sup>3</sup> Sess. xiv, c. iii, de R.; et sess. vi, c. iv, de R. — V. Encyclica Leonis XII, 3 maii 1824.

cumeundo, et propriis oculis res inspiciendo<sup>4</sup>, et personaliter oves suas cognoscendo, pascendo, corrigendo, ad fervorem excitando; earumque necessitatibus auctoritate, consiliis, et elemosynis prospiciendo! — Pro ipsa autem visitatione accuratius facienda eligi solent ab Episcopo duo convitatores satis experti et in rebus ecclesiasticis versati: non est tamen ex Tridentino necessaria talis electio, sed tantum voluntaria; imo quoscumque sibi benevisos, etiam extra Capitulum, eligere potest, nisi inita sit aliqua conventio a S. Sede approbata<sup>5</sup>. Item ad fructum visitationis melius consequendum Episcopi visitaturi suos mittunt præcursores, qui concionando, instruendo, confitendo per aliquot dies populum disponant: qui sive sint sæculares sive regulares debent a parochis etiam regularibus lubenter excipi et adjuvari, ut jubet Benedictus XIV, Bulla *Firmandis*, 6 nov. 1744.

5. Ut omni sollicitudine vigilando in custodia gregis Christi oves proprias a venenatis pascuis avertere satagat; et quoniam hac in re tacere (ex S. Hilario Pictaviensi) *diffidentia signum est, non modestia ratio*<sup>6</sup>; et veritas cum minime defenditur opprimitur (ex S. Felice)<sup>4</sup>, murum æneum, et columnam ferream Episcopus se constituat pro domo Dei contra vaniloquos et seductores, etiam ipsas potestates, si opus: nullo timore concussus, sciens (prout aiebat pius quidem Episcopus) non jam opus esse, ut ipse vivat, opus tamen esse, ut salebrosum officium suum vivendo rite compleat. Si aliter non potest, saltem faciat protestationem reverentem quidem, sed cum evangelica libertate, ut ita nullum conniventia argumentum exhibeat fidelibus, tacendo<sup>5</sup>.

6. Ut in Diocesi resideat: secus quomodo poterit recte gregi suo providere? Et hoc quidem strictius debet ipso Parocho, cum sit Pastor principalis: hinc in ejus ordinatione ipsi consignatur annulus, ut illum

<sup>4</sup> In visitatione Cathedralis ratio postulat, ut Episcopus solus visitet, quia de ea uti de sua sponsa majorem tenetur habere notitiam, nec convenit assumere Capitulares suspectos, cum sint in causa propria (quæ ratio valet etiam quoad ceteros, ne scilicet assumantur uti convitatores, cum agitur de visitanda eorum Ecclesia). Ita S. Congr. C. apud Barbosam, Fagnanum et Scarfantonium, l. IV, tit. IV.

<sup>5</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, nn. 60 et 64. — Gavanti, *Episcopus Institutus*. — Crispino, *La visita pastorale*. — Piasecius, *Praxis Episcopalis*. — Resta, *Decretorium visitorum ac visitandorum*. — De Janua, *De Visitatione*. — Bouix, *Tractatus de Episcopo*. — Ferraris, *Biblioth. Canon.*, etc., v<sup>o</sup> Missiones, Missionarii, Visitare. — *Analecta juris pontificii*; 1853, pag. 511.

<sup>6</sup> *Echort. ad certand. pro fide*, n. 1.

<sup>4</sup> S. Felix III, dist. LXXXIII, decr. 1, p. 1<sup>a</sup>.

<sup>5</sup> Pius IX, *Brevi* 22 aug. 1851. Et responsiones Pœnitentiariæ 10 decemb. 1860.

gerendo consideret, se non esse amplius sui juris, sed Ecclesiæ suæ sponsæ, cui perpetuo assistere debet. Quod quidem adeo solemne est, ut ipse sine justa causa ac Pontificis venia nequeat Episcopatum deserrere et renuntiare, neque etiam ad religionem ingrediendam. Tridentinum tamen Episcopis concedit, posse quolibet anno abesse tres menses a Diocesi, ex causa tamen æqua, ait Concilium, *ergo animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur*, uti declarat Benedictus XIV, Bulla *Ad universæ*, 3 sept. 1746<sup>4</sup>. — Ut autem ultra tres menses abesse possint Episcopi ex eodem Tridentino assignatur *Christiana charitas*, ut si ageretur de componendis gravibus inimicitiiis, præsertim potentium: *Urgens necessitas*, ut si Episcopo imminet periculum extrinsecum et illi particulare: *Debita obedientia*, ut nempe v. g. obediat Pontifici ad bonum aliquod curandum: et *evidens Ecclesiæ aut reipublicæ utilitas*, ut si agatur v. g. de se aut suos defendendos, etc. Quæ causæ ex Tridentino erant approbandæ in scriptis vel a Pontifice, vel a metropolitano, vel (eo absente) ab antiquiore suffraganeo residente; sed nunc ex Benedicto XIV semper ad Papam recurrendum est.

7. Ut cunctis in omnium virtutum genere bonum exemplum præbeat: *Episcopus enim, ex S. Alphonso, est illa lucerna à Deo super candelabro posita, ut luceat omnibus qui sunt in domo Domini*. Iterum audiendus Benedictus XIV: *Postremo ut multa paucis complectamur, fratres, in omni sacra et ecclesiastica functione, et in omni divini cultus ac pietatis exercitio vos ipsos auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestræ sanctitatis splendore tum Clerus tum grex universus lumen hauriat, et charitatis vestræ*

<sup>4</sup> Sess. xxiii, cap. 1, de Ref. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 76: « Episcopi, temporibus a Tridentino præscriptis, scilicet Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus tenentur quidem apud suam Cathedralis Ecclesiam residere, ita ut aliter suæ obligationi non satisfaciant, nisi munia Episcopalia in sua Diocesi eos alio vocent. Ceterum non incidunt in pœnas a S. Synodo (c. 1, sess. vi, etc.; c. 1, sess. xxiii, de R.) Episcopis non residentibus inflictas. Sic declarasse S. Congregationem C. refert Fagnanus, l. III Decr. in c. *Qualiter*, q. de Cler. non resid., n. 39. 2 — Ita Ferraris, *Bibliotheca Canonica, juridica, moralis, theologica, ascetica*, etc., etc., v<sup>o</sup> Episcopus, a. 15. Plura de residentia Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 120, etc. Hic habentur primo canones canonici juris in decr. Gregor., l. III; c. iv *De Clericis non resid.*; et cap. *Cum ex eo* de elect. in sexto. Quos renovavit Tridentinum, sess. vi, c. 1, de R. habita sub Paulo III; et sess. xxiii, c. 1, habita sub Pio IV. Item Bulla *In suprema* 1564 Pio IV. Bulla Benedicti XIV, *Ubi primum* 1740; alia *Grave* 1744; tandem Bulla *Ad universæ* 1746, ubi renovat decreta Pii IV, Gregorii XIII, Clementis VIII, et Urbani VIII, etc.

igne incalescat. Itaque in tremendi sacrificii frequenti et devota oblatione, in solemnibus Missarum celebratione, in sacramentis administrandis, in divinis Officiis obeundis, in cultu et nitore templorum, in disciplina domus et familiae vestrae, in pauperum amore et ope eis ferenda, in aegrotis invisendis et sublevandis, in peregrinis hospitio excipiendis, in omni denique christianae virtutis opere, estote vos forma gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint, sicut et vos Christi.

454. Q. 2. Quid de Vicario Generali Episcopi?

R. Vicarius Generalis Episcopi (qui alicubi Officialis vocari solet; quamvis Officialis proprie sit qui habet jurisdictionem contentiosam) in iis quae jurisdictionis sunt, censetur una persona cum Episcopo. Unde in arbitrio quidem est Episcopi illum sibi non constituere; sed semel ab ipso constitutus Vicarius, per se loquendo habet a jure ordinariam, et liberam potestatem gerendi quae potest ipse Praelatus, et alios etiam delegandi. Hinc dispensat in proclamationibus matrimonii, fert censuras, approbat ad Confessionem, absolvit percussorem Clerici, etc.

Diximus per se loquendo; nam excipiuntur ea, quae peculiare mandatum postulant, quia uni Episcopo servantur vel jure, vel ex communi doctorum, nempe ratione gravitatis rei: quaeque proinde non censentur venire in commissione generali. Hinc non potest sine speciali mandato cognoscere causas criminales, in quibus gravius in reum est animadvertendum<sup>1</sup>; nec conferre beneficia<sup>2</sup>, neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum praebere<sup>3</sup>: sed instituit praesentatos a patronis, et judicat causas beneficiarias de jure patronatu, et ejus quasi possessione<sup>4</sup>. Non visitat Dioecesim, neque Synodum cogit<sup>5</sup>; non indicit collegium Canonicorum<sup>6</sup>; non absolvit a casibus quae a jure uni Episcopo reservantur<sup>7</sup>: neque tollit irregularitates ex delicto occulto<sup>8</sup>; non concedit litteras dimissorias, nisi Episcopus diu in longinquo verse-

<sup>1</sup> Cap. II, De Offic. Vic., in 6. — Cap. III, De Offic. Vic., in 6.

<sup>2</sup> Cap. V, De Rer. perm. — <sup>3</sup> Cap. III, De Inst.

<sup>4</sup> S. C. C. 4 decr. 1655. Hoc tamen potest Vicarius Romani Pontificis ex Benedicto XIV, De Syn. Dioec., I, II, c. III.

<sup>5</sup> Tridentinum, sess. XXV, c. VI, de R. — <sup>6</sup> Cap. De Paen. et rem., in 6.

<sup>8</sup> Tridentinum, sess. XXIV, c. VI, de R.

tur<sup>1</sup>; non dispensat in juramentis, nec in votis; item neque in statutis Episcopalibus et Synodalibus<sup>2</sup>; demum nihil potest, uti patet, eorum quae sunt ordinis Episcopalis.

455. Q. 5. Quid de Vicario Generali Capitulari?

R. Vacante Sede Episcopali, proprio jure ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis venit ordinaria Episcopi jurisdictione, atque ejus est judicare, condemnare, leges ferre ac cetera agere, quae ordinariae sunt jurisdictionis<sup>3</sup>. Sed Capitulum tenetur intra octiduum eligere Vicarium Capitularem: et recte eligitur etiam extraneus a Capitulo, si nemo ex Canonicis habeatur aptus<sup>4</sup>. Semel electus amplius dimoveri nequit, nisi a Congregatione Episcoporum, probata causa; totamque ordinariam Episcopi jurisdictionem accipit (cujus nullam partem sibi Capitulum reservare potest<sup>5</sup>). Hinc ipse solus judicat causas matrimoniales, cognoscit de haeresi, absolvit a censuris, concursus indicit, vota ac juramenta dispensat, visitat Dioecesim, elapso anno ab ultima visitatione, celebrat Synodum, sed post annum luctus, etc.<sup>6</sup>.

Quamvis vero jurisdictione Vicarii Capitularis latius pateat jurisdictione Vicarii Generalis Episcopi; attamen multa ipse Capitularis non potest, vel quia non habet potestatem, vel

<sup>1</sup> Cap. III, De Temp. ordin., in 6. — Bouix, Tractatus de judiciis, t. I,

<sup>2</sup> F. Liguori, Homo Apost., tract. II, n. 58; et V, n. 42. — Benedictus XIV, De Synodo Dioec., I, II, c. VIII.

<sup>3</sup> Hoc etiam habet Capitulum Cathedrale, ut sit senatus Episcopi, quem proinde adjuvare tenetur, quoad potest, tum opere, tum sermone. Imo jure nonnulla sunt, ad quae agenda de necessitate Episcopus Capituli modo consensum, modo consilium habere debet: sic requiritur Capituli consensus, cum agitur de alienatione honorum Ecclesiae, vel beneficiorum unione et aliis gravis momenti; requiritur vero ejusdem tantummodo consilium, si agatur de electione examinatorum prosynodalium, de Seminarii administratione, de Synodalibus legibus promulgandis, etc. — F. Bouix, Tractatus de Capitulis. — Benedictus XIV, De Syn., I, XII, c. I. — Andreucci, De Tuenda concordia inter Episcopum et Capitulum.

<sup>4</sup> Tridentinum, sess. XXIV, c. XVI, de R. — Si tamen Episcopo datus sit ab Apostolica Sede Vicarius, is etiam illo mortuo, officium retinet. F. De Petra, Const. Apost. ad Const. 2 Leonis IX, sect. V, n. 42.

<sup>5</sup> Benedictus XIV, De Syn. Dioec., I, II, c. IX.

<sup>6</sup> F. Ventriglia, Praxis rerum notabilium praesertim fori Ecclesiastici. — Marchetti, Praxis Vicarii Capitularis. — Ferraris, Biblioth. Can., v<sup>o</sup> Vicarius Capitularis, Sedes vacans.



quia ei Canones modum constituerunt. Hinc non visitat monasteria exempta<sup>1</sup>; non confert beneficia specialiter uni Episcopo reservata<sup>2</sup>; non concedit non arctatis dimissorias, nisi post annum luctus<sup>3</sup>; non dat Indulgentias<sup>4</sup>; neque potest facere quæ sunt ordinis Episcopalis, etsi ad ea gerenda vocare possit externos Episcopos. Item prohibetur aliquid innovare: ideo non potest de juribus Ecclesiæ detrahare, bona Ecclesiastica permutare, dividere, alienare<sup>5</sup>. Tandem tenetur futuro Episcopo de administratione rationem reddere, et, si deliquerit, potest ab ipso puniri<sup>6</sup> (H).

§ II. — De obligationibus Canonicorum.

456. Q. 1. Quænam sunt Canonicorum obligationes?

R. Canonicorum obligationes tres notantur præcipuæ:

*Sollicitudo chori, residentia, Missa perennis.*

1. Ut Missam unam quotidie celebrent in cantu, et applicent pro fundatoribus et Ecclesiæ benefactoribus in genere, a qua quidem neque immemorabilis consuetudo excusat: idque sane sub gravi præceptum est, cum res gravis sit. Ita Benedictus XIV Constitutione *Cum semper*. Ita pluries S. C. Congregatio statuit; ac ultimo Leo XII a Capitulo Cenomanensi consultus eo sensu respondendum esse jussit: Missæ porro omnes Canonici interesse debent<sup>7</sup>. Hebdomadarius autem vel is cui onus inest Missæ conventualis, die quo Episcopus pontificaliter celebrat, illam dicat lectam; S. C. C. 12 nov. 1831.

2. Ut omnes choro intersint ad psallendum, stans horis: *Omnes compellantur*, inquit Tridentinum, *in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter,*

<sup>1</sup> Tridentinum, sess. xxv, *De Regul.*, c. ix. — <sup>2</sup> Cap. IIIa 2, de Sede vac.

<sup>3</sup> Cap. *Cum nullus* 5 de temp. ord. — Ceterum vide dicenda *De Ordine*.

<sup>4</sup> Benedictus XIV, *loc. cit.* — <sup>5</sup> Innocentius III, c. *Novit ille* 1, *Ne Sede*.

<sup>6</sup> Tridentinum, sess. xxiv, c. xvi, de R.

<sup>7</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, 314. Imo aliquoties canonici tenentur ad plures missas celebrandas eadem die, ut in rogationibus, in vigiliis, etc. — V. Benedictus XIV, *Notificazione* cvii, Quartus, Meratus, etc.

*distincte, devotèque laudare*<sup>1</sup>. Unde in sententia veriori mortaliter peccant qui absunt notabiliter ultra dies permisos; nam assistentia est de primaria institutione beneficii ipsius. Errant ergo Canonici illi, qui se tutos in conscientia putant, quia si ad libitum et sine causa absunt a choro, distributiones etiam amittunt; obligatio enim chori est a distributione ipsa independens: est tamen commune, tres vel quatuor dies non constituere materiam gravem. Canonici vero, qui sine justa et gravi causa non intersunt choro, distributiones lucrari non possunt, etiamsi consocii eas iisdem condonent: hanc pœnam expresse statuit Tridentinum.

Insuper in delinquentem statuit: *Primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentia fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrarum Canonum Constitutiones procedatur*, nempe expolientur tertio anno ipsis beneficiis. Ubi notandum, esse quidem pœnale, quod debeant privari dimidiis vel omnibus fructibus, et ideo non ante sententiam solvendis. Sed distributiones, et fructus absentia respondententes, statim amittuntur; nam residentia est conditio, sine qua nemo illa facit sua.

3. Ut resident in propriis Ecclesiis, cum revera talis sit canonicalium beneficiorum natura. *Non liceat*, ait Tridentinum, *vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt*<sup>2</sup>; et postea in non residentes pœnas decernit<sup>3</sup>. Ubi notandum non omnes simul Canonicos abesse

<sup>1</sup> Sess. xxiv, c. xii, de R. Et cap. *Pervenit ad nos*, xxviii, de R. Gregorii IX. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 675; et l. IV, n. 129. Et *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 51. V. it. *De Parochis*.

<sup>2</sup> Sess. xxiv, c. xii, de R.

<sup>3</sup> Hinc a Laurenio, Lottario, Pickler, etc., residentia definitur: *Præsentia personæ, seu commoratio assidua in loco beneficii, seu apud Ecclesiam, ad effectum illi personaliter serviendi*. Quod quidem est ipsi Tridentino conformius; supra enim citatis verbis duo videntur absolute Canonicis præscribi et residentia in loco et interessentia choro. Sunt tamen qui cum Scarfantonio tenent Canonicos curam animarum non habentes

posse, diebus permissis; nam vacationes conceduntur Canonicis, non Capitulo: unde Ecclesia convenienti servitio nunquam est destituenda. Quot autem simul abesse possint, si agatur de canonicis cathedralibus, relinquatur arbitrio Episcopi et Capituli; si de aliis, S. C. C. censuit eos abesse non posse ultra tertiam partem uno tempore. Tamen Ceccoperus restringit ad quartam partem, et asserit id decimum.

457. Q. 2. *Quænam sunt justæ causæ, quæ excusant a choro?*

R. Præter menses unicuique Canonico a Tridentino, vel consuetudine permissos, tres sunt constitutæ causæ a Bonifacio VIII<sup>1</sup>, quæ excusant a chori assistentiâ, quin fructus præbendæ amittantur aut distributiones: sunt nempe infirmitas, rationalis corporis necessitas, et Ecclesiæ utilitas.

1. *Infirmitas*, si sit gravis vel gravis fieri possit per accessum ad Ecclesiam: excusantur etiam qui propria culpa infirmitatem contraxerint, ut cum commune docet Concina, quia indistincte lex excusat infirmos; et hoc etiamsi quis data opera in morbum se conjecerit, ut absit e choro, prout probabile putat idem Concina, etsi aliunde graviter peccet; quia lex non ad intentionem, sed ad infirmitatem respicit.

2. *Rationalis corporis necessitas*, sub qua intelligitur timor cujuscumque gravis damni in vita, honore aut bonis. Unde non privantur neque distributionis qui domi morantur ad medicinam sumendam, ad venam scindendam; item qui proficiscuntur ad balnea, causa salutis; item qui ab hostibus capiuntur, aut patiuntur injustum exilium vel carcerem; item probabilius currit de absente ob metum belli vel pestis grassantis in loco beneficii.

3. *Ecclesiæ utilitas*, si sit gravis, iudicio Episcopi vel Capituli, et sit ecclesiæ propriæ, vel universalis aut totius diocesis. Hac ratione habetur ut præsens canonicus qui mittitur ab episcopo ad visitanda limina Apostolorum; duo canonici qui comitantur episcopum ad eadem limina: accessus autem,

posse diu noctuque moram trahere extra locum proprii beneficii, modo horis congruis accedant ad Ecclesiam pro servitio. Et Zamboni hac de re profert declarationem S. C. C. 28 febr. 1795.

<sup>1</sup> Cap. unic., *De Cler.*, non resident. in 6.

mansio, et regressus hujus visitationis est trium mensium. Item excusatur canonicus missus ad Concilium provinciale tanquam theologus, canonista aut procurator Capituli; item canonici et beneficiati absentes a choro, ut assistant episcopo solemniter in civitate celebranti. Tandem habentur uti præsentés Vicarius Capitularis<sup>1</sup>; item Canonicus Curatus, dum tamen in Parœciæ cura versatur; item Pœnitentiarius, dum in sua Ecclesia confessiones audit. Item Theologus die, quo fidelibus sacram Scripturam exponit, cujus quidem expositionis gravissima obligatio præteriri nequit omnino tuta conscientia, vel aliud opus substitui (sine Pontificia licentia), hodie maxime, cum adeo necessaria evaserit ad retundendam malorum audaciam: *Qui* (dicente Pio IX Encyclica *Quibus quantisque* 20 apr. 1849) *hæreticorum hominum vestigiis inhærentes, suprema auctoritate omnino despecta, plane non dubitant sacrarum Scripturarum verba, testimonia, sententias privato, proprio, pravoque sensu invocare, interpretari, invertere, detorquere* (1).

458. *An (quæres) suæ obligationi faciant satis Canonici, qui choro intersunt, sed minime canentes, vel canentes voce tantum submissa? Canonici qui cum aliis non psallunt, etsi recitent Psalmos submissè, non satisfaciunt choro, nec lucrantur distributiones, neque fructus præbendæ respondentés. Servitium enim chori in eo consistit, ut Clerici convenient simul ad psallendum*<sup>2</sup>. Idque definitum est a Benedicto XIV, 1744, Bulla *Cum semper*; et 1748 alio Brevi declaravit, contrariam consuetudinem abusum et corruptelam<sup>3</sup>. — Aliter esset, ut docent valde probabilior et communius Concina, Lessius, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, etc., siquis choro

<sup>1</sup> Hac in re sunt etiam inspicienda uniuscujusque loci statuta, consuetudines, vel privilegia. — V. Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. ix; et maxime *Notificatione* cxi, ubi de singulis canonicorum obligationibus eruditissime more suo. — Pavone, *Spicilegio*, ecc., nn. 115 et 226. — L. Ferraris, *Biblioth. Can.*, etc., v<sup>is</sup> Canonicatus, Canonicus, a. 9; Absens, Residentia, Insignia, Distributiones, Punctator, Capitulum, Cappa, Collegium. — Bouix, Searfantonius; et plura apud Bouvier, *De Ordine*.

<sup>2</sup> Clement., l. III, t. IV, *De Cel. Missæ*, c. 1. Et Tridentinum, sess. xxi, c. iii; et xxxi, c. iii, de R.

<sup>3</sup> V. Synodus Novariensis, p. 175 et seq.; quoad speciales obligationes

non addictus suam partem submisce recitaret, alteram partem canentem audiendo. Quia generatim loquendo, non requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero; cum jam per se una pars unum corpus cum altera constituat, et sic invicem omnes sufficienter communicent, neque adsit positiva lex contraria.

§ III. — De Vicariis foraneis et parochis.

459. Q. 1. *Quinam dicuntur, et ad quid tenentur Vicarii Foranei?*

R. Vicarii Foranei sunt Presbyteri illi, quos in oppidis Diœcesis Episcopi solent constituere ad certos actus, certasque vices pro bono Diœcesis regimine. Foranei autem dicti sunt, quasi foris constituti; at in Gallia Vicarii Foranei vocantur *decani*. De iis D. Carolus hæc habet: *Ut Episcopus in urbe etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri et curare possit, deligat aliquot probatos Sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarii Foranei nomine, tribuat certas regiones Diœcesis suæ*<sup>1</sup>. Ex actis Ecclesiæ Mediolanensis, ex Conciliis Provincialibus, ex Synodis Diœcesanis atque ex natura rei obligationes Vicariorum Foraneorum graves et præcipuæ sunt:

1. Ut diligenter in omnes Clericos Vicariatus inquirent, utrum ea quæ de vita et honestate Clericorum præscripta sunt, observentur? Utrum Parochi muneri suo satisfaciant? Utrum altaria et Ecclesiæ rite ac decore ubique teneantur? Bona Ecclesiastica, beneficia et legata bene administrantur, et onera impleantur? etc. Quotannis vero (omni posthabito respectu) Episcopum certiore faciant de omnibus.

2. Ut delinquentes, si quos invenerint, admoneant et corrigant; ac si de re gravi agatur, neque mōitiones et correctiones profuerint, Episcopo vel ejus Vicario Generali rem totam significent.

3. Ut Sacerdotes ac Clericos inferiores Vicariatus fato

<sup>1</sup> Acta Med. Eccl., p. 1, h. t. — Synodus Novariensis, p. 181. — Ferraris, *Biblioth. Can.*, v<sup>o</sup> Archipresbyter.

functos Curia Episcopali denuntient. Et ubi Parochus aliquis supremum diem expleverit, cito Vicarius Foraneus in eam Parœciam se conferat; ejus curam committat idoneo Sacerdoti audiendis Confessionibus approbato, donec rei certior efficiatur Episcopus. Dein inventarium honorum ac rerum Ecclesiæ mobilium rite conficiat; scripturas, libros et alia ad Parœciam pertinentia in tuto reponat.

4. Ut dissidia, si quæ sint in Vicariatu, maxime si inter viros Ecclesiasticos, componere studeant, si possint. Si nequeant, iudicis personam agant, servatis limitibus, quibus coercetur eorum potestas<sup>1</sup>.

5. Ut suo tempore Congregationes indicant, iis præsent, atque omnia præscripta adimpleant, tum quoad functiones celebrandas, tum quoad casus resolvendos, tum quoad reflectionem sumendam, etc.

6. Denique ut cum ad octiduum abesse voluerint a Vicariatu, si animarum curam gerant, discessum et absentiam Pro-Vicario, vel antiquiori Vicariatus Parocho significant.

460. Q. 2. *Quot sunt Parochorum obligationes?*

R. Parochorum obligationes sic enumerantur et dividuntur, ut aliqua respiciant proprios et personales eorum mores, alia residentiam in parœcia servandam, alia referantur ad Ecclesiam parochialem et functiones sacras, alia tandem ad populum et gregem ipsis commissum. De Parochis sic Episcopus omnes alloquitur Pius PP. IX, Encyclica *Qui pluribus*: « Neque vero ignoratis majori diligentia Vobis in illorum præcipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tanquam fideles multiformis gratiæ Dei dispensatores plebem sibi concreditam Sacramentorum administratione, divini Verbi predicatione ac honorum operum exemplo

<sup>1</sup> Ubi notandum ex c. iii, *De Appell.*, in 6, a Vicario Foraneo ad Episcopum dari appellationem, cum sit aliud tribunal; at *ordinarie* non datur appellatio a Vicario Generali. Diximus *ordinarie*, nam aliquando potest etiam Vicarius Generalis Episcopi recusari ob aliquam specialem qualitatem illi inhærentem, ob quam videatur suspectus, et tunc causa probanda est coram Episcopo, ex cap. *Si contra offic. deleg.*, in 6. — V. Sanchez, *Concilia moralia*, l. VI, c. vii, dub. 5.

<sup>2</sup> Quod disputatur de Parochis, idem fere valet de aliis omnibus in cura animarum, ut de vicariis perpetuis, item coadjutoribus titularibus, qui utique animarum habent curam, cum dependentia tamen a Parocho. Si plures sint in uno loco Parochi, vid. Conc. Provinc. Mediol. iv.

continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligentis nimirum, Parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi et christianam laxari disciplinam et Religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehī.

Ex quibus patet, tantum onus a nemine inconsiderate sumendum, quippe quod tot scateat obligationibus, totque consecrariis: ne tauro se oneret qui non potest portare capellam; ne quis majora conetur, quam patitur sua facultas<sup>1</sup>. — Etsi tamen Parochorum officium salubrosus sit; non ideo eos nimium terrere debet, quia recta intentione, sufficienter instructi ac superiorum consilio illud suscipiunt. Et putamus æque culpandam et illorum temeritatem, qui indebite, ac suis tantum viribus nixi, ad hoc munus se accingunt, et illorum nimiam timiditatem, qui satis apti prudentum judicio, pedem subducunt: hi animum addant; dabit enim virtutem qui imposuit onus. Neque sane Christus illum deserere vult, qui ita propius ejus personam gerit, et diu noctuque insudat in dominico campo, tot adversa in Dei gloriam continuo sustinens. Ad ipsumque crebrius clamat: *Et nunc, Domine Deus, tu pastorem fecisti servum tuum; ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum; in servus tuus in medio est populi quem elegisti; dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum (J).*

#### N. I. — DE PAROCHI MORIBUS ET RESIDENTIA.

461. Q. 1. *Quænam Parochi obligationes relate ad mores proprios?*

R. Parochi obligationes quoad personales ejus mores colligimus ab Actis Ecclesiæ Mediolanensis, et ex ipsa officii natura. Sunt:

1. Ut Parochus secum quotidie in animo reputet, se onus sustinere angelicis humeris formidandum. Nec tamen animo concidat; sed Deo se totum submittat eique placere studeat, ob oculos sibi proponens mercedem, quam pastoribus labo-

<sup>1</sup> V. Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. II: necessità di una vocazione speciale per entrare nel ministero pastorale. — Segneri, *Il Parroco istruito*, c. IV. — Liguori, *Op. Mor.*, I. VI, n. 804.

riosis pollicetur Pastor pastorum Christus, qui inquebat: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in caelis. Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus<sup>1</sup>.*

2. Ut sciat, se boni rectoris officio haud posse satisfacere, si quam aliis inculcat pietatem, ipse non exprimat in se factus *forma gregis ex animo<sup>2</sup>*. Observat enim Concilium Urצלense: *Magis oculis, quam auribus credunt homines*. Et D. Thomas: *Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur, et omnia spiritualia ab eo exhibita<sup>3</sup>*. Et D. Bernardus habet: *Bonus si fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est; si malus fuerit, tentator<sup>4</sup>.*

3. Ut constantem studiis sacris operam impendat, ne errare contingat cum tanto ovium suarum detrimento. Item Congregationibus a Vicario Foraneo indictis semper intersit: atque in sua etiam Parœcia, si quatuor saltem sint Sacerdotes, eas teneat de rerum sacrarum studiis exercitationes. Istæ enim mirifice inserviunt (si rite habeantur) ad mutuam in Domino charitatem fovendam, ad fervorem augendum, abusus tollendos et disciplinam incorrupte servandam, ædificationi populo sunt, ipsis Ecclesiasticis maximo profectui<sup>5</sup>.

4. Ut in omni agendi ratione maximam prudentiam præ se ferat, sciens, non omnia semper expedire quæ licent, et in se bona sunt. Unde sit cautus ac modum servet, *tum* in abusus evellendis, ne eos volens auferre, augeat<sup>6</sup>; *tum* in propriis juribus defendendis, ne dum minimum curat, quod est majus et substantiale deserat ac pessumdet; *tum* in extraordinariis etiam pietatis operibus inducendis, si promovendo quod consilii est, certo periculo exponat quod est de necessitate. Si velit tuto agere, nova et extraordinaria non tentet sine ecclesiastici sui superioris judicio (K).

5. De nullo sinistre loquatur; sed omnibus bene velit:

<sup>1</sup> Joann. XII. — <sup>2</sup> I Petr. V.

<sup>3</sup> Suppl. q. 34, a. 4. — <sup>4</sup> Serm. LXXI in Cant.

<sup>5</sup> S. Alphonsus id valde commendat, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 57. — V. Benedictus XIV, *Notificatione* XXXIII, CI et CII. — Et Synodus Novariensis, p. 35.

<sup>6</sup> V. De consuet. evellenda, tract. *De Legibus* in fine, n. 279.

omnes sine ulla acceptione divites ac pauperes paterne audiat, patienter sustineat, cum iisque, quoad res tulerit, leniter agat<sup>1</sup>. Caveat ne suum antecessorem quoquomodo incuset vel notet; nemo enim magis contemnitur quam qui contemnit: omnes Ecclesiasticos (etiam sibi subditos), ac civiles potestates, Clerum universum, ac maxime viciniore Parochos plurimi faciat: honoret et honorabitur. Sic fiet, ut sibi omnes conciliet animos, adeo ut liberrime postmodum valeat bono Parœciæ providere (L).

6. Ut continuo recordetur eorum, quæ agit, consecraria; etenim neque bonus neque malus Parochus, ubi ex hac vita decedit, totus moritur; sed ejusdem opera quasi viva quædam semina in novos semper multiplicatosque fructus conscendunt. Hæc modo non curantur; ast ultima judicii die omnia coram omnibus aperta erunt: hinc qui Parochus non intime commovetur, dum tanti spectaculi quod certe impendet, attente meminerit<sup>2</sup>? — En versus:

*Impiger atque pius, studiis incumbere, tuorum  
Prudens, detrahe nunquam, post tua fata corusca.*

462. Q. 2. An Parochi teneantur ad residentiam?

R. Affirmative: Parochi tenentur ad residentiam, et quidem sub gravi. Constat ex Tridentino; postquam enim definit residentiam esse graviter Episcopis præscriptam, declarat idem esse affirmandum *de Curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent*<sup>3</sup>. Adde: Parochus eo ipso, quod spirituale Parochiæ regimen in se suscepit, strictam contraxit obligationem per se ipsum incumbendi in salutem animarum, quæ sibi commissæ sunt; quod assequi non valet sine personali residentia. Quare ex pluribus decretis S. Concilii C. uno ore definiunt Canonistæ, Parochum teneri ad residentiam, etiamsi haberet Parœciam tenuem; et quamvis tres tantum vel quatuor remanerent incolæ. Imo neque abesse posse ob intemperiem, vel aeris insalubritatem; neque ut

<sup>1</sup> V. Binet, *Quel est le meilleur gouvernement, le rigoureux ou le doux?*

<sup>2</sup> V. Stapf, *Theol. Mor.*, t. I, § 152. — <sup>3</sup> Sess. xxiii, c. 1, de R.

grammaticam doceat in civitate, licet aliunde idoneum relinquat vicarium<sup>1</sup>.

Quamvis adsit qui dicunt Parochos ad residentiam obligari duntaxat de jure Ecclesiastico; nos tamen dicimus cum communi, Parochos obligari etiam de jure naturali et divino. Satis constat ex Tridentino, in quo si non expresse definitum, suppositum tamen videtur uti certum his verbis: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, Verbiq; divini prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera pastoralia munia incumbere (quæ omnia ab iis nequaquam præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt); sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinatorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant*<sup>2</sup>. — Huc facit illud D. Petri: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*<sup>3</sup>. Idque clarior declaravit Benedictus XIV Bulla *Ubi primum*, in qua ait residentiam *vi muneris* esse servandam (M).

463. Q. 3. Ad quamnam residentiam Parochi tenentur?

R. Parochus ex natura sui officii, et S. Concilii Congregatione, debet habitare in domo suæ Ecclesiæ, si ibi adest; si non adest, debet residere in alia domo, quæ sit intra limites Parœciæ, et ita propinqua Ecclesiæ parochiali, ut commode ei possit inservire, et parochiani facile possint ad ipsum recurrere<sup>4</sup>. Ex quo deducitur:

1. Vi hujusmodi residentiæ, uti communiter docent, teneri Parochum quoad potest, per se ipsum exercere munera prin-

<sup>1</sup> V. Ferraris, *Biblioth. Can.*, v. Parochus, Residentia. — Benedictus XIV, *Notificatione* xvii.

<sup>2</sup> *Loc. cit.* — <sup>3</sup> Ep. i, c. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 121.

<sup>4</sup> Ceterum quascumque domo habitet Parochus ratione vel circumstantiarum vel legitime consuetudinis, semper curare debet, ut parochiani faciliem ad se accessum habeant. Sciat autem ipsos ægre ferre petulantiam domesticorum, qui curiosius inquirunt, notant, scrutantur omnes ad Parochum accedentes, et eum accedant, malitiose subauscultando.

cipaliora, uti sunt prædicatio, catechismus, et administratio Sacramentorum præsertim Pœnitentiæ; ideo enim ex Tridentino ad personalem obligatur residentiam. Potest quidem pro meliori Parochialium officiorum implemento (non autem pro majori sua commoditate) unum aut plures habere vicarios seu coadjutores, quibus munera magis laboriosa committat, uti esset v. g. divinorum officiorum celebratio in Oratoriis. Sed legitimo cessante impedimento, munia principaliora, quoad potest, debet præstare per se ipsum, maxime si nominatim a Parochianis vocetur, cum ipse sit eorum rector. Neque ideo liberantur quia jam in parœcia sunt qui fidelibus prædicant, qui catechizantur pueros, qui confessiones audiunt; si enim alii ex charitate, ipse ex justitia tenetur hæc omnia præstare; vel quia alii suo funguntur officio, non ideo ipse liberatur a munere suo. Adde: vox proprii pastoris majorem habet efficaciam, si tamen industrie ac pie omnia fiant. Secus si ei sufficit, quod per alium laboret, sufficere quoque debet, quod per alium manducet: *Qui per vicarium servit, per vicarium remunerabitur*, ait ad rem S. Bernardus<sup>1</sup>.

Sentit Hurtadus non esse tutum in conscientia Parochum, qui degens in Parœcia per duos menses Sacramenta per seipsum non ministraret, nisi in ea constitutus esset alius vicarius perpetuus (seu coadjutor cum cura animarum), ut dicunt Salmanticenses, Barbosa, Garcias<sup>2</sup>.

2. Parochum illum graviter peccare, ac teneri ad fructuum restitutionem, ac si non resideret, qui resideret quidem in Parochia, sed inutiliter et otiose; nam ei fructus non dantur, nisi sub conditione residentiae utilis et fructuosae ipsimet ecclesiae. Adde: ipsum Tridentinum postquam declaravit Parochos ad personalem residentiam teneri, addit: *Ubi in-*

<sup>1</sup> Epist. iv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 127, dub. 2.

<sup>2</sup> Proprie *Vicarius perpetuus* est qui deputatur ad curam in parœciis unitis alicui monasterio, vel cathedrali, aut alio pio loco; et tunc verus parochus est vicarius perpetuus, congregatione illa curam habituales tantum retinente. Idem currit, si vicarius curatus esset amovibilis; qui quando parœciam tenet, iisdem ligatur obligationibus. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v. Vicarius parochialis.

*juncto sibi officio fungi teneantur*; ergo si injuncto sibi officio minime funguntur, non censentur implere residentiam præscriptam, ideo nec facere fructus suos; cum non de materiali residentia Concilium sit allocutum, sed de formali, quæ nempe cum proprii muneris implemento jungatur. Et Benedictus XIV Bulla *Grave*, declaravit non esse veram residentiam nisi ea sit formalis seu utilis.

464. *An (quæres) qui non residet, vel materialiter tantum, teneatur ad integram fructuum parochialium restitutionem absentiae respondentium, etiamsi alia munia implere curet?* — R. Qui non residet, aut non residet nisi materialiter, teneri ad integram fructuum restitutionem, si alia munia impleat, probabiliter negant Barbosa, Bonacina, et Viva cum communi, ut hic asserit. Nam fructus non dantur pro solo residentiae onere: sed etiam ob alia, nempe ob Horas, Missam, etc. Unde videtur juri naturali consentaneum, quod qui duplici onere gravatus est, non debeat privari mercede utrique assignata, eo quod unum omisit, si tamen aliud adimplevit. Neque sane Tridentinum clare contrarium expressit: unde est benigna interpretatione donandum.

465. Q. 4. *Quænam causæ excusant a residentia?*

R. Tridentinum ob quamlibet *honestam causam* Parochis omnibus liberam facultatem facit discedendi a propria Parœcia duorum mensium spatio<sup>1</sup>, his adnexis conditionibus et quidem sub gravi, cum agatur de præcepto gravi: 1. ut causa discessus ab Episcopo cognoscatur et approbetur; 2. ut vicarius idoneus ab ipso Ordinario approbandus cum debita mercedis assignatione relinquatur. — Si tamen gravis occurrat causa, quæ dilationem non patiat (relicto semper vicario idoneo) discedere poterit parochus etiam absque Episcopi licentia, quia *necessitas non habet legem*. Sed quam primum, certiores faciet Episcopum, nisi brevi temporis intervallo sit reversurus. Ita definiit S. Concilium C.

<sup>1</sup> Sane naturæ consentaneum, ut quilibet munere aliquo donatus animum aliquando relaxet, ac ferias habeat, ut vires resumat. Neque ideo violatur jus divinum residentiae; residere est præceptum affirmativum, quod non obligat semper et pro semper. Videatur Benedictus XIV, *Notificatione* xxxiv, n. 15.

466. Item excusari poterit Parochus saltem a mortali ex parvitate materiæ, si, inconsulto Episcopo, discedat per modicum tempus, v. g. per unam hebdomadam, et juxta alios etiam per duas; modo tamen non relinquat infirmos in articulo mortis, et vicarium substituat. Episcopi tamen complures in Synodis (ut in Novariensi, pag. 185) consuevere præscribere, ut Parochus ultra triduum abesse nequeat absque licentia Vicarii Foranei, semper autem idoneo Sacerdote relicto. Vicarius vero Foraneus ultra octiduum non poterit licentiam hanc elargiri, sed ea erit ab Episcopo vel Vicario Generali in scriptis impetranda<sup>1</sup>.

Audiendus hic Eminentiſſimus Card. Gousset: « Il ne suffit pas d'être présent dans sa paroisse les jours de dimanche et de fête de précepte, il faut y être tous les jours, moralement parlant, parce que tous les jours il y a quelque chose à faire pour les paroissiens; tous les jours le ministère du prêtre peut être utile à quelque fidèle. Il ne suffit pas même d'y passer la nuit et une partie de la matinée; celui qui s'éloigne tous les jours ou presque tous les jours, ou trois ou quatre fois la semaine, en partant le matin pour ne revenir que le soir, n'est pas en sûreté de conscience; en outre du danger de laisser mourir des malades sans sacrement, il perd le temps, il se met hors d'état de remplir exactement ses devoirs et il scandalise le peuple. Une vie si dissipée est incompatible avec l'esprit ecclésiastique, l'amour de la retraite, de la prière et de l'étude nécessaire à chaque prêtre et en particulier à ceux qui sont chargés de la direction des âmes<sup>2</sup>. »

467. An (quæres) sint legitimæ causæ quibus ex Episcopali licentia Parochus abesse possit a Paroecia ultra bimestre? — Tridentinum statuit, Parochos non posse abesse ultra bimestre, nisi ex gravi causa, et cum Episcopali licentia<sup>3</sup>,

<sup>1</sup> Invaluit usus ut quandoque concedatur viva voce, et hæc concessio sufficit, modo de voluntate Episcopi constet. Ferraris, Reiffenstuel, alique notant non sufficere; ut licentia fuerit petita, nisi sit obtenta; atque Episcopo eam negante, ad superiorem est recurrendum, vel residentia tenenda. Coninchius vero cum aliis dicit, sufficere licentiam tacitam, saltem si talia occurrant signa, ut constet Episcopum actu revera consentire. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 125 et seqq.

<sup>2</sup> *Théologie morale, de l'Ordre*, n. 725.

<sup>3</sup> Qui ultra bimestre abest etiam cum causa, sed ea non sit ab Episcopo approbata, adhuc habetur uti transgressor a Tridentino et Benedicto XIV, qui inde non facit fructus suos, ut aiunt. Ceterum nescirem condemnare Parochum, qui ex causa evidenter justa discederet, et oconomum idoneum alias jam approbatum ab Episcopo, et qui actu jam reperiretur, in Parochia servitio relinqueret. Ita ait S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 21.

et quidem *licentia expressa*, ut ait Sacra Concili Congregatio. Pro causa a Concilio adsignatur:

1. *Charitas christiana*, uti si agatur de componendis litibus, præsertim inter potentes; aut de liberando aliquam Ecclesiam ab hæresi, vel ab aliis enormibus sceleribus.

2. *Necessitas urgens*, ut si immineat aliquod grave periculum; sed non intelligitur periculum commune, ut esset pestis, inimicorum invasiones, bellum, et similia; sed intelligitur periculum particulare ipsiusmet Parochi: v. g. si immineat periculum mortis individuale illius<sup>1</sup>. Vel si ab inimicis vexetur, quo casu S. C. Congregatio concedit sex menses, ut dicit Roncaglia cum Fagnano. Quæ licentia posset prorogari si inimicitia perduraret; sed transacto anno, debet parochus induci omnino ad resignandam, vel permutandam ecclesiam.

3. *Obedientia debita*, si v. g. Parochus vocetur ob gravem causam in casu aliquo particulari. Declaravit tamen S. Concili Congregatio, quod Episcopus non potest uti opera Parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ diœcesis (puta pro prædicatione), nisi pro tempore illi permissio duorum mensium: unde nec potest illum sumere in Vicarium Generalem, præsertim si Parochia extra civitatem sit.

4. *Evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas*, si nempe contingat abesse vel ut Synodo assistat, vel ut S. Scripturam, Theologiam, aut Jus Canonicum doceat, prout probabiliter tenent Barbosa, Gonzales, Roncaglia, etc. (non tamen probabilius ut hæc ediscat, prout declaravit S. C. Concili penes Garcias); vel ut se aut suos aut Ecclesiam in negotio gravi apud Regium Tribunal defendat. Attamen Benedictus XIV Bulla *Ad universæ* anno 1746 dicit, si agatur de lite propriæ familiæ, non esse concedendos, nisi *menses conciliares*, nempe duos tantum.

468. Quid (dices) de tempore pestis? — Cum ætate Gregorii XIII nonnulli docuissent Parochos tempore pestis excusari a residentia, tum quia sani Parochos fugerent, tum quia etiam Parochi omnes morerentur, facta hujus doctrinæ relatione ad Pontificem Maximum, ipse decrevit (6 dec. 1576):

<sup>1</sup> S. Thomas, 2, 2, q. 185, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 152.

Parochos tempore pestis omnino teneri residere in suis Ecclesiis : et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini<sup>1</sup>. Quæ verba, uti notat Benedictus XIV, de formali residentia, sive utili, sunt accipienda; adeo ut si deficient, et graviter peccent et de restitutione teneantur, cum deficient in proprio officio et tempore magis momentoso<sup>2</sup>. Sane tunc maxime suarum ovium urget necessitas : unde omni modo eniti debent Parochi, ut ipsam visitationem Dei patienter ac salubriter sustineant.

Die autem 18 idem Gregorius declaravit : *Decretum factum in Parochiis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt, tamen posse Episcopos in locis tutioribus (Dicecesis) manere, et inde providere.* Et sane Episcopi se habent uti causæ universales, qui per substitutos, scilicet Parochos operantur (N).

469. Q. 5. *Quale absentiae tempus requiritur in Parocho ad inducendam gravem restitutionis obligationem?*

R. Si Parochus abest sine causa, communiter Doctores (ex quibus in moralibus res est resolvenda) censent absentiam ultra 15 vel 20 dies materiam gravem constituere; ideoque tunc obligationem adesse restitutionis sub gravi. Si vero Parochus abest cum causa, sed absque Episcopi consensu, tunc censet Viva quod si tantum abest per duos menses a Triden-

<sup>1</sup> Sess. xxiii, c. 1, de R. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 235.

<sup>2</sup> *De Syn. Dioc.*, l. XIII, c. xix. Tanta obligatio non urget pro Vice-Parochis; at probrosum sane, si ipsi fugerent, vel Sacramenta ministrare renuerent; charitas urget omnes, maxime illos, qui deputati sunt. Episcopus hosce, sicut et omnes beneficiatos potest obligare (etsi non sint in cura animarum), ut tempore pestis, contagii, vel epidemiae resideant, si generatim jam residere teneantur; quia tunc maxime urget ratio. Imo et ceteros Ecclesiasticos adstringere potest, si necessitas impellat; sane eo in casu jam ipsi obligantur residere ratione charitatis: porro quando necessitas sit vel non sit impellens, maxime est Episcopi judicare. Quamquam vix ac ne vix quidem potest dici tempore pestis non adesse veram necessitatem pro omnibus tum residendi, tum administrandi Sacramenta; pro Parochis quidem charitatis et officii ratione, pro ceteris ratione charitatis. — V. Liguori, *Discorsi da farsi in occasione de' flagelli*. — Riccardi, *I flagelli di Dio; id Sentimenti di pietà pel buon uso de' flagelli di Dio*. Lugano, Velad., 1844. — Muratori, *Del governo della peste, e della maniera di guardar-sene*. — *Raccolta di vari mezzi e preghiere per essere preservati dal serpeggiante colera-morbus*. Torino.

tino concessos, ad nullam ipse teneatur restitutionem fructuum. Id non videtur nobis improbable omnino : quia Concilium jus naturale interpretando illud temporis spatium non reputat grave cum causa; cum ad id revera non requirat causam gravem<sup>4</sup>.

N. II. — DE PAROCHI STUDIO RELATE AD PAROCHIALEM ECCLESIAM, AC FUNCTIONES SACRAS.

470. Q. 1. *Quæ Parochi obligationes quoad Ecclesiam Parochialem?*

R. Quoad Ecclesiam suam Parochi hæc maxime debent :

1. Ut decorem domus Dei (*quam decet omnis sanctitudo in longitudinem dierum*<sup>5</sup>) impense curent : ideo efficiant, ut templum, altaria, suppellectilia, et cetera ad usum sacrum congruo decore niteant; ac reparentur quæ reparatione indigent. Quod quidem de omnibus Capellis ac Oratoriis, qui in Parœcia sunt, dicendum est. De novo autem sine Episcopi licentia non permittant excitari; item curent, ut erecta decenter et juxta Ecclesiæ regulas depingantur.

2. Ut inventarium bonorum ad Parœciam pertinentium conficiant<sup>5</sup>. Libros, instrumenta omnia, Reliquias sacras, Indulgentiarum litteras, Superiorum decreta, et similia in apposito archivio clave munito, ordinata conservent. Id enim multum interest Ecclesiæ ac communi bono.

3. Ut bona et jura suæ Parœciæ diligenter tueantur, sciant enim etiam hæc de causa in beneficii consecutione juramentum emisisse. Neque ægre ferant, si ideo aliquas expensas debent; id enim est de natura rerum humanarum, ut identidem vel hominum vel temporum injuria deficient. Unde si expresse prudenti judicio extraordinariæ non sint, non ideo

<sup>4</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 125 et 127.

<sup>5</sup> Ps. xcii. — V. Benedictus XIV, *Notificatione c.* — Synodus Novariensis, p. 209.

<sup>5</sup> V. Bulla *Cum primum* Pii V, anno 1566; Bulla *Provida* Sixti V, 1587; Instructio Benedicti XIII in appendice Concilii Romani. — Laurentius, *Forum beneficiale*, p. I, q. 446.



videtur onerum Paroeciae postulanda imminutio; sicuti neque onera augeri solent, etsi augeantur proventus<sup>1</sup>.

4. Ut curent, quantum in illis est, eligere Ecclesiarum administratores seu aedituos (vulgo *fabriciens*), qui sint probi ac providi viri, qui utiliter negotia gerant. Praescriptam regularitatem in omni administrationis officio, attente ac sollicite servant; opportunas habeant convocationes; et invigilent, ut nihil de bonis Ecclesiae distrahatur, et maxime, ut thesaurarius fideliter redditus notet, atque custodiat<sup>2</sup>.

471. Q. 2. *Quanta esse debet Parochi cura quoad functiones sacras?*

R. Si cupit Parochus populum suum ad functiones sacras allicere, iisque ad salularia ipsum excitare, haec maxime curare debet:

1. In omni Ecclesiae suppellectili decentiam; *nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quae dedecere etiam in profanis*<sup>3</sup>; et quomodo ea potest populus revereri, quae non reveretur Sacerdos? Neque inopiam suae Ecclesiae accuset Parochus: *Nos*, ait Benedictus XIV Constitutione Annus, data die 19 feb. 1749, *decentiam et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet; quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt.*

2. In cantu religiosam observantiam; hic enim in divinis officiis semper fuit in usu<sup>4</sup>; illiusque efficaciam vel ipse fassus est Plutarchus, dum ait: *Canere pium est, et praecipuum*

<sup>1</sup> Probrosus, si Parochus diligens esset in temporalibus defendendis, deses in spiritualibus studendo: haec de re V. Segneri, *Prediche al Palazzo Apostolico*, pred. xi. Quoad restorationem Ecclesiae et domus parochialis V. Tridentinum, sess. xxi, c. vii. — Benedictus XIV, *Notificazione c.* — Barbosa, *De Officio Parochi*.

<sup>2</sup> Ut omnem suspicionis notam a se avertant Parochi, ne sint faciles apud se Ecclesiae proventus custodire; sed Paulum imitentur, qui collectas eleemosynas (II Corinth. viii) ab aliis retinari voluit.

<sup>3</sup> Cap. *Reliqui 2 de cust. Eucharistiae*.

<sup>4</sup> Exod. xv; Num. xxi; Jud. v, xv; I Reg. xviii; Ps. xii et xxvi, etc. — V. Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. IV, leq. x. Et ipse Christus post institutionem Eucharistiae captabat: legitur enim Matth. xiv: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti*; porro juxta Augustinum et alios *hymni laudes sunt Dei cum cantico*. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v<sup>o</sup> Ecclesia, art. 5.

*hominum munus erga Deos*<sup>1</sup>. Nequaquam igitur mirandum, ait D. Gregorius, *si sanctissima Dei Ecclesia hoc quoque adjuvamento a natura ipsa commendato, et divinitus instituto, filiorum suorum animos ad Dei ministerium cum voluptate peragendum excitare voluerit*<sup>2</sup>. — Cantus, addit D. Bernardus, *in Ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat; nam quantumvis dura sint corda sæcularium hominum, statim ac dulcedinem Psalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur*<sup>3</sup>. Neque officit, quod non omnes intelligant quae cantantur: *Intelligunt tamen*, ait Angelicus<sup>4</sup>, *propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei: et hoc sufficit ad devotionem excitandam.*

5. In omnibus caeremoniis diligentiam; his enim rite peractis, *quasi signis*, ait Bona<sup>5</sup>, *excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, etc.* (O).

4. Parocho cordi esse debent etiam religiosae laicorum Sodalitates, earum zelum excitando, concordiam fovendo, illasque patienter sustinendo; per eas enim mirifice Dei cultus augeatur et propagatur (P).

### N. III. — DE PAROCHI CURA RELATE AD POPULUM<sup>6</sup>.

472. Q. 1. *An debeat Parochus oves suas cognoscere?*

R. Tenetur utique Parochus vi praeepti divini oves suas agnoscere, nempe indolem, statum ac necessitatem, si velit illud sibi accommodari: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas*<sup>7</sup>. Patet ex verbis Tridentini: *Cum praeepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere*<sup>8</sup>, etc. Sane quomodo ipsis poterit pro-

<sup>1</sup> Lib. *De Music.* — <sup>2</sup> In *Isagog. liturg.*, c. xiii.

<sup>3</sup> Ad Soror., *De Modo bene vivendi*, c. iiii, n. 122. — <sup>4</sup> 2, 2, q. 91, a. 2.

<sup>5</sup> In *Div. Psalm.*, c. xix, n. 1, § 5. — V. De Sacramentis, ubi *De caeremoniis*.

<sup>6</sup> Obligationes praecipuas sequens exhibet versus:

*Corripe, nosce, doce, solare, precare, ministra.*

<sup>7</sup> Joann. xx. — <sup>8</sup> Sess. xiiii, cap. i. de R.

videre, si eas nesciat? Quare Parochus debet cum suis parochianis paterno affectu colloqui, patres ac matresfamilias prudenter interrogare circa liberos, servos, ancillas et operarios; ac videre utrum singuli præcepto paschali satisfaciant et diem festum sanctificent, etc. Caveat tamen, ne audiat ancillarum dicteria et fastidiosas aliarum foeminarum loquacitates; sed ita se gerat, ut omnes agnoscat, quin ullam temeritatis vel imprudentiæ notam incurrat (Q).

473. Q. 2. *Quanta est obligatio in Parochis prædicandi Verbi Dei?*

R. Maxima profecto est obligatio in Parochis prædicandi Verbi Dei; deducitur ex Tridentino: *Mandat Sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis*<sup>1</sup>. Et merito sane: *Fides ex auditu*<sup>2</sup>. Unde Apostolus Thimoteum suum monebat<sup>3</sup>: *Prædica verbum, insta opportune, importune.*

Hinc commune est atque receptum a mortali non excusari:

1. Qui per tres menses etiam discontinuatos vel per se vel per alios non prædicant. Imo rationabiliter dicunt Barbosa, Roncaglia et Salmanticenses, eum quoque graviter peccare, qui per integrum mensem non concionatur<sup>4</sup>: imo minus temporis spatium sufficit ad mortale, si populus prædicatione graviter egeat. Hinc patet, quam absurda sit et Canonum dispositio contraria illa quorundam consuetudo, qui ferias

<sup>1</sup> Sess. xxii, c. viii. — Hoc iterum exprimitur sess. xxiv, c. iv, de R. ubi habetur prædicandum esse etiam tempore Quadragesimæ et Adventus, si ita oportere duxerit Episcopus. De concionatoribus Quadragesimalibus vid. Benedictus XIV, *Notificatione* xxvii; et *Synodus Novariensis*, p. 52 et seqq.

<sup>2</sup> Hom. x. — <sup>3</sup> I Tim. ii. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 269.

<sup>4</sup> Si Parochus transitorie infirmatur, excusari potest. Si vero infirmitas videatur perpetua, officio cedere, vel coadjutorem ab Episcopo petere debet. Habenda est ratio majoris vel minoris necessitatis juxta omnium vel quorundam ignorantiam, aut vitia. At ubi non reperiuntur qui in tali sint spirituali indigentia? — *Ferraris, Bibliotheca*, etc., vº Prædicator, Prædicare.

sibi sumunt certa anni parte (vulgo *vacances*) etiam a prædicatione<sup>1</sup>.

2. Qui prædicationem agunt capacitati audientium minime proportionatam, adhibendo nempe conciones ita ornatas, ut major audientium pars eas non valeat intelligere. Hinc Tridentinum Parochis expresse præcipit, ut plebes pascant *pro earum capacitate*. Hinc Pontifex Pius IX (*Encyclica Qui pluribus* 1846), *ne Dei sermo*, qui vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti<sup>2</sup> *ad animarum salutem est institutus, hoc vitio infructuosus evadat*, vult ut omnes divini Verbi præcones iterum atque iterum commoneantur. Hac de re quot damnabuntur Parochi! Hos Avila proditores vocat animarum, qui se ipsos prædicant, et quorum prædicatione non pascit fidem<sup>3</sup>.

5. Qui nullam aut fere nullam præparationem præmittentes ita loquuntur, ut omnia sine ordine, multa inutilia, alia falsa proferentes in auditoribus fastidium, in sanctum ministerium contemptum excitent. *De his, ut plurimum, verificatur*, ait Acquensis Episcopus, *quod quidam de suo Parocho aiebat, referente perdocto Riccardi: Curatus noster, dum super ambonem ascendit, nescit quid erit dicturus; dum dicit, nescit quid dicat; et finita oratione, ignorat quid dixerit*<sup>4</sup>. Sane requiritur studiosus labor, ut perspicuitatem, ordinem et Evangelicam simplicitatem conciones nostræ præ se ferant ac fructus faciant. Eleganter dotes prædicatoris numerat Augustinus: *Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere, ut in-*

<sup>1</sup> Synodus Novariensis Parochum prohibet accedere ad solemnitatem, si inde concio vel catechesis omittenda sit. Hac de re nullam feriam permittit: p. 102 et 42. — Et notat Gury, Parochum, qui pias lectiones habet, non obire munus suum; quia lectio non est prædicatione, nisi aliter facere non possit. Tunc vero identidem per alium debet populo sermones habere vel Episcopum de impedimento monere.

<sup>2</sup> Hebr. iv.

<sup>3</sup> *V. Liguori, Istruzione sulla predica.* — Muratori, *l'Eloquenza popolare*.

<sup>4</sup> Hæc habet in *Encyclica præfixa calendario*, anni 1847. — *V. Audisio, Lezioni di sacra eloquenza.* — *Avvisi interessanti sulla predicazione della parola di Dio.* Roma, 1845, tip. della Propag. — *Lezioni di sacra predicazione per la scuola del Seminario d'Oristano, Cagliari, 1844.*

struat, et declarare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat<sup>1</sup>. Et D. Bernardus vult, ut prædicatio nostra sit *deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam*<sup>2</sup>.

474. Q. 5. An Parochi teneantur sub gravi catechizare?

R. Affirmative: Parochi omnes sub gravi tenentur catechizare. Habet Tridentinum: *Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque Parochiales vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos (si legitime impediti fuerint) diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sui et earum capacitare pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annuntiando quoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quos sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et celestem gloriam consequi valeant*<sup>3</sup>. Signanter quoque ad puerorum instructionem habet, quod Episcopi saltem diebus dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt: et si opus fuerit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus<sup>4</sup>.

Imo hoc munere Parochis omnibus nil sanctius, nil inviolabilius esse potest: semel enim hoc despecto, nulli in Parœcia mores, nulla religio, nulla fides; cum sine tali instructione neque ipsa christiana vita institui possit. Illud opus sanctissimum appellat S. Pius V Constitutione *Ex debito*; et Benedictus XIV Const. *Etsi nemine vocat opus maximi mo-*

<sup>1</sup> De Doct. Christ. — <sup>2</sup> Serm. LXVII in Cantica.

<sup>3</sup> Sess. v, cap. II, de R. Dicente Concilio, *si legitime impediti fuerint*, docet et Alasia, curam animarum habentem teneri per se ipsum ad explicandam Doctrinam christianam, et solo legitimo impedimento superveniente, excusari. Quod ait non ita rigore curere de explicatione Evangelii; nam de hac Concilium simpliciter dicit *per se, vel per alios*.

<sup>4</sup> Sess. XXIV, c. IV, de R. Proprie loquendo triplex est Parochorum obligatio circa verbum Dei: una prædicandi, nempe divinam legem populis enuntiandi; altera pueros instruendi; tertia fideles in christiana Doctrina erudiendi. De prima loquitur Tridentinum, sess. XXII, c. VIII; de secunda, sess. XXIV, c. IV, de R.; de tertia, sess. V, c. II, de R. — V. *Miroir du clergé*.

menti, maxime necessarium, requirens omnem curam et diligentiam. Tandem Pius Papa IX Encyclica *Nostis*, 8 dec. 1849, ut impiorum fraudes, quibus vel ipsam catholicam fidem funditus evertere conantur, in irritum cadant, hoc præcipue inter cetera commendat et præcipit, ut omnes Ecclesiastici, præsertim qui sunt in cura animarum, *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianæ plebis instructionem incubant*.

Huic ergo assidue insistendum est, maxime quia fidei veritates et multæ et intellectu difficiles sunt, quæ nisi sæpissime inculcentur, repetantur, satis animo non imprimuntur. Quilibet ergo Parochus illud Pauli sibi aptare debet: *Necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero*<sup>1</sup> (R)!

475. Quid (dices) si adsint rudes, qui nequeant Ecclesiam adire, quia custodiunt domum aut greges, si in gravi necessitate spiritali reperiuntur? R. Si Parochus maxime molestiæ futurum foret eos adire ob talium rudium multiplicitatem, curet saltem eos instruere per alios, vel per se (si aliter nequeat) tempore præcepti paschalis, aut cum accedunt ad confirmationem, aut matrimonium. Studeat autem omni modo eos avertere a peccatis, quæ non raro a talibus rudibus, maxime juvenibus ad invicem committi solent.

476. Quid (subjunges) si parochus habeat in parœcia surdos-mutos? Parochus tenetur ipsis providere, imo quo miserior est illorum conditio, eo industrius sit oportet pastoris charitas et industria. Ad rem Careno: « Le pasteur est obligé de prendre soin de ces infortunés. Il doit s'attacher à trouver le meilleur moyen de leur faire concevoir l'idée des vérités principales à croire, relativement aux articles de nécessité de moyen. Ainsi doit-il procéder pour les Commandements de Dieu; mais sur le sixième il doit agir avec la plus grande circonspection, pour ne pas enseigner le mal. Il s'informerait auprès de leurs parents ou de leurs domestiques des péchés dans lesquels ils tombent ordinairement, pour avoir une sorte de mesure qui lui serve à juger de la sincérité de leurs confessions faites par signes<sup>2</sup>. Si ce sont des

<sup>1</sup> I Corinth. IX. — Liguori, *Homo Apost.*, tr. VII, n. 35.

<sup>2</sup> Ad rem Alphonsus noster, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 44: « Cum (confessarius) aliquid jam perceperit ejus (nempe muti et surdi) particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere; sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quamdam moralem certitudinem haberem de sua dispositione; » quæ quidem certitudo de facili haberi potest.

femmes, il les confessera dans une pièce attenante à la sacristie, ou dans la sacristie même, en laissant la porte ouverte, et en faisant éloigner le monde, non pas cependant de manière qu'on ne les voie plus, surtout si la pénitente est jeune. Lorsque l'on est sûr que les sourds-muets distinguent l'hostie consacrée d'un pain ordinaire, il ne faut pas hésiter à les admettre à la communion, en ayant soin de s'assurer auparavant qu'ils sont à jeun<sup>1</sup>. »

477. Q. 4. An præstat, ut Parochus interdum sanctas Missiones accersat, et vocet?

R. Præstat sane, ut Parochus interdum Missionarios vocet: ad spirituale enim fidelium bonum magnopere conferunt sacræ Missiones; nam vix dici potest, quam fructuosa sit assidua Verbi Dei prædicatio, frequentes ad Ecclesiam conventus, tot preces in quas universus populus erumpit, ad divinam gratiam efflagitandam, ad mores in melius commutandos ac scandala extirpanda. Imo cum in regione reperiuntur, ait Alphonsus noster<sup>2</sup>, notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, Parochus tenetur curare, ut Missio eo adveniat. Ille Parochus qui Missionem non curat, suspensionem ingerit suorum morum.

Merito ergo a Pio VI Bulla, Auctorem fidei, propositio n. 65 Synodi Pistoriensis enuntians irregularem strepitum novarum institutionum quæ dictæ sunt Exercitia vel Missiones... forte numquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus qui apparere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura, damnata fuit ut temeraria, malesonans, perniciosa, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa (S).

478. Q. 5. Quid de Parochorum obligatione corrigendi oves suas?

R. Parochi omnes tenentur sub gravi corrigere oves suas in peccato mortali, vel in proximo ejusdem periculo existen-

si surdus-mutus instructus sit in aliquo ex tot institutis quæ ideo aperta sunt: quod quidem curandum est.

<sup>1</sup> Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti, Esame xx.

<sup>2</sup> Homo Apost., tract. VII, n. 31. Op. Mor., l. II, n. 40; et l. III, n. 560.

tes, etiam cum discrimine vitæ propriæ: et non solum in extrema, sed in gravi quoque earum necessitate spirituali; si quæ tamen adsit spes emendationis, juxta illud: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*<sup>1</sup>. Qui in hoc deficit Parochus, timeat illam Domini exprobrationem: *Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram*<sup>2</sup>. Hæc autem gravissima obligatio oritur non tantum ex charitate, sed tum ex ipso officio quo præditi sunt Parochi, tum ex stipendio quod percipiunt; ideo in probabili ac communi sententia, si culpabiliter deficiunt, remanent etiam obligati ad fructuum restitutionem. Imo non obligantur tantummodo ad impedienda gravia, quæ vident, peccata; sed etiam ad inquirendum, num aliquis in iis versetur. Parochus enim commissa est salus uniuscujusque ovis: *Illud quod debetur alicui determinatæ et certæ personæ sive sit bonum corporale sive spirituale, oportet quod ei impendamus, non expectantes quod nobis occurrat; sed debitam sollicitudinem habentes, ut eum inquiremus. Unde sicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere ad hoc, quod eum corrigat de peccato: ita Angelicus cum communi*<sup>3</sup> (T).

Diximus 1: *parochi omnes*, ergo etiam qui eorum vices gerunt, vel qui cum ipsis animarum curam dividunt, ut coadjutores titulares atque comparochi. Et multo magis episcopi utpote parochi parochorum, quorum vox majorem habet efficaciam ad compescendos malos, et maxime ecclesiasticos, quorum quidem scandalum et turpis vita non ipsis tantummodo, sed omni populo adeo est exitialis.

Diximus 2: *tenentur corripere sub gravi*; agitur sane de summa omnium rerum, pro qua Curati in officio suo sunt, id

<sup>1</sup> Joann. x. — V. *Dei doveri de' Sacerdoti, e massime dei pastori di anime di correggere i traviali*; opuscolo utilissimo nei tempi presenti; Mondovi, tip. vescov. 1851.

<sup>2</sup> Ezech. xxxiii. — V. *Metodo per la istruzione delle anime*, art. Avvertimenti.

<sup>3</sup> 2, 2, q. 53, a. 2, ad. 4.

est de amovendis animabus ab æterna damnatione. *Oves suas*; extraneas enim non nisi ex generali præcepto charitatis corrigere tenentur, si delinquant, prout ceteri proximi; cum nulla erga illos speciali obligatione ligati sint. *In peccato mortali existentes*, tales sunt, v. g., concubinarii, blasphemii, ebriosi, paschate non communicantes, vetitos libros velepemerides legentes, prohibitos cibos manducantes, festa contemnentes, etc. *Vel in proximo ejusdem periculo versantes*; officium namque vigilis pastoris est non solum curare oves ægrotas, sed etiam et maxime studere ne ægrotent: uti essent, v. g. juvenes qui malis consociantur; viri qui tabernas frequentant ubi joci, ubi rixæ; famulæ quæ domo morantur, ubi fortiter ad malum alliciuntur ab hero; sponsus qui, nondum celebrato matrimonio, cum sua sponsa libere agit atque secreto conversatur, etc.

Diximus 3: quod corripere tenentur primo *in extrema necessitate*, quando nempe tanquam certa haberi potest fidelium perditio, nisi opportuna fiat correctio: uti evenit, v. g., quoad milites qui lethalibus inquinati ad homicidiale bellum sunt illico profecturi; vel quoad homines, puta concubinarios jamjam animam sine pietatis sensu agentes; vel quoad illos peccatores qui nimis periculosa tentant aut mortem sunt subituri, quin de ea cogitent. Item est, si qui ad aliquod officium sunt vocati, quod sine aliorum jurium læsione, scandalo, sacrilegio, etc., exercere non possunt omnino. Secundo tenentur ad correctionem parochi quando oves constitutæ sunt tantummodo *in gravi spirituali necessitate*, cum nempe etsi de se absolute loquendo valeant fideles a peccato cavere, difficulter tamen se liberabunt, nisi pastor illos excutiat, et salutariter terrificet; ut patet de iis qui habitualiter ducunt in malis dies suos, et in profundum jam venerunt. Quibus porro omnibus boni pastores subvenire tenentur: quare enim parochi suo munere fungantur ac stipendium accipiunt? ideo ut singulorum parochianorum animæ salutem omnimode curent, et proinde vitia corrigant. Talis igitur obligatio est de natura ipsius ministerii, atque illi intrinseca, ac omnino inseparabilis.

Diximus 4: *Si quæ tamen adsit spes emendationis*; hoc

autem solari debet bonos pastores, qui hac de re animo plus æquo vexantur, usque timentes ne correctionis officio deficiant. Plerumque enim impossibile est, ut omnes singillatim corrigantur, cum nimius sit delinquentium numerus: quo in casu sufficit profecto, si correctio fiat passim in catechesibus et publicis concionibus. Plerumque periculosum est cum sint homines quos cum monueris, pejores fiunt, et scandala et dicitia et persecutiones augeant. Plerumque frustraneum omnino, et tunc ne effundas sermonem ubi non est auditus. — Nota: ad correptionem plurimum confert expectare tempus opportunum, modum congruum pro qualitate delinquentium adhibere, et auxilium efflagitare ex alto; item quousque solida spes adest, correctiones repetere juxta illud D. Chrysostomi: *Dixisti semel, et non audit? dic bis et ter et toties donec persuaseris*<sup>1</sup>. Item sanctas missiones vel aliquod extraordinarium exercitium curare, saltem ad sacramentorum frequentiam opportune, importune instando oves inducere; Verbum enim Dei illuminat, Pœnitentia corrigit, Eucharistia autem in bono firmat.

At si, omnibus pensatis, tum ex hominum indole, tum ex incolarum usu, tum ex exterorum frequentia aliisque adjunctis, pius parochus in Domino cognoverit, haud posse vel ex repetita correptione sperare emendationem, potiusquam voce, corrigat suo exemplo, suaque satis aperta displicentia, ne saltem a ceteris fidelibus ipse male audiat, cum videant scandalum perdurare, et pastores nulla molestia, nulla sollicitudine vexari, sed quasi omnia prospere cedant, hilariter vivere gaudentes, quasi connivendo. Toto cælo autem cavendum est, ne eorum Curatorum et Sacerdotum morem geramus, qui nedum proximos corrigant voce ac moribus, ansam potius præbent ad malum, propria munia pessumdantes, ecclesiastica præcepta mordentes, irreligiosa diaria quotidie et palam lectitantes, in profanis, in temporalibus, in politicis rebus tantum effusi. Lupi isti sunt, non pastores, quibus terribile judicium in die iræ.

479. Q. 6. *Quænam Parochorum obligationes quoad Sacramenta?*

<sup>1</sup> Homil. xxi, in Matth.

R. Parochi tenentur Sacramenta sub gravi ovibus suis administrare: 1. quoties urget commune præceptum illa suscipiendi; 2. quando idipsum exigit privata alicujus necessitas, vel utilitas; ideo enim Parochi constituti sunt, ut prospiciant bono spirituali, salutis ac profectui suarum ovium. Quod quidem melius assequi non valent, quam sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, *per quæ (ex Tridentino) omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur*<sup>1</sup>.

Hic speciatim loquendo de Pœnitentia, dicimus: Parochus tenetur illam ministrare quoties pœnitentes confiteri etiam ex devotione petunt, nisi intempestive et nimis frequenter vellent audiri, aut essent alii Confessarii, et ipse esset legitime impeditus. — Quoad Communionem pariter commune est, Parochum teneri ad illam ministrandam quoties rationabiliter postulatur; dum pastor non solum debet prospicere, ut ejus oves præcepta impleant, sed etiam ut in virtute ac robore proficiant. Hinc ex Decreto S. C. C. 1679 approbata ab Innocentio XI pastores ob justas causas possunt quidem Communionem taxare alicui subdito in particulari, non tamen præscribere dies Communionis pro omnibus generatim. Quare patet delinquere Parochum qui ægre fert, si qui intra hebdomadam velint communicari, et diu eos expectare facit; sicque a sacra mensa sensim avertit<sup>2</sup>.

480. *Sed (quæres) an Parochus teneatur omnia Sacramenta administrare suis parochianis tempore pestis?* Rogante D. Carolô, S. C. C. respondit: *Parochus suis parochianis peste*

<sup>1</sup> Sess. xvii. Quod currit, etsi Parochus habeat plures substitutos, ex S. Congregatione Episcoporum, 5 dec. 1614.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 24 et seq.; I. VI, n. 58, *Op. Mor.* — Tunc subditi rationabiliter petunt extra necessitatis casum vel præcepti: 1. si periculum aliquod prævideant; vel in tentatione versentur, et gratia Sacramenti opus habeant; 2. si festum notabile per susceptionem Pœnitentiæ et Eucharistiæ colere, Indulgentiam lucrari, aut devotionem statui suo congruentem exercere velint. Merito etiam observat Gury, peccare graviter pastores non tantum sine ratione ministerium suum denegantes; sed etiam qui se morosos ac difficiles sæpe præbent quia tali modo fideles a Sacramentis deterrentur, idemque est in praxi, ac si Sacramenta ipsis denegarent. — V. Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti stese in esami pratici*. Esam. xix, *Della SS. Eucaristia*.

*laborantibus teneri administrare dumtaxat duo Sacramenta, nempe Baptismum et Pœnitentiam; posse autem ministrare vel per se vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire Confessiones sanorum; quia alias eum reformidarent, si viderint ipsum accedere ad pestilentes.* Hanc responsonem confirmavit Gregorius XIII, die 12 octobris anno 1576. Imo ipsa Congregatio declaravit mentem Pontificis fuisse prohibendi, ne Parochi per se ipsos etiam volentes dicta Baptismi et Pœnitentiæ Sacramenta ministrarent, idque ad commodum et favorem Parochianorum, qui adhuc sani extarent<sup>1</sup>.

Attamen est opinio valde gravis complurium, Parochum per se vel per alium teneri tempore pestis, etiam extra casum absolutæ ac particularis necessitatis, etiam cum vitæ periculo, non solum Baptismum et Pœnitentiam, sed ipsum Viaticum et Extremam unctionem suis Parochianis administrare; cum ob periculum corporis non videantur tanto bono privandæ animæ. Adde, scandalum oriri, si in his Parochus renuat: hinc merito notant, quod in citati Decreti renovatione loco *dumtaxat*, appositum fuit *omnino*; ne scilicet viderentur cetera Sacramenta excludi. Imo censet Benedictus XIV cum Ballerini supradictum S. Congregationis responsum nequam fuisse transmissum, cum nullum extet hac de re indicium; frustra ergo illud ab adversariis citatur<sup>2</sup>.

Unum excipiunt casum, si nempe Parochus sit solus, et sani Baptismi et Pœnitentiæ Sacramentis omnino indigerent, neque inveniri posset qui ipsis ea ministraret. In hoc siquidem tenore rescriptum fuisse aiunt Vicario Apostolico Algerino.

481. Q. 7. *Quid de Parochi obligatione orandi pro ovibus suis?*

R. Certum est, teneri Parochos pro ovibus suis orare frequenter, ut supremæ benedictionis effusio in illas pro cuiusque necessitate descendat: *Næque, ait Apostolus, qui plantat*

<sup>1</sup> Sic refert Fagnanus, t. III, in c. *Clericos de Cler. non resid.* — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., vº Pestis.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 255. — Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. xix.

est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus<sup>1</sup>. Imo expedit summopere, ut Parochus cum suis Parochianis simul publice oret in Ecclesia; tum quia illud obtinebitur, ut fideles addiscant quomodo orandum: tum quia ubi plures sunt in Christi nomine congregati, Christus est in medio eorum, id est dirigit eorum desideria et vota, illaque adimplet<sup>2</sup>. Sane *modus orationis communis præstantior est, ut scribit S. Cyprianus, et efficacior particulari; quia majori innititur charitati, et unioni amoris cum omnibus proximis*<sup>3</sup>. Eximus in cætum, habet Tertullianus, ut Deum quasi manu facta precationibus ambiamus. Deum orantes: hæc vis Deo grata est<sup>4</sup>. Multi animi, ait D. Ambrosius, dum congregantur unanimes magni fiunt, et multorum preces impossibile est contemni<sup>5</sup>.

482. Speciatim vi præcepti divini, ut Tridentinum docet, omnes qui curam animarum habent, tenentur pro populo Sacrificium offerre: *Omnis namque pontifex... pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*<sup>6</sup>. Quoties autem id debeant, controversiam definivit Benedictus XIV Bulla *Cum semper*, 19 aug. 1744, ubi sancitum est omnes Parochos, sive sæculares sive regulares, etsi sint vicarii curati (qui nempe curæ actuale exercitium habeant, remanente penes alium habituali cura): imo etsi ad nutum amovibiles, vel deputati sint ad tempus tantum (Vice-Parochi), teneri applicare Missam pro populo omnibus dominicis ac ceteris festis de præcepto, licet congruis redditibus destituantur, licet adsit immemorabilis consuetudo contraria, imo licet ipsis diebus permissum sit opera servilia exercere.

483. Verum tunc temporis præter eos qui nunc celebrantur dies, alii festi erant (ut constat ex Constitutione Ur-

<sup>1</sup> I Cor. iii. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v. Parochus, a. 3.

<sup>2</sup> Matth. xviii. — <sup>3</sup> L. V, *De Cant.* et *alleg.*, c. ix.

<sup>4</sup> *De Orat. Dom.* — <sup>5</sup> *De Pœnit.*

<sup>6</sup> Hebr. v. Etiam Episcopus, et quidem plus quam Parochus, tenetur in festis et dominicis omnibus pro totius Diœcesis ovibus Missam applicare uti principalior pastor; non tamen tenetur quotidie. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 65; et *Op. Mor.*, l. IV, n. 526.

bani VIII *Universa* anno 1862 data ad totum orbem), qui postea, impellentibus circumstantiis, ab aliis RR. Pontificibus suppressi fuerunt. Hinc quæstio: an adhuc pro hisce festis *reductis* vigeat obligatio Missam populo applicandi. Pluries interrogata S. Congregatio tum Concilii, tum Rituum, tum ipsa Pœnitentiaria respondit obligationem adhuc vigere. Quia tamen hisce responsionibus non omnes acquiescere videbantur, vel etiam contrariam adducentes consuetudinem, dubium omne sustulit Pius Papa IX Encyclica *Amantissimi* 3 mai. 1858 hisce verbis decretoriis: *Declaramus, statui- mus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum aliis etiam qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublatis ac translatis sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigeat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur et transferrerentur. Quod vero attinet ad festos translatis dies, id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a Parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini Officii pars est, una simul cum ipso Officio translata existimari debet*<sup>1</sup> (U).

484. Quid (quæres) si Parochus infirmetur, et nequeat per se

<sup>1</sup> Id est quando una cum Officii recitatione simul transfertur celebratio festi, ut evenit in Gallia ex Indulto Pii VII, 9 apr. 1802. Non vero quando tantum Officium translatum est, ut ordinarie evenit: in hoc ultimo casu, Missa applicanda est die quo currit festum (etsi non celebretur); non autem die quo recitatur illius officium. Dein Pontifex: 1. parochos qui ob assertam consuetudinem festis reductis Missam omiserunt, plenissime absolvit; 2. concedit ut qui hac de re indultum aliquod obtinuerint, illo adhuc fruantur juxta conditiones indulti et donec parochi officium tenuerint in parochiis quas in præsentiarum regunt; 3. ut si hac de re sit impetranda aliqua remissio, unice fiat recursus ad S. Concilii Congregationem, iis exceptis qui a Congregatione fidei propagandæ pendent; cum opportunas utrique Congregationi contulerit facultates ipse Pontifex.

*Missam pro populo in festis celebrare; tenebiturne per alium?* — Nos censem affirmandum; nam ista obligatio applicandi populo Missæ fructum est tum *personalis* (quia si potest per se, nequit celebrare per alium, cum sit ipse Parochus), tum *realis*, cum sit una ex suis obligationibus a Tridentino indicatis. Sicut ergo Parochus impeditus prædicare vel Sacramenta administrare per se, tenetur hæc agere per alium; ita impeditus Missam per se ipsum applicare, tenetur per alium (et quidem præscripta die) applicare Sacrificii fructum, qui est pabulum utilius, quod fideles juvare potest<sup>1</sup>. Debet autem applicare Missam in parœcia; unde si extra moretur, celebret per alium Missam pro populo in ipsa parœcia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante<sup>2</sup>.

**485.** *Quid (addes) si Parocho exhibeatur elemosyna pro Missæ applicatione in festo?* — Si Parochus ita pauper est, ut congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum Episcopi consensu elemosynam acceptare, celebrando pro populo intra eandem hebdomadam (et tunc etiam anticipando, cum jam sit dispensata dies). Ita citata Encyclica Benedicti XIV, et Rescriptum S. C. C., 28 nov. 1761.

**486.** *Q. 8. Quæ Parochi obligationes erga pauperes et infirmos?*

R. ad 1. Ex Tridentino parochus debet *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*<sup>3</sup>. Necessè ergo est (monet sanctus Carolus), ut *inquirat studiose de pauperibus suæ Parœciæ, præsertim puellis, ægrotis, senio confectis aliisque personis temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentibus, quibus ipse pro viribus opitulari, et alios suo exemplo et hortatu ad id officium incitare studeat*<sup>4</sup>. Sed maximam curam gerere debet eorum, qui mendicare rubore impediuntur; alioquin non erit pater pauperum. Videat ne illud Gregorii M. verificetur: *Mirandum sane, si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet*<sup>5</sup>. Vix autem dici potest, quam Parocho noceat nota tenacitatis.

<sup>1</sup> V. Bergier, *Dictionnaire*, Append., v<sup>o</sup> Messe. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 325.

<sup>2</sup> Ita S. C. C. penes Ferraris et Bouix. Sufficit autem etiam Missa lecta. Quod si parochus sit simul canonicus atque ad eum spectet Missam conventualem celebrare, tenetur alium substituere, qui missam applicet pro populo, in parochiali ecclesia, eo festo die. — <sup>3</sup> Sess. xxiii, c. 1, de R.

<sup>4</sup> In *Act. Eccl. Mediol.*, p. I. — <sup>5</sup> L. IV, ep. xxx.

**487.** R. ad 2. : Nullibi potest splendidius probari Pastoris charitas et sollicitudo, quam ubi quis e suis infirmetur<sup>1</sup>; dicit enim Rituale, hanc esse præcipuam ejus munerum partem: quare vult, ut etiam non accersitus infirmum adeat. Neque semel, sed crebro infirmum debet invisere; benevolis suasionibus consolari; piis etiam, quoad potest, elemosynis recreare; tempestive Sacramentis munire; ceterisque officii juvare. Idque eo magis, quo ingravescit morbus, ac periculum mortis imminet; nam tempore mortis, a qua salus æterna pendet, infirmi vires debiliores sunt, inferni vero fortiores: tunc venit *diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*<sup>2</sup>.

Si quod autem in Parœcia hospitale sit, non pigeat Parochum crebrius visitare infirmos qui in eo morantur, ut videat si quid eis desit, ac quoad potest, provideat. Tenerrimæ erga illos charitatis viscera induat sciens, fortasse non unum adesse, qui consoletur illos ex omnibus caris eorum: et forte qui eis subveniunt, ad id non christiana charitate ductos esse, sed sola mercede temporali (V).

SCHOLIUM. — *De Parochorum Coadjutoribus et de Vice-Parochis.*

**488.** *Q. 1. Quid de Parochorum Coadjutoribus?*

R. Duplicis sunt generis Parochorum Coadjutores: — 1. qui vel ex beneficii fundatione, vel alio nomine habent, ut Parochos coadjuvent, quin curam animarum teneant, et dicuntur etiam *Capellani*. Hos præter ea quæ Ecclesiasticis omnibus sunt communia, residentiæ lege merito adstrictos vult Synodus Novariensis (titulo *de parochis*), ut sic Coadjutoris munere rite fungi possint; — 2. qui etiam animarum curam habent, licet tota in uno Parocho sit ministerii prin-

<sup>1</sup> Præstat, ut Parochus (maximè si alius non sit in Parœcia Sacerdos) suis indicet quo circiter pergat dum exit domo, ut in necessitate statim vocari possit. Alicubi uno vel altero campanæ ictu vocatur.

<sup>2</sup> Ap. xii. — V. Liguori, *Opusc. Il sacerdote provveduto per l'assistenza ai moribondi*. — Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti*, Esame xxv: *Regole cogli infirmi, moribondi e morti*. — Synodus Novariensis, p. 100.



cipalitas, ideo et tota ratio reddenda in casibus occurrentibus. Isti appellantur *Coadjutores Titulares*, qui generatim iisdem, quibus Parochi, obligationibus tenentur: et insuper reverentiam et obedientiam suis principalibus præstare.

489. Titularium Coadjutorum officia sic exponit ultima Synodus Novariensis (pag. 360): — 1. quod pertinet ad animarum curam, obligantur in solidum una cum Parocho, a cujus nutu omnino pendent. Eadem residentia lege tenentur, neque possunt vel una die abesse, quin moneant principalem; — 2. in absentia Parochi, absque alio mandato, jure proprio omnia munia valide et licite exercere possunt et debent; semper tamen una excepta Matrimonii celebratione, et Missæ applicatione pro populo. Poterit tamen Parochus alium vocare Sacerdotem; sed absque læsione aliorum jurium Coadjutoris. Etiam Parochus equiparantur in Congregationibus, excepto insigni diverso; — 3. Coadjutores concurrere debent in tertiam partem impensarum visitationis episcopalis: sed gaudent tertia parte emolumentorum a Baptismis, funeribus, officiis, aliorumque e stola provenientium. Si tamen plures sint Coadjutores, dimidium erit Parochi, dimidium inter ipsos Titulares dividendum. Hic quoque excipiuntur quæ titulo matrimonii proveniunt vel attestatum vel aliarum functionum, quæ uni Parocho cedunt, cum obligatione tamen libros Parochiales procurandi. Ceterum compartibus liberum est quoad hæc emolumenta et onera temporalia secum una convenire<sup>1</sup>.

490. Q. 2. *Quinam dicuntur Vice-Parochi?*

R. Vicarii Parochorum, seu Œconomi-Parochiales dicuntur Presbyteri illi, qui Parochorum vices in Parœcias gerunt. Isti vel ab ipsis Parochis constituuntur de sui voluntate; cum nempe officia per se sua non valentes implere, Coadjutorem sibi ipsi adsciscunt, Ordinario consentiente et approbante: et mercenarii appellantur ex pacto mercede; alicubi etiam *Coadjutores ex officio*. Vel constituuntur ab Ordinario, et *Vice-Parochi* dicuntur. — De Vicariis Parochialibus priori sensu acceptis hoc dicendum occurrit, et Parochos ad eos sibi adjungendos teneri, si per se non valeant omnia munia implere: et ipsos adjunctos teneri sub gravi, et ex justitia

<sup>1</sup> Si Parochus moritur, non ideo Coadjutor in ipsam ordinariam Parochi jurisdictionem succedit, ut Marte proprio possit matrimonium valide benedicere; neque enim per alterius mortem natura ejus beneficii mutatur; sed Episcopi delegatione opus habet,

Parochos juvare in iis, de quibus conventum est: cum ideo ipsi stipendio conducti sint<sup>1</sup>.

Duplici modo Vice-Parochi ab Episcopo constituuntur: 1. Si Parochi imperiti cognoscantur; vel si ob vitæ turpitudinem et scandala potius destruere, quam ædificare aperte judicentur, tunc Ordinarii, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, illis Vicarios deputant, qui officia Parochialia impleant, et de Præbendæ Parochialis redditibus vivant: ita Tridentinum<sup>2</sup>; — 2. vacante quocumque modo Ecclesia Parochiali, debet Ordinarius ex eodem Tridentino vix nuntio vacationis accepto, idoneum in ea *Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur*<sup>3</sup>. Officia autem Vicariorum Parochialium sunt pene omnia quæ Parochos urgent, cum eorum vices gerant. Hoc insuper qui vices tenent defuncti Parochi advertant: videant ne proprio nomini potius quam Religionis bono studeant; ne ut sibi populum benevolam faciant et ideo propriam causam agant, vel cum eo indecore consocientur, vel ei nimium indulgeant, vel nova ac eidem placencia tentent. Summopere vero caveant, ne de ipso Parocho venturo parum reverenter loquantur: nam inde divisiones, contentiones et schismata. Væ illis, per quos tantum scandalum venit<sup>4</sup>!

#### § IV. — De Presbyteris simplicibus ac ceteris Clericis.

491. Q. 1. *An simplices Presbyteri teneantur Ecclesiæ, cui addicti sunt, inservire, atque ad salutem fidelium incumbere?*

R. Tenentur certissime, idque probatur:

1. *Ex Scriptura*: Apostolus scribit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in*

<sup>1</sup> Tridentinum, Sess. XXI, c. IV, de R. — V. Benedictus XIV, *Notifikatione* xciV.

<sup>2</sup> Sess. XXI, c. VI, de R. — V. Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. XXXII. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., vº Congrua, Deservitores, etc.

<sup>3</sup> Sess. XXIV, c. XVIII, de R.

<sup>4</sup> Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, p. II, c. I, ubi plura.

iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolare possit iis, qui ignorant et errant<sup>1</sup>. Christus ipse de Sacerdotibus omnibus ait indiscriminatim: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos<sup>2</sup>. Ergo si Sacerdotes constituuntur a Deo, ut ad gloriam ipsius et ad salutem animarum incumbant; si a Christo missi sunt, ut succedant in ejus officium, certum est hanc eis gravem obligationem inherere.

2. Ex Tridentino, quod declarat Sacerdotes non ordinari, nisi propter Ecclesiæ necessitatem atque utilitatem<sup>3</sup>. Atqui nullam prorsus utilitatem Ecclesia perciperet a Sacerdotibus, nisi tenerentur gloriæ Dei et animarum saluti operam dare, unusquisque pro modo sibi convenienti: nempe prædicando, Sacramenta ministrando, Confessiones excipiendo, fideles instruendo, catechizando, corrigendo, pro iis orando, etc.

3. Ex peculiaribus cujuscumque Diocesis Statutis: cum nullus sit Episcopus, qui suis Ecclesiasticis districte non præcipiat, ut utiliter in operibus ministerii occupentur. Si autem omnes fideles Episcopalia mandata revereri debent, quanto magis Sacerdos? Hinc S. Ignatius genuina Epistola ad Smyrnæos ait: Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem... Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant... Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit...; quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum... Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est: qui contra Episcopum aliquid agit, diabolo præstat obsequium. Et Cyprianus ad Jursenses: Revereamur omnes Episcopum ut Jesum Christum.

4. Ex lege charitatis; sane spiritualis populi indigentia hisce maxime temporibus pererebuit, et universalis est. Adde scandalum in fidelibus, si Sacerdotes viderint parum curantes quæ sunt Dei. Videant ergo, an tuti sint in conscientia illi desides ecclesiastici, quibus, ut ait D. Bernardus, magis placet quies propria, quam utilitas aliena<sup>4</sup>: nos sumus ad alios (X).

<sup>1</sup> Hebr. v. — <sup>2</sup> Joann. xx. — <sup>3</sup> Sess. xxi, De Sacramento Ordinis.

<sup>4</sup> Epistola ad Ogerium, cujus quidem improbat abdicationem curæ pastoralis, etsi piæ quietis amore factam. — V. Dubois, *Pratique du zèle ecclé-*

492. Q. 2. An simplex Sacerdos teneatur se aptum reddere ad excipiendas Sacramentales fidelium Confessiones?

R. Non est dubium, quin etiam simplex Sacerdos teneatur sub gravi se aptare ad Confessiones, si in loco versetur, ubi incolæ gravi laborent necessitate spirituali, ut fere ubique laborant, hodie præsertim, cum Religiosorum Instituta temporum iniquitate minorata sint. Cur enim Sacerdotes duplicem illam potestatem et sacrificandi et a peccatis absolvendi in Ordinatione consequuntur? nisi ut et Eucharistiæ et Pœnitentiæ Sacramenta ministrent<sup>1</sup>? — Ergo, ne dicantur in vacuum gratiam Dei recepisse, in gravi saltem populorum necessitate se habiles reddere tenentur ad hanc quoque potestatem exercendam.

Hinc non videmus quomodo Sacerdotes, qui ob desidiam ab hoc onere se subtrahunt vel diverticula quæerunt vix consecrati presbyteri, ne confessionis periculum cogantur sustinere, possint esse tranquillo animo, et excusari a gravi exprobatione Domini, et a supplicio inflicto servo otioso, qui talentum abscondit<sup>2</sup>: Notent hoc, inquit A Lapide, qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad suam aliorumque salutem ob desidiam vel metum peccandi; ab his enim rationem reposect Christus in die judicii. Et Benedictus XIV aperte docet, non esse immunem a gravi culpa eum Sacerdotem, qui semel probatus ad Sacramentum Pœnitentiæ, deinde (postquam desit facultatis acceptæ designatum tempus) recusat Confessarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere<sup>3</sup> (Y).

493. Q. 3. An simplex Sacerdos debeat sub gravi Missam celebrare?

R. Sunt qui negant teneri simplicem Sacerdotem ad celebrandum, præciso scandalo, vel alia necessitate<sup>4</sup>; cum nul-

siastique, Paris, 1858. — Mory, *Trattenimenti spirituali adatti a tutti gli Ecclesiastici per eccitarli a faticare per la salute delle anime*. Venezia, 1740. — Liguori, *Regolamento di vita per un sacerdote*; it. *Regole di spirito per un sacerdote che attende alla perfezione*. — Perrodin, *Essai sur les caractères ecclésiastiques*, Lyon, 1859. — Synodus Novariensis, p. 42.

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, I. VI, n. 625. — Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti*; Esame xviii.

<sup>2</sup> Matth. xxv. — <sup>3</sup> Notificazione xciv.

<sup>4</sup> V. Benedictus XIV, *Notificazione xciv*, circa finem.

lum adsit hac de re positivum præceptum neque divinum neque humanum. Sed S. Thomas affirmat: *Quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum juxta illud Apostoli I Cor. 6: Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*<sup>1</sup>. Confirmatur illis Christi verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*<sup>2</sup>; quæ verba Tridentinum declarat verum continere præceptum<sup>3</sup>. Nos huic sententiæ uti longe communiore et tutiori subscribimus; maxime cum evenire non possit, ut Sacerdos negligens Missæ celebrationem in anno, non det hodie fidelibus grave scandalum.

494. Quoties vero in anno Sacerdos simplex teneatur celebrare, Benedictus XIV ait, dari obligationem sub peccato singulis dominicis ac festis celebrandi; sed non vult definire, an sit sub veniali, vel mortali<sup>4</sup>. At Liguori noster habet, multo probabilior sententiam docentem, Sacerdotem *per se loquendo* non teneri sub mortali pluries, quam ter aut quater in anno, id est in solemnioribus festis celebrare. At nesciret a culpa levi excusare Sacerdotem, qui quotidie celebrare posset (aliquo forsitan die excepto ob reverentiam, vel ut melius se disponat), tamen sine justa causa (nempe tantum ob desidiam) abstineret; Sacerdos enim non tantum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiæ et totius populi christiani, cujus quidem et minister et intercessor est constitutus<sup>5</sup>.

Juvenit duo hic proferre decreta S. C. C.<sup>6</sup>: *Primum* latum mense nov., anno 1696 habet, mortaliter peccare et ab Episcopo posse puniri, qui saltem ter vel quater in toto anno non celebraverit: *aliud* latum

<sup>1</sup> 3 p. q. 82, a. 10. — <sup>2</sup> Luc. xxii.

<sup>3</sup> Sess. xxii, c. 1. — Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 515.

<sup>4</sup> *De Sac. Miss.*, l. VI, c. 1, n. 9.

<sup>5</sup> « S'abstenir de dire la messe par humilité est un acte bon; mais ce n'est pas le meilleur. Les actes d'humilité procurent à Dieu un honneur fini; mais la messe procure à Dieu un honneur infini, puisque c'est un honneur qui lui est rendu par une des personnes divines. » *De Imitatione Christi*. — Bonaventura, *De Præpar. ad Missam*, c. v. Attamen Missa laudabiliter omittitur primis exercitiorum diebus, ut ita sacerdotes longiori confessione et peraccurata Rubricarum lectione ad eam ferventius et exactius celebrandam disponantur.

<sup>6</sup> V. Monacelli, p. I, t. V, ser. 9, n. 15.

mense febr. anno 1717, dicit, Episcopum non posse obligare Sacerdotem ad celebrandum omnibus diebus dominicis et festis solemnioribus, alia ratione præclusa (Z).

495. Q. 4. *Quænam sunt præcipuæ dotes inferiorum Clericorum?*

R. Duo præcipua Clerici inferiores præ se ferre debent ut Sacris Ordinibus digni habeantur, scientiam nempe et bonitatem<sup>1</sup>: — 1. *scientiam*: ignorantia enim in Ecclesiasticis non solum sibi, sed aliis etiam nocet: et huic quidem nullum remedium, ait Salesius, si tales ignorantes Clerici fiant Sacerdotes; nam, accepto Sacerdotio, difficulter cogi poterunt ad studendum. Experientia testis est. Neque doctrinam potest supplere pietas: *Zelus absque scientia*, ait D. Bernardus, *dum prodesse festinat, invenitur obesse*<sup>2</sup>; — 2. *bonitatem*; ubi notamus, quod Episcopus non debet tantum acquiescere soli bonitati negativæ, nempe quod nihil sciat mali de Clerico; sed oportet ut ejus bonitatem positivam cognoscat. Hinc Tridentinum ait eos tantum debere assumi ad sacros Ordines, *quorum probata vita senectus sit*, nempe qui sint senes in virtute<sup>3</sup>. Quæ bonitas sita est in frequentia Sacramentorum, in zelo Religionis, in fervore devotionis: sed maxime in cordis munditie ac castitate juxta illud Ber-

<sup>1</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 48.

<sup>2</sup> *De Conv. ad Cler.*, n. 38.

<sup>3</sup> Sess. xxiii, c. xii. « Circa spiritum et mores, ait D. Alphonsus loco cit., parum tatus est ille Episcopus qui attestationibus Parochorum confidit: hæc plerumque fiunt ob humanos respectus. Propterea Episcopi zelantes non firmare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi facti fuerint de eorum morum probitate a pluribus personis fide dignis, quæ noscunt subiectum. Advertatur hoc attente, quia hoc est medium valde efficax, imo necessarium Episcopo, ut tutam faciat suam conscientiam in Ordinationibus quas habet. Ex his enim secretis cognitionibus Episcopus potest certus fieri non solum si clericus ludis, insolentis, pravis consuetudinibus sit aliis scandalo; sed etiam si positive vitam spiritualement agit, Ecclesias, orationem, Sacramenta, frequentando, si solitarie vivit, aut saltem cum bonis sociis comitetur, si studio dat operam, si modesto habitu et sermone incedit et hujusmodi. Et si forsitan notitiam habeat de scandalo positivo alicujus, tunc non debet sibi satis esse ordinariam probationem exigere, sed multorum annorum resipiscentiam observare debet; cum suspicio rationabilis tunc suboritur, quod omne ab eo simulatione fiat, ut Ordines assequatur. — V. *Miroir du clergé*.

nardi: Nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas ante susceptum Ordinem fuerit approbata<sup>1</sup>. Et illud Gregorii M.: Ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, prius aspiciatur, si vita eorum continens ab annis plurimis fuit<sup>2</sup> (AA).

496. Q. ultimo. Quomodo se gerere debet Confessarius cum Clerico in occultis peccatis lasciviae habituato<sup>3</sup>, qui ad sacros Ordines aspirat, quin prius sufficiens exhibuerit emendationis experimentum?

R. Ex communi sententia Clerico in peccatis luxuriae habituato regulariter loquendo absolutio deneganda est (licet ad Confessionem sit dispositus per cordis dolorem ac propositi firmitatem), si velit ordinari ante sufficientem probationem. Quare? quia clamat recta ratio, clamat Pontificum ac peritorum auctoritas, quod Clericus iste non tantum a culpa mortali debet esse immunis, sed etiam bonitatem positivam, non ordinariam et habitualement praeseferre; atqui talem bonitatem non habet poenitens, qui pravo illo habitu etiam post absolutionem irretitus existit. Ergo absolutionis ejusdem prorsus est judicandus indignus, si tali sit animo comparatus, ut velit ad sacros Ordines ascendere, quin prius sufficienti probetur experimento. — Aliud profecto est magnam possidere bonitatem, aliud simpliciter esse in statu gratiae: magna videlicet illa vitae bonitas haberi non potest, nisi longo temporis spatio juxta illud vulgare proverbium: *Nemo repente fit summus*. Adde prudentem timorem, ne is se iterum peccato commaculet; cum adeo illum habitus proclivem fecerit, cujus quidem ratio omnino habenda est in re tanti momenti, maxime cum hoc probet experientia.

Diximus regulariter loquendo; quia potest casus contingere, in quo talis Clericus tanta compunctionis gratia a Deo donetur, ut dignus statim sacri Ordinis existimetur; nam gratia non ligatur tempore. Tempus enim ideo creditur signum sufficiens, quia creditur signum firmæ voluntatis: at

<sup>1</sup> De Conv. ad Cler., c. xli. — <sup>2</sup> Epistola xlii.

<sup>3</sup> Ponimus, quod talis habitus sit occultus: si enim publicus est, Clericus esset omnino repellendus ob publicum scandalum, ex supra dictis a S. Alphonso.

Deus unico instanti voluntatem nostram libere mutare potest omnipotenti gratia sua, atque de sui abundantia supplere bonitatem, quæ Clerico deest. Hoc tamen non ita facile credendum est: sed potius est præsumendum, Deum gratiam suam conferre modo ordinario; unde si quod citatur exemplum, ex D. Bernardo, non tam exemplum dicendum est, quam miraculum.

Quare concludimus quoad praxim, quod magna semper cautela est adhibenda in istis Clericis absolvendis, quorum frequenter malus exitus deploratur cum maximo Ecclesie detrimento. Ideoque cum ipsis potius rigorosius est agendum<sup>1</sup>: et sane deliberandum est diu quidquid statuendum est semel. Utinam, qui contineri non valent, ad rem D. Bernardus, perfectionem temerarie profiteri, aut celibatui dare nomina vererentur: sumptuosa siquidem turris est, et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri; et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri sublimitate et deterius vivere et districtius judicari<sup>2</sup>.

Sed (inquies) quanto temporis spatio extra casum extraordinarium probandi sunt recidivi?

R. Non una regula est, uti notat Benedictus XIV<sup>3</sup>: id quippe a multis pendet circumstantiis, a frequentia relapsus, ab inclinatione, indole, a conatibus, etc. Sanctus noster generatim requirit longi temporis, saltem plurium mensium, probationem<sup>4</sup>. B. Leonardus de rigore minime suspectus, requirit unius anni, vel duorum spatium<sup>5</sup>. Imo quoad illum, qui in se-

<sup>1</sup> V. Liguori, *Dissertatio hac de re* (a Benedicto XIV commendata *De Syn.*, l. XI, c. n et m) in *Opere Morali*, l. VI, nn. 65 et seq. — Rufus, *Male assueti congruo virtutis experimento nondum probati ad SS. Ordines, et Clericalem militiam inepti*, *Dissertatio*. Taurini, 1787.

<sup>2</sup> De conversione ad Clericos, cap. xx.

<sup>3</sup> *De Syn.*, l. XI, c. n. — <sup>4</sup> *Homo Apost.*, tract. ult., n. 16

<sup>5</sup> V. *Discorso mistico, morale, ecc.*, n. 6, ubi de istis habituatis habet: « Avant d'être promu au sous-diaconat, et surtout avant de recevoir le caractère sacerdotal, exercez-vous une année ou deux à vivre chaste. Écoutez-moi bien, si vous n'avez pas le courage de vivre chaste, la vie ecclésiastique n'est pas faite pour vous, et ce petit collet que vous portez au cou sera pour vous un petit collier de fer enflammé pour toute l'éternité dans l'enfer, Pensez-y bien. »

cretas incontinentias secum ipse quandoque relabitur sive in Seminario sive tempore feriarum, etiamsi antea non adeo inveteratam relabendi consuetudinem habuerit, sunt qui arbitrantur spatium duorum annorum perfectæ continentiæ communiis nimium non esse; infausta enim experientia constat, juvenes peccato incontinentiæ olim habitatos, in illud facillime iterum atque iterum prolabi, etiam post notabilia intervalla <sup>1</sup>.

Quidquid tandem sit, Clericum qui sacris proximis Ordinibus in impudicitias relabitur, non satis emendari sentio: imo de eo dubitarem, an bonus futurus sit sæcularis; quomodo igitur bonus erit Clericus, Sacerdos, Parochus? Utinam Confessarius pie severus illi aperte ac fortiter diceret: *Non licet tibi*. Sed prohi dolor! Clerici hujusmodi quærent et tandem nanciscuntur Confessarios tantæ rei ignaros, vel loquentes sibi placentia, qui ad sacros ipsos Ordines admittunt sub spe futuræ emendationis; at nonne dixerim cum certitudine pejoris depravationis? ita est, in Domino fratres, luctuosissima experientia teste.

497. An (addes) quod dicitur de vitio turpi, idem sit affirmandum de aliis vitiis sanctitati clericali oppositis?

R. Affirmative, servata proportione; nam et per alia vitia semper illa positiva bonitas excluditur, quæ Ordinibus prærequiritur: Juvenes igitur (omnia notentur) *ebriosi, superbi, elati, iracundi, susurriones, qui divisiones excitant, qui disciplinam oderunt, qui nulli parcent, leves, rebus externis dediti, raro bene recollecti, circa pietatem indifferentes, in studiis negligentes, scientias ecclesiasticas fastidientes, libros profanos magis amantes, sæpe moniti et non emendati, nun-*

<sup>1</sup> De hoc præciso casu hæc scribit cardinalis Gousset (*De l'Ordre*, n. 658): « Si le sujet n'est retombé qu'une fois ou deux plutôt par faiblesse que de propos délibéré, et qu'il soit vivement touché de sa faute, nous pensons que l'espace de six mois, entre la dernière rechute et le sous-diaconat, peut absolument suffire. Mais généralement il faudrait au moins un an, s'il était retombé facilement, sans avoir fait d'efforts pour résister. » Diximus de hoc præciso casu; si enim agitur de eo, qui inveteratam habuit consuetudinem relabendi, et maxime si cum aliis peccatis luxuriæ consummavit, vel omnino eum a sacro ministerio excludit, vel non admittit nisi post longissimam probationem omni exceptione majorem.

quam sancti erunt Sacerdotes: ab Ordinibus perpetuo maneant exclusi.

Ideo Seminariorum Directores ac confessarii omnes enixe a Deo petere debent *auxilium*, quo in re tanti momenti recte judicent: item *fortitudinem*, qua indignos perseveranter repellant, eos in antecessum monentes, ut sibi opportune ac tempestive provideant, ne Ordinationum tempore adventante, taliter indigni in quandam desperationem conjiciantur; cum ex una parte nullimode possint accedere, ex alia nec recedere sciant, dicteria hominum suspicionemque nimium timentes. Ne confessarii credant verbis, quæ transeunt; sed inquirent facta, quæ permanent: en peritorum consilium. Credant ergo expertis, et falsa eos pietas non decipiat cum tanto fidelium scandalo, atque catholicæ Ecclesiæ damno.

Quid vero (quæres) si Clericus affirmet se ab Ordine Sacro abstinere non posse sine gravi scandalo et sine infamia; quia jam probatus, jam domo receptus ad exercitia spiritualia et instat dies ordinationis, et jam omnia parata sunt? — Si non viderem extraordinaria signa, non absolverem; nam nulla infamia, scandalum nullum, si dicat se velle maturius de tanto statu perpetuo eligendo cogitare, et melius se disponere, ut vel ipsi optimi faciunt. Si non aquiescat, ipse videat; sibi provideat per contritionem perfectam: quantum ad me est, adhuc non absolverem (ex dicendis *De Eucharistia*, de dispositionibus; tom. III, n. 287).

## CAPUT TERTIUM

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM<sup>1</sup>

Art. I. — De natura, origine et præstantia status religiosi.

498. Q. 1. Quid est Status Religiosus?

R. Status Religiosus si in natura sua generatim accipitur, non aliud

<sup>1</sup> V. Rotarius, *Theol. Moralis Regularium*. — Hyac. Donato, *Rerum*

indicat, quam illum quemcumque vivendi modum, in quo homines voluntarie se offerunt divino cultui, se ipsos erga Deum obligando ad aliquam consiliorum observationem. Quo sensu complectitur eos omnes fideles, qui ex aliqua tantum parte, v. g. per solum votum castitatis, Dei servitio specialiter consecrantur. Usus tamen invaluit, ut hoc nomine stricte sumpto (quasi per *autonomasiam*) indicetur illud *stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum pro suis iis fidelibus utriusque sexus, qui certa sub regula, sub proprio superiore et in data communitate tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiæ*. Hisce verbis continetur status Religiosi definitio strictiori sensu.

Dicitur 1. *stabile vitæ institutum*, ut indicetur illa animi constantia quæ iis necessaria est, qui vivere volunt in statu perfectionis; — 2. *ab Ecclesia approbatum*; status enim Religiosus est sacra quædam communitas, in qua debet esse jurisdictio spiritualis: hanc porro sola Ecclesia tribuit. Licet autem hæc approbatio olim concederetur ab ipsis Episcopis pro Diocesi propria, nunc non potest nisi a R. Pontifice obtineri, ut statutum est in Lateranensi Concilio sub Innocentio III; — 3. *pro fidelibus utriusque sexus*; nam tam ipsos viros, quam ipsas feminas complectitur; — 4. *certa sub regula, sub proprio superiore, et in data communitate*; secus non haberetur status ille specialis qui a se existit, spectato videlicet jure ecclesiastico hodierno; nam de sui natura status religiosus non necessario requirit vitam communem; cum essentia hujus status in hoc consistat, ut observentur consilia evangelica, voto firmata perpetuo, quod sit a potestate habente, Dei nomine, acceptatum, prout tuentur cum Suarez; — 5. *tendere volunt ad perfectionem christianam per tria vota*; quibus verbis et finis et medium habetur peculiare, quo fideles utuntur in illo statu. Ex quibus colligitur tria hæc requiri:

a) *Vota prædicta*; nec refert si sint simplicia, quia adhuc homo per illa potest se Deo perpetuo mancipare. Hinc Gregorius XIII, Bulla *Ascendente* declaravit veros Religiosos in Societate Jesu etiam illos, qui hæc vota solum emittunt<sup>1</sup>; — b) *Ecclesiæ approbationem*; unde

*Regularium praxis resolutoria*, 1691. — Liguori, *De Statu religioso*, in *Op. Mor.*, l. IV, nn. 1 et seqq. — Suarez, *De Statu religioso*, etc. — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, § 501 et seq. Padova, 1846. — Bouix, *De Jure regularium*, opus novum et absolutissimum. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc. v<sup>o</sup> Monachus, Monialis, etc., etc.

<sup>1</sup> Hodie in Gallia Monialium vota non habentur ut solemnia, prout respondit S. Pœnitentiaria ad Episcopum Bouvier 2 jan. 1856. Sic voluit Ecclesia ob occurrentes perturbationes. Hoc tamen non currit quoad viros, qui adhuc possunt in illo regno vota solemnia emittere, neque obstat civi-

qui vovent tantum coram Confessario vel Episcopo, stricto sensu non erunt religiosi; — c) *traditionem suo superiori factam, qui eam acceptaverit*; sic enim habetur perfectus contractus. Deus utique per se acceptat vota quæ in simplici promissione consistunt. At rei promissæ traditionem quæ externe patet, non acceptat nisi per alios; nam Deus de ordinaria providentia non suscipit curam de aliquo immediate per se ipsum, sed utitur opera ministrorum.

#### 499. Q. 2. Quænam origo Status Religiosi?

R. Cum distinctione: vel Status Religiosus accipitur generatim pro quocumque vivendi modo, quo homines Dei specialiter se offerunt obsequio; vel stricte pro vero coetu ac stabili instituto peculiari. — Si 1, sententia est omnium Catholicorum, uti ait Suarez, illum fuisse ab ipso Christo immediate traditum; patet enim ipsum non semel ad tria illa vota exhortatum esse<sup>1</sup>. Unde sub hoc respectu status ille est a divino jure (non quidem præcipiente, sed consulente): et ab ipsa Apostolorum ætate viguisse tradunt eruditi. — Si 2, varias quasi illius ætates nobis pandit historia: primo videmus *Ascetas* sic dictos a græca voce *aseeo*, quæ indicat *exercitationem*, quia durioribus regulis exercebantur: quos quidem vel ab ipsa Apostolorum ætate extitisse demonstrant moderni Bollandistæ, uti refert Bouix.

Ab istis Monachorum origo deducta est; ipsis enim fideles non pauci adherendo, a civium societate se subducere cœperunt, et vitam agere solitariam sub certa regula ac superiore in cœlestibus occupati, quibus porro *Anachoritarum*, *Hæremitarum*, *Monachorum* et *Cœnobaritarum* nomina adhæserunt<sup>2</sup>: fuerunt præcipui auctores, Paulus, Pacomius, Macarius, Antonius, Hilarion, etc., in Syria præsertim ac Palestina, quos omnes jampridem Ecclesia venerata est. S. Basilius Monachorum

lex, qua omnes cives sunt habiles ad possidendum; lex enim civilis non potest per se solemnitati votorum obstare. Sic a Gregorio XVI (V. *Ami de la Relig.*, 7 sept. 1840) vota Religiosorum a S. Benedicto ibi fuerunt declarata solemnia. — Bouix, *De Jure Regular.*, pars III<sup>a</sup>, refert: anno 1854, ad S. Pœnitentiariam facto recurso, pro facultate mutandi nonnullas dispositiones testamenti, a moniali quadam Belgica, ante professionem suam conditi, rescriptum est: *S. Pœnitentiaria, consideratis expositis, respondet, quod vota monialium in Gallia et Belgio habentur ut simplicia; et ideo oratrix rem agat cum Ordinario, et ejus judicio se dirigat*. 2 dec. 1854.

<sup>1</sup> Habentur apud Matthæum: *Vade, vende quæ habes* (c. xix). *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum Cœlorum* (ib.). *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me* (c. xvi).

<sup>2</sup> Anachorita est a græco *anachorêa*, separari: Hæremita a græco *hêremos*, solitudo: Monachus a *monos*, solus, et *echô*, habere, quasi solus vitam habeat: Cœnobita vero a *coinos*, commune, atque a *bios*, vita.

institutum a mera contemplatione ad ministeria spiritualia fidelibus impendenda traduxit. S. Athanasius ab Oriente in Occidentem id in-  
vexit saeculo IV: et sic in totam Italiam, ceterasque Nationes permeavit: sicque pedetentim venerunt *Benedictini* a S. Benedicto, *Domini-*  
*cani* a S. Dominico, *Franciscani* a S. Francisco, etc. — Demum tem-  
porum decursu factum est ut Religiosi, qui prius extra urbes et oppida  
morabantur, in ipsa loca frequentiora inducerentur, quod quidem ob  
fidelium bonum tradit evenisse Doctor Seraphicus<sup>1</sup>: *Sedes Apostolica*,  
ait, *vocavit nos in adjutorium tam Cleri quam populi, ut per of-*  
*ficiam Prædicationis et Confessionis subveniamus animabus, et*  
*onus pastorum sublevando alleviemus.*

500. Origo Monialium cum ipso Religiosorum ortu conjuncta est<sup>2</sup>.  
Et constat ex primis Ecclesiae saeculis fuisse Virgines, quæ se Deo con-  
secrabant per consiliorum executionem, quæque *Sanctimonialia* anto-  
nomastice dici coeperunt. — Ut conventus approbatorum monialium  
alicubi de novo erigatur ex Tridentino requiritur tum licentia Episcopi,  
tum talis monialium numerus, ut sufficiat ad regularis vitæ observan-  
tiam. Vult Ferraris, ut moniales sint saltem duodecim, prout S. C. C.  
id statuit de viris regularibus; verum hanc simplicem determinationem  
quoad moniales alii negant. An insuper requiratur licentia Sedis Apo-  
stolicæ, affirmat cum Benedicto XIV de conventu virorum. Quoad moni-  
alium vero monasterium videtur ex praxi requiri S. C. Concilii licentia  
quoad Italiam, Insulasque adjacentes<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> *In Opusculis*. Unusquisque autem Ordo locum suum elegit juxta pro-  
priae vocationis indolem. Hinc illud:

*Bernardus valles, colles Benedictus amabat,  
Oppido Franciscus, magnas Ignatius urbes.*

Religiosi proprium Ordinem opere teneant; ceteros charitate: *Quid ad  
vos de aliis servis?* ait D. Bernardus contra derogantes aliis Ordinibus (ad  
Guill. Abbat.) *suo domino stant aut cadunt: quis vos constituit judices  
super eos? qui in Regula gloriamini, cur contra Regulam detrahitis?*

<sup>2</sup> V. Scotti, *Teoremi*, p. II. *Riflessioni in favor delle Monache*. — Ber-  
gier, *Dictionnaire*, v<sup>o</sup> *Religieuse*. — Benedictus XIV, *Notificatione* xxx,  
ubi de origine Monialium ac puellarum educatione in monasteriis. — Tri-  
dentinum, sess. xxv, *De Regular.*, c. 1.

<sup>3</sup> *De Syn.*, l. IX, c. 1, n. 9. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v<sup>o</sup> *Conventus*.  
— Bouix, *De Regul.* — Summus Pontifex singulis Ordinibus cardinalem  
protectorem adsignat, ut iis vilelicet præsidio sit. Hac de re maxime vi-  
denda est constitutio *Christi fidelium* Innocentii XII, 7 feb. 1694. Item  
mendicantibus maxime, suos adsignatur Syndacus qui omnia temporalia  
ipsorum ministret. — V. Ferraris, *Biblioth. Can.*, v<sup>o</sup> *Syndacus*, Conser-  
vatores.

501. Q. 5. *Quænam est Status Religiosi præstantia atque uti-*  
*litas?*

R. Quanta sit, ab ipso fine patet Status Religiosi: *Monasteria*, ad  
rem ait Stapf (*Theol.*, § 554 et 555) *non tantum hominibus, qui se  
ad sublimiora vocatos sentiunt, certum perfugium præbent...; sed  
etiam mundo viva identidem vitæ sanctioris exempla proponunt,  
atque suis tum precibus tum sacris functionibus publicæ saluti in-*  
*signem plane operam navant. Ne quid de illis dicam, quorum præ-*  
*cipuus labor est erudire juventutem, assistere infirmis, aliisque  
tum spiritualibus tum corporalibus operibus misericordiae insu-*  
*dere. Ipsi adversarii negare nequeunt, quam præclare Monachi...  
de posteritate meruerint, utpote quorum indefessis conatibus, non  
tantum christianam Religionem, sacras æque ac profanas scientias,  
artes liberales, sed ipsam quoque terræ fertilitatem debemus, ut  
adeo ipso opere comprobaverint quod Apostolus inquit: Pietas ad  
omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futura  
(I Tim. iv). Est ergo pessima eorum illatio, qui dum unum atte-*  
*rumve Monachum degenerem vident, totum mox collegium, vel  
omnino universum Regularium statum contemnendum ducunt!* —  
Probrosus sane, ut Catholici nonnulli a protestante Leibnitio verita-  
tem ediscant; ait enim: *Fateor mihi semper religiosos Ordines qui  
in sola catholica Ecclesia reperiuntur, mire probatos fuisse. Hinc  
nil mirum, si contra nefanda pseudo-philosophorum politicorum in-*  
*propria, quibus in religiosos debacchati sunt, innumeri apologiam in-*  
*vincibiliter texerint. Hic vid. etiam Bulla Auctorem fidei*, prop. 80,  
81, 82, 83, 84 (BB).

502. Parochus non potest neque impedire erectionem publici ora-  
torii, neque obstare ne regulares conventum intra suæ parochiæ fines  
constituant, modo jura parochialia salventur, ut passim et fuse docent  
apud Bouix, et constat ex jure canonico<sup>2</sup>. Sed quænam sunt *jura pa-*  
*rochialia* non præjudicanda? Certe non omnia præjudicia sunt atten-  
denda; secus nulla Ecclesia, nullus conventus aperiri possit, cum inde  
et oblationes et concursus et Missæ parochæ certo minuantur; sed  
sunt intelligenda ea tantum, ad quæ parochus jus habet strictum. Sunt  
præcipue, ut parochiani recipiant sacramenta a parochæ; quod hodie  
reducitur ad Eucharistiam in paschate et in morte, ad Extremam Un-

<sup>1</sup> V. *Lettres de Scheffmacher, docteur allemand, à un gentilhomme et à  
un magistrat protestant, augmentées de plusieurs savantes dissertations  
sur toutes les utiles controverses*, par A. B. Caillau, chanoine du Mans et  
de Cahors. — V. etiam *Annali religiosi di Roma*, t. XV, fasc. XLIV. — *Me-*  
*morie di religione*. Modena, v. I, III, V, XI, ecc.

<sup>2</sup> C. *Intelleximus* 1, t. XXXII, *De Novi Oper. nunt.*

tionem et matrimonium (addunt et baptismum); 2. ut fideles sepe-  
liantur in sua parochia, nisi habeant alibi jus sepulturæ; 3. ut Eccle-  
siæ parochiali solvantur decimæ et oblationes juxta consuetudinem. Ita  
Abbas, Girardi et Ferraris. Quæ omnia si præ oculis habeantur, plures  
solvantur difficultates inter Parochos et monasteriorum Directores circa  
functiones in Ecclesiis religiosorum et monialium.

**503. Q. 4. Quid de eo, qui alium abstrahit a Statu Religioso?**

R. Distinctione opus est: Vel quis alium a statu Religioso abstrahit  
vi, fraude et dolo; vel dumtaxat precibus ac consiliis.

Si 1, peccat graviter contra justitiam a) in seductum, quia illum in-  
juste privat magno bono; ideo sub gravi tenebitur et ex justitia vim,  
fraudem et dolum tollere, et in pristinam libertatem illum reponere  
(qui si postea renuat, ipsi imputandum); b) in Religionem et quidem  
non solum si sermo sit de professo (cum tunc jus jam acquisisset Reli-  
gio), sed probabilius etiamsi agatur de simplici novitio. Nam quisque  
jus habet, ne vi aut dolo impediatur a consecutione boni: ideoque im-  
pediens etiam Religioni damnum resarcire debet juxta æstimationem  
commodi, quod inde Religio percepisset <sup>1</sup>.

Si 2, qui id facit absque causa, quamvis non sit obstrictus onere re-  
stitutionis, quia tunc alter sciens ac volens Religioni renuntiat; attam-  
en peccat mortaliter, cum charitas id prohibeat. Imo Tridentinum eos  
excommunicationi merito subjicit, qui sanctam virginum, vel aliarum  
mulierum voluntatem vel accipiendi vel voti emittendi quoquo-  
modo sine justa causa impedierint <sup>2</sup>. Qui vero id facit cum causa ne-  
dum peccat, imo rem laudabilem facit. Erit justa causa: 1. si illius  
parentes graviter indigeant: ipsa enim natura impellit ad eis subveni-  
endum; — 2. si matrimonii promissione obligetur et defloratio con-  
tingerit: tunc enim ipsa persona remanet obstricta; — 3. si Religio ad  
quam aspirat, parum sit romanæ Sedi addicta, ejus mandata, præscri-  
ptiones, monita, ac sensus non curans, aut enervans; si in ea disci-  
plina recta non vigeat, in qua videlicet nedum augeatur Christi Jesu  
charitas, perfectionis vinculum, foveantur potius amor sæculi, exter-  
norum appetitus, vel mundanæ gloriæ cupiditas, provocationis ac invi-  
diarum scaturigo. Item si optimum sit Institutum sed non habeat aptas  
vires ad illud aspirans; — 4. si tales habeat vitæ mores, ut Religioni

<sup>1</sup> Non tamen ad damnum compensandum tenetur se vel alium adducere  
ad religionem; hæc enim in re est attendenda ratio vocationis, non compen-  
sationis. Adde id non haberi uti medium ordinatum ad restitutionem. —  
V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 535 et 662.

<sup>2</sup> Sess. xxv, c. xviii, de R. — Quoad eos autem qui impediunt viros,  
vid. Bulla Julii II, *Inter ceteros*, 1512; Bulla Leonis X, *Etsi a summo*,  
1513; et Clementis VII, *Exponi nobis*, 1524; it. *Religionis zelus*, etc.

detrimto potius, quam decori et utilitati futurus esse rationabiliter  
prævideatur. Item dicatur, si abductus credebatur aptus, sed talis non  
sit; nam præsumptio cedit veritati: unde in hoc casu retrahens licet  
peccaverit ex malo, quem gessit, affectu; non tamen teneretur ad re-  
stitutionem.

**504. Q. 5. Quid de iis, qui alios ad Religionem inducunt?**

R. Cum Angelico Doctore: *Inducentes alios ad Religionem non so-  
lum non peccant, sed magnum præmium merentur...*; Danielis xxii  
dicitur, quod qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ  
in perpetuas æternitates. Posset tamen contingere circa hujusmodi  
inductionem triplex inordinatio: Primo quidem, si violenter ali-  
quis alium ad Religionem cogeret; quod prohibetur in *Decret.* xx,  
q. 5 (cap. Præsens). Secundo, si aliquis simoniace alium ad Reli-  
gionem trahat, muneribus datis, ut prohibetur in *Decr. ibidem*,  
q. 2 (cap. Quam pios). Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui  
pauperi necessaria subministret in sæculo nutriens eum ad Reli-  
gionem; vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiari-  
tatem captandam. Tertio, si mendaciis eum alliciat; imminet enim  
sic inducto periculum, ne cum se deceptum invenerit, retrocedat;  
et sic fiant novissima illius hominis peiora prioribus, ut dicitur  
*Lucæ* xi, 26 <sup>1</sup>.

## Art. II. — De vocatione et novitiatu.

**505. Q. 1. An detur ad Statum Religiosum vocatio?**

R. Certum est dari vocationem Dei ad statum Religiosum, plerum-  
que per internas inspirationes, et aliquando etiam exterius, quomodo  
Christus vocavit adolescentem illum divitem in Evangelio: *Si vis per-  
fectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus* <sup>2</sup>. Sane constat  
omnia in ordine naturali a Deo gubernari modo singulis entibus pro-  
prio; ergo a fortiori in ordine supernaturali. Imo Sancti censent, voca-  
tionem istam semper esse a Deo: *Religionis propositum* (ait Seraphi-  
cus) *nec carne nec sanguine suggeritur, sed ab illo inspiratur, de  
quo dicit Joannes: Non potest homo accipere quidpiam, nisi datum  
fuerit ei de celo.* Accedit ratio: hæc vocatio non est a natura, cum  
abhorreat a castigatione carnis; non a demone, cum neminem ad bonum  
ex bono fine inducat. Restat ergo, ut sit a Deo.

Ordinaria signa vocationis hæc sunt præcipua. Primum signum con-  
sistit in fine: *Primum signum* (ait S. Bernardinus Senensis) *est vo-*

<sup>1</sup> 1, 2, q. 189, a. 2. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 662.

<sup>2</sup> *Matth.* xix. — V. Suarez, Bouix, etc.



*luntas bona*<sup>1</sup>. Secundum in aptitudine sed idoneitate ad statum religiosum in genere; et in particulari ad talem observantiam tali ordine propriam: quæ aptitudo sita est indole recta, in animo obedientiæ jugo submisso, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum tum corporis, tum animi, qui Instituto eligendo repugnent. Tertium in inclinatione naturali, constanti ac recta, ut patet: non tamen obstaret aliqua titubantia præterita ex demone vel natura repugnantia orta.

Alia signa sunt a posteriori, effectus nempe vocationis ipsius: v. g. jucunditas mentis ex consideratione Religionis, propositum cavendi a circumstantiis peccatorum, Sacramentorum frequentia, etc.: sunt enim veluti præludia illius status. Imo et occasio mala potest esse, aliquo sensu, vocationis inductivum, ut dehonoriatio, egestas quæsita, etc.; Deus enim scit ex malis bona facere. Ita plurium Sanctorum vocationem contigisse legimus: *Sæpe evenit, ait Macarius*<sup>2</sup>, *ut Deus tribulationibus hominem exagitet, ita ut qui omnia sibi infeliciter procedere videt, ita secum ratiocinari incipiat: quandoquidem in mundo consequi non possum quæ volebam, ecce mundum relinquo et ad Deum accedo.*

**506. Quid (quæres) si vocatio dubia sit?** — Si dubium sit grave, est diutius examinandum, ferventius orandum, ac donec majus lumen effulgeat et prudens consilium accedat, expectandum; nemo enim ad statum superiorem temere ascendere debet. Diximus, si dubium sit grave; secus dispiciendum est, ut docet Angelicus<sup>3</sup>. Ceterum caute agendum a direttore, ne aliquem facile inducat ad religionem, si gravia indicia non perspiciat; timendum enim est periculum inconstantia in eo qui attrahitur non nisi vividis cohortationibus et blanditiis: hoc maxime evenire solet quoad puellas.

**507. Q. 2. Quid de ingressu in Religionem?**

R. Religionem ingredi alii prohibentur, alii tenentur. Prohibentur indigni, non vocati, qui non sunt sui juris, ut conjuges matrimonio consummato, servi domini servitio mancipati<sup>4</sup>. — Tenentur vero qui

<sup>1</sup> Finis hujusmodi duplex: unus generalis, qui est fuga a mundi illecebri, desiderium sanctitatis. Alter particularis, id est proportionatus ordini qui eligitur. Ordines videlicet distinguuntur in *activis, contemplativis* ac *mixtis*: in primis eminet charitas ac studium in proximos; in secundis amor solitudinis; in aliis complexus utriusque. In omnibus tamen semper est amor Dei. — Iniquum Tamburinistarum systema quoad instituta Religiosa fuit damnatum Bulla *Auctorem Fidei*, sub n. 80 et seq.

<sup>2</sup> Hom. xxxii. — <sup>3</sup> 2, 2, q. ult., a. 10.

<sup>4</sup> V. quoad Parochos et Episcopos, c. ii, a. 2, § 1. Quoad filios, *Disp. seq.*, c. ii, § 1 et 2.

sunt vocati, secus frustra daretur vocatio: item qui Religionem voverunt, ut promissa impleant.

*An (quæres) peccet qui vocatus ad Religionem vocationem negligit?* — Distinguo: vel iste persuasum habet fore ut si contemnat vocationem, de qua est moraliter certus, damnationem incurrat tam ob cognitam fragilitatem, quam ob carentiam mediorem peculiarium. Vel credit se æque ferme posse in sæculo salutem assequi. Si 1, non poterit a mortali excusari; cum scienter salutem suam in tantum periculum conjiciat et rebellem se faciat divini luminis. Si 2, dicimus eo in casu vocationem negligere non esse per se peccatum, cum consilia non obligent ad culpam: ratione tamen periculi æternæ salutis, cui ille se exponit negligendo divinum beneplacitum, videtur non posse excusari ab omni culpa. Quod autem ejus discrimini se committat, non videtur nobis dubitandum; quia in sæculo non habebit illa peculiaria auxilia, quæ in Religione præparaverat illi Deus: verum non audemus absolutum proferre judicium quoad peccati gravitatem<sup>1</sup>.

**508. Q. 3. An debitis gravatus possit Religionem ingredi?**

R. Quoad praxim, ait Patuzzi, omnium fere Religiosorum Ordinum lex est, ut nullus ad habitum recipiatur, qui sit obnoxius rationi reddendæ vel ære alieno obstrictus; idque merito ad evitanda plura incommoda. Excipiunt, ut pro certo docent cum Suarez, si debita sint incerta quoad personam, ita ut restitutio fieri debeat pauperibus; nam etiam dato quod incerta debeantur pauperibus ex domini voluntate præsumpta, res æquivalenter obtinet, si ea remittantur, ut quis possit Religionem ingredi, cum semper dentur ad pias causas: nihil sane adeo pium, quam se suaque omnia Deo perpetuo dicare<sup>2</sup>. Quod communiter adhuc concedunt, saltem pro foro interno, si debita sint ex contractu pure liberali; quia in hoc semper subintelligitur conditio: *Nisi meliorem statum elegero.*

Si agatur de debitis ex contractu oneroso, et res resolvatur ex Theologorum principiis, utrum debitis gravatus possit Religionem ingredi, tres habemus sententias. — Prima absolute negat cum Valentia, Alasia et aliis, debitorem Religionem ingredi posse: quia est contra naturale præceptum justitiæ lucrum spirituale quærere cum damno creditoris, ac consilium curare et sic præceptum negligere. — Secunda absolute affirmat, licet solutio fuerit juramento promissa, uti ait S. Antoninus. Hanc ipse Angelicus docet, qui habet: *Persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ; unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare: nec tenetur in sæculo remanere, ut pro-*

<sup>1</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 26.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 27.

curet unde debitum reddat<sup>1</sup>. Tertia sententia probabilior cum Patuzzi, Sanchez, Salmanticensibus, Navarro, Azorio, etc.; affirmat posse debitorem ingredi, casu quo aliunde diu debeat in sæculo manere; nam tunc solutio haberetur moraliter impossibilis. Neque quis etiam in contractu oneroso censetur se cum onere tam exorbitanti velle obligare, ut debeat negligere statum suum; habentur enim circumstantiæ nimium immutata. Si vero possit brevi debita solvere, puta intra biennium vel triennium, tunc vel brevi illo temporis spatio nullum eidem imminet probabile periculum incidendi in peccata mortalia aut suam amittendi vocationem; vel imminet aliquod periculum. Si 1, debet per id tempus in sæculo manere et debitis satisfacere; cum in hoc casu talis solutio non solum sit ei moraliter possibilis, sed etiam facilis. Si 2, potest cito petere Religionem ad animæ detrimentum et æternæ salutis jacturam evitandam, quippe quæ cuilibet rei semper est preferenda; neque creditor potest esse in hoc casu rationabiliter invitus. Hæc quoad jus naturale.

Hac tamen de re, ad omnes abusus præcavendos, sciendum est Sixtum V, Bulla *Cum de omnibus*, 1587, declarasse ad Religionem non esse idoneos debitores illos, qui bona sua dilapidaverint, vel qui deponere debeant rationes, antequam debita solverint aut rationes ipsas reddiderint. Clemens vero VIII, Const. *Suprema*, 1600, sustulit quidem inhabilitatem illam, sed reliquit prohibitionem. Id tamen intelligendum: 1. de iis qui in sæculo manentes possunt creditoribus satisfacere: secus inutiliter morarentur; — 2. de iis qui magnis debitis sunt gravati, ex propria culpa; quia Bulla loquitur de *ingenti aere gravatis, qui dilapidaverint bona sua*; — 3. ad Moniales non est Bulla extendenda, neque ad gravatos debitis incertis: siquidem in odiosis stricta interpretatio semper est adhibenda, ac testantur alio Decreto ita declarasse Sixtum V; — 4. denique præceptum intelligendum est de reddendis rationibus valde litigiosis, intricatis, fraudulentis et causam litibus præstituris; nam de his tantum Pontifex loquitur.

509. Q. 4. *Ad quid tenetur qui Religionem vovit?*

R. Tripliciter potest quis Religionem vovere: vel in genere, id est quamcumque Religionem; vel in specie, v. g., religionem Prædicatorum; vel in individuo, v. g., tale Monasterium in particulari: — 1. qui vovit Religionem in genere, tenetur diligenter aliquam inquirere, in qua vigeat disciplina, ut *vota sua Domino reddat*<sup>2</sup>. Quod si inventa, ab ea rejiciatur, probabilius aliam inquirere debet mediocrem adhibendo diligentiam, si spem habeat quod recipiatur; quia votum illius

<sup>1</sup> 2, 2, q. 189, a. 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 71.

<sup>2</sup> Ps. cxv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 73.

est generale de aliqua Religione ex approbatis assumenda; — 2. qui vovit Religionem in specie, aliquam illius Ordinis tenetur ingredi: et ubi ab una repellatur, alias domus tentare debet, quamdiu spes aliqua effulgeat, et agatur (uti communiter dicunt) de monasterio sito in propria natione vel provincia<sup>1</sup>; tunc enim non est exorbitans et extraordinarium illuc petere. Porro qui aliquid promisit, tenetur mediis ordinariis curare promissum; — 3. qui eam vovit in individuo ita determinando locum, ut alium non intendat, si in domum præfixam non posset admitti, liber esset; quia sub hac tantum conditione se ligavit<sup>2</sup>.

510. *Quæres: An vovens Religionem peccet graviter, si ingressus egrediatur?* R. Affirmative, si non habeat gravem causam (quod probabilius valet, licet animum profitendi non habuerit): nam votum Religionis non tam respicit ingressum, quam professionem; hæc enim est illius complementum, illius vera ratio. Si vero a Religione ejiciatur uti ineptus, v. g. ob inscitiam, infirmitatem, tunc si adhibet sufficientem diligentiam, ut se reddat habilem, eum probabilius liberant ab omni obligatione (sed mediocrem diligentiam adhibere debet, juxta quod supra dictum est, in alia Religione inquirenda); eo enim in casu fit votum impossibile.

511. Q. 5. *Quid de probatione ante professionem?*

R. Audiatur Tridentinum: *In quacumque Religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem*<sup>3</sup>. Hæc autem probatio *Novitatus* nomine appellatur, qui incipere solet ab eo puncto, quo quis in statu novitiorum admittitur ad probationem in aliquo conventu illius Ordinis, in quo professio emittenda est; tum enim celebratur quidem veluti contractus inter futurum religiosum et ipsam Religionem, per quem mutuo conveniunt de sumendo experimento de se invicem. — Communiter sentiunt Novitatum inchoari posse ante annum ætatis 15: quod obiter Tridentinum videtur insinuasse, cum professio debeat esse continua ac conjuncta cum probatione.

Hæc quoad viros: quoad mulieres vero ex declaratione S. C. statutum est, ut ipse habitum non suscipiant, nisi decimo quinto anno completo. Insuper tenetur Episcopus vel per se vel per alium ex Tri-

<sup>1</sup> Si agatur de femina sic vovente, docent ipsi esse extraordinarium, quod debeat quærere monasterium extra patriam longe a suis: ita Palaus, Tolentus, Salmanticenses, Garcias, etc.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 72. — <sup>3</sup> Sess. xxv, c. xv.

dentino et ante susceptionem habitus et ante professionem, virginis voluntatem diligenter examinare ad crates, an scilicet *coacta*, an *seducta* sit, an *sciat quid agat*: quod valet etiam quoad moniales exemptas. Et præstat ut dictum examen fiat etiam de ingredientibus congregationes quæ simplicia vota tantummodo emittunt. Hoc tamen examen non præcipitur sub pœna nullitatis professionis, etsi sub gravi fieri debeat, et quidem circa res tantum a Tridentino præscriptas.

512. Quæres: *Qualis esse debet annus probationis?* — Uti certa tenenda est sententia quæ requirit annum integram ac continuum. Licet enim Tridentinum has particulas non posuerit in suo decreto, putandum est tamen fuisse locutum juxta jura antiqua; atqui jura antiqua loquuntur de anno integro, atque continuo. Unde si horæ quadrans, v. g. deesset, professio esset nulla; nec demendus est dies a bissextili anno, quia ex jure tunc *biduum pro uno die habetur*<sup>1</sup>.

### Art. III. — De professione religiosa et ejus effectibus.

513. Q. 1. *Quid est professio Religiosa?*

R. Novitiatum rite completum sequitur professio, quæ defini potest: *Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certæ Religionis ab Ecclesia probatæ cum solemnibus votorum emissionem.* Conditiones præcipuæ ad valorem professionis ex Tridentino et jure Canonico sunt: 1. *Apptitudo voventis*: nempe ut sit baptizatus: nam cum Religio sit Ecclesie pars, nemo ei potest incorporari, si non sit istius membrum: ut non sit alterius juris: ut compleverit annum 16, et per annum integrum cum habitu religioso in probatione fuerit: ut nullo impedimento ligetur, quod Ordini substantialiter opponatur: ut verum habeat profitendi animum; — 2. *libertas*; nemo enim invitus perpetuis et gravibus obligationibus obstringendus; — 3. *consensus*; id est acceptatio expressa vel tacita Superioris Ordinis juxta statuta; ita enim habetur utrinque firmatus contractus<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> L. *Cum bissextum* de verb. significat. — V. Bouix, *De Jure Regular.*, p. IV<sup>a</sup>.

<sup>2</sup> Quoad mulieres declaravit insuper S. C. ut nemini detur habitus ante 12 annos: item ut antequam suscipiatur habitus et antequam emittatur professio, debeat Episcopus aut ejus delegatus voluntatem uniuscujusque puellæ explorare; secus graviter peccaretur, etsi professio esset valida, ex jam dictis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 4. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Annus probationis, Novitiatum, Novitia; Restitutio in integrum, Regularis professio, ubi plura ad rem.

514. Professus potest reclamare de nullitate suæ professionis, sed intra quinquennium: quo elapso, non auditur, nisi a Sede Apostolica restituatur in integrum<sup>1</sup>.

515. Q. 2. *Quinam sunt religiosæ professionis effectus?*

R. Effectus hujusmodi plures sunt: alii *gratiosi*, alii *onerosi*. Inter gratiosos adnumeratur: 1. remissio peccatorum quoad pœnam, si professus sit in gratia; nam hic est actus se totum divinis obsequiis mancipandi, qui excedit omne genus satisfactionis<sup>2</sup>; 2. extinctio votorum ante emissorum<sup>3</sup> veluti per quamdam commutationem in melius (imo attenta Decretali Bonifacii VIII *Qui post votum*, qui vovit ingredi religionem strictiorem et profutetur in laxiori, peccat; sed liber remanet ab illo voto). Privilegium illud competit etiam congregationibus ubi non emittuntur vota solemnia, si verus sit status religiosus; quod si congregatio status religiosi essentiam non habeat, in ea profitens non solvitur nisi a votis simplicibus quæ sint impossibilia cum novo illo statu; 3. cessatio irregularitatis ex defectu natalium<sup>4</sup>; 4. solutio sponsalium, ac matrimonii rati<sup>5</sup>; 5. et quidem præcipue numeratur exemptionis privilegium<sup>6</sup>.

Inter onerosos autem effectus præcipuus est obligatio tendendi ad perfectionem<sup>7</sup>.

516. *Quid (dices) de privilegio exemptionis?* — Hoc privilegium in eo consistit, quod Regulares a jurisdictione Episcoporum sint exempti, et Sedi Apostolicæ immediate subjecti. Hoc jure factum esse nemo Catholicus inficiari potest; nam habent quidem Episcopi completam in propria Diocesi jurisdictionem, sed R. Pontifici subordinatam<sup>8</sup>. Ceterum animadvertere est quæ Tridentinum præscripsit<sup>9</sup>, pro quibuscumque abusibus præcavendis; quos tamen buccina ac sesqui-

<sup>1</sup> Processus autem fieri debet a Prælate locali simul et ab Ordinario Diocesis cum assistentia defensoris professionis. Professus autem licet habeat in sui favorem primam sententiam, non ideo potest egredi; sed expectare debet appellationem faciendam a defensore; quod si jam fugam arripuerit, a judicio repellitur, donec resumat habitum. Ita Benedictus XIV, *Bulla Si datam hominibus*.

<sup>2</sup> S. Thomas, 2, 2, q. 189, a. 5. — <sup>3</sup> Decr., l. III, t. XXXIV, c. iv, etc.

<sup>4</sup> V. *De Irregul.* — <sup>5</sup> V. *De Matrimonio*.

<sup>6</sup> V. Pavone, *Spicilegio*, ecc., nn. 162 et seq. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 60, etc. — Gury, *De Statibus partic.*, c. IV. — *Analecta juris pontificii*, an. 1855, pag. 1571.

<sup>7</sup> Quoad Officii divini recitationem, vid. *Tract. de religione*.

<sup>8</sup> V. Thomassinus, *Diss. Eccl.*, l. III, p. I. — Ughellius, *Italia sacra*, t. IV. — Bouix, *Part. V<sup>a</sup>*.

<sup>9</sup> Sess. vi, de R. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 56, etc. — Ferraris, *Bibliotheca*, v<sup>o</sup> Regularis, art. 1 et 2.

pedalibus verbis canonistæ nonnulli e schola Wanespeniana exaggerant more suo: 1. ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus Monachos extra claustra visitet, corrigat si deliquerint, et ubi opus puniat; 2. ut Sacramentorum administrationem, curam animarum et alia id genus quæ regulares habent cum exteris, Episcopus dirigat; 3. ut neque in suis sine Episcopi benedictione petita (etiãsi eam non obtinuerit, modo Episcopus non contradicat), neque in aliis Ecclesiis sine Episcopi licentia obtenta, ad populum prædicent Verbum Dei; 4. ut non liceat in suis Ecclesiis admittere sacerdotes sæculares vel regulares extraneos ad missam celebrandam contra prohibitionem Episcopi; 5. ut in censuris evulgandis, servandis festis, et eorum ritibus custodiendis, ceterisque ad publicam divini cultus politiam spectantibus Episcopo Diocesano Regulares omnes pareant.

**517. Q. 5. A quonam Episcopo licite ordinantur Regulares?**

R. Regulares debent suscipere Ordines ab Episcopo, in cujus Diocesi situm est Monasterium ubi commorantur: constat ex Bulla Benedicti XIII *In suprema*, ubi contrarii privilegii revocatio jam facta a Gregorio XV et a Clemente VIII confirmatur. Imo S. Congregatio de mandato Clementis VIII iussit, ut si Episcopus loci non habeat Ordinationem, Superior possit quidem dare litteras dimissorias ad alium Episcopum; sed videat, ne ex industria ideo differat suorum Ordinationes. Et ideo Benedictus XIV duas addidit conditiones: — 1. ut in tali casu nequeat Religiosus ab alio ordinari, nisi præ se ferat attestationem Vicarii Generalis vel Cancellarii vel Secretarii ejusdem Episcopi de impedimento. Alias ordinans et ordinatus incurrit pœnas in ordinantes sine dimissoriis; — 2. ut talis Regularis examinari debeat ab Episcopo ordinante. Si tamen Monasterium sit nullius Diocesis, poterunt Religiosi ordinari ab Episcopo viciniori; contraria enim lex utpote odiosa de casu ad casum non est extendenda<sup>1</sup>.

Quoad novitios autem Regularium, Suarez tenet eos ordinandos esse ab Episcopo originis vel domicilii; cum nondum dici possint veri regulares et subditi, quippe qui adhuc possunt ad sæculum transire. Alii autem cum Fagnano putant eos posse utique ab ipso Novitiatu Episcopo ordinari: cum novitii ibi degentes jam habeant animum perpetuo manendi. Utraque sententia est probabilis<sup>2</sup>.

**518. An (quæres) Abbates possint tonsuram et minores Ordines**

<sup>1</sup> V. Benedictus XIV, *Notificatione* xxiii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 764 et 768.

<sup>2</sup> Secundæ sententiæ duas addimus conditiones: — 1. ut novitius per notabile tempus jam manserit in novitiatu; — 2. ut iuramentum præstet se animum habere ibidem quantum in se est manendi perpetuo; tunc enim videtur verificari conditio domicilii.

conferre? Tridentinum sustulit, quam antea habebant sive sæculares, sive regulares Abbates, generalem hac de re facultatem<sup>1</sup>: solummodo permisit regularibus, ut ipsi ea utantur pro solis suis subditis. Si tamen eam adhuc in alienos exercerent, esset valida, quamvis illicita; nam talis potestas concessa est in corpore juris: per prohibitionem autem non videtur hæc radicaliter ipsis sublata, sed tantum illius exercitium interdictum. Sic S. C. C. ex Benedicto XIV<sup>2</sup>.

**519. Q. 4. Quid de facultate absolvendi quoad Regulares<sup>3</sup>?**

R. Plura hac de re a Canonico jure, a Pontificum Constitutionibus ac consuetudine statuta sunt<sup>4</sup>. Præcipua notamus: — 1. Regulares ad excipiendas Confessiones secularium indigent Episcopi loci approbatione; non vero ad excipiendas Confessiones suorum Religiosorum vel secularium, qui sunt de familia in suis monasteriis et continui commensales: sed sufficit probatio Prælati regularis.

2. Superiores Regularium, vel ab ipsis delegati, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus et censuris non reservatis Pontifici: quod valet etiam de novitiis, ita ut isti absolvi possint a casibus ab Episcopo reservatis etiam *ab homine* incurris vel ante ingressum in Religionem. Imo et a reservatis Pontifici absolvere valent, si religiosi habeantur ut impediti; nisi excessus sit difficilis et enormis, v. g. hæresis relapsus, schisma, litterarum Apostolicarum falsificatio, ad infideles prohibita deferre, bigamia et homicidium voluntarium.

3. Prælati religionum possunt sibi reservare casus, si cupiunt, sed uti decrevit Clemens VIII, 29 maii 1593, tantum undecim, et non ultra sine consensu Capituli generalis pro tota religione, aut provincialis pro provincia. Casus determinati sunt: 1. apostasia; 2. egressio nocturna et furtiva a monasterio; 3. sortilegium; 4. peccatum mortale contra paupertatem; 5. furtum mortale de bonis monasterii; 6. peccatum carnale opere consummatum; 7. perjurium in iudicio; 8. cooperatio in abortum fetus animati, etiam effectu non secuto; 9. occisio vel gravis percussio; 10. falsificatio manus vel sigilli Officialium monasterii; malitiosum impedimentum, retardatio aut aperitio litterarum superiorum ad inferiores, vel contra. Superiores autem locales a reser-

<sup>1</sup> Sess. xxiii, c. x. — V. Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. xvi. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Abbas.

<sup>2</sup> De Synodo, l. X. Quoad diversa Abbatum species. Vid. Salzano, *Lezioni di diritto*.

<sup>3</sup> De confessario Monialium vid. dicenda in tract. *De Pœnitentia*.

<sup>4</sup> V. L. Ferraris, *Biblioth. Canon.*, vº Approbatio. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 575 et 598: et maxime l. I de privilegiis, nn. 95 et seq., it. *Homo Apost.*, tract. XX, n. 95, etc. — Bouix, *loco supra cit.*

vatis non valent absolvere; sed Generales tantum et Provinciales, ab iisque deputati: ita S. C. C., 13 martii 1601<sup>4</sup>.

4. Olim Mendicantes gaudebant privilegio absolvendi sæculares ab omnibus casibus et censuris reservatis tam a Pontifice quam ab Episcopis. Sed Decreto Clementis VIII 1602, confirmato a Paulo V 1617, et Urbano VIII 1627 limitata fuit potestas; et statutum, nec Regulares existentes extra Romam et intra Italiam possint absolvere sæculares a casibus Bullæ *Cenæ*, nec a percussione Clerici, nec a duello, nec a violatione immunitatis, nec a violatione clausuræ monasteriorum monialium ad malum finem, nec a simonia confidentiali in beneficiis, nec a casibus, quos specialiter sibi reservant Episcopi. Ita etiam ex Bulla Gregorii XIII *Cum a Sacra* et ex propositione 12 damnata ab Alexandro VII.

5. Religiosi peregrinantes, si habeant socium sui Ordinis de necessitate debent ipsi confiteri, si ille sit Confessarius; si vero nec talem habeant socium, nec alium confessarium idoneum sui Ordinis, bene possunt confiteri etiam alteri Sacerdoti idoneo, sive regulari, sive sæculari: et in hoc omnes conveniunt. Advertit tamen Busembaum cum Laymano et Rodriguez, quod hoc non procedit quoad peccata in Ordine illo reservata, a qua taliter assumptus Confessarius nequit absolvere.

6. Regulares aliæque personæ exemptæ non incurrunt episcopalem reservationem; nam Episcopus non potest suam exercere nisi in subditos; quare regularis iste qui ex superioris sui licentia vel ex privilegio a jure concessio sua peccata confitetur sacerdoti sæculari Diocæsano, poterit absolvi a reservatis Episcopo, etsi talis confessarius non sit approbatus pro reservatis. Esto quod reservatio directe afficiat confessarium; quod enim nihilominus valeat absolvi Regularis privilegium est. Ubi tamen Regularis in iis delinqueret, in quibus Episcopo subditur et casus Episcopo reservatus esset, tunc nequiret absolvi, nisi ab habente per Episcopum facultatem in reservata, ut declaravit Gregorius XV Bulla *Inscrutabili*.

520. Q. 5. *Quantanam est obligatio perfectionis in Religioso?*

R. Etsi Religiosus vi professionis non teneatur actu esse perfectus: tenetur tamen actu ad perfectionem tendere per media ipsi in sua religione ordinarie exhibita, cum teneatur servare statum suum, qui status est tendentium ad perfectionem. Hinc graviter peccat qui de ea nullo modo curat, multo magis si suo exemplo alios religiosos inducat

<sup>4</sup> Item declaravit 7 julii 1617. Prelatos non posse infligere censuram super alio casu hic non contento, licet eum non reservent; quia hoc esset Decretum Pontificium eludere.

ad disciplinæ relaxationem. Quod si ita animo sit affectus, ut intendat quidem servare mandata sub gravi obligantia, sed non alia; licet communius ac probabilius eum a gravi excuset, si sola attendatur obligatio tendendi ad perfectionem (nam sic jam videtur satis tendere posse ad illam): difficulter tamen videtur posse excusari ex alio capite, prout scite ait Sanchez, nempe ratione periculi labendi in gravia, ratione scandalæ et hujusmodi.

Quidquid sit, merito a gravi non excusant Superiorem, qui negligit corrigere defectus leves in suis subditis, si complures sint et tales, qui disciplinam in communitate relaxare valeant pedetentim; licet enim quilibet Religiosus non deficiat in gravi violando regulam levem, deficit utique Superior, cum inde relaxetur disciplina. Quod etiam dicendum est de Superioribus aliarum communitatum<sup>1</sup>.

521. *Nota.* Cum perfectionis media præcipua sint tria illa vota, quæ ipsius professionis naturam constituunt, ideo hic erit de singulis. Facendum autem est tria vota, paupertatis, obedientiæ et castitatis congruentissime a Christo assignata fuisse pro constituenda status religiosi essentia; persona enim hominis tria principaliter habet, ad quæ omnia ad ipsam pertinentia referuntur, animam, corpus et bona externa; atqui hæc tria perfecte consecrat per vota (CC).

### § I. — *Votum paupertatis.*

522. Q. *Quid de voto Paupertatis?*

R. Religiosus ex voto Paupertatis ad hoc obligatur, ut nihil habeat proprii in particulari ad disponendum ex bonis temporalibus sive mobilibus sive immobilibus. Ait enim Tridentinum<sup>2</sup>: *Nemini Regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere.*

Diximus 1. *proprii*; nam voto paupertatis non repugnat, quod Religiosus possit Ordinis nomine ad Superiorem nutum bona administrare; — 2. *in particulari*; nam ex Tridentino<sup>3</sup> Ordines possidere possunt in communi, exceptis Franciscanis, Minoribus Observantibus ac Cappucinis, quos insuper contendunt neque earum rerum habere dominium,

<sup>1</sup> V. Liguori, *La Monaca santa*; et *Op. Mor.*, l. IV, n. 11. — *Istruzioni pratiche intorno al principali doveri degli Ordini religiosi.* — Rodriguez, *Esercizio di cristiana perfezione*, ecc.

<sup>2</sup> Sess. xxv, c. ii, *De Regul.* — <sup>3</sup> Sess. xxv, c. iii, *De Regul.*

quæ usu consumuntur; sed illud esse penes Sedem Apostolicam, quatenus nempe illud Pontifex revocare valet pro nutu<sup>1</sup>; — 3. *ad disponendum*; nam de essentia voti non est, ut dominium abjiciatur; sic ex Bulla *Ascendente* Religiosi S. Jesu post emissa vota simplicia vere sunt religiosi, et tamen retinent et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium, quoadusque emittant vota solemnia ac publica. Tantum non habent jus actuale de illis pro arbitrio disponendi et utendi: atque in hac abdicatione proprie sita est essentia paupertatis religiosæ<sup>2</sup>; — 4. *Ex bonis temporalibus*; quia bonorum spiritualium, v. g. fama, honoris Religiosi dominium retinent. Idem dicunt de Reliquiis sacris: idem de manuscriptis, tum quia sunt partes ingeni licet alieni, ideo quid spirituale; tum quia pertinent ad scientiam, quam non respicit paupertas; tum quia ita fert consuetudo ubique recepta<sup>3</sup> (DD).

523. *An (quæres) Religiosus possit aliquid possidere de licentia Superioris?* — Ad præscriptum Tridentini, non potest<sup>4</sup>, siquidem nulla datur licentia ea de re. Sed contraria consuetudo ferme ubique viget; unde hodie probabilius existimamus rigorem Tridentini temperatum fuisse: atque ideo vi hujus consuetudinis, ubi adest, potest Religiosus de Superioris consensu peculium habere, ut sibi provideat ad usus necessarios vel honestos; sub conditione tamen, quod paratus sit bona hæc ad nutum Superioris abdicare<sup>5</sup>.

Hic etiam notandum, quod tale votum comitatur etiam assumptum ad Episcopatum, uti tenent communiter, adeo ut Episcopis Regularis testari non possit; cum usum, non proprietatem bonorum habeat<sup>6</sup>. Unde S. Thomas ait: *Religiosus, qui fit Episcopus sicut non absolvitur a voto continentiae, ita nec a voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiae. Similiter etiam non absolvitur a voto obedientiae,*

<sup>1</sup> C. *Exiit qui sem. 2, de verb. sign.* — V. Continuator Tournely, *Sal-manticenses*, etc.

<sup>2</sup> Aliter est, si res spectetur juxta Jus civile et externum. — V. ubi *De Testatore*.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 7. — <sup>4</sup> Sess. xxv, c. II, *De Reg.*

<sup>5</sup> Id confirmari posse videtur ex Brevi Benedicti XIII *Postulat*, ubi de Religiosis ad dignitatem promotis ait: *Quod omnia mobilia seu immobilia cujuscumque generis, quæ eos tempore suæ promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat manuscriptis propriis, Superiori locali resignare teneantur.*

<sup>6</sup> Est autem probabilissimum Episcopum Regularem non teneri regulis sui Ordinis, ut eruitur ex C. *Statutum*, caus. 18, q. 1. Aiunt tamen probabilius, ad omnia teneri illum Regularem, qui ad parochiam tantum sit promotus, ubi non dispensetur.

*sed per accidens obedire non tenetur, si Superiorem non habeat*<sup>1</sup>. Ratio est quia vota personalia comitantur personam; quare quæ talis acquirit, ea non sibi, sed suæ Ecclesiae acquirit.

524. *An (addes) Religiosus possit accipere vel dare sub licentia præsumpta?* Affirmative, si licentia præsumi possit de præsentibus, et causa sit; nam tunc religiosus virtualiter cum vera dependentia agit. Idem dicunt de licentia interpretativa, quæ etsi non ei sufficiat ad valide contrahendum; sufficit tamen ad hoc, ut proprie non agat suo nomine, ideoque ut non peccet contra paupertatis votum. Imo sine Superioris licentia, et etiam contra ipsam potest accipere vel dare, si periculum non patiatur moram; *quia necessitas non subditur legi*<sup>2</sup>.

## § II. — *Votum castitatis ac clausura.*

525. Q. 1. *Quid de voto Castitatis, et de Clausura?*

R. Ad 1. Ex voto castitatis religiosus obligatur ad se abstinendum ab omni voluntaria delectatione venerea tam interna quam externa; proinde si contra fecerit, duo peccata committit, luxuriæ ac sacrilegii, etsi non sit in Sacris. Et probabilissime etiam peccat contra commune bonum, si periculum sit, ne ideo infametur religio.

Ad 2. Lex clausuræ, quæ tam viros quam mulieres (licet diversimode) respicit, duplex quasi est: una, quæ religiosorum egressum e claustris; altera, quæ extraneorum ingressum in claustra intuetur.

526. Q. 2. *An liceat religiosis e claustris egredi?*

R. Vel agitur de religiosis viris, vel de religiosis mulieribus:

1. Quoad viros habet Constitutione Nullus Clemens VIII: *Nemo religiosorum audeat egredi e conventu, nisi ex causa et cum socio et de licentia singulis vicibus impetrata a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius: licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur.* Suarez censet grave sine licentia in omni casu egredi, quia consuetudo est, ut talis egressus graviter puniatur. Sed communiter ac rationaliter alii tenent id, si fiat semel aut iterum, secluso scandalo ac contemptu, nec fiat noctu, non esse nisi leve; quia ex se profecto id leve est.

2. Quoad Sanctimonialia arctissima est hæc lex, quam tulit Tridentinum: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio etiam per breve tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo probanda, indultis quibuscum-*

<sup>1</sup> 2, 2, q. 88, a. 11. — <sup>2</sup> S. Thomas, 1, 2, q. 96, a. 6.

que et privilegiis non obstantibus<sup>1</sup>. Imo neque id licet etiam causa translationis ad aliud monasterium ejusdem ordinis, vel alterius strictioris observantiae sine licentia Sedis Apostolicæ, uti declaravit S. C.<sup>2</sup>. Paulus vero V Constitutione *Monialium* ipso facto et reservatam excommunicationem infligit in Moniales clausuram violantes<sup>3</sup>, et in receptatores vel adjuvantes. Statuit Pius V Const. *Decori*, legitime non licere, nisi ex causa magni incendii aut infirmitatis lepræ aut epidemici a monasteriis exire; sed neque in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licebit. Ad incendium communiter revocatur bellum imminens, inundatio fluminis, ruina ædificii.

Suarez docet, posse monialibus professis clausuram pontificiam injungi, quamvis, regula quam amplexatæ sunt, hanc obligationem non imponat; nam qui assumit aliquem statum, virtute se obligat ad ea quæ expediunt in tali statu: talis est pro monialibus clausura. Neque enim clausura pertinet ad essentiam status religiosi, cum etiam sine ipsa possint servari evangelica consilia certa sub regula; ideo generatim loquendo imponere clausuram non est mutare essentiam status semel voluntarie sumpti, sed est præscribere tantum medium ad jam assumpti status observantiam.

527. Q. 3. An exteri claustra ingredi possint?

R. Vel agitur de claustris virorum, vel de claustris monialium:

Si 1, generatim nunquam vetitum fuit admittere in claustra religiosorum viros etiam laicos. Verum etsi regula nihil injungat, munus erit superioris, ut non omnes et ita frequenter laici admittantur; quia esse non potest sine quietis ac pacis turbatione. Diximus viros; mulieres enim ea ingredi (si excipiantur Reginæ ac fundatrices) sub pœna excommunicationis ipso facto ac reservatæ prohibuit Pius V tum Constit. *Decet*, tum Const. *Regularium*. Ipsi vero religiosi, qui eas admittere præsumunt, ipso facto penam privationis officiorum, inhabilitatis et suspensionis a divinis incurrunt.

Si 2, Tridentinum Monialium septa ingredi omnibus indiscriminatim prohibuit sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtemperata, sub excommunicatione ipso facto incurrenda<sup>4</sup>. Quæ tunc erit reservata, si ingressus sit ad finem malum (id est libidinosum in sen-

<sup>1</sup> Sess. xxv, c. v, *De Regul.* — Ferraris, v<sup>o</sup> *Clausura, Conventus*, art. 8; *Moniales*, art. 3; *Fenestræ*, etc.

<sup>2</sup> V. Suarez, *De Oblig. et St. relig.*, l. I et VIII. — Bonix, Liguori, etc.

<sup>3</sup> Non datur parvitas materiæ, etsi egressus fiat uno passu tantum. Ita communiter docent, et merito Theologi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 37; l. VII, n. 225.

<sup>4</sup> Sess. xxv, c. v, *De Reg.*

tentia nostra<sup>4</sup>) ex S. C. E. sub Clemente VIII, extra Romam tamen et intra Italiam; vel sit sub prætextu facultatum, ex Gregorio XIII Constit. *Ubi gratiæ*. Hæc licentia tantum in vera necessitate est danda ex eodem Tridentino, et quidem in necessitate monasterii; nam id permittitur ob illius utilitatem tantum; hinc non valet licentia data ad collocandam in monasterio aliquam feminam, ne redeat ad vomitum; neque ad docendum monialibus artem, nisi quando in monasterio nulla adest perita; neque possunt uxores intrare causa adulterii vel dissensionis cum viris. Dicunt tamen Ordinarium posse permittere ut intret puella (de qua controversitur), ut in monasterio ad tempus maneat, donec lis terminetur. Est autem hæc monasterii necessitas late accipienda, pro qualibet nempe rationabili causa; in stricta enim necessitate, lex humana jam cessat per se, si alia adjuncta non sint. Hic plura notanda quoad praxim cum communi Doctorum.

528. 1. Licentia in scriptis non requiritur in casibus ordinariis, si, causa est manifesta, v. g. in ingressu medici, confessarii, cæmentarii et similium operariorum, quorum repentina opera passim indigent moniales. Hæc tamen licentia debet esse specialis nempe pro tali re concessa.

2. Si monasteria sint episcopo subjecta, ipsi competit jus concedendi licentiam auctoritate ordinaria; et tunc satis probabiliter ea jure competit etiam suo vicario generali. Si monasterium sit immediate Sedi Ap. subjectum, tunc episcopo non competit nisi delegata auctoritas; atque ideo tunc non potest in hoc se ingerere vicarius sine speciali episcopi mandato. Quod potest episcopus in hac re, potest etiam vicarius capitularis. Si monasterium subsit regularibus, licentia datur a prælato regulari. Abbatisa autem nequit de jure ordinario hanc licentiam dare: at potest episcopus delegare abbatissam vel confessarium vel alium prudentem virum ad illam concedendam.

3. In necessitatibus quæ moram non patientur, non requiritur ulla licentia, nam lex humana est: esset in casu mortis, incendii, etc. Hinc quisvis sacerdos, v. g., in casu repentinæ mortis ingredi potest ad ministranda sacramenta, si subito non adsit adprobatus.

4. Medicus non potest ingredi nisi licentia renovata singulis trimestribus et sociari debet a duabus monialibus; non potest intrare initio quadragesimæ ad cognoscendum quæ monialis sit dispensanda; quia potest præstare ad crates, nisi monialis decubat in lecto. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habet consultationem. Chirurgus potest intrare ad secandam venam, et pharmacopola ad docen-

<sup>4</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 221. — Bouix, pars VI<sup>a</sup>.

dum (si opus sit) quomodo medicamen sit parandum. Factores, notarii, et similes pariter possunt, si necessitas urget, v. g. ad iudicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, ad faciendum puellæ testamentum. Sicuti pariter ex licentia possunt fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores et similes, qui artem suam extra commode non possunt exercere. Item bajuli ad ferenda quæ a monialibus non possunt: si autem licentia sit nominatim pro uno bajulo, isto deficiente, non potest alius substitui, nisi licentia esset indeterminata, v. g. *ut bajulus ingredi possit*. Non possunt tamen admitti neque infantes neque amentes.

5. Confessarius potest ingredi ad sacramenta infirmæ decumbenti ministranda, quoties ex præscripto regulæ dispensatur communicatio; item quoties monialis illa communicare consuevit. Debet autem ingredi indutus superpelliceo et stola, nec potest se divertere ad aliam monasterii partem, neque ad visitandam aliam infirmam. Quamquam sentit De Alexandris, quod confessarius postquam infirmæ confessionem audierit, bene potest alium novum ædificium monasterii benedicere et etiam deferre cuidam aliæ infirmæ insignem reliquiam: sic etiam potest (ait) ob causam immorari in monasterio brevi ad intuendas officinas, et ad tractandum aliquod temporale negotium, Confessarius autem sæcularis debet intrare solus, regularis cum socio probatæ vitæ et maturæ ætatis; dum audiuntur confessiones, debent assistere commatrics ad januam, ita ut confessarium videant<sup>1</sup>. Confessarius monialibus deputatus, non ideo potest dare benedictionem in articulo mortis, sine speciali delegatione. Item neque parochus loci, si moniales sint exemptæ; tum enim non est proprie earum pastor.

529. *Quid de illo, qui licentia obtenta, ingreditur ob malum finem?* Bouix docet censuram incurrere; nam verificatur quod clausura abutitur ad finem malum. Alii negant apud Pellixarium; quia non violat clausuram, cum licentiam habeat; sed tantum licentia abutitur. Porro pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum.

### § III. — Votum obedientiæ.

#### 530. Q. 1. *Quid de voto Obedientiæ?*

R. Tali voto religiosus obligatur ad omnia quæ præcipit Superior *secundum regulas ac constitutiones*, sive præcipiat directe et explicitè, ut sunt quæ expressa habentur in regula (silentium, abstinencia tali tempore), sive indirecte et implicitè, quæ nempe in regulis satis continentur, ut pœna in transgressores ad earum observantiam legitime

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, loc. cit. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Monialis, art. 4.

condita, et quicquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda. Ratio: Religiosus se obligando ad constitutiones, se implicite obligavit ad ea, quæ ad hunc finem conducunt. Ordinarie tamen peccata contra obedientiam non habentur ut mortalia, nisi agatur de re gravi, vel de gravi scandalo, vel nisi præcipiat Superior *in virtute sanctæ obedientiæ, in nomine Domini, etc.*

Diximus *secundum regulas ac constitutiones*; non enim obligatur in iis, quæ sunt vel contra regulam (nisi adsit legitima dispensatio); cum debeat esse rationabile illius obsequium. Vel supra regulam, uti essent magnæ macerationes; nam id non esset fragilitati humanæ satis attemperatum. Quod autem regulæ jubeant obedire in omnibus, id præcise non est de obligatione voti, sed de obedientiæ perfectione<sup>4</sup>.

531. *Quid (quæres) si Superior præcipiat assistentiam peste infectis?* Tenentur Religiosi obedire, si infecti sint ejusdem ordinis; quia pertinet ad bonum commune, ut sibi invicem membra subveniant. Secus si agatur de aliis, qui non sint in necessitate (semper intellige, si constitutiones id non præcipiant); nam nulla adest ratio, cui tam gravis obligatio innitatur<sup>2</sup>.

#### 532. Q. 2. *An omnes Religiosorum regulæ sint pure pœnales?*

R. Cum Suarez: Regula religiosa collective sumpta est quædam vivendi norma secundum perfectionem Evangelicam regens animos, et dirigens eorum actus ad illam acquirendam. Si in regula distincte exponatur, Religionis mentem esse velle obligare vi præcepti, qualis videtur esse regula S. Francisci, tunc obligat graviter vel leviter pro ratione materiæ ac verborum.

Si vero expresse ponatur in regula, eam non obligare in conscientia ad culpam, ut habet regula Fratrum Prædicatorum, Societatis Jesu, aliarumque nonnullarum Communitatum, tunc de se ad nullam culpam obligabit, sed solum obligabit in conscientia ad pœnam sustinendam, seu ad parendum superiori pœnam imponenti pro transgressione<sup>3</sup>.

Hæc per se; nam quoad praxim quamvis regula ad nullam culpam obligaret, vix tamen potest violari sine aliquo peccato levi ob defectum motivi et finis honesti. Sed fere semper adest culpa ratione negligentiae, concupiscentiæ, scandali, etc.<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Quoad obedientiam *cæcam*, ut vocant, vid. *De Restitutione*; Append. *De Obed.*

<sup>2</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, nn. 48 et seq.

<sup>3</sup> Hic non loquimur de substantialibus Status religiosi, quæ nulli dubium est semper et omnes religiosos obligare. — V. Bouix, *De jure Regularium*, pars VIª, c. iv.

<sup>4</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 10. — *La vera sposa di Gesù Cristo*, c. iv et vii.



SCHOLIUM. — De Religioso ejecto, apostata, fugitivo, disperso et reformato.

533. Q. 1. Quid de ejectione, apostasia, et fuga a Religione?

R. Ejectionis nomine intelligitur: *Perpetua separatio Religiosi a suo ordine facta auctoritate iudicis*. Ad extremum hoc remedium veniendum est tantum in extremis<sup>1</sup>: esset 1. si religiosus in gravi ac pernicioso crimine existens notorie incorrigibilis aestimetur etiam post longam saltem unius anni poenitentiam in jejuniis et carcere; 2. si diu tolerari non possit sine ordinis infamia; 3. si in admissione impedimentum valde grave retinuerit, v. g. lepram. *Apostata a Religione* est qui post emissam professionem deserit ordinem, excusso jugo regularis disciplinae. *Fugitivus* vero dicitur qui recedit a claustro vel timens sævitiam prælati, vel sibi vivere volens<sup>2</sup>.

Ejecti obligantur ad votum castitatis: quoad paupertatem ejus, quod acquirunt habent usum: quoad obedientiam ac ceteras regulas, liberi sunt; nam istæ non respiciunt, nisi regulariter viventes, a quorum porro consortio ipsi iudice avulsi sunt. — E contrario apostata ac fugitivus omnibus legibus obligantur; cum adhuc sint et esse debeant de familia. Ita communiter.

534. Q. 2. Quid de religiosorum dispersione?

R. Si irruente politicarum perturbationum turbine, religiosi dispergantur, et collegialem vitam interrumpere cogantur, versari debent in sæculo memores propriæ vocationis, vota solemnia firmiter custodientes. Legitimis superioribus remanent subjecti; et solet etiam pro illo tempore assignari Episcopus loci. In habitu clericali incedant, sub veste signum aliquod gerentes regularis eorum professionis. Votum autem solenne paupertatis non impedit, ut valeant sibi res utiles et necessarias comparare, pecuniasque apud se habere, et contractus inire; præsumitur licentia. Quod tamen acquirunt religiosi dispersi, non sibi sed religioni acquirunt<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Urbanus VIII declaravit neminem (excepto e Societate Jesu) posse expelli, nisi sit incorrigibilis; sed tantum posse puniri jejuniis et carcere: quod semper observandum cum monialibus incorrigibilibus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 79.

<sup>2</sup> Ejecti Episcopo subduntur, qui eos tamen ordinare non potest. — V. Ferraris, *Biblioth.*, v. Apostasia, Ejicere. — V. Raynaudus, *De Apostasia a religiosis Ordinibus*.

<sup>3</sup> V. Breve Pii VI ad Episcopum Brunensium, anno 1791, penes Bouix, ubi fuse.

535. Q. 3. An qui professionem emisit in religione, quæ a suo vigore remisit, possit cogi ad regulam primitivam?

R. cum Suarez: Alii dicunt obligari posse aliquem ex vi voti, ut servet primitivam regulam, etsi propter relaxationem ab aliis non servetur, et nondum facta sit reformatio. Alii tenent ante reformationem non posse aliquem cogi ad servandam regulam quoad illam partem, in qua illam relaxatam invenit: est commune; posse tamen ab ipsa religione ad primam formam restitui, et tunc obligari quemlibet religiosum etsi antea professum. Alii absolute negant posse religiosum obligari ad acceptandam reformationem, si relaxatio legitime præscripta est; nam nemo est obligandus ad observandum quod professus non est.

COROLLARIUM. — De monialium superiorissa et visitatore, de educationis, de congregationibus virorum, et mulierum votis solemnibus carentium.

536. a) Quoad abbatissam plura notanda ex Tridentino et S. Congregationibus ac communi Doctorum<sup>1</sup>: 1. in ejus electione quoad monasteria non exempta vel Sedi Apostolicæ reservata, præsidet episcopus vel ejus delegatus vota excipiens. Quoad exempta, præsidet prælatus regularis vota excipiens, sed eum episcopi assistentia; et facta electio confirmanda est, secus nequit abbatissam officium exercere; quæ insuper benedicenda est: quæ benedictio etiam simplici sacerdoti potest committi; — 2. debet eligi quæ minor non sit 40 annis et quæ 8 annis post professionem laudabiliter vixerit: in defectu potest eligi monialis habens 50 annos ætatis et 5 professionis, vel ex alio monasterio sumenda. Electio esse potest ad triennium; quo expleto ex S. C. dispensatione ad alterum triennium eadem monialis valet eligi, at non amplius; imo potest triennium omni prorsus auctoritate carere debet; — 3. non potest eligi infamis, vidua, cæca, surda, muta; ad ejus autem electionem sufficit major votorum pars. Concurrent ad eligendum tantum choristæ professæ; et si quæ monialis est in lecto infirma, etiam ejus votum accipi debet. Si discordia est, non potest prælatus dare suum suffragium, sed præfigat tempus ad novam electionem; quo elapso, ipse abbatissam deputabit.

Abbatissa tenetur omni modo observantiam curare, et omnibus præsto esse; non potest autem auctoritativo modo dispensare quoad observantias religionis, v. g. quoad jejunia frangenda, carnes edendas

<sup>1</sup> Sess. xxv, *De Reg.*, cap. vi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 59. — Bouix, pars III<sup>a</sup>.

contra regulam; sed bene potest ex commissione praelati, vel etiam declarare aliquando jejunium vel aliud præceptum non obligare. Circa vota autem monialium ratione potestatis dominativæ ob votum obedientiæ (ut valent parentes in filios) potest irritare earum vota particularia, etsi cum ejus consensu emissa. Sed vota novitiarum potest tantum suspendere, si professioni officiant; nisi novitiæ illa emiserint, cum erant sub potestate parentum: tunc superiorissa cum succedat in eadem potestatem, potest illa vota irritare<sup>1</sup>.

537. b) Episcopus singulis annis tenetur visitare monasteria monialium sibi subjecta per se, vel per vicarium cum suo speciali mandato. Monasteria autem Pontifici immediate subjecta etiam ab Episcopo sunt visitanda, sed apostolica auctoritate. Exempta vero visitantur a praelato Ordinis; attamen quoad clausuram adhuc ab Episcopo debent visitari, uti ab apostolica Sede delegato: hinc claustra intrat (cum ecclesiasticis tamen piis), januas, crates, rotulos, hortum, murorum septa, cellulas, lecta et alia ad clausuram spectantia perlustrans<sup>2</sup>. In visitatione tamen totali omnia perlustrat, et comprehendit quæ ad monasterii bonum sive spirituale sive temporale conducunt. Moniales tenentur visitatori interroganti veritatem aperire circa observantias regulæ, etsi transgressionibus sint leves, quia ordinarie ab istis incipit tota relaxatio. Excusant tamen a tali manifestatione, si crimen sit emendatum, vel omnino occultum, vel certo constet praelatum nullum remedium habiturum; si manifestatio vergat in damnum proprium; vel crimen sit cognitum sub secreto naturali, modo non sit causa communis damni.

538. c) Puellæ, educationis causa, admitti valent in monialium conventibus, modo eis destinetur locus separatus, ipsæ clausuram observent, et habeatur licentia S. C. Episcoporum (nisi agatur de illis monasteriis quæ ideo instituta sunt); item modo recipiantur de consensu superioris et monialium per secreta suffragia, et non sint supra numerum designatum, et 7 annum expleverint, et 25 non compleverint. Ex variis decretis dici potest, hujusmodi puellas, quandiu in monasterio, non esse subjectas parochio, nisi quoad matrimonium et sepulturam<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> V. Tamburini, *De jure Abbatissarum*. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Abbatissa.

<sup>2</sup> Ex Clement. *Attendentes* de statu monach. — V. Gavantus, *Tractatus de visitatione*. — Bouix, Pellizarius, *De Alexandris*, Ferraris, vº *Monialis*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 54 et 247.

<sup>3</sup> Bouix, part. IV, c. vi, addit: « Etiam in conventibus non exemptis et ubi moniales vota solemnia non habent nec Papali clausura subjacent, obtinet generaliter praxis ab Ordinariis firmata, ut viaticum et extrema unctio dictis puellis ministretur a capellano seu confessario conventus. Nec dubium id posse Episcopum; non secus ac in hospitalibus ipse constituere potest capellanum, qui sit quasi parochus. »

539. d) Quoad Congregationes virorum, quæ carent essentia status religiosi ob deficientiam votorum solemnium, si hæ sint ab Episcopo tantum adprobate, patet penes eundem remanere totam facultatem circa illas. Si vero habeant Pontificiam adprobationem, tum norma esse posset Constitutio Benedicti XIV, 21 jan. 1758, *Emanavit*, data pro Oratorianis; ubi decisum quod talis Congregatio est Episcopo subjecta in modo, in forma, excepto ejus instituto. At interiores œconomia non subduntur ei, neque electiones, admissiones, expulsiones presbyterorum<sup>1</sup>.

540. e) Jure canonico prohibetur novas inducere religiones sine Pontificis auctoritate, quæ quidem agendo de monialibus præscribit tum vota solemnia, tum clausuram<sup>2</sup>. Verum hodie consuetudine indutum est, ut novæ de sola Episcopi licentia erigantur, etiam cum votis simplicibus et sine clausura. Sedes Apostolica eas expresse et solemniter non approbat quidem; attamen et illas plurimi facit, et ipsis favet et etiam earum regulas aliquando confirmat (EE).

## DISPUTATIO SECUNDA

### DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE CIVILI

541. Homo in civili societate constitutus, vel aliquo munere publico insignitus est ad publicum bonum, vel vitam agit privatam. Ex duplici hæc conditio duplex obligationum species in societate civili: aliæ, quæ hominem ligant publico munere in ipsa donatum, et obligationes publicas nuncupamus; aliæ quæ ligant eum in vita privata, easque appellamus obligationes privatas.

Obligationes publicæ exhibent: 1. obligationes Principum et Subditorum; 2. obligationes personarum ad Forum spectantium, quæ publicam justitiæ administrationem habent; obligationes Medicorum, Chirurgorum et Pharmacopolarum, qui munia exercent publicum bonum proxime afficientia. — Item obligationes privatas in tres species dividimus, cum tres sint species privatarum societatum: est *paterna* quæ

<sup>1</sup> V. Bouix, pars Vª, appendices.

<sup>2</sup> Lateranense Concil., anno 1275; Extravag. S. Romana. — *Analecta juris Pontificii*, t. V: *Traité des congrégations séculières*, ubi plurima. — Bouix, *De jure Regularium*, part. II, c. II.

contra regulam; sed bene potest ex commissione praelati, vel etiam declarare aliquando jejunium vel aliud præceptum non obligare. Circa vota autem monialium ratione potestatis dominativæ ob votum obedientiæ (ut valent parentes in filios) potest irritare earum vota particularia, etsi cum ejus consensu emissa. Sed vota novitiarum potest tantum suspendere, si professioni officiant; nisi novitiæ illa emiserint, cum erant sub potestate parentum: tunc superiorissa cum succedat in eadem potestatem, potest illa vota irritare<sup>1</sup>.

537. b) Episcopus singulis annis tenetur visitare monasteria monialium sibi subjecta per se, vel per vicarium cum suo speciali mandato. Monasteria autem Pontifici immediate subjecta etiam ab Episcopo sunt visitanda, sed apostolica auctoritate. Exempta vero visitantur a praelato Ordinis; attamen quoad clausuram adhuc ab Episcopo debent visitari, uti ab apostolica Sede delegato: hinc claustra intrat (cum ecclesiasticis tamen piis), januas, crates, rotulos, hortum, murorum septa, cellulas, lecta et alia ad clausuram spectantia perlustrans<sup>2</sup>. In visitatione tamen totali omnia perlustrat, et comprehendit quæ ad monasterii bonum sive spirituale sive temporale conducunt. Moniales tenentur visitatori interroganti veritatem aperire circa observantias regulæ, etsi transgressiones sint leves, quia ordinarie ab istis incipit tota relaxatio. Excusant tamen a tali manifestatione, si crimen sit emendatum, vel omnino occultum, vel certo constet praelatum nullum remedium habiturum; si manifestatio vergat in damnum proprium; vel crimen sit cognitum sub secreto naturali, modo non sit causa communis damni.

538. c) Puellæ, educationis causa, admitti valent in monialium conventibus, modo eis destinetur locus separatus, ipsæ clausuram observent, et habeatur licentia S. C. Episcoporum (nisi agatur de illis monasteriis quæ ideo instituta sunt); item modo recipiantur de consensu superioris et monialium per secreta suffragia, et non sint supra numerum designatum, et 7 annum expleverint, et 25 non compleverint. Ex variis decretis dici potest, hujusmodi puellas, quandiu in monasterio, non esse subjectas parochio, nisi quoad matrimonium et sepulturam<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> V. Tamburini, *De jure Abbatissarum*. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Abbatissa.

<sup>2</sup> Ex Clement. *Attendentes* de statu monach. — V. Gavantus, *Tractatus de visitatione*. — Bouix, Pellizarius, *De Alexandris*, Ferraris, vº *Monialis*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 54 et 247.

<sup>3</sup> Bouix, part. IV, c. vi, addit: « Etiam in conventibus non exemptis et ubi moniales vota solemnia non habent nec Papali clausura subjacent, obtinet generaliter praxis ab Ordinariis firmata, ut viaticum et extrema unctio dictis puellis ministretur a capellano seu confessario conventus. Nec dubium id posse Episcopum; non secus ac in hospitalibus ipse constituere potest capellanum, qui sit quasi parochus. »

539. d) Quoad Congregationes virorum, quæ carent essentia status religiosi ob deficientiam votorum solemnium, si hæ sint ab Episcopo tantum adprobate, patet penes eundem remanere totam facultatem circa illas. Si vero habeant Pontificiam adprobationem, tum norma esse posset Constitutio Benedicti XIV, 21 jan. 1758, *Emanavit*, data pro Oratorianis; ubi decisum quod talis Congregatio est Episcopo subjecta in modo, in forma, excepto ejus instituto. At interiores œconomia non subduntur ei, neque electiones, admissiones, expulsiones presbyterorum<sup>1</sup>.

540. e) Jure canonico prohibetur novas inducere religiones sine Pontificis auctoritate, quæ quidem agendo de monialibus præscribit tum vota solemnia, tum clausuram<sup>2</sup>. Verum hodie consuetudine indutum est, ut novæ de sola Episcopi licentia erigantur, etiam cum votis simplicibus et sine clausura. Sedes Apostolica eas expresse et solemniter non approbat quidem; attamen et illas plurimi facit, et ipsis favet et etiam earum regulas aliquando confirmat (EE).

## DISPUTATIO SECUNDA DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE CIVILI

541. Homo in civili societate constitutus, vel aliquo munere publico insignitus est ad publicum bonum, vel vitam agit privatam. Ex duplici hæc conditio duplex obligationum species in societate civili: aliæ, quæ hominem ligant publico munere in ipsa donatum, et obligationes publicas nuncupamus; aliæ quæ ligant eum in vita privata, easque appellamus obligationes privatas.

Obligationes publicæ exhibent: 1. obligationes Principum et Subditorum; 2. obligationes personarum ad Forum spectantium, quæ publicam justitiæ administrationem habent; obligationes Medicorum, Chirurgorum et Pharmacopolarum, qui munia exercent publicum bonum proxime afficientia. — Item obligationes privatas in tres species dividimus, cum tres sint species privatarum societatum: est *paterna* quæ

<sup>1</sup> V. Bouix, pars Vª, appendices.

<sup>2</sup> Lateranense Concil., anno 1275; Extravag. S. Romana. — *Analecta juris Pontificii*, t. V: *Traité des congrégations séculières*, ubi plurima. — Bouix, *De jure Regularium*, part. II, c. II.

exhibet obligationes parentum ac filiorum; cum vero tutores ac magistri habeantur uti patres respectu minorum ac discipulorum, ideo istorum obligationes huc revocamus, *Conjugalis*, quæ exhibet obligationes mariti et uxoris. *Herilis*, quæ tandem exhibet obligationes dominorum ac famulorum.

## CAPUT PRIMUM

## DE OBLIGATIONIBUS PUBLICIS

## Art. I. — De obligationibus Principum et Subditorum.

542. Q. Quænam sunt Principis obligationes ac subditorum?

R. ad 1.: Obligationes Principis præcipuas hi versus habent:

*Felicem, tutam, moratam tibi perface gentem,  
Sponsæ adsis Christi, dignos arcesse ministros.*

1. Publicæ felicitati prospiciat mediis justis et opportunis; ideo enim summa rerum potitur. Ex hoc capite graviter peccaret, si rei publicæ imperitos præficeret; si subditos plus æquo gravaret, etc.

2. Subditos ab hostibus, et ab injustis vexatoribus omnimode tueatur; quia bonus Princeps esse debet veluti pater vigilantissimus respectu totius populi sui; ideo enim constitutus est Rex.

3. Bonum exemplum quoad mores ac Religionem subditis præbeat; experientia constat subditos ad imitandum Regem in iis præsertim, quæ favent cupiditatibus, maxime ferri. Ex quo vulgare illud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*<sup>1</sup>.

4. Quod omnium caput est, Catholicæ Ecclesiæ potenti pa-

<sup>1</sup> V. Ventura, *Il potere politico cristiano*, disc. vi: esempi de' grandi. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., vol. VIII, diss. iv. — Mondo, *Il principe perfetto*. — Liguori, *Mezzi per indurre i sudditi ad essere obbedienti a Dio*.

trocinio suo adsit, et omnia tam spiritualia, quam temporalia ejus jura tueatur: *Non enim sine causa* (Princeps) *gladium portat; Dei enim minister est*<sup>1</sup>. Hinc Tridentinum: *Sæculares principes Deus sanctæ fidei ecclesiæque protectores esse voluit*<sup>2</sup>. Neque, posthabita Religione, prosperabitur regnum; nam historia nos docet, *ex depressa sæpius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum contumacia in divinis et ecclesiasticis præceptis impune violandis, factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga civilem potestatem*<sup>3</sup>. Sane: qui Deo malus est, cui bonus? Ipse Tullius aiebat: *Omnia Religione moventur*<sup>4</sup>.

5. Tandem suos sibi ministros et consiliarios eligat, qui tum scientia, tum pietate præsent: *Consilium impiorum longe sit ab eo*<sup>5</sup>: *Quis enim*, ait D. Ambrosius, *in cæno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?... An eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat*<sup>6</sup>: Experientia teste, mala consilia et Reges et regna pervertunt (FF).

543. R. ad 2.: Obligationes subditorum sunt præcipuæ: — 1. ut Principibus eorumque repræsentantibus exhibeant tum honorem juxta illud: *Deum time, Regem honorate*<sup>7</sup>; tum obedientiam: nullum sane in Principibus esse potest jus imperandi, quin etiam sit in subditis obligatio obediendi; — 2. ut fidelitatem erga eosdem servent; si enim Principes tenentur subditos tueri, æquitas exigit, ut subditi fideles se eisdem exhibeant; — 3. ut justa tributa persolvant: quia hæc Regibus necessaria sunt, ut valeant Magistratus instituere, milites alere et alia præstare ad publicam utilitatem<sup>8</sup>. Hinc versus:

*Regibus obsequere, esto fidelis, solve tributa.*

<sup>1</sup> Rom. xiii. — <sup>2</sup> Sess. xxv, c. xx.

<sup>3</sup> Pius IX, *Encyclica* 1849. — V. Caput vi *Sapientia*.

<sup>4</sup> In Verr. — V. Balmes, *le Protestantisme comparé au Catholicisme*, c. lxxviii. — <sup>5</sup> Job. xxi. Et Prov. xi: *Salus autem, ubi multa consilia*.

<sup>6</sup> *De Offe.*, l. ii. — <sup>7</sup> I Petr. ii.

<sup>8</sup> V. Liguori, *Opuscul. La fedeltà de' vassalli verso Dio li rende fedeli*.

**Art. II. — De personis ad Forum spectantibus.**

**§ I. — De obligationibus Accusatoris et Rei, Judicis et Testis.**

**544. Q. 1. Quisnam accusare in judicio tenetur?**

R. Accusator dicitur qui crimen superiori uti judici defert, ut reus puniatur, cum obligatione probandi delictum. Accusatio differt tum a denuntiatione *juridica*, quæ est delatio vel etiam verbalis tantum facta superiori uti judici, et absque obligatione delictum probandi; quam a delatione *evangelica* sive paterna, quæ fit superiori uti patri, nempe ad rei emendationem simpliciter. E contrario, accusatio non nisi in scriptis fieri potest et cum onere allegatum probandi, et eandem pœnam subeundi, ad quam damnatus fuisset accusatus, si forsitan reus non esset inventus. Hoc tamen abiit in desuetudinem, unde hodie denuntiatione *juridica* et accusatio promiscue sumitur, ac definitur *delatio criminis apud superiorem tanquam judicem*, quocumque tandem modo fiat.

Hoc posito, dicimus, tenentur accusare vel denunciare delinquentem: 1. fiscales, custodes agrorum et alii qui a Republica, vel a dominis ideo stipendium accipiunt, ideo ex justitia; qui porro si negligant, tenentur compensare damna ex eorum negligentia Republicæ vel dominis obvenientia; 2. quilibet privatus, quando agitur de communi et gravi damno vitando, et crimen potest dignosci; unusquisque enim uti pars communitatis tenetur ex charitate illius bonum pro viribus tueri, etiam cum suo damno.

Diximus: 1. quando agitur de communi et gravi damno, ut est hæresis, conspiratio contra regni tranquillitatem, monetarum falsificatio, latrocinium per publicas vias, confessorii sollicitatio, etc. Ceterum hæc obligatio per se urget, etiamsi agatur de averiendo damnum grave ab aliquo innocente juxta illud: *Libera eum qui injuria patitur de manu superbi*<sup>1</sup>. In praxi tamen accusare raro tenemur, si res sit

*anche al loro Principe.* — Gualco, *L'Autorita sovrana*. Genova, 1840. — De Tributis erit Tract. De restitutione.

<sup>1</sup> Eccles. iv. — V. Ferraris, *Biblioth.*, v<sup>is</sup> Accusare, Accusator, Accusatus.

de damno privato; tum quia accusatio sine gravi incommodo esse non potest; tum quia alioquin tribunalia essent plena accusatoribus cum Reipublicæ perturbatione. Diximus 2. quando *et crimen potest dignosci*: esto quod si crimen probari certo nequeat, non fiat locus accusationi propriæ dictæ; at tunc potest fieri denuntiatione, ut ita superior monitus invigilet; melius enim est impedire, ne damnum inferatur, quam jam lato providere, hodie maxime, cum satis sit simpliciter denunciare.

**545. An (quæres) sit præmittenda fraterna monitio judiciali denuntiationi?** Si delictum est publicum, quia de eo adest infamia vel notorietas, tunc nulla præmittenda correctio; quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit; sed etiam aliis in quorum notitiam (crimen) devenit<sup>1</sup>. Si crimen non est publicum, etsi paucis notum, correctio est ex charitate præmittenda, casu quo speretur fructus; tunc enim et famæ proximi et bono publico satis providetur. Advertunt tamen quod si nihilominus quis illum accusat, non ideo peccat contra justitiam, quia semper prodest ad commune bonum crimina puniri (GG).

**546. An (quæres) licite possit Clericus accusare coram Judice laico malefactores?** — Cum Dei ministros non oporteat litigare, ideo generatim a jure Canonico prohibentur Clerici ac Religiosi accusare<sup>2</sup>. Excipiunt tamen si accusent reum ad hoc, ut proprium damnum præcaveant, vel ut sibi resarciatur; tunc potest Clericus ac Religiosus malefactorem accusare etiam coram Judice laico. Hinc Bonifacius VIII: *Si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi (quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non audeant, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere deprædandi*. Quod licet non solum in causa propria, sed etiam propriæ Ecclesiæ, vel cognatorum ad quartum gradum, vel etiam domesticorum<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> D. Thomas, 2, 2, q. 53, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 237, etc. De denuntiatione evangelica erit ubi de correctione fraterna.

<sup>2</sup> Can. Sicut, causæ 2, q. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 468.

<sup>3</sup> C. Prælati in hom., in 6. Non incurritur irregularitas, si protestatio fiat post accusationem, tamen ante sententiam; item valet si ficte sit posita; nam lex non respicit animum interius sed factum externum. Ita Concina, Filliucius, Suarez, etc.

Debet tamen Clericus et Religiosus ad vitandum irregularitatis periculum præmittere coram Judice protestationem, se non agere ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis; bene vero ad solum sui, vel suorum defensionem et justitiæ triumphum. Quæ protestatio si omittitur, etsi per oblivionem inculpabilem, adhuc irregularitas incurritur; quia oblitio excusat a culpa, non ab hac irregularitate, quæ inducta est lenitatis causa.

547. Q. 2. *An reus Judici interroganti teneatur crimen confiteri?*

R. Reus in civilibus a re, quæ petitur; in criminalibus, qui crimen admisit, appellatur. Porro reus judici legitime et juridice interroganti tenetur utique sub mortali respondere veritatem candide aperiendo et etiam socios sui criminis revelando. Judex enim habet jus veritatem hanc a reo petendi: ergo repugnat esse simul in reo jus eam negandi. Hinc Benedictus XIV Const. *Paterna charitas* anno 1749 docet negandam esse absolutionem reis reuuentibus; cum multum ac semper pertineat ad commune bonum, ut rei dignoscantur ac puniantur: et maxime si pœna, quæ timetur, sit ecclesiastica; quia hæc est medicinalis. Quod quidem probabilius locum habet, etsi reus fatendo veritatem periculum mortis incurrat; est enim de ordine publico, ut veritas aperiatur superioribus qui interrogant secundum ordinem juris<sup>1</sup>.

Diximus 1. *judici legitime et juridice interroganti*; secus ex D. Thoma, *non tenetur ei accusatus respondere; sed potest vel appellatione, vel aliter licite subterfugere; mendacium tamen dicere non licet*<sup>2</sup>. Judex enim non habet auctoritatem, nisi quando et legitime et juridice interrogat. Sic non inter-

<sup>1</sup> Attamen satis probabiliter non pauci negant teneri reum sub mortali suum crimen revelare casu quo damnandus foret ad mortem, aut ad triremes, ad carcerem perpetuum vel ad amissionem omnium honorum vel totius famæ et honoris; si aliunde sit spes evadendi et nullum grave damnum rei publicæ timeatur: quia inhumanum videtur, ut quis teneatur quasi ipsemet se condemnare ad pœnam gravissimam, cum nullum damnum communitati ex sua reticentia. Quidquid sit, omnes tamen conveniunt, uti par est, quod si reus sit in bona fide, et difficile inducatur ad crimen fatendum, Confessarius eum relinquere debet in sua bona fide ad vitandum formale peccatum. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 274.

<sup>2</sup> 2, q. 69, a. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 197. — Ferraris, *Biblioth.*, v. Reus.

rogaret legitime, si pro eo casu non sit a principe deputatus; non interrogaret juridice, si aliqua semiplena probatio non præcesserit, neque extet infamia, aut aliud manifestum criminis indicium, quod loco sit accusationis virtualis. Imo si agatur de re gravi, et rationabiliter reus dubitet, an interrogetur legitime ac juridice, non tenetur respondere, ut absolute docent Layman, Lessius, Lugo, Navarrus, Salamancaenses, Sanchez abique; quia ipse possidet vitam et famam suam: ac proinde jus habet utramque sibi conservandi, donec sibi constet de legitima interrogatione.

Diximus 2. *etiam revelando socios sui criminis*, nempe si bonum commune revelationem expostulat; quia bonum commune semper est præferendum bono privato. Item est de bono gravi alicujus innocentis; quia in pari causa ejus conditio melior est. Si vero neque bonum commune, neque bonum grave innocentis id postulet, tunc si socii sunt omnino occulti, ita ut nullis nec indiciis nec testimoniis cognosci et convinci possint, reus non tenetur eos revelare; quia in hoc casu adhuc ipsi retinent jus ad propriam famam.

548. *An (quæres) reus, qui vere deliquit, possit a carcere fugere?*

R. Si carcer reo jam est per sententiam adsignatus ad pœnam, nefas videtur fugam arripere, quia in executione sententiæ reus tenetur obedire, cum sit legitimum superioris præceptum. Quidam excipiunt, si ipse in carcere privetur necessariis ad sustentationem; vel si carcer sit nimis tristis et durus, ut si damnatio sit ad triremes; vel carcer sit saluti corporis nimis noxius, aut animæ periculosus; quia tunc videtur supra vires aliquem obligari ad se minime liberandum, cum id possit sine vi. — Si vero carcer non sit reo per sententiam adsignatus tanquam pœna; sed ibi tantum delineatur, ad custodiam, ut pœnam suo tempore subeat, tunc ipse poterit fugam arripere, modo id fiat sine corruptione ministrorum, sine damno alicujus, uno verbo sine mediis per se malis; ratio est, quia eo in casu non facit contra judicis sententiam, ut communiter docent cum D. Thoma<sup>1</sup> (HH).

<sup>1</sup> 2, q. 69, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 280. Quomodo au-

549. Q. 3. *Quid requiritur in Judice, ut recte munere suo fungatur?*

R. Judex est persona publica legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret, atque in delinquentes pœnas decernat. Sic dicitur vel quia jus dicit, vel quia partium jura disceptat juxta legum præscripta. In eo requiritur:

1. *Scientia sufficiens* earum rerum, quæ ad proprium officium pertinent, et sine quarum cognitione munus suum exercere recte non valet, uti est notitia juris communis et patrii, ac consuetudinem locorum: *Erudimini*, inquit R. Psaltes<sup>1</sup>, *qui judicatis terram*. Ignarus judex non potest absolvi nisi illico discat, aut officium paratus sit dimittere. Imo si magna imperitia aut dolo aut negligentia in causa discutienda injustam tulit sententiam, tenetur de damnis, utpote reus violatæ justitiæ non tantum legalis, sed etiam commutativæ, ex quasi-contractu cum privatis tacite in ratione sui officii.

2. *Animi fortitudo*, ita ut nec odio nec amori nec promissionibus nec precibus nec minis cedat, sed solum conscientiæ suæ dictamen sequatur, clamante Ecclesiastico: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua*<sup>2</sup>. Ad quod quidem periculum avertendum omni jure prohibetur judex munera accipere<sup>3</sup>: sed excipiunt levia munuscula, maxime accedente consuetudine; cum enim ea ex sola urbanitate offerantur, quasi inurbane refutarentur, quod non videtur reprobare a jure canonico. Attamen pro praxi semper consultius erit, ut judex nihil accipiat; tum quia partes non omnino sponte tribuunt, tum quia *dona excæcant oculos judicum; et qui odit munera vivet*, dicente Scriptura.

3. *Prudentia sagax* in rebus difficillimis ac dubiis rite resolvendis, neque enim pro omnibus controversiis una regula sufficit: ita v. g. si omnibus perpensis, æqualis appa-

tem dirigendus reus a confessario, vide *De Pœnitentia* in adnotationibus.

<sup>1</sup> Ps. II. — <sup>2</sup> Eccl. VII.

<sup>3</sup> In Sexto, § *Insuper*.

reat probabilitas tam pro una, quam pro contraria parte, non eodem modo judex jus dicere debet; sed si causa est eriminalis, debet semper judicare pro reo juxta regulam: *Nemo præsumitur malus, nisi probetur; in dubio semper reo favendum est*. Si vero causa est civilis, tunc si una pars bona fide jam possideat rem controversam, huic favendum est, quia *in dubio melior est conditio possidentis*; si neutra pars rem possidet, res erit ex æquo dividenda, præcluso omni judicis arbitrio; quia ipse non est rerum dominus, sed solum distributor juxta partium jura: quæ quidem æqualia sunt ex hypothesi.

4. *Vigilans sollicitudo* in causis expediendis: hoc enim et æquitati convenit et rigori<sup>1</sup>. Quare peccat mortaliter sententiam differendo sine justa causa per multum temporis spatium; et tenetur compensare damna, quorum per injustam illam dilationem est auctor. Item si judex aliquid accipiat pro expedienda causa unius præ causa alterius, verius tenetur ad restitutionem, cum hoc non sit pretio æstimabile; etenim ex justitia, id est vi officii sui tenetur æqualiter causas expedire. Excipe extraordinarium laborem præstitum, ad quem nempe nullimode ex munere suo teneretur.

5. *Sententiæ prolatio*, et quidem juxta legis præscripta; judex enim non est dominus, sed executor legis, qui tenetur jus dicere ad normam ipsius juris. Quod etiam habetur in Codice civili et pœnali<sup>2</sup>.

Omnes judicis obligationes sequens exhibet versus:

*Jura sciens, fortis, prudens, vigil, offerat æquum.*

550. *An (quæres) sententia judicis injusta obliget?* — Sententia injusta ex natura rei aut ex omissione ordinis juris necessarii, sive feratur per falsa allegata et probata, sive ex judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiæ manetque parti læsæ (tametsi non appellet) jus suum, licetque si absque scandalo possit, recuperare bona. Ratio quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet

<sup>1</sup> Can. II, *De Sent. et Re jud.*

<sup>2</sup> *Cod. civ.*, art. 14, C. A. 6, C. S. 5, C. G. 4, C. M. 8. — *Cod. pœn.*, art. 4, C. S. 4.

rationem iudicii, hoc est ut est determinatio juris et definitio iusti.

Diximus *in foro conscientiae*; quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio iudicialis spectatur, sententia prolata servanda est ad evitanda scandala et incommoda. Neque elapso termino intra quem appellare licebat, actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum ut nempe litium sit finis. Ita communiter<sup>1</sup>.

**551. An (inquires) Iudex possit condemnare reum quem privata scientia scilicet talem revera esse, sed iudicialiter probetur innocens?**

R. Non potest Iudex eum damnare, qui iudicialiter probatur innocens, etsi privata scientia eum reum esse cognoverit; quia Iudex personam publicam agit, et ideo sequi debet scientiam publicam et procedere juxta publice allegata et probata, praesertim in favorabilibus. Ita S. Thomas cum communi Doctorum<sup>2</sup>.

*Quid (dices) si Iudex privata scientia certo sciat, reum esse innocentem, qui tamen iudicialiter probatur nocens?* — Si agitur de causa criminali et poena corporali, res non est ita certa. Alii dicunt cum D. Thoma, Alasia, Cajetano, Paludano, Sanchez, Soto et aliis, posse, imo debere a Iudice reum illum condemnari, casu quo nulla supersit via eum liberandi, v. g., impediendo accusationem, suspendendo iudicium, remittendo causam ad superiorem, etc. Nam iudicii norma non pendet a privata Iudicis scientia. Sed alii valde probabiliter id negant cum D. Bonaventura, Lessio, Navarro, Pontas, Stuardi, et fuse probat Holzman; ratio quia directe occidere innocentem est per se et intrinsece malum: unde contendunt eo in casu saltem esse desistendum a iudicio.

Si vero agatur de causa civili et poena pecuniaria, tunc Iudex procul dubio iudicare debet secundum allegata et probata, postquam alias vias tentaverit ad innocentiam detegendam. Ratio discriminis est, quod Respublica non habet dominium directum vitae et corporis subditorum, ideoque non potest directe occidere innocentem; habet tamen supremum dominium bonorum, ideoque potest subditos suos iisdem privare, quando bonum publicum id requirat ad pacem et tranquillitatem.

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 215. — Ferraris, *Biblioth.*, v<sup>o</sup> Iudex, Iudicium, Sententia.

<sup>2</sup> 2, 2, q. 67, a. 2. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, nn. 67 et seqq.

tatem regni, et ne forma publicorum iudiciorum cum scandalo subvertatur (II).

**552. An juratus (le juré) dare possit votum contra accusatum, iudicialiter quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?** — Negat Gury: quia hoc videtur contra mentem legis; iurati enim pronuntiare debent tantum circa factum, ac juxta intimam convictionem, quam de ejus existentia habent: nec tenentur legalem reddere sententiae rationem; ergo votum dare debent juxta quod in conscientia habent, non aliud inquirentes<sup>1</sup>.

**553. Q. 4. Quid de Testibus dicendum occurrit?**

R. Testes in genere sunt personae idoneae, quae ad fidem alicujus rei adstruendam adhibentur: praecipui alii sunt *testamentarii* qui in testamento, alii *instrumentarii* qui in instrumento, alii *iudiciales* qui in iudicio adhibentur. Necessario juramentum praerequiritur in depositione testium, adeo ut, in tertio praedictum, nulla fides adhibeatur testi, qui non sit iuramentum religionem coactatus. — Testes dicuntur *concordantes*, si concorditer deponant super eodem facto; dicuntur autem *singulares*, si ipsi in testimonio non concordent.

Ad testandum neque omnes, neque in omnibus rebus, neque eodem semper numero ordinarie assumuntur homines. *Non omnes*: sic excluduntur ex Codice poenali infames: et qui in materia civili falsum iuramentum deposuerunt. *Non in omnibus rebus*: sic v. g. regulariter in civilibus non admittuntur testes circa conventionem de re excedente libellarum 500 valorem<sup>2</sup>. *Non eodem semper numero*; nam aliquando unus testis sufficit, uti si agatur vel de impediendo matrimonio illegitimo<sup>3</sup>; vel de levioribus infligendis poenis, uti cum mulctatur fur sylvarum; vel de perito in sua arte: id enim expedit bono publico. Aliquando autem plures testes requiruntur, ut contingit in testamentis. Verum ordinarie duo testes sufficiunt in omni causa; nam ex Angelico ad humanas

<sup>1</sup> Iurati sunt (vel esse debent) probi viri qui ex quocumque coetu assumuntur ad pronuntiaandum, num in tali scripto, imagine, vel incisione aliquid continetur contra mores, vel personas; iuramentum emittunt de voto dando conscientiose.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 255 et seq.

<sup>3</sup> *Cod. civ. Albert.*, art. 1454. — C. S. 1295. — C. G. 1541.

<sup>4</sup> C. *Præterea* 2 de spons.



actiones probandas sufficit certitudo moralis. Hinc illud: *Duorum hominum testimonium verum est*<sup>1</sup>.

554. Tenetur quilibet testari: — 1. ex charitate, cum nempe id necessarium est ad avertendum grave vel proximi vel Reipublicæ damnum; — 2. ex præcepto, cum iudex legitime et juridice interrogat; præceptum enim justum obligat in conscientia. Porro iudex censetur legitime interrogare, si de ea re interroget quæ esse possit materia ejus iudicii. Unde ex hoc capite non teneris respondere, si te interroget de auditis in Confessione: aut si deberes testificari in tui vel tuorum damnum; nam præceptum humanum regulariter non obligat cum tanto incommodo. Censetur interrogare *juridice*, cum adest semiplena probatio, v. g. vel unus adest testis de visu aut de auditu proprio, vel adest notorietas aut infamia criminis aut manifestum indicium, vel si accusator se offerat ad delictum pluribus testimoniis probandum<sup>2</sup>.

555. Quæres: *An etiam Ecclesiasticus possit citari ut testis coram Judice laico?* — Habita licentia a proprio superiore (ut salventur, si qui vigent Canones<sup>3</sup>) utique Clericus potest citari ut testis coram iudice laico; ne scilicet in defectu peccet justitia. Hinc testimonium ferre munus publicum habetur. Juramentum autem de veritate dicenda emittet Ecclesiasticus non tactis Scripturis more laicorum, sed tacto sibi pectore more Sacerdotali. Si tamen Clericus citetur uti testis in causa criminali (ad vitandum irregularitatis periculum) præmittat protestationem præscriptam a Bonifacio VIII, nempe id non agere ad vindictam nec ad pœnam sanguinis;

<sup>1</sup> Joann. viii. — Canonico jure, tit. XX, lib. II. Decret. plures excluduntur a testimonio ferendo, ut furiosi, impuberes, cæci, pecunia corrupti, infames, criminosi, perjuri, excommunicati, viles, parentes, conjuges in invicem, famuli, femina, socius criminis, etc., quæ tamen omnia habent suam exceptionem. Quoad jus civile *vid.* exclusiones in Codice proceduræ tum civilis tum criminalis. — V. Bouix, *De Judiciis*.

<sup>2</sup> Hæc omnia æquivalent semiplenæ probationi, qua interveniente, delictum non amplius dicitur secretum; ac proinde Iudex habet jus, ut testis veritatem candide aperiat ad bonum publicum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 265.

<sup>3</sup> Ex cap. *Nullus* xxii, can. xxii, q. 44. — V. Ferraris, v° *Testis.*, art. 1, et v° *Juramentum*, art. 2, n. 44.

sed vel ad defensionem sui aut suorum, vel ad veritatis manifestationem ac justitiæ publicæ utilitatem.

556. Q. 5. *Quibus in casibus testis peccat in iudicio?*

R. Peccat in iudicio testis: 1. si affirmet quod ignorat; nam esset mendacium perniciosum: vel si veritatem aperiat quam celare deberet; hæc enim imprudentia vergit in damnum alterius; 2. si pretium pro dicenda veritate acceptet; cum eam gratis dicere omni jure teneatur. Quod si testis cum damno alterius falsum deposuit, si id fecit ex ignorantia invincibili, ex inadvertentia, aut ex oblivione inculpabili tenetur quod dixit retractare, ac damnum eo quo potest modo impedire, non vero illatum reparare, nec grave detrimentum subire ad tollendam causam inculpabiliter positam; cum nulla ratione peccaverit, neque aliquid sit consecutus. Si vero id fecit scienter, tenetur testis non solum reparare omnia damna, quæ jam evenerunt; sed etiam damnosum testimonium ex justitia revocare cum pari suo damno: ergo etiam cum periculo vitæ, si accusatus vi testimonii falsi ad mortem fuerit condemnatus. Ratio, quia in pari causa melior est conditio innocentis<sup>1</sup>.

557. Q. 6. *An teneatur ad restitutionem testis, qui Judici legitime interroganti veritatem celavit dicens, se nihil scire?*

R. Affirmant Salmanticenses, Sanchez, Sotus, aliique teneri ad restituendum cui venit damnum, testem qui in iudicio veritatem celavit; quia ex justitia ob bonum publicum tenebatur veritatem fateri. Sed Lugo, Molina, Raynaudus cum aliis id negant, quod merito Lessius putat probabile; quia revera testis non tenetur veritatem deponere, nisi *vel* ex præcepto iudicis, *vel* vi præstiti juramenti. Tacendo itaque veritatem non peccavit contra justitiam<sup>2</sup>; sed tantummodo contra

<sup>1</sup> Non semper tamen, finito iudicio et causa, creditur testi se retractanti; ideo executendus casus, ne inutiliter cogatur ad revocationem testimonii; semper tamen de damnis tenetur.

<sup>2</sup> Intellige commutativam; utique enim peccaret contra legalem; quia quilibet civis utpote pars societatis tenetur quantum in se est publico bono prospicere: facit autem ad publicum bonum, ut impii puniantur. Imo vel contra ipsam commutativam justitiam peccaret, qui veritatem non deponeret, casu quo fuerit vocatus ad testificandum de contractu cujus fuit

obedientiam, vel etiam contra religionem. Quod valere dicunt probabilius, etsi testis juraverit se dicturum veritatem; nam jurando non intendit se ligare, nisi religionis vinculo<sup>1</sup>. Imo hoc idem verius, ac communissime adhuc obtinere aiunt de eo, qui sine causa se occultat ante citationem. Imo communius et probabilius etiam post citationem; nam ante sola charitas, post etiam obedientia, in neutro tamen casu obligat commutativa justitia.

558. *Quid (dices) de illo, qui scripturam, chirographum aut epocham supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus suum certum prosequendum?* — R. 1. Nullatenus iste peccat contra justitiam commutativam, et proinde ad nullam restitutionem tenetur; cum ejus jus sit certum; 2. peccat saltem venialiter in omni casu, ratione mendacii: quia utcumque res se habeat, chirographum quod exhibetur, diversum ab illo est, quod in judicio fidem facere debet; 3. potest aliquando peccare graviter contra charitatem erga se ipsum, se exponendo proximo periculo gravissimarum poenarum, si falsitas detegatur, quod facile evenire potest. Et multo magis peccaret, si ad hoc suum jus probandum falsos testes induceret, vel testes de visu cum sint tantum de auditu; esto quod non laedatur justitia strictae sumpta cum jus certum sit; laeditur tamen ordo judiciorum, laeditur veritas ac religio, et cooperaret ad juratam aliorum falsam depositionem, et ideo non tantum testes sic jurantes, sed ipse quoque incidere in reservationem, utpote *inductor falsi testis jurati in judicium* (ex casu XI Synod. Novariensis).

§ II. — De Advocatis, Procuratoribus, Referentibus, Secretariis et Notariis.

559. Q. 1. *Quænam sunt Advocati obligationes?*

R. Advocatus vel causidicus ille est, qui suum litigantibus

testis: tunc ipse assumendo testis officium, sese implicite obligavit ad testificandum, quando ipsius testificatione contrahentes indigerent.

<sup>1</sup> Dispar est conditio judicis a teste; iudex enim ex quasi-contractu cum Republica debet ratione officii sui et ex justitia justam sententiam ferre, et ideo si negligat, tenetur ad restitutionem. Testis vero non ex justitia commutativa, sed tantum ex obedientia et Religione tenetur ad illud officium, vel ex justitia legali. Neque suo mendacio aliquod positivum impedimentum posuit, sed simpliciter impedimentum non removet: unde damni non est positiva causa, sed negativa tantum.

præbet auxilium vel consilio, vel voce, vel scripto. Advocatus oportet ut:

*Sit sapiens, justus, vigilans, pretio moderatus.*

Id est in advocatis, ex justitia tum legali erga societatem, tum commutativa erga litigantes, requiritur:

1. *Scientia sufficiens*, ne se periculo exponant graviter nocendi; ideo advocatus antequam patrocinium suscipiat, tenetur accurate perpendere causæ æquitatem, et probabilitatem. *Æquitatem*; iniquum enim esset tueri injustitiam: *probabilitatem*, ne temere clientem ignarum periculo litis amittendæ exponat; et teneretur ad restitutionem, si cum falsa promissione vel inani victoriæ spe sumptibus clientem involvit. Quod etiam dicendum, si litis amittendæ periculum ei indicare neglexerit, quo cognito, cliens non litigaret; deficeret enim in eo, ob quod stipendium accipit.

2. *Justitia causæ*, nam iniquum est injustitiam tueri; ideo statim ac advocatus cognoscit injustitiam suæ causæ, debet clientem admonere et eum deserere, ne illius injustitiæ cooperetur: quo in casu neque potest compositionem suadere; cum ea non habeat locum, nisi in re dubia<sup>1</sup>. At si nihilominus causam injustam egerit, tenetur compensare damna omnia, quæ inde utrique parti obveniunt: parti quidem contrariæ restituere tenetur ex peccato commissionis; quia illi fuit causa positiva damni: suo autem clienti, si erat in bona fide, ex peccato omissionis; quia ex officio eum monere tenebatur de causæ injustitia. Si tamen cliens sit in mala fide, tunc hic tenetur primum restituere uti mandans; et si non restituat, tenebitur advocatus secundo loco, uti executor. — Item debet veritatem in omnibus sequi; nam mendacium semper peccatum est. Quare peccat si producat scripturas falsas, vel testes corruptos: item si falsas proferat leges, vel usu jam

<sup>1</sup> Posset tamen compositionem suadere adversario, si Advocatus prævideat quod suis cliens ipsum erit vexaturus; esset enim ei suadere redemptionem ab injusta vexatione. Non tamen posset adversario injustitiam causæ sui clientis aperire, ut docet Angelicus 2, 2, q. 71, a. 2, nisi forte adversarius capite plectendus esset, et cliens contra ipsum injuste procederet.

abrogatas, vel eas in falsos sensus detorqueat. S. Thomas tamen docet non peccare advocatum, si adversario in causa manifeste justa aliquid prudenter occultet (modo nulla utatur falsitate, allegando v. g. falsa, vel mendacium proferendo); quia esset sinere, ut ipse se decipiat<sup>1</sup>.

3. *Vigilantia* ac diligentia; ideo enim conducti sunt, ut utiliter negotium susceptum gerant. Debet autem advocatus illam adhibere curam, quam in simili negotio adhiberent viri prudentes ejusdem conditionis absque ulla personarum distinctione. Hinc si differat causæ expeditionem cum clientis sui præjudicio, vel plures acceptet quam possit expedire, peccat et tenetur ad restitutionem. Tenetur quoque rationes et fundamenta clientis, quem juste defendit, et secreta causæ adversario caute celare. Quod si ea patefecerit, et ideo cliens causam suam amiserit alias eam victurus, tunc ipse teneretur ad restitutionem; quia contra officium fecisset.

4. *Pretium justum*, nam excessus in omni re malum est. Unde si a lege sit taxatum, illud tenendum: sin autem, prudentum iudicio et proborum consuetudini erit accommodandum. Qua in re hoc etiam observamus, quod ipse advocatus aliquando teneatur gratis patrocinari, nempe in extrema cum gravi suo incommodo, in gravi vero necessitate proximi cum aliquo suo incommodo: ratio est lex charitatis. Hinc illud: *Qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*<sup>2</sup>.

560. *Sed (quæres) an Advocatus in causa dubia possit tam actoris, quam rei partes suscipere?* — Si causa est civilis, potest utique tam actoris quam rei partes suscipere; uterque enim habet jus rationes suas in iudicio proferendi: occur ergo facultatem non habebit advocatus eosdem patrocinandi? Si vero causa est criminalis, non licet ei partem tueri actoris contra reum; in dubio enim iudex non potest discernere pœnam adversus reum; ergo neque advocatus eandem prosequi: alioquin ad iniquam sententiam impelleret. — Est autem com-

<sup>1</sup> 2, 2, q. 71, a. 3. Hic autem notandum, quod non ideo tenetur Advocatus restituere, quia fraudulenter egit; potest enim nihilominus causa sua esse justa. Quo in casu peccaret quidem fraudulenter agendo, ac injuriam irrogaret reipublicæ pervertendo ordinem iudicii, sed nihil deberet alteri parti, cum de facto pars contraria non fuisset injuste læsa. — *V. Ferraris, Biblioth., etc., vº Advocatus.*

<sup>2</sup> Prov. xxiv.

munius cum Lorca, Lugo et Sanchez, quibus et nos adhaeremus, posse advocatum causam etiam minus probabilem defendere; tum quia hæc opinio potest in decursu disquisitionis iudiciariæ evadere probabilior, uti sæpe contingit; tum quia multoties opinio, quæ advocato apparet minus probabilis, potest iudici probabilior apparere. Tenetur tamen admonere clientem de minori suæ causæ probabilitate, si adhuc velit litem prosequi.

Sed notandum, quod hæc doctrina currit tantum, si probabilitas sit juris; nam in dubio facti, jam erit eo ipso certum jus rei, et per consequens non poterit contra illum advocatus præstare suum patrocinium<sup>1</sup>. Ceterum in causa criminali reum potest defendere, etsi ejus crimen certo cognoscat; sicut enim reus pœnam quam meruit, tuta potest conscientia a se declinare, donec convincatur; ita licet advocato querere media, ne convincatur, modo neque mendacio neque aliis fraudibus utatur.

#### 561. Q. 2. *Quænam sunt obligationes Procuratorum?*

R. Procurator ille est, qui litigantis mandato et nomine causam in iudicio prosequitur. In ipso (sicuti in advocatis) requiritur *scientia, justitia, fidelitas, diligentia et justum pretium*. Hinc maxime peccare dicendus est Procurator: 1. si litem suscipiat injustam; vel plures causas procuret quam possit opportune expedire; vel si plus mercedis accipiat; 2. si reo vel actori suadeat, ut veritatem neget, aut si incuria sua causa perdat; 3. si tribunali vel foro sine legitimo impedimento non intersit, cum debet; vel litigantes inducat ad compositionem injustam, aut differat causam, vel iudicem pervertat, vel terminos petat superfluos; 4. si falsos testes adhibeat, etc. In his enim omnibus deficit in officio proprio; ideo tenetur de damnis. Hinc versus:

*Injustus, mendax, deses, fraudator agendo.*

#### 562. Q. 3. *Quænam sunt obligationes Referentium in iudicio, Secretariorum, ac Notarii?*

<sup>1</sup> Duplex potest esse dubium in causa: facti et juris. Dubium facti est, si dubitetur, v. g. an homo fuisset sui compos, cum testamentum confecit; an Titius commiserit tale delictum, etc., et pro hujusmodi dubiis sunt plures juris naturalis et positivi regulæ observandæ, v. g. in dubio favendum est reo potius quam actori. Dubium juris est, quando dubitatur quid præcipiat jus in tali casu; an lex extendatur necne ad casum ipsum, etc. — *V. Liguori, Op. Mor., l. IV, n. 222 et seq.*

R. Ad 1: Referentes (vel Ponentes) sunt, quibus litis examen committitur, ut illam iudiciis referant definiendam. Debent autem primo recte scire quæ ad munus proprium pertinent: deinde necessariam adhibere diligentiam, ut iisdem faciant satis; alioquin ipsis merito imputabuntur obventura damna. Ponentes in his maxime deficiunt: 1. si ex ignorantia male referant, aut quidquam ad causæ substantiam in relatione prætermittant; 2. si nitantur magis unius, quam alterius partis rationes explicare; vel si sententiam alterutri manifestent, antequam legitime edita sit, si inde oriantur damna.

563. R. Ad 2: Secretarius dicitur qui legitima auctoritate est deputatus, ut scripto referat testimonia, iudicum sententias et cetera quæ in tribunalibus peraguntur; unde patet quantæ prudentiæ sit Secretarii munus: est enim ipse quasi dextera Iudicis. Porro præter scientiam muneri necessariam, tenetur Secretarius: 1. inviolatum (ut ipsum nomen indicat) secretum servare, qua de causa iuramentum emittit; 2. sine Iudicis præcepto nec processum litis nec aliud quidquam, quod ad eundem pertineat, partibus aperire; 3. testium depositiones fideliter transcribere: et graviter peccaret, si quid in iis ex se auget, detraheret vel immutaret in re gravi ad causæ substantiam pertinenti<sup>1</sup>.

564. R. Ad 3: Notarius dicitur qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta vel instrumenta, quæ sive in iudicio, sive extra fidem faciunt. Notarii munus gravissimum est; cum ei publica fides sit commissa. Huc autem præcipuè illius obligationes reducuntur:

*Expertus, fîdus, diligens Notarius esto.*

1. *Expertus*: unde peccat graviter contra iustitiam, si ex officii sui ignorantia vel negligentia solemnitates necessarias omittat, adeo ut actus nullus evadat; 2. *fîdus*: unde graviter item contra iustitiam peccat, si iuramentum violet vel secretum, si in depositione testium aliquid addat aut detrahat

<sup>1</sup> Art. 1604. — C. A. 879. — C. S. 1442. — C. P. 1405. — C. G. 1597. — C. M. 1485.

gravis momenti; 3. *diligens*: unde graviter peccat, et restitutione tenetur, si acta negligenter custodiat, vel differat absque justo impedimento causæ expeditionem; vel si efficiat ut processus et causa ad alios iudices aut referentes deveniat, quam fori ordo expostulet. — Hæc enim omnia, quæ ex publico et gravissimo officio suo cavere tenetur Notarius, contingere non possunt sine gravi aliorum detrimento. Quare si culpabiliter in his deficiat, tenetur per se sub gravi ad restitutionem ut injustus damnificator, aut cooperator<sup>1</sup>.

### Art. III. — De Medicis et Pharmacopolis.

#### 565. Q. 1. *Quædam sunt Medicorum obligationes?*

R. Grave, nobile ac delicatum munus medicis incumbit; cum ipsa hominum vita ejusque sospitas iis concredita sit. Quanta ergo scientia, honestate, probitate et charitate indigent, ut gravissimas sui officii partes rite impleant! Nempe sedulo Medici curare debent, *tum* ut morborum ac medicamentorum vim agnoscant; id est sufficienti scientia debent esse instructi; nec se jactare peritos, cum non sint; *tum* ut ægrotis studiosa cura præsto sint; et videant ne curationem protrahant lucri causa, aut pauperes negligant; *tum* ne Dei et Ecclesiæ præcepta parvi faciant, quoscumque dispensando sine necessitate: *Medicus sit christianus*, in prima medicorum obligatio ex celebri physico Hoffmann; *tum* ne secretis suæ fidei concreditis abutantur, morbos pudendos pandendo sine causa, etc. Ex quibus patet, quod medicus gravissime peccat:

*Doctrina, curaque carens, pietate, revelans.*

#### 566. Q. 2. *An Medicus debeat infirmum monere de Confessione?*

R. Si agitur de morbo mortali, Medicus tenetur vel ipso

<sup>1</sup> V. Parisiis, *Istruzioni per la gioventù impiegata nelle Segreterie*, Roma. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 227. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v. Secretarius.

<sup>2</sup> Quod dicitur de medicis, id ipsum valet in sua arte de chirurgis.

jure naturali infirmum monere de Confessione sacramentali peragenda; unusquisque enim tenetur, cum potest saltem sine gravi suo detrimento, periculum æternæ damnationis a proximo suo remove. Imo etsi morbus hic et nunc non sit mortalis, attamen Concilium Lateranense IV sub Innocentio III, anno 1215 præcipit districte (ideo sub gravi) omnibus Medicis, ne infirmos in curam recipiant, nisi prius confiteantur. S. Pius V Constitutione *Supra gregem* anno 1566 confirmans tale præceptum insuper jussit, ut Medici non antea infirmi curationem suscipiant, quam eum admonuerint de Confessione peragenda. Eis etiam prohibet, ne eum ultra tres dies inuisant, nisi scripto Confessarii resciant, eum esse confessum. Statuit etiam, ut Medici antequam Doctoratus gradum consequantur, jurent se tale præceptum observaturos.

Porro communior sententia, cui consentit Benedictus XIV<sup>1</sup> vult quod præfatum præceptum, etsi non obliget in quocumque morbo levi (quod esset ridiculum ex Suarez), neque tamen intelligendum est urgere dumtaxat in morbis actualiter periculosis: sed etiam in illis, qui judicantur posse in posterum periculosi fieri. Nam Innocentius, uti se exprimit, hoc dedit præceptum, ne infirmi si monerentur in morbo mortali facilius mortis periculum incurrerent: ergo supponit esse monendos antequam morbus mortalis evadat. Adde in morbo jam nunc mortaliter periculoso talis obligatio oritur ab ipso jure naturæ. Utinam autem Constitutio hæc observaretur ab omnibus! quot infirmi, exclamat S. Alphonsus, damnationem vitarent, qui ob Medicorum oscitantiam Confessionem procrastinando inconfessi, aut male confessi decedunt\*!

Sedulo est animadvertendum ad hujus præcepti implementum sufficere: 1. si Medicus moneat infirmum per alios; jam enim totus finis obtinetur. Ita Mazzota, Suarez, Vega, Viva, etc.;— 2. si habeat aliorum testimonium, qui sint fide digni, infirmum nempe confessum esse. Ita Barbosa, Diana, Sanchez, etc.;— 3. si moraliter certus sit infirmum esse in bono statu. Ita Fagnanus, Sylvius, aliique cum S. Antonino; nam tunc cessat periculum male moriendi. Si tamen infirmus monitus de

<sup>1</sup> Notificatione xxii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 46; l. IV, n. 201.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 182; et l. VI, n. 664.

Confessione, nolit obstinate eam peragere, et esset in periculo, si a Medico desereretur, adhuc potest cura eidem exhiberi. Ratio quia Pontificis decretum non adversatur charitati, quæ favet etiam obstinatis quoad potest: et hoc esse commune docet Benedictus XIV (*JJ*).

567. Q. 3. *An infirmus teneatur Medicum vocare eique parere?*

R. Ad vitam, ejusque sospitatem tuendam ipsa natura nos impellit. Ubi ergo sanitas nostra turbatur, ordinarie loquendo, satis non est morbum patienter ferre; sed casu, quo per remedia simpliciora morbus non pellatur, tenemur Medicum adhibere cum possumus, ejusque præscriptionibus obtemperare, si extraordinariam molestiam non importent. Hinc Scriptura: *Honora Medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus... Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa*<sup>1</sup>.

Diximus 1. *ordinarie loquendo*; non enim peccaret (ut dicunt Cajetanus, Navarrus, Sanchez, et Viva) qui medicinam respueret, si id faceret ad se mortificandum, neque adsit periculum mortis, neque ideo propria munia negligat; 2. *casu quo per remedia simpliciora morbus non pellatur*; in pluribus enim natura ipsa per convenientem *dixtam*, ut dicunt, vel per remedia vulgaria convalescit<sup>2</sup>. Neque nos delicatulos ac meticulosos esse decet; qui enim medice vivit, miserrime vivit; 3. *si extraordinariam molestiam non importent*; nam nisi rationes speciales occurrant, tenemur tantum ad remedia quæ communes vires non superant. Aliquando optimum esset usurpare illud Gagliuffi:

*Quis pulsat? medicus. Quid vis? tibi ferre salutem.  
Cras, si me audieris convalescere, redi.*

568. Q. 4. *Quandonam Pharmacopola peccet in officium suum?*

<sup>1</sup> Eccli. xxxviii. Est contra Anabaptistas, qui usum medicinæ a Deo reprobatum docent. Vid. *A Lapide* in hunc locum. — Et Stapf, t. II, § 284. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 30, 372.

<sup>2</sup> Cavendum ab illis pseudomedicis huc illuc cursitantibus, qui superstiosa remedia vendunt, vel etiam sine pretio suppeditant, ac plebem insidigne decipiunt ejus crumena, integritati ac religioni insidiantes.

R. Pharmacopola, qui artem periculis plenam exercet, maxima cautela opus habet ex vi officii sui. Hinc patet ipsum peccare: 1. si absque scientia et diligentia medicamenta conficiat; vel si unum medicamentum pro alio cum gravis damni periculo porrigat; 2. si medicamenta suppeditet ad procurandum abortum, aut vendat remedia inutilia, rancida, vel plus justo pro pharmacis exposcat<sup>1</sup>, etc.

## CAPUT SECUNDUM

## DE OBLIGATIONIBUS PRIVATIS

## Art. I. — De obligationibus in societate paterna.

## § I. — De obligationibus parentum ac filiorum.

569. Parentes debent filiis suis amorem et educationem: 1. *amorem* internum, efficacem et ordinatum, ita ut eos ex corde diligant, et eorum bonum curent; 2. *educationem* tum quoad corpus tum quoad animam. Ratio hujusce obligationis in ipsis naturæ visceribus fundatur: sane quisque se diligere debet; ergo et parentes filios, qui sunt veluti aliquid sui, caro de carne sua.

570. Q. 1. *Quænam obligationes parentum ad filios quoad corpus?*

R. Parentes tria debent filiis suis quoad corpus, nempe:

1. *Providentiam vitæ*. Ex quo capite tenentur ab ipso conceptu sedulam proles curam suscipere, illudque omne avertere, quod ejusdem vitæ obesse possit. Hoc vel ipsa natura docet: *nam filius*, ut ait Angelicus, *est aliquid patris*<sup>2</sup>. Hinc peccant mulieres uterum gerentes, si nimis gravia ferant pondera, vel immoderato labori vacent; si currant vel saltent, si intemperanter bibant vel comedant, ita ut se periculo abortus exponant; item mariti qui uxores percussendo aliisque modis vexando abortus periculum inducant. Peccant parentes,

<sup>1</sup> Gregorius XIII Const. *Officii nostri* omnem vetuit societatem Pharmacopolas inter et Medicos aut Chirurgos.

<sup>2</sup> 1, 2, q. 100, a. 5. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 338, etc.

sinon caveant, ne quid mali quomodolibet filiis eveniat per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, vel nimium ploratum, etc.

2. *Providentiam victus*, nempe omnia pertinentia ad cibum, vestitum, habitationem, medicinam, etc.; qui enim dederunt *esse*, illud pro posse conservare tenentur<sup>1</sup>. Nec refert, quod proles sit spuria; de jure naturæ est, ut pater alat filium quocumque modo genitum.

3. *Providentiam status*, nempe filiis de futuro statu providere, ita ut honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. Patet ex allata ratione; *nec enim debent filii parentibus*, ait Apostolus, *thesaurizare, sed parentes filiis*<sup>2</sup>. Quare dicendi sunt peccare parentes: 1. qui sine gravissima ac impellenti causa prolem exponunt locis piis<sup>3</sup>, cum sit contra pietatem: vel extra domum ejiciunt, cum non possint adhuc sibi providere: vel cogunt ad mendicandum, aut vilem artem exercendam ipsis haud convenientem; 2. qui non adhibent diligentiam saltem medioerem, ut acquirant bona quibus filii alantur; habeantque hæreditatem sibi convenientem; 3. qui recusant constituere patrimonium filiis, qui ad Ordines promoveri cupiunt; aut filiabus absque justa causa congruam dotem denegant, v. g. quia Religionem ingredi velint, vel quia ipsis invitis nupserint, etiam indignis, cum jam ætatem 25 annorum excesserint. Si autem ante illam ætatem nupserint, diversæ sunt opiniones: nobis probabilior videtur cum Sanchez et aliis patrem teneri saltem ministrare alimenta, licet illæ indignis nupserint (KK).

571. Q. 2. *Quænam obligationes parentum ad filios quoad animam?*

R. Obligationes parentum ad filios quoad animam sunt:

1. Curare, ut filii vix nati Baptismatis gratia regenerentur: hoc primum est omnium spiritualium bonorum omnino necessarium, parvulorum autem vita variis periculis obnoxia est.

<sup>1</sup> Ex c. *De eo qui duxit*, etc. — *V. Ferraris, Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Alimenta Parentes.

<sup>2</sup> II Cor. XII. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, 536.

<sup>3</sup> Ex Layman et Salmanticensibus probabiliter est justa causa illegitimitas proles.

Plures Synodi Diocesanæ prohibent illud protrahere ultra triduum sine Episcopi licentia, comminata etiam excommunicatione, si ultra octiduum differatur<sup>1</sup>. Item curare debent parentes, ut filios vix usu loquelæ præditos vel per se, vel per alios edoceant præcipua christianæ Doctrinæ capita, Diocesis Catechismum adhibendo, ut instructio securior et uniformior sit: *Parochi*, ait Benedictus XIV, *gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos Religionis elementis erudire negligant*<sup>2</sup>. Item curare, ut a primis annis, a quibus ceteri pendent, non solum catecheses, sed etiam Sacramenta, et alias functiones frequentent: *Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum*<sup>3</sup>; nam (pergrande consecrarium!) *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*<sup>4</sup>. Hinc Quintilianus peccata adolescentum merito vocat *peccata prophetantia*.

2. Iisdem bono exemplo præesse: *Mementote* (en gravissima verba, quibus monet parentes D. Hieronymus) *mementote vos magis exemplo docere filios, quam voce*<sup>5</sup>. Plures Synodi, ut Novariensis, *reservant consensum dictis vel factis a parentibus libere præstitum, ut filia alteri copiam sui faciat, si hæc inde sequatur*.

3. Delinquentes corripere; nam *qui parcat virgæ, odit filium suum*<sup>6</sup>. Cavere tamen debent, ne in corrigendo modum excedant; vel in blasphemias prorumpant, quod majoris essent nocuenti.

4. Eos a fallacibus mundi illecebris, pompis, atque voluptatibus avertere; et præcipue a locis suspectis, a clandestinis conventiculis, a colloquiis amatoris atque periculosos, quæ maxime haberi solent cum personis diversi sexus. Unde parentes monet Apostolus: *Educate illos (filios) in disciplina et correptione Domini*<sup>7</sup> (LL).

<sup>1</sup> Uti Novariensis, p. 28. — <sup>2</sup> *Notificatione* xix.

<sup>3</sup> Eccl. vii. — <sup>4</sup> Prov. xxii.

<sup>5</sup> *Epist. ad Lætan.* — V. Muzzarelli, *Delle cause dei mali presenti*, p. 114.

<sup>6</sup> Prov. xiii. — V. Eccl. xxx.

<sup>7</sup> *Ephes.* vi. Contra tales parentes filiorum preceptores vult S. Alphon-

5. Ipsi libertatem relinquere circa status electionem: *Non tenentur*, ait Angelicus, *nec servi dominis nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda*<sup>1</sup>. Ratio: homo non hominum, sed Dei voluntatem sequi debet, qui in omnium corda diversi status semina jecit: dein quod liberum linquitur a Deo, uti est maxime consiliorum observatio, ab homine ligari non debet<sup>2</sup>. Hinc graviter peccant qui filios invitos cogunt etiam indirecte ad statum perpetuum vel e contrario injuste retrahunt, licet sine vi. Peccant autem parentes tum contra pietatem, cum ex officio teneantur filiorum utilitati incumbere, tum contra charitatem, cum impediunt alterius bonum.

Ubi insuper notandum, quod ex Tridentino excommunicantur ipso facto (sed absque reservatione), tum qui cogunt mulieres ingredi monasterium et profiteri, tum qui *sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipierint vel voti emittendi quoquomodo sine justa causa impediunt*<sup>3</sup>. Attamen non negamus, quod parentes complures e Religione filios suos avertentes valeant a mortali excusari, saltem ad aliquod breve tempus ratione ignorantie vel inadvertentie, quæ facile in eis esse potest ob vehementem carnis affectionem<sup>4</sup>. — Hinc versus:

*Invitum natum haud cogas amplectere statum;  
Exemplo et voce corripe, flecte, doce.*

572. Q. 3. *Quænam sunt obligationes filiorum erga parentes?*

R. Præcipuæ filiorum obligationes erga parentes sunt *amor, reverentia et obedientia*. Quæ tria parentibus debentur, etsi sint sine merito ac virtute; nam ratio hujusce obligationis non est virtus, sed pietas: amor nempe debetur ratione

sus, ut Confessarius sit *inflexibilis in eis deneganda absolute*. Vix enim dici potest quot inde mala! quibus si a principio non obstant, sero inutiliter medicinam parant. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 3; et *Appendix* iv, n. 6. — Franco, *Delle veglie ed amoreggiamenti nelle campagne*.

<sup>1</sup> 2, 2, q. 104, a. 5.

<sup>2</sup> V. *Il Cattolico, Giornale religioso*, t. XXV, p. 217, anno 1845. Lugano.

<sup>3</sup> Sess. xxv, c. xviii, de R.

<sup>4</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 359; et l. VI, n. 850.

causæ, reverentia ratione præminentia, obedientia ratione regiminis.

1. *Amor*: filii nempe tenentur parentes amore prosequi tam interno, hoc est bene iis velle; quam externo, omne nempe malum et injuriam ab iis propulsando, benevolentia signa iisdem exhibendo; in necessitate tam spiritali quam corporali constitutis subveniendo: *Honora patrem tuum, et genitum matris tuæ ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quomodo et illi tibi*<sup>1</sup>. Qui in his graviter deficit, graviter peccat: uti esset si parentibus ægotantibus, indigentibus ac senio confectis opem non ferat; si eos male et irreverenter habeat, quia v. g. hebetes, amentes, prætate delirantes, vel quia forsan ebrii sunt. Item si in mortis articulo constitutis, ut Sacramenta opportune recipiant, non studeat; si jam defunctis exequias fieri juxta propriam conditionem haud curet, etc. *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix; fili, suscipe senectam patris tui et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua; elemosyna enim patris non erit in oblivione...* Pro peccato matris restituetur tibi bonum, legitur in Scripturis<sup>2</sup>. Sane: *Da parentibus quidquid habes, inquit Ambrosius, nondum das quod debes, quia debes quod es*<sup>3</sup>.

2. *Reverentia*: filii nempe tenentur parentibus reverentiam profiteri tam internam, quam externam. Interna in eo consistit, ut filius parentes agnoscat tamquam superiores, et inde timorem reverentialem erga eos ex corde gerat. Externa consistit in manifestatione interioris reverentia per verba, signa et facta, juxta illud: *In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum; maledictus qui non honorat patrem suum et matrem suam*<sup>4</sup>. — Contra hanc obligationem graviter vel leviter pro ratione materiae peccant filii: 1. *verbo*, si asperis et inurbanis verbis, si contumeliis et maledictionibus parentes afficiant; 2. *signo*, si iis illudant risu vel subsannatione, aut si torvis oculis eos aspiciant, ita ut videantur eos

<sup>1</sup> Eccli. vii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 3, 355.

<sup>2</sup> Prov. xix; Eccli. iii. — <sup>3</sup> L. VIII in Luc. — <sup>4</sup> Eccli. iii; Deut. xxvii

odio habere<sup>1</sup>; 3. *facto*, si parentes deliberate et cum sufficienti advertentia verberent. Imo est grave si percutiant etiam leviter, vel manum dumtaxat attollant, aut instrumentum sumant ad percutiendum. Imo quibusdam in Synodis peccatum hoc merito reservatur<sup>2</sup>.

3. *Obedientia*: filii nempe tenentur parentibus obedire in omnibus rebus honestis, ita ut omnis inobedientia contra expressa parentum mandata sit ex genere suo gravis. Hinc Apostolus sic filios alloquitur: *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino*<sup>3</sup>. Hinc graviter peccant, si in re gravi spectante ad mores, ad animæ salutem et domus gubernationem, parentes audire nolint, nisi inconsideratio vel ætatis defectus eos excuset. Item si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absument et expensas dilapident; si domum paternam sine causa contra prohibitionem deserant. Item si quæ ad bonum regimen pacemque familiæ multum spectant, exequi recusent; vel si omnia nutu proprio administrare velint, spreta parentum auctoritate, præsertim si arroganter respondeant: *Non faciam, attende tibi; tedium et fastidium affers mihi, etc.*

Diximus: *In omnibus rebus honestis*; sicuti enim pater inhonesta vel a lege prohibita, v. g. furtum, præcipere non potest; ita nec filius patri talia præcipienti potest obtemperare. Quia scriptum est: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Iterum: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*<sup>4</sup> (MM).

573. Q. 4. An filii circa status electionem debeant parentes consulere?

R. Quæstio est potissimum de statibus, qui fixi sunt et per-

<sup>1</sup> Item si ad dignitatis locum erecti aut divites facti, parentes ex superbia vel despiciant, vel negligent, vel nosse recusent, vel erubescant, ut non raro evenit.

<sup>2</sup> Item graviter peccant, si parentes in judicio accusent de crimine licet vero; id enim refugit ipsa natura. Unde dicitur: *Ne gloriaris in contumelia patris tui* (Eccli. iii). Excipitur casus perduellionis in Deum per hæresim, vel in Principem per conjurationem aut prodicionem, si damnum nequeat aliter impediri: nam publicum bonum est privato anteponendum. — V. Liguori, *Homo Ap.*, tract. VII, n. 4. — <sup>3</sup> Coloss. iii. — <sup>4</sup> Act. v, et Matth. x.



petui, ac maxime de statu conjugali, vel religioso eligendo.

1. Si agitur de *statu conjugali*, tres sunt sententiæ principales. Prima sententia, quæ est etiam communior, docet filios teneri sub gravi consulere parentes et illorum consilium sequi; quia illi habent hac in re majorem experientiam, quam juvenes. Huc facit illud: *Judicium patris audite, filii*<sup>1</sup>: quare ipsos non consulere est contemnere in re gravi. Secunda sententia tradit, teneri filios sub gravi consilium petere ex allata ratione, non tamen sequi: cum in hac electione filii sint sui juris. Tertia tenet, quod filii, si contrahant, inconsultis vel invitis parentibus, peccant dumtaxat leviter; nam obsequium quod hac in re parentibus denegant, eos nempe non audiendo, gravem culpam non importat; cum eorum consiliis non adstringantur.

2. Si agitur de eligendo *statu religioso*, quamvis filii regulariter debeant parentum consensum humiliter exostulare, benedictionem impetrare, imo usque ad pubertatem expectare, ipsis renuentibus; ordinarie tamen loquendo, certum videtur eos neque teneri neque expedire ut parentum suorum consilium interrogent; tum quia parentes plerumque hac in re nullam habent cognitionem et experientiam, tum quia parentes ob proprium commodum de facili mutantur in hostes<sup>2</sup>. Audiatur Angelicus<sup>3</sup>: « *Dicitur Proverbiorum* 25: Causam tuam tracta eum amico, et secretum extraneo non reveles; *propinqui autem carnis in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici secundum illud, quod habetur Michæ* 7: Inimici hominis domestici ejus. »

Et D. Bernardus<sup>4</sup> ait, *sapè parentes ita se in hac re cæcos*

<sup>1</sup> Eccli. iii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 849; et *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 10.

<sup>2</sup> Concilium Toletanum X; et Tiburtinum. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 555; et l. IV, n. 68.

<sup>3</sup> Opusc. xvii, c. x. — Thesis Pseudosynodi Pistoriensis asserens sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus et accuratio major desideranda fuisset (sub n. 8), proscripta est uti scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorem contumeliosus favens; in Bulla Auctorem fidei.

<sup>4</sup> Ep. iii. — V. Hallier, *De Sacris Ordinationibus*.

*exhibere, ut malint filios suos cum seipsis perire, quam salvari procul a se. O durum patrem! o sævam matrem!*

574. *Quid si parentes sint in necessitate?* Vel talis parentum necessitas communis est, vel gravis. Si communis est, potest filius ingredi Religionem; quia non tenetur se privare gravi bono, ut tale afferat parentibus auxilium, sine quo grave non patiantur incommodum. Si est gravis, adhuc poterit filius eam ingredi casu quo in sæculo manens tali necessitati subvenire non possit, nam frustra detineretur. Si autem potest eis subvenire, tunc audiatur D. Thomas: *Aut ipse qui habet propositum intrandi Religionem, videt in sæculo non posse vivere sine peccato mortali; vel non de facili. Si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere quam corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere*<sup>1</sup>. Quod si hoc non timeat, tenetur in sæculo manere (NN).

575. Q. 5. *Quid sibi invicem debent consanguinei collaterales et affines?*

R. Consanguinei collaterales et affines sibi mutuo debent amorem, honorem, et in necessitate subsidium; idque lege non tantum charitatis sed etiam pietatis, cum inter se speciali nexu aut carnis aut affinitatis cohæreant; etsi tamen unio ac dependentia inter illos non sit tanta, prout est inter parentes et liberos<sup>2</sup>. Hinc colligit Henno prædictæ cognationis circumstantiam, ut quæ speciem mutat, aperiendam esse in Confessione, quoties agitur de gravi injuria, detractio, contumelia, odio, percussione et similibus. Hoc tamen restringit ad primum et secundum gradum, extra quos putat circumstantiam cognationis inducere peccatum solum veniale. Sicut si injuria fiat concivibus nostris, censent communiter talem circumstantiam non addere novam malitiam mortalem. Quod etiam extendunt ad patrinos; nam hodie vix ac ne vix quidem hæc circumstantia particularis attenditur. Non tamen ad tutorem et minorem, cum adhuc in viridi sit mutua tutoris ac minoris obligatio erga se invicem<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Quodl. x, a. 9. — V. Liguori, *Opuscoli relativi allo stato religioso*. — Lessius, *De Statu vitæ eligendo*. — Pinamonti, *La vocazione vittoriosa*.

— Rosignoli, *La saggia elezione*. — P. Natale, *Il Paradiso in terra*, ecc.

<sup>2</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 541 et 947.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 540. — Stapf, *Th. Mor.*, § 495.

576. Obligationes parentum erga filios<sup>1</sup>, et vicissim filiorum erga parentes; itemque aliorum propinquorum ad invicem, habita ratione parentelæ, urget passim et ubique etiam lex civilis<sup>2</sup>. — Monet autem pro praxi Gury, non ita facile suadendum filiis ætate minoribus, ut statum religiosum amplectantur, parentibus invitis; in Gallia præsertim aliisque locis, ubi viget civilis lex, quæ tribuit parentibus, ut eos auxilio brachii sæcularis a quocumque loco reclamare possint<sup>3</sup>.

§ II. — De obligationibus tutorum et minorum, magistrorum et discipulorum.

577. Q. I. Quisnam venit nomine tutoris atque minoris?

R. Olim impuberes cum desinebant esse sub potestate patris, appellabantur *pupilli*<sup>4</sup>. Facti puberes, *minores* dicebantur usque ad annum 20<sup>um</sup>: quo completo, *maiores* evadebant. Qui patris loco deputabatur ad tuendam pupilli personam et bona, dicebatur *Tutor*; *Curator*, cui cura committebatur honorum et personæ minoris. — Hodie tamen jure civili communi, omni alia distinctione sublata, qui nondum complevit 21<sup>um</sup> annum, dicitur *minor*; tali autem ætate completa, *major*<sup>5</sup>; et cui cura minoris committitur, *tutor* appellatur. Curator autem ex lege civili non amplius deputatur, nisi quibusdam in casibus, v. g. absentis<sup>6</sup>; minori habilitate ad bona sua administranda (ad quam habilitationem requiritur

<sup>1</sup> Obligationes filiorum erga genitores ex Codice civili Gallico sunt: 1. ut ipsis exhibeant honorem et reverentiam; 2. ut iis alimenta suppeditent; 5. ut matrimonium inire non audeant; neque adoptionem acceptare sine eorum consensu, idque sub gravissimis pœnis; 4. ut paternam domum non relinquunt sine consensu patris. Quid si urgeat aliquando discessio filiorum? — 5. Si filii graviter erga parentes delinquant, dantur parentibus ipsis media, quæ eo etiam pertingunt, ut filii in carcerem detrudantur.

<sup>2</sup> Cod. Sab. Art. 210. — C. A. 144. — C. S. 287. — C. P. 82. — C. G. 571. — C. M. 418, etc., etc.

<sup>3</sup> Art. 212. — Coneordi, C. A. 145. — C. S. 290. — C. G. 574.

<sup>4</sup> Impubes dicitur qui minor est annis 14, si masculus; 12, si femina. Qui vero minor est septennio, dicitur infans, quasi *fandi impos*.

<sup>5</sup> Cod. civ., art. 244 et 567. — C. A. 21. — C. S. 511. — C. P. 156. — C. G. 588. — C. R. 5. — C. M. 192. — C. H., art. 5, *Della tutela*.

<sup>6</sup> Art. 76. — C. A. 276. — C. S. 149. — C. P. 192. — C. G. 112. — C. M. 4016.

ut minor compleverit 18 annum<sup>1</sup>); item hæreditati jacenti<sup>2</sup>; item filio mox nascituro<sup>3</sup>.

Cum porro minorum tutela sit officium publicum ad publicum bonum conducens, sed pluribus gravissimis curis refertum, ex civili lege neque omnes eam respuere, neque omnes eam sumere possunt vel tenentur. Sunt nempe alii, quibus illa de jure competit, et dicuntur *nati*: ut mater<sup>4</sup> (quæ tamen illam acceptare non tenetur; at si renuat, officium nihilominus sustinere debet, quoadusque tutor nominetur), ascendentes paterni et materni; his nemo melius bono filiorum potest providere. Alii sunt, quibus ea prohibetur, cum illi juridice vel utiliter nequeant incumbere: uti interdicti, minores, infames<sup>5</sup>, etc. Alii, quibus ea libera relinquitur, quia aliis curis sunt gravati, uti sunt milites in actuali servitio, qui annum 65<sup>um</sup> compleverunt; qui non est neque affinis neque consanguineus minoris: si tamen consanguineus vel affinis minoris in districtu ubi illius bona sunt posita, capax tutelæ suscipiendæ inveniatur, etc.; ceteri renuere non possunt absque probata causa. In qualibet autem tutela protutor est etiam eligendus, cujus est vices tutoris supplere in defectu<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Art. 557. — C. G. 480. — V. *Il giovine fuori di minorità*. Roma, 1845.

<sup>2</sup> Art. 1035. — C. S. 751. — C. P. 955. — C. G. 812.

<sup>3</sup> Art. 251. — C. A. 21. — C. S. 315. — C. P. 169. — C. G. 595.

<sup>4</sup> Pourra néanmoins, le père, nommer à la mère survivante et tutrice un conseil spécial sans l'avis duquel elle ne pourra faire aucun acte relatif à la tutelle... (Cod. civ. Gall., art. 391.)

<sup>5</sup> Art. 442. Ne peuvent être tuteurs, ni membres des conseils de famille:

1° les mineurs, excepté le père ou la mère; 2° les interdits; 3° les femmes, autres que la mère ou les ascendantes; 4° tous ceux qui ont ou dont les père et mère ont avec le mineur un procès dans lequel l'état de ce mineur, la fortune, ou une partie notable de ses biens sont compromis. — 445. La condamnation à une peine afflictive ou infamante emporte de plein droit l'exclusion de la tutelle. Elle emporte de même la destitution dans le cas où il s'agirait d'une tutelle antérieurement déferée. — 444. Sont aussi exclus de la tutelle et même destituables, s'ils sont en exercice: 1° les gens d'une conduite notoire; 2° ceux dont la gestion attesterait l'incapacité ou l'infidélité. — 445. Tout individu qui aura été exclu ou destitué d'une tutelle ne pourra être membre d'un conseil de famille. (Cod. civ. Gall.)

<sup>6</sup> Art. 286. — V. Ferrero, *Dei consigli di famiglia*. — C. A. civ., art. 200. — C. S. 249.

Unus tantum tutor est eligendus, etsi plures sint filii; eligitur autem pleno jure a patre; qui si eum non eligat, aut electus non acceptet, vel cesset, tunc electio pertinet ad *consilium familiaris*, quod est cœtus personarum a lege civili ideo electus et deputatus.

**578. Q. 2. Quænam sunt obligationes tutorum et minorum?**

R. ad 1: Tutores imprimis tenentur in conscientia et vi quasi contractus curam gerere minoris, ejus personam tueri, imbueri bonis moribus, christiane educare vel per se vel per alios, et omnem impendere operam suam, ut artem sibi convenientem ipse ediscat<sup>1</sup>. — Bona vero ejusdem temporalia tenentur curare, uti bonus paterfamilias, cujus vices gerunt: qua in re se conformare debent dispositionibus legum civilium. Ad majorem autem securitatem juramentum prærequiritur a tutoribus emittendum coram judice de re fideliter administranda, inventario etiam omnium bonorum confecto intra decem dies a nominatione: et tenetur tum de lucro cessante, tum de damno emergenti, si quod ipsorum culpa in ea administratione obvenerit. Prohibentur cum minore contractum inire, vel illius nomine absque *auctorizatione* transigere. Finita tandem tutela, omnium actorum rationem reddere obstringuntur<sup>2</sup>.

R. ad 2: Cum tutores vices agant parentum respectu minorum, satis est si dicamus, minores erga tutores (vel ipso jure civili) ligari ipsis obligationibus (non ita tamen strictis) *amoris, reverentiæ et obedientiæ*, quibus filii ligantur erga parentes<sup>3</sup>.

**579. Q. 5. Quænam sunt Magistrorum obligationes?**

R. Qui nobile alios edocendi munus suscipiunt tenentur gravi tum officii tum stipendii ratione:

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 541 et 917.

<sup>2</sup> Art. 511. — C. A. 205. — C. S. 575. — C. P. 272. — C. G. 450. — C. M. 505.

<sup>3</sup> Art. 515-14. — C. A. 217. — C. S. 591. — Quoad tutores et consilium familiaris, V. Cod. civ. Gall., ex art. 589 ad art. 475.

1. Idoneam ad munus quod suscipiunt, scientiam callere, ne ipsis errare contingat cum maximo discipulorum damno: *Discas quod possis docere, ne sis miles priusquam tyro, et prius magister sis quam discipulus*, ait D. Hieronymus<sup>1</sup> (OO).

2. Doctrinam rectam tradere, id est S. Scripturæ, Patrum traditioni, Pontificum oraculis et Conciliorum definitionibus consentaneam. Novas docendi methodos sequi poterunt magistri; sed in iis quæ ad Religionis et morum doctrinam pertinent, debent ab omni novitate se prorsus abstinere. Unde Petrus Blessensis: *Non de corde tuo vaticinari præsumas; sed juxta sacri eloquii doctrinam universa discas, et doceas orans cum Propheta: Juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum; ergo non supra, non extra, non contra*<sup>2</sup>.

3. Tenentur doctrinam tradere discipulorum intelligentiæ accommodatam; et methodo convenienti eam exponere, ita ut eorum animi non obruantur, neque fastidio afficiantur. Secus ut quid verba facerent?

4. Tenentur semina christianarum virtutum teneris eorumdem animis pedetentim inserere<sup>3</sup>, et circa ipsorum mores attente invigilare; hæc enim est summa omnium rerum. Cum autem hac præsertim in re præcipua persuadendi via sit exemplum, necesse ideo est, ut magistri in primis sint a vitiis alieni, et in virtutibus emineant: *Magister totus vocalis prodeat, gressus et motus, vocalia sint universa*, ait S. Hieronymus (PP).

**580.** Quæ omnia etiam Synodus Novariensis (pag. 51) præcipit: *ac vult, ut Ecclesiastici hoc munus suscepturi bonum vitæ testimonium exhibeant. Item ut Parochi super ipsos sedulo invigilent.*

<sup>1</sup> Ep. ad Rusticum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 561.

<sup>2</sup> Epist. cxi. — Hinc omnes Doctores atque Magistri publici cujuscunque disciplinæ, ex mente Tridentini (sess. xxv, c. ii, de R.), et ex Constitutione *Sacrosancta* Pii IV, tenentur antequam commissum sibi docendi munus aggrediantur, fidei professionem emittere juxta formulam ab ipso Pio præscriptam. Quæ quidem professio quantum ætate nostra adhuc sit necessaria, nemo est qui non videat. Non tamen ubique est in usu. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº Magister.

<sup>3</sup> Ex Constitutione Benedicti XIV *Etsi minime*. Imo cogendi, ut declarat S. C. C. 17 julii 1668.

Magistri obligationes paucis excipe :

*Doctus, recte, apte doceat, bona semina mittat.*

581. Q. 4. *Quænam sunt obligationes discipulorum?*

R. Discipuli obligantur tum sibi, tum præceptoribus, tum Deo. Tria nempe discipuli debent : — 1. Sibi studium et laborem assiduam; scientiæ enim et artes non addiscuntur, nisi per magnos labores atque longam studiorum assiduitatem, juxta illud vulgatissimum : *Gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo*; — 2. Magistris reverentiam, docilitatem ac gratitudinem. Hoc ipsis gentilibus erat officium ineluctabile : *Discipulos id unum moneo, ait Quintilianus, ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament, et parentes non quidem corporum, sed mentium esse credant*; — 3. Deo pietatem; scriptum est enim : *Initium sapientiæ timor Domini*<sup>1</sup>. Id nunquam satis juvenibus prædicabitur : nam tota moralis hominum existencia in hac vita et salus æterna in altera generatim pendet a primis annis, juxta illud : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*<sup>2</sup>. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedit ab ea*<sup>3</sup> (QQ).

**Art. II. — De obligationibus in societate conjugali et herili.**

582. Q. 1. *Quæ sunt mariti et uxoris obligationes mutux?*

R. Conjuges sibi mutuo debent societatem, amorem ac fidem : quæ quidem ipsis imponunt et natura conjugii, et ratio sacramenti, et ipsa etiam lex civilis<sup>4</sup>.

1. *Societatem*; unde tenentur simul habitare, juxta illud : *Dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*<sup>5</sup> : electio vero domicilii pertinet ad maritum, cum familiæ caput sit<sup>6</sup>. Hoc etiam civili

<sup>1</sup> Ps. cx. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 561.

<sup>2</sup> Jer. Thr. iii. — <sup>3</sup> Prov. xxii.

<sup>4</sup> C. Sab. 125, C. A. 90, C. S. 194, C. P. 50, C. G. 212. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 551.

<sup>5</sup> Matth. xix. — <sup>6</sup> V. *De Matrimonio*, ubi de effectibus.

lege sancitum est<sup>1</sup>; — 2. *amorem*; dicit enim Apostolus : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea*<sup>2</sup>. Et etiam mulieres hortantur, ut *viros suos ament*<sup>3</sup>. Hinc peccant si rixas, jurgia et odia in se invicem excitent, aut foveant; vel si conviciis atque maledictionibus se invicem afficiant; — 3. *fidem*; nempe conjugalem juxta illud : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier... Nolite fraudare invicem*<sup>4</sup>.

583. Q. 2. *Quænam sunt speciales obligationes mariti et uxoris?*

R. ad 1. : Maritus tanquam caput tria uxoris suæ curare debet :

1. *Animam* : adeo ut peccet graviter si uxori permittat, ut legem Dei et Ecclesiæ transgrediatur; tanto magis si impediat ab illius observantia. Non enim hoc esset ipsam diligere uti se ipsum.

2. *Corpus* : nempe tenetur uxorem secum retinere, et alere secundum statum suum et conditionem, tum ex debito amoris conjugalis, tum ex officio capitis familiæ, tum ex justitia ratione dotis, tum ex civili ipsa lege<sup>5</sup> : quare mulier nobilis ac dives non posset cogi ad officia famulæ, ut esset verrere domum, coquere cibos.

3. *Mores* : tenetur nempe uxori invigilare, benigne compati, amicis suasionibus, non rigidis verbis imperare. Et si aliquando conveniat fortiter cum ipsa agere, semper tamen habeatur ratio illius Marci Aurelii : *Uxor monenda sæpe, reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nunquam*. Uno verbo vir tenetur uxorem habere uti sociam, non uti ancillam; Deus enim dedit mulierem viro non in vile mancipium, sed *in adjutorium simile sibi*. Ad rem Angelicus :

<sup>1</sup> Art. 127. — C. A. civ. 91. — C. S. 201. — C. P. 51. — C. G. 214. — C. M. 98.

<sup>2</sup> Eph. v. — <sup>3</sup> Ad Tit. — <sup>4</sup> I Cor. vii.

<sup>5</sup> Art. 125. — C. A. 90. — C. S. 195. — C. P. 50. — C. G. 212. — C. M. 100. Quod si ipsa a marito discesserit sponte sua et sine causa, cessabit in marito hoc onus. Item si in adulterium lapsa sit, et aliunde habeat ut vivat.

Conueniens fuit mulierem formari de costa viri, ad significandum, quod inter virum et mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, et ideo non est formata de capite; neque despici debet a viro tanquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus<sup>1</sup>.

584. R. ad 2. : Uxor specialiter tenetur erga maritum suum :

1. Ei ex corde obedire in iis, quæ ad familiæ administrationem pertinent et propriæ conditioni conueniunt, unde ait Apostolus : *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*<sup>2</sup>. Non licet itaque mulieri agere expensas contra mariti voluntatem, quæ communem scæminarum sui status consuetudinem excedant, nisi eas agat ex paraphernalibus bonis.

2. Ei ex animo placere : sit mansueta, lenis, patiens : omnem garrulitatem, procacitatem et suspicionem circa fidem sedulo avertat. Ex his enim sensim sine sensu evenire solent mutua aversiones, sine fine altercationes, fractio fidei, scandala, ac demum divortia<sup>3</sup>.

3. Ei indigenti de suo providere; hoc enim ad debitum conjugalis amoris pertinet. Quod etiam civili lege præcipitur, ut non tantum marito subdita sit, sed etiam ut concurrat ad illum alendum propriis bonis, si illa indigeat.

585. Q. 3. Ad quid tenentur domini erga famulos suos?

<sup>1</sup> Gen., cap. ii. Et D. Thomas, 1. q. 98, a. 29.

<sup>2</sup> Ephes. v. — V. Mellini, *La donna forte*. Modena. — *Le tribolazioni delle maritate*. Monza, 1858. — Chassay, *Le difficoltà della vita di famiglia*; it. *I doveri delle donne nella famiglia*. Et S. Chrysostomus, *Homil. xxvi in I ad Cor.*, ecc., ecc.

<sup>3</sup> Confessarius non statim credat conjugii contra conjugem conquerenti, præsertim si uxor in maritum invehat, quia mulieres ordinarie sunt procaces : melius est, re dissimulata, ipsi commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et majorem sollicitudinem pro viro : sicque pluribus medetur malis. Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius : si monilio profutura videatur, id agat, dum maritus est bene affectus. Leniter autem agat semper : quod si non iuvat et agatur de re gravi, curet, ut per Parochum vel alium virum prudentem maritus admoneatur. *Gury*. — V. Augustinus, *Confess.*, l. IX, c. ix.

R. Hæc præcipue servare tenentur domini circa famulos suos :

1. Illos instruere; inquit enim Apostolus : *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior*<sup>1</sup>. Qui ergo dominus sollicitus non est, ut famuli rudimentis fidei imbuantur, nec tempus ad hoc conueniens concedit; qui eos ad catecheses et conciones sacras opportuno loco et tempore non mittit, iste profecto suorum domesticorum curam non habet. — Sic etiam graviter peccat, si absque justa causa famulos impediatur diebus festis a Missa audienda; si opera servilia iisdem imponat; si jubeat ea, quæ sine gravi peccato præstare non possunt.

2. Illos corripere, si opus sit; domini enim vices gerunt parentum cum famulis, et sunt caput totius familiæ, quam debent recte dirigere. Unde peccant gravissime domini, qui non monent, vel incorrigibiles non dimittunt famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes et peruersitatis præbentes exempla (maxime filiis ac filiabus, quorum ætati tanta reverentia debetur). Sed iis quidquid lubet, indulgent, dummodo labores rite præsentent : imo peruersis principiis eos imbuunt, imo ipsorum conscientia ac religiositati irrident, imo eos seducunt, vere animarum interfectores.

3. Illos amare amore interno et externo : ideoque eos benigne alloqui, conuenienter alere, plus æquo non gravare laboribus, scientes eos confratres suos esse, unum omnium Dominum, spem et metam : *Ex eisdem seminibus ortos, eodem frui cælo, æque spirare, æque vivere atque mori*<sup>2</sup>. Unde Scriptura : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta; noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi*<sup>3</sup>.

4. Illos justo pretio nunquam fraudare; legitur enim : *Dignus est operarius mercede sua. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*<sup>4</sup>. Pretium justum

<sup>1</sup> I Tim. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 542 et seq.

<sup>2</sup> Ita Seneca (Epist. xlvii), qui laudat amicum Lucilium, quod cum servis familiariter agat vivatque. Et invehit in consuetudinem multorum dominorum, qui servos suos superbissime et crudelissime tractant.

<sup>3</sup> Eccli. iv et xxxiii. — <sup>4</sup> I Tim. v; Eccli. xxxiv.

censetur quod communiter in illis locis dari solet, vel quod uno recusante, statim ab alio admittitur: hoc tamen habet latitudinem. — Hinc versus:

*Instrue, corripe, ama, mercedem pando servis.*

586. *Quid si famulus ad annum conductus per mensem ægrotet; vel sine causa ante annum discedat?* — In primo casu ex iustitia ei integrum non debetur salarium, uti docent verius et communius; cum non præstiterit servitium integrum: excipe, nisi aliter se habeat consuetudo. Imo dominus ne tenetur quidem ad expensas infirmitatis, ut probabiter contra alios docet Lugo, modo famulus non sit in necessitate, nec aliter ferat usus<sup>1</sup>. Non tamen tenetur servus operas suas supplere; quia tota promissio temporis determinato affixa est.

In alio casu, licet servus non recte agat, per se tamen aliquid ei debetur, ut communius dicunt; cum servitus exhibita mereatur utique mercedem suam. Excipe iterum, nisi ideo domino damnum obvenerit, vel aliter se habeat mutua conventio.

587. Q. 4. *Quænam sunt obligationes famulorum erga dominos?*

R. Famuli tenentur dominis ea generatim præstare, quæ filii parentibus, amorem nempe, reverentiam, obedientiam et fidelitatem.

1. *Amorem*; quia sibi sunt loco parentum: quo quidem sincero amore etiam dominorum filios prosequi tenentur. — Hac in re delinquant illæ ancillæ, quæ vix ab oculis parentum subductæ filios adhuc tenellos despiciunt, vexant, atque uti extraneos habent.

2. *Reverentiam*; clamat enim Apostolus: *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur*<sup>2</sup>. Hinc peccant graviter, si occultos et graves dominorum defectus manifestent, si

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 542 et seq., it. n. 864. Hic tamen juverit proferre illud Plinii Juvenis (ep. XIX, al. 114): *ægrotanti famulo tanto major humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis eget.* — V. Zacchia, *De salario seu operarii mercede*. Roma, 1658.

<sup>2</sup> 1 Tim. v. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v<sup>o</sup> Famuli, Famulæ.

gravibus injuriis eos afficiant, v. g. diabolos, canes, etc., appellando (nisi ex ira et indeliberatione proferantur, quia tunc non reputantur graves); vel si eos graviter irrideant aut sinant ut in propria præsentia illorum honori graviter detrahatur.

3. *Obedientiam*; prima lex famuli voluntas domini. Sic eos alloquitur Petrus: *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis*<sup>1</sup>. Hinc plus minusve pro materiæ qualitate peccant famuli, qui cum aliquid non gratum præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent vel simulant se jam illud fecisse.

4. *Fidelitatem* in servitio; ideo enim stipendio conducti sunt, ut fideliter serviant, strenue laborent, res domini curent, ac nihil surripiant. Unde Apostolus vult *servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes*<sup>2</sup>. — Hinc versus:

*Dilige, et obsequium, famulatum redde, fidemque.*

588. *Quid si famuli inculpabiliter damnum afferant domino in exequendis muniis sibi commissis; vel in transferendis mobilibus et suppellectilibus?* Cum res pereat domino, et dominus censeatur agere per famulum, et revera agat, ipsi stant incommoda et damna, quæ inculpabiliter famulus affert rei domesticæ, nisi alia sit conventio.

589. *An possint absolvi famulæ cum heris peccantes, si jam aliis vicibus cum eis peccaverint?* — R. Si bis vel semel tantum peccaverint, et post admonitionem Confessarii occasionem tollere curaverint, absolvi possunt; secus si occasionem remove neglexerint. Quare nunquam eas absolverem, si peccatum fuerit frequens, nisi exhibeant extraordinaria dispositionis signa, et sint in gravi necessitate, si nempe sine gravi incommodo nequeant proprio statim aliter providere: quamquam et in hoc casu experimentum quærerem<sup>3</sup> (RR).

<sup>1</sup> Epist. 1, c. 11.

<sup>2</sup> 1 Tim. II. Quoad furta famulorum, vid. *De Restit.*, c. ult.

<sup>3</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 459; et Tract. seq. *De Concubinato*.

SCHOLIUM. — De obligationibus Superiorum et Inferiorum generatim erga se invicem.

590. Q. Quæ speciales Inferiorum et Superiorum obligationes ad invicem?

R. Ad 1: In humana societate (præter quos numeravimus) sunt qui aliis præstant vel dignitatis, vel preproxitatis, vel potestatis, vel peculiaris alicujus officii et muneris, vel etiam solius ætatis nomine. His respective debetur *honor* ratione sublimitatis, *pietas* ratione propinquitatis, *observantia* ratione potestatis, *obedientia* ratione officii, *tributa* ratione stipendii, *reverentia* ratione ætatis. Hinc generatim dicitur in Scripturis sanctis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit...; reddite ergo omnibus debita... cui timorem timorem, cui honorem honorem*<sup>1</sup>.

R. Ad 2: Vicissim superiores sive ecclesiastici sive sæculares tenentur inferiorum hominum curare; cum potestas sit in subditorum utilitatem ipsis a Deo tributa. Hinc Scriptura: *Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illorum habe*<sup>2</sup>.

591. Hic tamen non est omittenda specialis illa obligatio, quæ omnes laicos premit erga Clerum ac maxime Parochos suos, a quibus habent quicquid habent de bonis animæ: — 1. eis debent amorem; sunt enim spirituales ipsorum patres: *Per hos Christum induimus, et cum Filio Dei sepelitur*, ad rem ait Chrysostomus<sup>3</sup>, *et membra beati illius capitis efficimur*; — 2. obedientiam juxta illud Apostoli Pauli: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*<sup>4</sup>; — 3. reverentiam, et quidem maximam, cum sit maxima pastorum dignitas: at quo major dignitas, eo major debet esse reverentia; — 4. subsidia; nam *Dominus ordinavit eis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*<sup>5</sup>.

Quæ autem debet Clerus universus, ac maxime Parochus fidelibus, jam satis abunde docuimus in prima hujusce Tractatus parte.

<sup>1</sup> Rom. xiii. — <sup>2</sup> Eccli. xxxii. — <sup>3</sup> L. III, De Sacerd. — <sup>4</sup> Hebr. xiii.

<sup>5</sup> I Cor. ix. « La réputation d'un prêtre, d'un supérieur ecclésiastique est bien délicate: il est facile de la flétrir. Combien sont coupables ceux qui, par des railleries, des médisances, et quelquefois même par des calomnies, dénigrent un pasteur et le rendent incapable de faire le bien qu'il pourrait faire! » *Examen raisonné*. — « Notre Seigneur, dit Gousset, ordonne même d'obéir aux prêtres qui n'ont pas l'esprit de leur état, quand ils ne commandent rien de contraire à l'Évangile et à l'enseignement de

## ADNOTATIONES

## AD TRACTATUM TERTIUM

(A) Page 363.

592. « Kant, célèbre coryphée des panthéistes de nos jours, s'apercevant que sa raison théorique ne lui servait de rien dans la vie positive, eut recours à la raison pratique pour y trouver un *impératif régulateur* de ses actions et du libre arbitre conforme à l'idée du devoir et du droit. Cette raison pratique le mit en possession de quelques notions pratiques à priori, qui déterminent pour nous non ce qui est, mais ce qui doit être, et forment la loi morale (l'obligation), dont la force est autonome et ne soumet pas le sujet à l'obéissance par l'idée d'un être et d'une autorité et force supérieure, ni par la crainte du mal ou l'absence de la félicité, mais par le pur respect à cette loi; de sorte qu'en définitive cette loi n'est qu'une abstraction, une vaine tendance vers le souverain bien qui ne peut déterminer ni où elle est, ni ce qu'elle est, ni par quelle voie on y parvient, et elle devient dès lors un empirisme dans la partie sur laquelle s'appuient, pour régler sa vie réelle, positive, extérieure, ces préceptes de la raison pratique qui sont formulés dans ce qui est appelé la *raison juridique*, savoir: dans les lois positives, religieuses ou sociales. Ainsi la raison était déclarée par Kant autonome, c'est-à-dire *législatrice d'elle-même, dépendant de ses seules lois propres*; les écoles d'Allemagne entrèrent dans ce cercle, et, plus tard, Fichte ne considère le devoir (l'obligation) sinon comme une loi, que le moi s'impose à lui-même, et cette loi consiste à respecter le droit des autres. Pour Hegel, la moralité est une harmonie de l'homme avec la nature, et la volonté est sa fin morale à lui-même ou la loi de la moralité. Quant à Schelling, il dit que, si Dieu existe, il existe dès lors comme conséquence un monde moral; mais il ajoute que la vertu est un état dans lequel l'âme se conforme non à la loi placée en dehors d'elle, mais plutôt comme à une nécessité de sa nature. » (*Saggio intorno al Socialismo, ecc.*, p. 806-7.) — Contra

*l'Église; voici en effet ce qu'il dit en parlant des Scribes et des Pharisiens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite; secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt.* » (Matth. xxiii.)

SCHOLIUM. — De obligationibus Superiorum et Inferiorum generatim erga se invicem.

590. Q. Quæ speciales Inferiorum et Superiorum obligationes ad invicem?

R. Ad 1: In humana societate (præter quos numeravimus) sunt qui aliis præstant vel dignitatis, vel preproxitatis, vel potestatis, vel peculiaris alicujus officii et muneris, vel etiam solius ætatis nomine. His respective debetur *honor* ratione sublimitatis, *pietas* ratione propinquitatis, *observantia* ratione potestatis, *obedientia* ratione officii, *tributa* ratione stipendii, *reverentia* ratione ætatis. Hinc generatim dicitur in Scripturis sanctis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit...; reddite ergo omnibus debita... cui timorem timorem, cui honorem honorem*<sup>1</sup>.

R. Ad 2: Vicissim superiores sive ecclesiastici sive sæculares tenentur inferiorum hominum curare; cum potestas sit in subditorum utilitatem ipsis a Deo tributa. Hinc Scriptura: *Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illorum habe*<sup>2</sup>.

591. Hic tamen non est omittenda specialis illa obligatio, quæ omnes laicos premit erga Clerum ac maxime Parochos suos, a quibus habent quicquid habent de bonis animæ: — 1. eis debent amorem; sunt enim spirituales ipsorum patres: *Per hos Christum induimus, et cum Filio Dei sepelitur, ad rem ait Chrysostomus<sup>3</sup>, et membra beati illius capitis efficimur*; — 2. obedientiam juxta illud Apostoli Pauli: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi*<sup>4</sup>; — 3. reverentiam, et quidem maximam, cum sit maxima pastorum dignitas: at quo major dignitas, eo major debet esse reverentia; — 4. subsidia; nam *Dominus ordinavit eis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*<sup>5</sup>.

Quæ autem debet Clerus universus, ac maxime Parochus fidelibus, jam satis abunde docuimus in prima hujusce Tractatus parte.

<sup>1</sup> Rom. xiii. — <sup>2</sup> Eccli. xxxii. — <sup>3</sup> L. III, De Sacerd. — <sup>4</sup> Hebr. xiii.

<sup>5</sup> I Cor. ix. « La réputation d'un prêtre, d'un supérieur ecclésiastique est bien délicate: il est facile de la flétrir. Combien sont coupables ceux qui, par des railleries, des médisances, et quelquefois même par des calomnies, dénigrent un pasteur et le rendent incapable de faire le bien qu'il pourrait faire! » *Examen raisonné*. — « Notre Seigneur, dit Gousset, ordonne même d'obéir aux prêtres qui n'ont pas l'esprit de leur état, quand ils ne commandent rien de contraire à l'Évangile et à l'enseignement de

## ADNOTATIONES

## AD TRACTATUM TERTIUM

(A) Page 363.

592. « Kant, célèbre coryphée des panthéistes de nos jours, s'apercevant que sa raison théorique ne lui servait de rien dans la vie positive, eut recours à la raison pratique pour y trouver un *impératif régulateur* de ses actions et du libre arbitre conforme à l'idée du devoir et du droit. Cette raison pratique le mit en possession de quelques notions pratiques à priori, qui déterminent pour nous non ce qui est, mais ce qui doit être, et forment la loi morale (l'obligation), dont la force est autonome et ne soumet pas le sujet à l'obéissance par l'idée d'un être et d'une autorité et force supérieure, ni par la crainte du mal ou l'absence de la félicité, mais par le pur respect à cette loi; de sorte qu'en définitive cette loi n'est qu'une abstraction, une vaine tendance vers le souverain bien qui ne peut déterminer ni où elle est, ni ce qu'elle est, ni par quelle voie on y parvient, et elle devient dès lors un empirisme dans la partie sur laquelle s'appuient, pour régler sa vie réelle, positive, extérieure, ces préceptes de la raison pratique qui sont formulés dans ce qui est appelé la *raison juridique*, savoir: dans les lois positives, religieuses ou sociales. Ainsi la raison était déclarée par Kant autonome, c'est-à-dire *législatrice d'elle-même, dépendant de ses seules lois propres*; les écoles d'Allemagne entrèrent dans ce cercle, et, plus tard, Fichte ne considère le devoir (l'obligation) sinon comme une loi, que le moi s'impose à lui-même, et cette loi consiste à respecter le droit des autres. Pour Hegel, la moralité est une harmonie de l'homme avec la nature, et la volonté est sa fin morale à lui-même ou la loi de la moralité. Quant à Schelling, il dit que, si Dieu existe, il existe dès lors comme conséquence un monde moral; mais il ajoute que la vertu est un état dans lequel l'âme se conforme non à la loi placée en dehors d'elle, mais plutôt comme à une nécessité de sa nature. » (*Saggio intorno al Socialismo, ecc.*, p. 806-7.) — Contra

*l'Église; voici en effet ce qu'il dit en parlant des Scribes et des Pharisiens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite; secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt.* » (Matth. xxiii.)



omnes nobis videtur jampridem jure exclamasse Sanctus noster : « La loi naturelle ne vient pas de la nature commune des êtres raisonnables, comme le supposent certains auteurs ; mais elle vient de la loi éternelle. — La raison divine est celle qui a créé l'ordre naturel de toutes les choses, et la volonté divine les conserve. — Ce n'est pas la nature qui forme la loi et la mesure de l'honnête ; mais c'est cette loi que Dieu a donnée aux sujets de toute espèce. »

## (II) Page 365.

593. Ipsos persecutores catholicæ veritatis testes habemus, qui morti proximi illam matrem coguntur quærere, cujus sinum dilaceraverunt. Zuinglius aiebat se ad vivendum suam, ad moriendum catholicam Religionem eligere. Ad rem Protestanti ministro, qui catholicorum observantias aspernabatur, sapiens mulier respondit : *Fatear : hucusque per vos optima reformatio : Missam, confessionem, purgatorium, quadragesimam abstulistis ; unum restat, destruite infernum, et vos libenter sequar.*

« La crainte de la mort arracha deux rétractations à Voltaire, l'une du 30 mars 1769, l'autre du 2 mars 1778. Il se confessa, étant malade, en 1724, en 1755, en 1750, et il déclara en 1778 qu'il s'était confessé à l'abbé Gauthier, et qu'il demandait pardon à Dieu et à l'Église des scandales qu'il avait pu donner, etc. (*Mélanges de philosophie*, t. VII, 1808.) Mais, le 30 mai 1778, Voltaire meurt déchiré, accablé par le souvenir de ce Dieu qu'il a blasphémé ; il rugit, et dans des spasmes, précurseurs de l'enfer, il se tord, il se débat convulsivement, il pousse avec un transport de rage ce cri terrible : *Je suis abandonné de Dieu et des hommes.*

« Condorcet se vante d'avoir calmé les frayeurs de d'Alembert à la mort et d'avoir empêché sa rétractation.

« Diderot, complètement ébranlé dans ses opinions philosophiques en présence de la mort, fait appeler un ecclésiastique par un domestique fidèle, et s'entretient avec lui dans les meilleures dispositions ; mais de perfides amis rendirent ces bonnes dispositions inutiles. Ils ne les eurent pas plutôt remarquées qu'ils s'attachèrent à le tromper par des espérances de rétablissement, l'éloignèrent et le transportèrent à une campagne.

« Helvétius se rétracta deux fois.

« Les conversions de Laharpe, de Marmontel et d'un grand nombre d'autres, accomplies en état de parfaite santé, sont trop connues pour que nous devions en parler.

« M. Charmois, célèbre par ses écrits, étant témoin de la patience,

de la résignation, de la gaieté des prêtres catholiques à la prison de l'Abbaye, en même temps de la rage, du désespoir des philosophes qui s'y trouvaient détenus, s'émeut, cherche à s'instruire, se convertit, se confesse, et meurt dans le massacre général.

« Le comte de *Boulainvilliers* mourut après avoir reçu les sacrements avec beaucoup de présence d'esprit et de religion.

« *La Mettrie*, auteur de l'*Homme-Machine*, livre impie brûlé par ordre des magistrats en Hollande, d'où il s'était fait chasser, se confessa et pria, à l'article de la mort (1751), Rossembert d'invoquer avec lui tous les saints et de réciter les prières des agonisants.

« *Du Marsais*, qui mourut en 1756, voulut recevoir les sacrements, et eut un entretien touchant avec le prêtre qui les lui administrait ; aussi Voltaire, écrivant à d'Alembert, dit : « Je suis affligé des grimaces « de Du Marsais à la mort ; » et le même Voltaire, dans la même lettre, se montre affligé que *Destlandes* eût exigé en mourant qu'on brûlât un de ses livres.

« Dans une autre lettre à d'Alembert il dit : « Que dites-vous de Maupertuis mort entre deux capucins ? »

« *Fontenelle*, que les philosophes revendiquaient, demanda et reçut les sacrements en 1757.

« Le trop célèbre marquis *d'Argens* commence, dans sa longue maladie, à se méfier de ses anciens sentiments ; et, après de sérieuses conférences sur la religion, demeure convaincu, se repent et se confesse.

« *Buffon* se confessa au P. Ignace Bougault, capucin, reçut les sacrements en présence de plusieurs personnes ; et sa mort (1788) fut édifiante. Il est vrai qu'il se montrait partout l'ennemi des incrédules, quoiqu'il les ait favorisés dans ses ouvrages.

« *Boulanger*, qu'on supposa être l'auteur du *Christianisme dévoilé*, ouvrage rempli de blasphèmes et de raisonnements aussi absurdes que dégoûtants contre la religion de Jésus-Christ (et qui toutefois a été composé par le baron d'Holbach), assure, dans sa dernière maladie (1759), qu'il n'a jamais eu que des doutes, et que la seule peine qu'il éprouve, c'est de ne pouvoir réparer suffisamment le mal qu'il a fait dans le but déplorable de se faire un nom.

« L'abbé *de Prades*, mort en 1782, dit, dans sa rétractation du 9 avril 1754, qu'il ne pouvait vivre assez pour pleurer sa conduite passée (*Barruel, Mém.*, t. V).

« *Bouguer*, membre de l'Académie des sciences de Paris, connu pour l'érudition de ses ouvrages et son incrédulité, après beaucoup d'entretiens raisonnés sur la religion, passa chrétiennement le reste de ses jours, et mourut dans ces bonnes dispositions en 1758, âgé de soixante-trois ans.

« *Montesquieu*, dans sa dernière maladie (1755), remplit avec une grande édification tous les devoirs du chrétien, et dit qu'il n'a jamais été incrédule dans le fond de son cœur; mais que la vanité d'être connu et exalté par les plumes du jour l'a porté à le paraître.

« *Thomas* mourut en 1785, entre les bras de Montazet, archevêque de Lyon.

« L'abbé *Galiani*, ami d'Helvétius, du baron d'Holbach et de beaucoup de femmes imprudemment dévouées à la philosophie, et lié avec une grande partie de ces prétendus philosophes du siècle passé, se réveilla de sa léthargie dans les dernières semaines de sa vie, et se confessa à son curé avec de grandes marques de douleur.

« *Thiébault*, dans son livre intitulé : *Mémoires de vingt ans à Berlin*, raconte la mort pénitente (1772) du célèbre philosophe *Toussaint*, qui, au moment de recevoir la communion de la main d'un prêtre catholique, fit une allocution chaleureuse à sa femme et à ses enfants, demandant surtout pardon à Dieu et aux hommes, et déclarant que toute son incrédulité, tant dans ses actions et dans sa conduite que dans ses livres et ses conversations, était l'effet de la vanité, du respect humain, du désir de plaire à certaines personnes; mais qu'il n'avait jamais été incrédule par conviction.

« *Marmontel* employa les dernières années de sa vie dans la retraite et les œuvres vertueuses, et la termina chrétiennement en 1799.

« *Malherbes*, le conseiller le plus sincère de Louis XVI, dont il resta le plus fidèle ami, abjura publiquement ses principes philosophiques en gémissant d'avoir donné les mains à la Révolution.

« *M. de Langlet*, dans la longue maladie qui le conduisit au tombeau en 1807, s'amende, se convertit, se repent, publie son repentir et demande pardon.

« *M. Larcher*, mort en 1818, à l'âge de quatre-vingt-six ans, fut éclairé bien des années avant sa mort par les détestables effets de la Révolution et les fruits de la philosophie qui l'avait produite. Le 5 mai 1792, il signa une rétractation dans laquelle il reconnut franchement qu'il s'était ligé avec quelques-uns des prétendus philosophes; qu'il avait résolu, de concert avec eux, de détruire, autant qu'il dépendait de lui, la religion chrétienne, et que, en conséquence, dans ses notes sur Hérodote, il avait avancé des maximes et des propositions tendant au renversement de toute religion.

« *M. Mercier*, fameux par son *Tableau de Paris*, publié en 1782, et par d'autres paradoxes, se convertit plusieurs années avant sa mort édifiante (1814), avec effusion de cœur, et se jeta dans les bras de la religion.

« L'abbé *Soulavie*, auteur des *Mémoires de Richelieu*, d'*Aigui-*

*lon*, de *Massillon*, fit la même chose en 1815. De même encore *Charles Pallissot*, conservateur de la bibliothèque Mazarine, se convertit dans les dernières années de sa vie, demanda les sacrements dans les termes les plus édifiants, et mourut en 1814 avec les sentiments les plus chrétiens.

« En présence de ces noms et de tant d'autres, même de nos jours, dont une prolixité superflue ne permet pas de faire mention, nos philosophes trouveront-ils un seul catholique, disons-le, même de mœurs corrompues, qui, fidèle à sa religion pendant sa vie, l'ait abjurée à la mort? » Grillo, *Novelliere*, Genova, 1850. — Lucchesini, *l'Incredulità convicta da' suoi seguaci*, Lugano.

## (C) Page 372.

594. Omnes Clerici in cantu sacro instructi sint oportet; in Gregoriano videlicet vel Ambrosiano, juxta proprium Ecclesie ritum. Ille sic appellatur a Gregorio M. quia antiquum in Ecclesia Romana existentem reformavit; hic nuncupatur a D. Ambrosio, qui ipsum ex variis jam item existentibus pro sua confecit Mediolanensi Ecclesia (V. Ricard et Giraud, *Dictionnaire*, etc., v° Chant). Qui cantus, maxime Gregorianus, ob ejus gravitatem valde confert Ecclesiasticis functionibus: cum autem sit et gravis et unius soni, ideo et *planus*, seu *simplex canendi modus* appellari consuevit (vulgo *plain-chant*). Sicque discriminatur ab illo, qui varius est atque multisonus, et dicitur *harmonicus* seu *musicus* (vulgo *chant figuré*): etiam profanum appellant. — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., v° Chant ecclésiastiq. — *Cattolico di Lugano*, vol. XVI. — *La scuola del Canto Gregoriano*, Novarra. — Thomassinus, *Vetus et Nova Eccl. disciplina*, lib. II, c. LXXI. — *Civiltà Cattolica*, serie III, vol. V: Musica religiosa. — *Annali Religiosi*, Roma, vol. XVI et seqq.

Ipsa harmonica in Ecclesia cantus (ubi non sit more theatri exercitus et modo fiat moderate) permittit potest. Non tamen illum Ecclesiasticis commendari posse existimamus, ut nempe ipsi per se ei incumbant, cum ideo de facili propria munia negligant; et maxime quia occasionem inde soleant, ut plurimum, arripere et profanos musicales conventus frequentandi, et festis diebus potissimum solemnioribus, huc illucque, quasi mimi, cursitandi: quo fit (experientia teste), ut proprio decori et characteris gravitati, non sine maximo fidelium scandalo, deficiant. Pius PP. IX Litteris Apost. 1855 *Cum Romani pro Seminario Pio statuit: Cantus gregorianus, omni alio rejecto, tradetur.*

De cantu, motetis, organo, et musicis instrumentis V. Benedictus XIV.

Encyclica Annus 1749; et dicenda *De Sacramentis in genere*, in Adnotationibus.

595. Huc faciunt pro nonnullis illa D. Bernardi: *Cantant, ut placeant populo, magis quam Deo; si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis et facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto et animum; frangis vocem, frange et voluntatem...; cave ne sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis* (De interiori domo, cap. LI).

(D) Page 372.

596. Mirandum sane esset, imo lugendum maxime, si legis doctores atque custodes scientiarum studia negligenter hac ætate qua non solum laicos homines se ignorantia incusari puderet, sed et debilis sexus hanc eandem notam male audiret in se jactam; inque nulla alia re tantum insudare videntur sæculi homines politiones, quam vel ab ipsis vulgi personis inscitæ caliginem depellere et ubique scientiæ radios diffundere. Ita ait Aquensis Episcopus Epist. Kalendario anni 1847 præfixa. Male pariter pronuntiandum est de illis qui toti sunt in profanis studiis, ac quæ sua sunt floccifaciunt. Istis aptari potest illud Tullii: *Etiamsi longa homini vita suppeteret, tempus parce dispensandum esset, ut sufficeret necessariis; nunc autem quæ dementia est supervacanea discere in tanta egestate temporis?* V. Frassinetti, *Riflessioni agli Ecclesiastici*. — Marchetti, *Il Sacerdote cristiano*. — Riccardi, tum *Pratica de' buoni studi*, c. I et II; tum maxime *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. IV. — Audisio, *Introduzione agli Studi Ecclesiastici*. — Salzano, *Lezioni di diritto, ecc.*, parte II, lez. 8: *Studi. It. De Pœnitentia*, ubi de confessarii scientia.

597. Indefessi studii necessitas hodie maxime urget nos, tum ut valeamus occurrere tot malis, quæ ob scientiæ abusum ubique exundant; tum ut ignorantia notam, qua nos insectantur, a nobis omnino avertamus, sed merito usurpare possimus illud D. Hieronymi (*De scriptoribus Eccl.* in prol.): *Discant Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes; discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri Eam fundaverint, extruxerint et adornaverint. Et desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant.* — V. Cardinal Mai, *I meriti di Pio VII e del Clero verso la letteratura*. — Fabiani, *Dei vantaggi apportati dagli Ecclesiastici alle scienze, lettere ed arti* (*Memorie di Relig. e di morale*. Modena vol. I, II, IX, etc.). —

Chateaubriand, *Génie du Christianisme*, I, VI. — Frayssinous, *Défense du Christianisme*, conf.: Les hommes illustres du Christianisme.

598. Sit tamen modus in rebus, nam pluribus intentus minorem habet ad singula sensum; hinc illud: *Cave ab homine unius libri*, ab illo videlicet qui totus est in suis scientiis. Sunt etiam, qui ita propriis studiis vacant, ut ceteras suas obligationes negligant, nec populorum salutem curent. Nos ex illis esse haud possumus qui scire volunt, ut sciant ipsi; sed ex illis qui scire volunt, ut alios ædificent et salvent.

« Habitué dans le séminaire (ita sibi quidam sacerdos contigisse narrat cum fuerat electus Parochus), et plus tard dans la carrière de l'enseignement à converser seulement avec les livres, je fus surpris vraiment quand mon évêque m'imposa cette croix du ministère pastoral, et ma surprise même me fit apercevoir le péril. Plus d'une fois mon directeur, au séminaire, en me voyant si passionné pour les lettres, me disait: « Prenez garde! prenez garde! les grands génies, les hommes enthousiastes des livres, s'ils deviennent pasteurs, courent grand risque de négliger leurs devoirs. C'est bon pour nous dans les séminaires, qui ne sommes pas tous des aigles. Qui donc voudrait autrement consentir à enfouir son génie à l'ombre d'un clocher? » Et, faisant l'application de ce mot de saint Paul: *Non multi sapientes*, ajoutait-il, *non multi sapientes*. (*Civiltà Catt.*, ser. II, vol. II, pag. 509.) V. Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, etc., c. IX.

(E) Page 376.

599. Quamvis Ecclesia semper sollicita fuerit circa habitus clericalis modestiam, tamen usque ad sæculum VI (serius juxta alios) nulla videtur fuisse specialis distinctio quoad vestes inter laicos et Clericos extra functiones. Sed dicto sæculo illa distinctio cœpit; quia tunc togam Romanorum quæ vestis communis erat usque ad talos extensa, Clerici retinuerunt gravitatis causa (illam postea nigri coloris præscriptam); laicis autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptantibus. Postea idipsum a tercentis et amplius Conciliis constitutum est. Audiant hæc Clerici vestium laicalium amatores: *Nullus Clericus vestimenta vel calceamenta sæcularia induere præsumat* (Concilium Agathense); *Laicorum habitum non portent Clerici* (Elyberitanum); *Nemo Clericorum indumenta laicalia induat* (Mediolanense). Porro Tridentinum Episcoporum quidem judicio reliquit definire formam habitus ecclesiastici, sed addita clausula, ut *Clericorum ordini et dignitati congruat*. — Sixtus V vero Const. *Sacrosanctum*, et Benedictus XIII Const.

*Catholicæ Ecclesiæ* quoad usum vestis talaris in sacrarum functionum exercitio omne Episcopis arbitrium sustulerunt, ideoque nemo amplius eam mutare potest præter Pontificem.

Verus Ecclesiasticus suum habitum amat, ut miles sua insignia. Et quidem hic quantum faciat ad mores, res ipsa loquitur; est enim nobis iuge incitamentum ad animum ecclesiastica virtute imbuendum. Unde sicuti qui mollibus vestiuntur molliter vivunt, ita qui vestiuntur sanctis vestibus, sancte vivunt. Sane qui sunt Clerici proprium habitum erubescerent? scrutare illos: sunt vanitosi, superbi, procaces, disciplinæ impatientes, qui erubescunt proprium statum, illumque velare student, ut libere commiseri possint secularibus et omnibus profanis lusibus indulgere. Unde S. Bernardus *Apol. ad Guill. c. ix: Mollia indumenta animi mollitiem indicant.* — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., v<sup>o</sup> Habit. — *Notificatio LXXI* Benedicti XIV. — Thomassinus, *Vet. et Nova Eccl. Discipl.*, l. II — Ferraris, *Biblioth.*, v<sup>o</sup> Tonsura, Habitus, Birretum, Coma fictitia, Pileolus, etc. — Raynaudus, *Tract. de pileo.* — Macri, *Lexicon*, Camelauici.

**600.** Sed (dices) hæc levioris sunt momenti; quia ex vulgari adagio: *Habitus non facit Monachum.* — Respondet Tridentinum: *Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.* Jam vero: vel dicendum est Tridentinum, quod universam exhibebat Ecclesiam, de rebus egisse levioris momenti; vel leges ad Clericorum habitum pertinentes gravis esse ponderis. Rationem innuit laudatum Concilium: nempe Clerici tenentur ita se exterius exhibere, ut intrinsecam animi pietatem et cordis compositionem ostendant, sicque spiritualiter fideles ædificent. Atqui id per ipsum etiam Clericalem habitum obtinetur: nam ex Scriptura: *Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis annuntiant de illo* (Eccl. xix). Quæ omnia urget conventus ab Episcopis provincie Vercellensis habitus 18 nov. 1849. Hanc ipsam veritatem sic philosophice explicat S. Bernardus: *Ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiorum: vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est: mollia indumenta animi mollitiem indicant; non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Apologia ad Guill. Ab., c. ix. Et D. Ambrosius noluit in Clerum suum recipere juvenem, eo quod gestus ejus non esset decorus; noluit alterum jam clericum sibi præire, quia erat insolentis incessus: nec fefellit eum sententia: nam alter arianæ hæresi nomen dedit; alter pecuniæ studio se clericum esse negavit (Lib. *De offic.*, l. I, c. xviii). Iterum D. Ber-

nardus: *Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus... muliebria potius noscuntur insignia, quæ utique curiosius et sumptuosius illæ sibi præparare consueverunt, cogitantes nimirum quæ sunt mundi, quomodo placeant viris. Verum tu, Sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? si mundo, cur sacerdos? Si Deo, cur talis populus, talis et Sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium?* (De vit. et mor. Episc.) Clericos istos ne quo nomine appellare debeam scio; Clericos? qui imperium auspiciisque canonum abnuerunt, sacramenti religionem ruperunt? Ministros Christi? qui a Christi ministerio defecerunt? Hostes? corpora et ora amicorum agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium video.

**601.** Quid (quæres) de coma supposititia seu adscititia, vulgo perruque? — Certum est non posse sacerdotes missam celebrare cum tali coma sine dispensatione Romani Pontificis. Cum enim Urbanus VIII, testante Benedicto XIV, præceperit, *ut nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine*, quæsitum est a S. C. Congregatione, utrum pileoli nomine comprehendatur etiam coma supposititia, etsi decens ac modesta? Responsum fuit *utique comprehendendi*. In hujus decreti sequelam Innocentius XII per Apostolicos Nuntios jussit Episcopos admoneri, ne quemquam permitterent sine Apostolicæ Sedis privilegio Missam cum tali coma peragere. — Extra Sacrificium autem, et quoad ceteros etiam Clericos plerisque Episcopis coma hæc semper visa est valde indecora, ita ut proprius in Synodis (ut in Novariensi, pag. 166) illam graviter Clero suo universo ipsi prohiberint. « Sane quid indecorum magis ac vanitosum, ait Benedictus XIV, quam ut extraneam comam capiti superinducant, qui sacra militiæ non nisi per comæ propriæ abscissionem adscribuntur? » (De Syn., l. XI, c. ix; et *Notifical.* xxv, n. 14.)

Ad modestiam capillorum hortatur D. Paulus (I Corinth. 11): *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.* Sunt qui irrident hanc prohibitionem, sicut et ceteras, quæ prima fronte videntur esse parvi momenti. Hi tamen novi sunt; qui enim experientia sunt magistri, hoc summo opere laudant; nam a minimis incipiunt qui in maxima pro-ruunt.

Communiter docent grave esse celebrare cum capillitio ficto, sine permissione sedis Apostolicæ: utrum sit etiam mortale, celebrare cum pileolo vulgo *calotte*, alii affirmant cum Armilla, quia gravem irreverentiam includit; alii negant cum Ledesma, quia non pareret tantam admirationem. Sed alii tenent probabiliter cum Quarti, Layman, Sylvio, Croix, etc., id esse graviter illicitum, si fiat per totam missam; at grave

non esse, imo posse sine peccato et sine dispensatione celebrare cum pileolo (*calotte*), excepto canone, et præcluso scandalo, uti si fiat in loco privato vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta, puta ob senectutem Sacerdotis vel loci frigus, adeo ut non aliter fieri possit sine gravi incommodo. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 597. — Bovicelli, *Storia delle parrucche*, ubi etiam de almutia.

(F) Page 397.

Hic nonnulla quoad ea quæ specialius Clericis vetantur.

**602. a)** Quoad cohabitationem cum mulieribus. Tridentinum statuit eos omnes clericos qui a superioribus moniti, concubinas aut alias mulieres de quibus suspicio haberi possit, in domo vel extra detinent aut cum illis habent consuetudinem, priventur tertia parte fructuum beneficii aut officii. Si in eodem delicto cum eadem vel alia perseverent, licet secundo moniti, suspendantur ab ipsa beneficiorum seu officiorum administratione. Si moniti adhuc pergant inemendati, debent privari beneficiis, et inhabiles declarandi ad alia possidendi donec manifeste emendentur. Tandem statuit ut qui iterum ad vomitum redit, gladio excommunicationis plectatur; et Clerici beneficia non habentes puniantur ab episcopo juxta delicti ac contumaciæ qualitatem (Sess. 25, cap. 14).

Præstat etiam, ut singulis annis famulæ salarium usque ad assem persolvatur, ne ipsa in superbiam efferatur, aut ne (mortuo Clerico) ab hæredibus, ut evenit nonnunquam, mercede sua injuste fraudetur (V. *Metodo per la direzione delle anime*, p. 290. Milano, 1846). Ad rem item Synodus Novariensis, p. 167: *Sacerdotes et Clerici nostri districte vetantur sæminas per vias deducere, aut quod indignus esset, porrecto brachio incedentes regere, aut sese comites illis et assæclas in deambulationibus et itineribus adjungere, nisi vere rationalis hujus comitatus ratio aliquando appareret, etc.*

**603. b)** Quoad spectacula hæc Synodus Novariensis: *Nec ea spectare audeant, aut in Ecclesiasticis ædibus fieri permittunt, quamvis propinquorum laicorum nomine agerentur, sub pœna suspensionis.* Attamen quædam sunt publica spectacula, quæ ita Clericos dedecere non videntur, ut cursus equorum, ferarum septa, gesticulorum prestigia, extraordinarii conventus musici, etc. Hic res tota est dijudicanda ex motivo determinante, ex usu regionis, ex loco, periculo, scandalo, ex frequentia ac qualitate personæ et similibus. Hic satis sit hæc Synodi Novariensis verba proferre: *Absit, ut in plateis immorentur, mimos, mimasve, eorumque lascivos cantus audiendi, aut indecoros*

*gestus spectandi causa, aut noctu fidibus canendo canentesve comitanti vagentur* (pag. 168). Item si proprii officii ratio aliter non expostulat, congruentius est ut Ecclesiasticus, quoad potest, ab omnibus sæcularibus conventibus abstineat, ne illud sibi contingat? *Quoties inter homines sui, minor homo redii* (Imitat. l. I, c. n). Quod vero speciatim pertinet ad sæcularia convivia, scribit Hieronymus ad Nepotianum: *Nunquam petentes, raro accipiamus rogati: facile contemnitur Clericus qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.* — V. *Conc. Agat. in Can. 19, dist. 54. Conc. Laodic. can. 55, can. Non licet 42, dist. 44.*

**604. c)** Quoad ludos observamus: dedecet ut clerici pila publice ludant, veste exuti, sæculari libertate procaces, bibentes, perstreptentes, etc. Nostrum levamen modum, locum et tempus habere debet; atque ita semper ut neminem offendat.

Ludus alearum proprie dictus, uti docent latinæ linguæ magistri, totus est in pura sorte. Unde illius exitus pendet a simplici casu, quin ullam in eo partem habeat ars et industria ludentis. Talis est ludus taxillorum, vulgo *dés*, etc. Juxta S. Isidorum *alea inventa est a Græcis in otio Trojani belli a quodam milite nomine Alea, a quo et ars nomen accepit* (V. Rosignoli, *Il giuoco di fortuna*).

**605.** Etsi præset, ut Ecclesiastici generatim valeant omnibus negotiis sæcularibus, id tamen per se non impedit, ut justa interveniente causa, etiam aliquod publicum munus ac politicum officium aliquando obire possint. Hinc Tridentinum, sess. 25, c. 1 de R. dum vult residere Prælatos, excipit inter cetera, *nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et Reipublicæ officium.* Sane ex historia plane constat, rem civilem sæpius prudentia Ecclesiasticorum, qui erant a publicis consiliis, stetisse. Adde id non parum conferre ad Religionis tutelam, cum videlicet et consilio et voto injusta decernentibus efficaciter obstare valeant; melius autem profecto est prohibere ab initio, ne iniquæ condantur leges, quam jam conditis mederi. *Dernier discours de Talleyrand à l'Académie des sciences morales et politiques, dans lequel est démontrée à merveille la supériorité des théologiens dans la diplomatie et dans la politique.* — Peraldi, *Del civile principato della Chiesa romana*, p. III, c. LXXII: *l'aperta inabilità dei preti a reggere lo Stato è un'assurdità.* — Margotti, *Le vittorie della Chiesa nel primo decennio del Pontificato di Pio IX.*

Verum pro praxi, quia id non de facili evenire potest sine proprii officii vel ministerii læsione, ne Clerici publicum ac civile munus sumant proprio Marte, sed audiant Provinciæ Vercellensis Episcopos, qui Litt. 18 nov. 1849: *Monendum Clerum censuerunt, non posse*

quemquam absque Episcopi venia civilia officia acceptare: quam veniam Ordinarii libenter indulgebunt, ubi peculiariora rerum adjuncta suadeant; notissima sane sunt Apostoli verba: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (II Tim. 2). Concinnunt sacri canones, quos inter cap. 3, dist. 88: Episcopus aut presbyter aut diaconus nequaquam sæculares curas assumat. Hanc veniam similiter impetrabunt qui ad præceptoris ac magistri munus assumuntur. Sane superioris esse debet videre, an Clerico nocenti esse possit munus quod exorbitat ab ejus vocatione; nemo enim facile judex in causa propria.

(C) Page 387.

606. Omnes obligationes Clericorum quatuor monitis includimus, ut ita uno sub intuitu omnes ab omnibus conspiciantur.

MONITUM PRIMUM.

Vocationem, habitus gravitatem et obedientiam commendans.

Habitu suscipe	non ex	Levitæ Avaritiæ Ambitione	Sed	Vocante Deo Zelo tuæ proximi- que salutis.
-------------------	--------	---------------------------------	-----	--

Incede in habitu Canonico	Gravi Modesto Mundo	Indues sanctis vestibus. (Exod. xl.)
---------------------------------	---------------------------	--------------------------------------

Esto Episcopo	Obediens in	Præceptis Decretis Monitis;	Obse- quens	Corde. Verbo. Opere.
------------------	----------------	-----------------------------------	----------------	----------------------------

Fuge Domus suspectas, — Consortium mulierum, — Ludos, — Choreas, — Theatra, — Venationes perstreptentes.

Fuge	Contemptus Susurrations Tumultus	in	Episcopum. Superiorem. Quemcumque.
------	--	----	--

Viles famulatus, — Turpem avaritiam, — Sæcularia officia.

Ab omni specie mala abstinete vos.

I Thess. V.

MONITUM SECUNDUM

Exteriorem sese gerendi rationem exhibens.

Scientia	Divina Ecclesiastica Civili	Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fun- garis mihi. Os. iv.
	Prudentia in Conciliis Judiciis Imperiis	Dux indigens prudentia multos opprimet. Prov. xxviii.
Modestia et Gravitate in	Indumentis Sermonibus Moribus	Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. Eccl. xix.
Liberalitate erga	Peregrinos Pauperes Templa	Quomodo poteris, esto mi- sericors. Tob. iv.
Temperantia in	Divitiis Conviviis Solatiis	Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ. Luc. xxi.
Integritate coram	Deo Hominibus Te ipso	Custodi temetipsum, et ani- mam tuam sollicite. Deut. iv.
Obedia Obsequio Amore	erga	Sanctam Ecclesiam. Summum Pontificem. Ejusque Decreta. Qui vos au- dit, me audit; qui vos sper- nit, me spernit. Luc. x.

In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum... ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis.

I ad Tit. II.

MONITUM TERTIUM

Dignitatem Sacerdotis attollens.

Perpende muneris tui	Dignitatem	Angelicis humeris formidandam Regia celsitudine excelsiorem Omnibus venerabilem.
	Potestatem admirandam	In corpus et sanguinem Filii Dei In remissionem peccatorum In aereos ac tartareos spiritus.
Strictam obligationem studendi		Angelicæ puritati Seraphico fervori Incessanti progressui in virtutibus.

Per quod factus es { Interpres et legatus Dei,  
Sacerdos offerens et immolans Filium Æterni Patris,  
Mediator inter Deum et homines,  
Dispensator mysteriorum Dei.  
Sacrorum contemptor,  
Summi Pontificis auctoritati parum obsequens

Cave itaque ne sis { Periculosa ac dubia doctrinae sectator  
Rigidus et asper, aut remissus in Pœnitentes  
Avarus, immundus, impudicus, violentus, turpis lucri cupidus,  
(I Tim. iii, I Tim. i.)

Sed esto { Sobrius, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.  
(Heb. vii.)

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus; et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei. Lev. xx.

## MONITUM QUARTUM

Media tutissima exhibens.

Timor	Amor	Custodia	Sancta occupatio	Ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, sint in vobis (Eph. iv.)	Assidua frequentia	Devotio erga	Fidelitas in	Electio et Moderatio	Dei.
									Cordis. Sensuum.
			Memorie Intellectus Voluntatis						in iis quæ sunt proprii muneris.
									Collationis cum Confessario. Lectionis spiritualis. Orationis vocalis, mentalis, jaculatoriæ. Examini conscientie. Sacramentorum. Deum et Jesum Christum. B. Virginem Mariam Sanctos.
									Servanda temporis œconomia. Sanctificandis Festis. Obeundis quotidianis pietatis officiis.
									in Conversationibus.

Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. I Tim. iv.

## (II) Page 394.

607. Quomodo se gerere debet Episcopus cum suo Clerico, qui declaret se ad aliquod religiosum Institutum vocari?

R. Certum est, Episcopum non posse regulariter loquendo impedire suum Clericum a religione approbata ingredienda, et etiam contradicente Episcopo, Clericum Religiosum fieri posse: quod intelligitur non tantum de religione vitæ contemplativæ, sed etiam activæ. Hoc jure definitum est (cap. *Dux sunt leges*, caus. 19, quæst. 2. — Concil. Toletan., n. 653). Et fuse probatur a Benedicto XIV Bulla *Ex quo*, 14 jan. 1747. Sane obligatio voti perpetui præfertur omni aliæ obligationi, ut ait Angelicus (II, II, q. 189. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I, IV, n. 74; I, VI, n. 828. — Bouix, *De regul.*). Attamen si Clericus habeat curam animarum, antequam regimen Ecclesiæ dimittat, debet Episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum natura fert, aperire: in quo non tum officio et honestati, quam naturalis legis præcepto satisfaciet. Quoad alios vero Clericos et beneficiatos pertinet, etsi ipsi quoque ex officio et honestate teneantur Episcopum certiorare, non peccant tamen si id omittant ob metum reverentialem, ne forte ab ejus desiderio implemento revocentur. Insuper statuit laudatus Pontifex, beneficium illius qui religionem est ingressus, non vacare nisi post professionem; et interim beneficiatum fructus illius lucrari, ac si legitimo impedimento detineretur (non vero distributiones, si beneficium sit chorale). Quin imo si quis forte Religionem ingressurus beneficium dimitteret, vel etiam si tempore novitatus ejus dimissionem expleret, nihilominus omnia in suspenso remanere deberent, neque posset Episcopus ad beneficium sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem. Sententia autem communiter recepta docet, vota simplicia quæ emittuntur in Societate Jesu post biennium novitatus non inducere per se beneficiorum vacationem: quia tamen ex Statutis ejusdem societatis antequam ista vota emittantur, ecclesiastica beneficia sunt dimittenda, ideo si nequiquam propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur. — V. Rigantius, *Comment, in regulas Conciliaræ Ap. Regula*, 46.

608. Addit card. Gousset, *Theol. Mor.*, n. 558: *Ce qui vient d'être dit ne s'applique qu'aux clercs qui veulent entrer dans un ordre religieux. Cependant, comme il est très-important de soutenir et d'alimenter les congrégations séculières, dûment approuvées, dont les sujets sont destinés aux missions étrangères ou à la direction des séminaires, ou à l'éducation des jeunes gens, un évêque s'expo-*

serait au danger de contrarier les desseins de la divine Providence en mettant des entraves à la vocation d'un prêtre qui désirerait entrer dans une de ces congrégations, si ce prêtre était d'ailleurs jugé digne et capable. L'épiscopat est solidaire par tout ce qui intéresse l'Eglise. Qui autem in religiosis familiis quæ non habent, nisi vota simplicia, professionem emittunt, beneficia non amittunt; si tamen beneficia residentiam exigant, potest ordinarius taliter professos adigere ad resignandum tempus constituendo: quo elapso, possunt aliis beneficia conferri. Ita S. C. C. 23 nov. 1853.

609. Sed dices: Si omnes se clauserint, quis sæculares homines lucrifaciet? Respondet divus Hieronymus ad Vigilantium: Rara est hæc virtus nec a pluribus appetitur. Adde: Episcopus ex ipso Benedicto XIV potest revocare suum Clericum a Religione etiam post professionem, si inde grave detrimentum obveniat Ecclesie cui erat ad dictus. Hinc supra diximus *regulariter loquendo*; duo enim hic casus excipiuntur:

1. Si Ecclesia grave detrimentum patiat (uti revera patitur in regionibus ubi pauci sunt clerici et pauciores in dies evadunt) potest episcopus revocare a Religione clericum, uti ait laudatus Benedictus XIV confirmans quod jam statuit Innocentius IV cap. *Licet*. Si gravis necessitas temporalis parentum est motivum differendi, et etiam omittendi ingressum in religionem; an non etiam gravis Diocesis necessitas spiritalis? Si autem tunc episcopus valet revocare a Religione clericum, sequi videtur quod possit etiam impedire ne illam ingrediatur, seu ne ecclesiam suam deserat. Profecto ecclesiasticus qui serio affirmat se pro sua fragilitate in discrimen salutis venire remanendo in sæculo, in vitus non est detinendus. At si id affirmare nequeat, sed solum agatur de desiderio religiosæ vitæ, poterit episcopus illum prohibere, ne locum suum deserat, relicta semper facultate recurrendi ad S. Pontificem per Congregationem Episcoporum et Regularium, si se injuste gravatum sentiat clericus impeditus.

2. Si clericus sub conditione inserendi suæ Diocesi fuerit educatur; nam si religionem ingredi est de consilio, pacta servare est de justitia. Quæ promissio aliquando juramento firmatur, ut in Seminario Piano (ex Apost. Litt. Cum 1853 Pii IX); et solus legitimus apostolatus missionum exterarum donec ad illas incumbat ecclesiasticus, ab hoc vinculo eum absolvere potest. Quod juramentum emittitur etiam jam a duobus sæculis ab alumnis collegii de Propaganda fide; imo nulla est professio si illam emittant sine expressa Papæ licentia (Alexander VII Brevi Cum circa). An autem hoc ipsum sit extendendum ad Clericos qui gratis in Seminariis educantur ex piis largitionibus ad hunc finem institutis affirmant plures; tacito enim contractu ligati censentur ad

inseriendum illi Diocesi, cujus sumptibus educantur; pro bono enim uniuscujusque Diocesis illi loci gratuiti fundati sunt. Hac de causa D. Carolus in regulis Seminarii ita præscripserat: Si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiamsi de religione ingredienda ageretur, de eo archiepiscopum vel rectorem certiore faciat; peccaret enim si in Seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro hujus ecclesie auxilio sustinendos est constitutum (part. III, c. 1). Sunt tamen qui censent non ita certum esse, quod Clericis gratuite educatis præcluso pacto sit interdictus religionis aditus; quia volunt, quod fundatores illarum piarum largitionum unice et præcise intendant subvenire Ecclesie in genere; et hoc satis obtinetur etiam per Clerum regularem. — V. *Prælectiones juris canonici habitæ in Semin. S. Sulpitii*, Paris 1859, t. II, p. 2. — Bouix, *De jure regularium*, part. IV, t. I.

Quædam breviter ad rei complementum tum de *visitatione Liminum SS. Apostolorum*, tum de *Vicariis ac Provicariis generalibus et Apostolicis*, tum de *Academiis*, ac de *Auditoribus*.

610. a) Sixtus V Constitutione *Romanus Pontifex* omnibus præcipit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis ut antequam consecrentur, pallium assequantur, de una in aliam Ecclesiam transferantur, licet sint Cardinales, singuli jurent se statis temporibus Limina SS. Apostolorum personaliter visitaturos; et si impediti fuerint, hoc se impleturos esse per aliquem de sui Capituli gremio, vel per alium Ecclesiastica dignitate aut beneficio præditum, qui interim faciet fructus suos. Quod pluribus commendatur; decet sane quod omnes orbis Episcopi Romam veniant, tum ut cineres SS. Apostolorum venerentur, tum ut omnium actorum rationem reddant; tum ut R. Pontifici submissionem profiteantur; tum ut Principem Sedem dignoscant, catholice unitatis centrum, Episcopatus apicem, unde ipse Episcopatus ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit, ab eaque Sede opem, auxilium, presidiumque implorent. — Habita tamen fuit ratio distantie: sic *Itali* singulo triennio; *Galli* singulo quadriennio; *Asiæ* vero et *Hiberniæ* Episcopis satis est, ut Limina visitent singulo decennio, etc. Item hodie petita licentia passim benigne conceditur, ut Episcopi justo quolibet impedimento detenti, Limina visitent per procuratorem, etiam per Sacerdotem Romæ degentem; qui tamen de rebus Ecclesie et Diocesis sit probe instructus. V. Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. XIII, c. vi, et l. II, c. vii. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v<sup>o</sup> Limina Apostolorum. — Bouix, *De episcopo*, pars V, c. III; et p. IV, c. I; ubi docet ad Limina visitanda non teneri ex præcepto neque Episcopos coadjutores, neque Episcopos qui habitalem dumtaxat retinent cathe-



dralitate, seu Episcopos *in partibus* (infidelium), qui vocatur etiam *titulares*, vel *annulares*; ex S. C. C. et Clementis VIII auctoritate.

611. b) In Vicario Generali Capitulari requiritur ætas 25 annorum inchoatorum; talis enim, ex cap. *Cum in cunctis, de elect.* in 6, requiritur in iis, quibus cura animarum imponitur; porro Vicarii Capitularis officio animarum cura inhaeret, cum penes illum resideat ordinaria et generalis jurisdictio. Insuper ex Tridentino requiritur, *ut saltem in jure Canonico sit doctor vel licentiatas, vel alius quantum fieri poterit idoneus*. Vicarius Capitularis non potest ipse alium substituere et eligere cum ordinaria jurisdictio ex S. C. C.: *Non potest in locum sui quempiam substituere, nisi in tribus casibus, id est infirmitatis, ad modicum tempus et in delegatis* (alium videlicet delegando in casu particulari ac transeunte). Ita Barbosa, *Collectanea de cretor. in Trident.* sess. 24 de R., c. xvi, n. 20. In Vicario generali Episcopi eadem requiritur ætas; et nullibi cautum est, ut talis Vicarius debeat esse *doctor* de absoluta necessitate (et tanto minus quod sit in civili jure laurea donatus). Monacelli testatur esse de stylo S. C. C. Episcoporum mandandi Episcopo, ut habeat Vicarium doctorem. Ferraris dicit quod S. C. C. concedit etiam posse Episcopum tenere Vicarium non doctorem, si idoneum, præsertim dum ipse Episcopus jurista residet. Devoti, Salzano aliique admittunt etiam non doctorem; si aliunde de viri peritia manifesto constet. — V. Berardi, *Comment. in Jus Can. de Vicariis Episcoporum*. — Sed tota quæstio de *Vicariis generalibus* fuscè pertractant *Analecta juris pontificii*, anno 1858.

c) De substituto Vicarii generalis episcopi, qui in jure vocatur *Vicesgerens* (vulgo *Provicarius*) nil dicendum; si enim sit verus substitutus et non merus delegatus, idem tribunal habet cum Vicario ipso generali, ac proinde etiam cum Episcopo: consequenter ab eo non datur neque ad Vicarium generalem neque ad Episcopum appellatio. V. Bouix, *Tractatus de judiciis*, tom. I, p. 2; et Laurentius, *De Vicariis Episcoporum*, c. 1, q. 5. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Vicarius capitularis, generalis.

d) In *Thesouro Resolutionum*, S. C. C., tom. XXVIII, ad annum 1764, 14 jan. in *Urbaniensi* legitur: « Quod Vicarius generalis Episcopi nequeat simul esse Parochus; præsertim si Parochia extra civitatem sit, Canoniste non contemnendi affirmant (Barbosa, *In Summ. coll. decis. verb.* Vicarius, n. 5). Id pluries decrevit S. Episcoporum Congregatio in resolutionibus quas refert Nicol. in verb. Vicarius, n. 37. Idipsum statuit sacra hæc Congregatio in Nullius, 12 maii 1629. » Requiritur autem Pontificia dispensatio, ut possit religiosus adsumi in vicarium generalem Episcopi. V. Bouix, *De Episcopo*, in proemio; it. *De Judiciis*, t. I, ubi de Vicario generali.

612. e) De Vicariis generalibus Monialium nulla quæstio; habentur uti simplices delegati ab homine: proinde inspiciendæ sunt demandatæ Literæ. V. Formularium apud Salzano, *Lezioni di diritto*, v. IV, p. 155; et apud Monacelli.

613. f) Sunt Vicarii Apostolici administratores episcopi, quos constituit Pontifex pro regimine alicujus Diocesis, sive cum metus est ne diutius Ecclesia Pastore careat, sive cum dissidia fore perspicitur in Vicarii Capitularis electione, sive cum Episcopus aliqua de causa recte munus suum non potest implere. *Vid.* Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. II, c. x. Episcopus administrator dum cantat missam et vespas in pontificalibus uti debet solo faldistorio: nequit indulgentiam 40 dierum elargiri. Assistens missæ solemniter sedet in primo stallo chori, nec canici tenentur ad circulos. Nequit celebrare anniversarium suæ consecrationis, neque ejus nomen memorari debet in Canone. Non ei competit septimum candelabrum in missa pontificali. S. R. C. 22 aug. 1722.

614. g) Academiae seu Universitates (*universa studia*) appellantur scholæ publicæ in quibus doctrinæ sacræ traduntur, scientiæ humanæ, artesque liberales. Sola ecclesiastica auctoritas erigere valet Universitates proprie dictas, siquidem universitates uti tales complectuntur etiam facultates theologiæ et canonici juris. Ridiculum autem est, quod laicus testimonium dicat, judicium ferat et doctorem faciat aliquem in rebus sacris, cum circa istas nulla sit ejus auctoritas: ideo si id fiat, laurea illa nullius est roboris in faciem Ecclesiæ. Item si Universitas habere debeat privilegia sua ultra limites hujus vel alterius diocesis, id est in toto catholico orbe, interveniat necesse est suprema Romanæ Sedis auctoritas. — V. *Prælect. canonice S. Sulpit.*, t. II, p. 2. — *Lettera circolare* del P. Arcivesc. di Torino, M. Franzoni, 25 agosto 1854. — *Analecta juris Pontificii*, vol. I et seqq., de l'Éducation cléricalle, etc. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Magister.

S. Rituum C. 19 dec. 1695 decrevit: Academiae, etiam in honorem Sanctorum, removendæ sunt ab ecclesiis; et circa lucubrationes litterarias quæ ab academia recitantur, episcopus invigilet.

615. h) Loquendo de *Auditoribus* in genere, si hoc nomine indicantur quibus cura demandatur causam audiendi et examinandi (c. *Super quæst.* art. 27, § *intentionis de off. et potest. jud. deleg.*). At ordinarie nequeunt causam definire, nisi delegatam habeant facultatem (*Clement. Auditor*).

Plura autem ipsorum Auditorum genera: est Auditor Nuntii, sed plerumque hic non est nisi theologus a privatis consiliis, qui tamen solet etiam Secretarii munus apud illum exercere; quamquam alicubi, uti in Hispania, jurisdictio aliqua gaudeat: qua de re vid. Concordata

ac initæ Conventiones. Et Cardinales et Episcopi sibi assumere possunt Auditorem; sed non ad modum quo Vicarium generalem assumunt: hic enim est a jure, et ideo semel electus ordinariam habet jurisdictionem; ille vero non esset nisi a privata Episcopi vel Cardinalis voluntate, atque ad splendorem potius, ut ita dicam assumptus, qui proinde nonnisi causas sibi specialiter a Prælo delegatas valet cognoscere. Sed hic maxime veniunt tum *Auditores Rotæ*, qui duodecim sunt, tum *Auditor Cameræ*, qui unus est: omnes veri iudices, quibus principales et universales causæ competunt in Curia romana. — V. Ferraris, *Biblioth. Canon.* etc. v<sup>o</sup> Auditor. — Moreri, *Supplem. ad Dictionnar. universale*, etc., v<sup>o</sup> Auditor. — Schmalzgrüber, *In tit. I, l. II, Decret.*, n. 15. — Bouix, *De judiciis*, vol. I, pars II<sup>a</sup>; it. *De curia Romana*, part. ultima.

## (I) Page 397.

616. *Distributiones quotidianæ* sunt certi redditus, qui dantur iis qui Choro intersunt. Habentur uti præmia, quæ singulis diebus et horis adscripta sunt, ut facilius ac frequentius hæc illecebra ducti ad chorum conveniant canonici. Tridentinum statuit, ut ab Episcopo constituentur, ubi nondum sunt receptæ; atque ut amissæ ab absentibus inter præsentem dividantur, si canonici habent communes redditus. Vel fabricæ Ecclesiæ, aut alio loco pio, arbitrio Episcopi adscribantur, si absentes habent præbendam a communi mensa distinctam. — Sess. XXI, c. III; et sess. XXII, c. III, *De Ref.* — Bouix, *Institutiones Juris Can., de Capitulis*. — Scarfantonius, *Animadversiones ad lucubrationes canonicales Ceccoperii*.

Tridentinum etiam vult, ut absentes distributionibus careant, *quavis collusione, aut remissione exclusâ*; unde Canonicus absens si eas accipiat, invalide accipit, ut declaravit Bonifacius VIII. Est *collusio*, quando Choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentibus. Est *remissio*, quando pars una sponte, et sine ulla conventionem jus suum ad lucrandas distributiones illius qui abfuit, illi remittit. Adhuc tamen licita est *donatio*, quæ tunc fit, cum canonicus distributiones jam perceptas et possessas non interessentibus donat, nullo omnino pacto præcedente.

617. Sunt casus, in quibus canonici tuto abesse possunt a choro quin amittant præbendas; sed amittunt distributiones. In hoc casu versantur canonici *examinatores* etiam synodales (nisi alicubi aliter ferat probata consuetudo vel statutum); canonici *deputati* ab episcopo ad visitanda hospitalia et ecclesias diocesis; canonici (sed duo tantum), qui ab episcopo assumuntur in suo et Diocesis servitio, ut in visita-

tionem; canonicus qui officio *Vicarii generalis* fungitur apud episcopum; qui inservit tribunali S. Officii; administri Cameræ Apostolicæ. Item Canonici *seminario assistentes* (imo aliqui volunt hosce etiam distributiones lucrari). Ex Tridentino porro tres sunt species deputatorum pro Seminariis; *prima* est duorum Canonicorum ab episcopo eligendorum pro administratione spirituali, quæ regulas, libros, pietatemque respicit; *altera* est duorum de capitulo pro administratione temporalis, quorum unus ab episcopo, alter a capitulo est eligendus; *tertia* species est duorum de clero, et duorum de capitulo: primi a clero, secundi a capitulo eligendi sunt pro reddenda ratione de seminarii administratione. Item lucrantur præbendam, non autem distributiones *docentes* scripturam sacram et theologiam in scholis publicis (*Trident.*, sess. v, c. 1; et c. finali *De magistris*): quod Concina cum canonicis extendit etiam ad docentes canonicam, philosophiam, imo grammaticam; quia hæc necessario sunt præmittenda ad theologiam addiscendam. Tandem lucrantur fructus præbendæ (non tamen distributiones), atque a choro legitime absunt canonici et præbendati (modo in probabiliori sententia non sint parochi), *studentes* theologiæ, seu juri canonico seu Scripturæ sacræ in publica schola, modo studiis vacent per majorem anni partem, et habeant ab Ordinario licentiam; quæ licentia olim suffragabatur pro quinquennio studendo sacris canonicis, pro septennio studendo theologiæ vel scripturæ; at nunc Innocentius XII decrevit ne privilegium illud ultra triennium duraret, neque ut concederetur iis qui jam annum 25 attigerunt. V. Auctores in textu jam laudati; item indulta particularia ac legitima probatæque consuetudines.

618. Canonici qui deportati fuerunt, vel alio confugerunt ne deportarentur a gallico gubernio persecutore, tanquam præsentem habebantur et lucrabantur tum distributiones, tum emolumenta ex legatis et funeribus, etc. Ita pluries S. C. C. 17 sept. 1814; 17 dec. 1815, etc., etc. V. *Analecta juris pontificii* anno 1860, pag. 112.

## (J) Page 400.

619. a) Parochia vel Parœcia vi nominis græci idem est ac *partitio*, id est *partitio curæ*: inde Parochus dicitur cui cura illa committitur, vel etiam Curatus. De Parochis V. Liguori, *Opuscol. Avvertimenti ai Parochi*; it. *Homo Apost.* tract. VII, nn. 14 et seqq. ubi fusius agit auctor peritissimus. — Segneri, *Il Parroco istruito*. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v<sup>o</sup> Parochia, Parochialis, Parochus, Parochianus. — Abrate, *Lo spirito del Parroco esposto ad un giovane Sacerdote chiamato alla cura delle anime*. Roma, vol. IV. — Mé-

thode pour la direction des âmes et pour la bonne direction des paroisses. — Abreu, *Institutio Parochi seu speculum Parochorum*. — *Manuale ecclesiastico proposto al clero di Novara da S. E. il Card. Morozzo*, Novara, 1854. — *Specchio del Clero*, etc. — Huc venit etiam maxime commendandus liber: *Regulæ pastoralis* S. Gregorii M. vere magni in omnibus, in pietate, in philosophia, in theologia, in Scripturæ intelligentia, et animarum regimine. Hic habes quomodo te ipsum dirigas, et alios fructuose moneas.

620. b) Eisi magni habeamus Parochi dignitatem, absit tamen ut ejus institutionem dicamus de jure divino, uti perperam demonstrare contendit inter alios Miotti in suo Opere, *Dei Parrochi santi*: hoc enim unum habet a Deo Parochus, Sacerdotium; sed hoc illi cum ceteris presbyteris est commune. Hinc in hierarchia Ecclesiæ Catholicæ divina ordinatione instituta nulla fit Parochi mentio (*Trident. sess. 25, c. iii*). Merito ergo D. Thomas ait, Parochum talem fieri per *simpli- eam injunctionem* Episcopi (2, 2, q. 184, a. 6). Neque ideo mirum, quod aliquibus in locis, uti in Gallia, Parochi sint amovibiles, probante Gregorio XVI (V. *Analecta juris Pontificii* 1855). — V. Mario Lupi, *De Parochis ante annum Christi millesimum* Romæ. — Nardi, *Dei Parrochi*, Pesaro 1850, II vol. in-4, ubi solide id defenditur. — Bouix, *De Parochis*, pars I, qui etiam fuse.

621. c) Sunt qui nimis audaces sine superioris venia volunt Parochi munus suscipere; et sunt nimis timidi, qui etiam superiore vocante, illud recusant, quasi de eorum salute actum sit, si semel animarum curam suscipiant. Primi, qui si ad curam quam cupiunt non eliguntur, Episcopum de injustitia incusant, audiant Riccardi: « Un prêtre d'esprit et de vrai mérite ne se croit jamais digne de la promotion au point de se plaindre de l'exclusion; le supérieur se trouve trop souvent exposé aux ressentiments du monde pour avoir fait la volonté de Dieu, qui par des voies cachées le conduit à seconder ses desseins. » — Secundi sciunt ex omni regione esse Parochos vite sanctitate percelebres: Hollandia quatuor colit animarum curatores glorioso martyrio coronatos; Gallia habet S. *Ivonem* Carnotensem, et nuper pium Sacerdotem Viannay parochum Ars († 1859); Filandia S. *Valerium*; Venetiæ B. *Joannem Olini*; Neapolis B. *Grimualdum*; Hetruria B. *Albertum*; Fossanum B. *Odinum*; Germania *Sarcandrum* in Moravia nuper beatorum corona a Pio IX donatum; et Novariensis Diæcesis humiles Dei servos *Giacobini* præpositum Varalli († 1752), *Ponzone* archipresbyterum Aronæ († 1652), *Arista* parochum Castelletti ad Ticinum († 1691), *Manini* parochum Pesonii († 1655), *Migliacca* parochum Massiolæ († 1818.) — V. Miotti, *Dei Parrochi santi*. Opera, typ. Padova 1786: ubi quatuorcentum circiter

enumerantur Parochi in sanctitatis odore defuncti, quorum quidem trecentum curam animarum actu gerebant, dum mortui sunt.

622. d) Stapf, § 73, nuperum Parochum optime monet: *Præsertim ab initio muneris pastoralis in causis delicatioribus nullus nimium sibi imitatur. Etiam præclarissima theoria, ubi per sufficientem experientiam nondum subacta et firmata fuit, nos sæpe vel inopes relinquit, vel subdolo quodam affectu infecti solet*. Item nuperus Parochus urbanitatis leges servet erga illos qui, in auctoritate sunt constituti, iis primum suam electionem significans, ac dein eos invisens. In sua prima concione amorem et reverentiam sibi conciliet maximam, atque usibus Parœciæ studeat, ne quid inusuetum a principio proponens animos avertat, etc. (V. Soetler, *Monita ad Parochos ab Emin. Morozzo edita*, c. ult.). Item maxima cautela opus habet in re sua familiari; cum enim in eum sint omnium oculi, rem suam domesticam ita instituat, ut nec tenacitatis nec prodigalitatibus, vel incuriæ accusari queat: caveat, ne nimia sollicitudine erga suos prematur, adeo ut magis videatur temporalem nepotum, quam spirituales populorum curam habere, mercatus indecore frequentando, et luca diu noctuque honestis inhonestisque modis quæritando. Domesticis (præsertim si mulieres sint, quas adeo sunt loquaces) ne fidat, nec cum illis familiariter utatur.

Item cavere debet parochus ne se inmiscet in privatarum familiarum negotiis, aut communitatis; cum hæc fieri non possint, quin a se multos avertat. Studeat tamen quoad potest, suorum componere lites atque dissidia, ut monet P. Segneri. *Il Parroco istrutto*, c. x. Si vero suboriantur lites inter Parochos et Communitatem, vel Syndacum, eurent Parochi rem pacifice ac privatim (non per litteras) componere: quod si non valeant, Episcopum certiores faciant, neque ultra progrediantur. Ita Synodus Novariensis, p. 411. — V. Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, chapitre viii: Rapports avec les autorités civiles.

(K) Page 401.

623. An (quæres) Parochus liceat in templum inducere vexilla profana, ibique celebrare solemnitates clamorosas ad solum finem celebrandi festa sæcularia, atque in rebus pure politicis? — R. Sacra Congregatio episcoporum, respondit *negative* (15 jan. 1848) ad Vicarium Capitularem Januensem, eundemque admonuit, ut prudenter suis Ecclesiasticis persuasum faceret: *Combien il est indigne de la sainteté du temple de Dieu de laisser s'y produire des fêtes tumultueuses dans le seul but de solenniser des événements de l'ordre politique, en arborant des bannières profanes là où ne furent ja-*

mais placées que celles qui, conquises sur les ennemis de l'Église, y furent apportées comme un témoignage de reconnaissance envers Dieu!

624. Item maxime dedecet, ut sæcularis homo in Ecclesia laudationes funebres vel publicas conciones habeat: prædicatio enim quæ fit in domo dominica, sacra sit oportet, quæ ideo et personam sacram reposcit et peritiam in divina scientia supponit et Ecclesiæ mandatum exigit. In concilio provinciali III habet D. Carolus: *Nulla modo concionandi potestatem faciat (episcopus) permittitve et qui diaconus non sit.* At poterit permitti, ut tentet laicus quod nullimode debet clericus? impossibile etiam est, ut ille servet modum, atque sanctitudinem curet quæ deest domum Dei. Pugnat sane, neque sine gravi scandalo ac sacrilegio esse potest, ut laicus ecclesiasticorum munia peragat, ut profanus personam sacram publice usurpet, et in Ecclesia ex suggestu prædicet quasi magister, quem Dominus fecit tantummodo auditorem atque factorem verbi. (V. Ferraris, *Bibliothec.*, vº Laicus).

Ne tamen hocce extendas ad pios illos viros atque mulieres, qui rudimenta fidei ex Parochi delegatione in Ecclesia juvenes docent; hæc enim non est nisi privata instructio circa ea quæ omnibus adultis obvia sunt; neque proprie instructio, imo potius experimentum quo exercentur et exercitantur præcipue pueri puellaque ad res fidei ediscendas retinendasque; ideo opus laudabile, quod etiam Romani Pontifices indulgentiis cumularunt — V. Ferraris, vº *Prædicator*, n. 47 et 1099.

625. *Quomodo (quæres) se gerere debet Parochus circa publicas preces ab auctoritate civili præscriptas (v. g. Te Deum, processiones solennes, et similia) ob habitam a principe victoriam, vel aliam publicam popularis lætitiæ causam?* — R. Benedictus XIV Bulla *Quemadmodum* anno 1745, expresse prohibuit, ne iis per Parochum fiat locus sine Episcopi consensu, declarans nullius ponderis esse hæc in re Magistratum Civilium ordinationes; quia Deus *imperium Principi commisit, Episcopis autem quæ sunt Ecclesiæ concedidit.*

*Quæres: Quomodo se gerere debeant Clerici in rebus publicis, quæ inconditos clamores, et strepitum in populo excitant?* — R. Id 15 jan. 1848 declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium sic inquires: *Bien que le clergé doive se réjouir des institutions utiles et sages qui sont introduites dans l'administration de la chose publique, il ne convient pas toutefois aux ecclésiastiques de prendre part aux démonstrations populaires et tumultueuses qui en sont la suite et encore moins de les faire pénétrer jusque dans le sanctuaire destiné à la prière et à l'accomplissement des fonctions sacrées.*

626. Episcopi Provinciæ Verceilensis Lit. 18 nov. 1849 monenda

censuerunt hæc de re: « 1. non licere Parochis quidpiam ad res ecclesiasticas non pertinens publice populo in Ecclesia denuntiari absque Episcopi venia, exceptis casibus extraordinariis, in quibus ejusdem impetrandæ tempus non suppetat, quod prudenti Parochorum judicio tunc relinquitur; 2. nec posse illos ob causas mere civiles religiosa officia extraordinaria celebrare absque impetrata simili venia, nisi forte de solemnibus officiis agatur, quæ ob eandem causam jam fuerint in Ecclesia Cathedrali celebrata; 3. nec etiam posse indulgere, ut in Ecclesiis Parochialibus aliisve in quibus SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur, qualescumque civiles conventus congregentur sine prævia Ordinarii facultate. Sacri tamen Præsules congregati iisdem annuere permittunt ob gravem et urgentem causam, si agatur de aliis Ecclesiis et Oratoriis, dummodo cum primum licuerit totius rei certiorum Episcopum faciant. »

Hic habent omnes Ecclesiastici quomodo sese gerere debeant: neque enim licet diverticula quærere, quando agitur de re ordinis publici; secus hierarchicus ordo, membrorum cum capite unio, debita superioribus obedientia dirumperentur, et risui ac contemptui doctrina Ecclesiæ subiceretur.

627. In Opusculo, *Monsignor Vescovo Caccia ed una Commissione di sacerdoti milanesi, Osservazioni del Sac. Felice Vittadini Professore di Dogmatica nel Seminario maggiore di Milano*; Mil. 1861, ad rem nostram legitur: « La prière est sans doute une partie du culte sacré; mais à qui appartient-il de régler le culte sacré et tout ce qui s'y rapporte? A l'Église, et seulement à l'Église, c'est-à-dire aux supérieurs ecclésiastiques... C'est à l'Église que N. S. Jésus-Christ a réservé le droit de régler et d'ordonner les fonctions sacrées, et en particulier les prières publiques; et c'est avec raison que l'Église a veillé avec un soin jaloux à la conservation de ce droit, et au besoin l'a revendiqué... On ne peut ignorer par quel lien étroit la prière est unie au dogme. En effet, la prière, telle qu'elle a été toujours pratiquée dans l'Église depuis les temps apostoliques jusqu'à nous, est un fait vivant, parlant, constant, universel, dont on infère avec certitude ce qui est nécessaire ou utile au salut éternel, ce qui peut être obtenu et par qui ou en faveur de qui les choses demandées peuvent être obtenues... »

(L) Page 402

628. Valde præstat, ut Ecclesiastici (præsertim Parochi) aliquam catholicam ephemeridem sibi procurant, tum ut sciant novas impiorum machinationes et se ac suos muniant; tum ut ad vulgandam sanam do-

ctinam cum ceteris concurrant (V. Riccardi, *De' mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, c. XIII: dei giornali). Audiatur Episcopus Parisi, *Cas de conscience*: « Le journalisme, voilà la première, la souveraine puissance sociale, parce que c'est lui qui popularise le plus les idées, et que ce sont les idées populaires qui font l'opinion, et l'opinion gouverne le monde. Y en a-t-il encore qui doutent du besoin que nous avons du journalisme catholique? Il faut donc laisser le champ de la parole à nos ennemis seuls; l'erreur aura seule le droit de se faire entendre, et l'Église qui doit élever la voix, selon saint Paul, *opportune, importune*, l'Église devra se taire, et parler à ce petit nombre qui vient encore dans nos cathédrales; que l'Église abandonne ce noble genre de prédication, le journalisme, et qu'elle abandonne à eux-mêmes ses enfants à qui elle pourrait se faire entendre par cette voie! O conseil insensé!

**629.** Ad rem etiam Perrone: *Cum ea vivamus ætate in qua ingens est collectionum periodicarum et ephemeridum usus, quæ spectari possunt uti publica scientiarum opinionumque vehicula, non sine detrimento eâ penitus negligere theologus poterit; earum enim ope cognoscet jugiter præsentem controversiarum statum, sicque facilius valebit de statione in stationem errorem dejicere, donec contritus ac dissipatus conticescat sui que pudeat* (Prælect. Theol. Compendium, Tract. *De locis theolog.* in fine).

Ad rem autem faciunt optimorum librorum collectiones, quæ in dies evulgantur, quarum quidem unam vel alteram quisque de Clero sine gravi dispendio vel etiam solummodo parcendo inanibus ac superfluis sibi procurare potest. Sunt præcipuæ:

*Opuscoli intorno alle dottrine del giorno*, ecc., Venezia. — *Raccolta di scienza e fede*. Napoli. — *Opuscoli religiosi modenesi*. Modena. — *Il vero amico*. Bologna. — *Società Toscana*. Firenze. — *Nuova collezione di Opere religiose*. Venezia. — *La Biblioteca Eccles.* Torino. — *Civiltà Cattol.*, ser. I, t. V: *il giornalismo all'ingrosso e al minuto*; t. VII: *servilità ed audacia del giornalis.*; ser. III, t. II: *calma negli affetti; possibilità della libera stampa*; t. III, t. XII: *gli indifferenti per la buona stampa*; ser. IV, t. I: *della vita e della morte dei giornali*.

(M) Page 403.

**630.** *Sub qua pena (quæres) tenentur Parochi ad residentiam?* — Præter peccatum mortale, quo Parochi contra residentiam legem graviter delinquentes coinquantur, amittunt etiam ipso facto et absque prævia judicis sententia omnes fructus, qui irregulari eorum absen-

tia respondent. Hos porro fructus Tridentinum erogari jussit vel fabricæ Ecclesiæ propriæ, vel pauperibus loci; fructus enim beneficiorum dantur vi pacti impliciti Parochos inter et Ecclesiam, atque sub tacita conditione residentiam, qua non impleta, illi nequeunt ullo modo eos sibi vindicari (sess. xxiii, c. 1, de R.). Et S. C. Congregatio ait, quod hæc restitutio fieri debet *alia declaratione non secuta*, ac quacunque *compositione remota*. Hic duo notanda sunt: — 1. est differentia inter restitutionem faciendam ob omissionem Horarum, et ob omissionem residentiam; nam illa potest fieri quibuscumque pauperibus et in fabricam domus beneficii, sive in emendis aut meliorandis agris beneficii ex Bulla Pii V. Ob omissionem autem residentiam restitutio fieri omnino debet in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes loci illius ex Tridentino; — 2. non satisfacit pastor non residens applicando restitutionem in Missis vel aliis suffragiis pro animabus Purgatorii illius loci, quia revera istæ animæ non amplius dici possunt pauperes illius loci. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 128.

Crescente vero Parochi contumacia (Garcias vult ad sex menses), liberum erit Ordinariis (verba Tridentini) *per censuras ecclesiasticas et sequestrationem fructuum, etiam usque ad privationem compellere*. In sententia Garcie potest episcopus pro arbitrio procedere etiam posthabitis censuris ad sequestrationem et subtractionem fructuum, servato tamen ordine juris. Pena autem privationis olim obtinebat ipso facto; sed post Tridentinum fieri debet per sententiam, ut delinquentis contumacia convincatur. Itaque contumax Parochus citandus est vel per edictum, ad januas parochialis Ecclesiæ adfixum, vel personaliter, arbitrio Episcopi: sufficit autem unum edictum, nec postea expectandum est per sex menses; sed sufficit expectare ut elaboratur assignatus terminus, sicut quando citatio fit personaliter. Hoc totum erit ex Concilio.

*Quid (inquies) si contumax ille Parochus sit simul etiam Canonicus?*

R. Cum etiam contra Canonicos non residentes ita ex jure sit procedendum, ut citatio fiat personaliter, si locus domicilii non ignoretur, etsi penes Indos (modo facilis haberi possit accessus); ac primo anno privandus medietate fructuum, secundo sequatur privatio alterius, nec ipsa tandem canonicatus possessio tollatur, nisi tertio anno completo; nonne erit eadem indulgentia procedendum etiam contra Parochum contumacem, si iste sit simul Canonicus? Nobis videtur contra hunc procedendum esse perinde ac si esset simpliciter Parochus, nulla habita ratione Canonicatus adnexi, dummodo Canonicatus non distinguatur ab ipsa præbenda parochiali; sed sit unum et idem cum ea. Ratio potens est, quia Tridentinum non loquitur tantummodo de Pa-

rochis simpliciter, sed loquitur etiam de illis omnibus, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent. Est enim idem officium et eadem obligationis natura, sive beneficium parochiale sit etiam canonicale, sive non; ergo sub eadem juris dispositione censi debet: *Nec jus divinum et naturale* (ait cit. Garcias) *attendit subtilitates, sed effectum, et substantiam.* — V. Garcias, *De beneficiis*, p. 5, c. II, n. 164. — Fagnanus, In cap. *Ex tuæ*, etc., n. 51. — Bouix, *De Parochis*, part. 5, c. II. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 126.

## (N) Page 408.

631. En tessera, qua catholici pastores ab heterodoxis maxime discernuntur. Ad rem Orsini, *Les Fleurs du ciel*, c. VII: « Les évêques d'Angleterre vendaient jusqu'à leur unique cheval pour en donner ensuite l'argent aux pauvres; les évêques protestants, de leur propre aveu, meurent honteusement riches, et s'éloignent avec une prudence édifiante lorsque la contagion ravage leur troupeau. Nous le demandions volontiers à un Turc: quels sont les pasteurs? quels sont les mercenaires? Il y a, dit un ancien Père de l'Église, une chose qui n'a jamais pu s'unir à l'hérésie, c'est la charité. »

Et de ipso Luthero Audin in ejus Vita narrat: « La peste était à Wittenberg: les amis du docteur le conjuraient de les imiter et de fuir: « Fuir, dit le frère, mon Dieu, non! Pour un moine, le monde ne périra pas; je suis à mon poste, j'y reste par obéissance, jusqu'à ce que l'obéissance me fasse un devoir de m'éloigner; non pas que je n'aie aucune crainte de la mort; je ne suis pas l'apôtre Paul, mais le Seigneur me délivrera de la peur. »

« Voilà le langage d'un prêtre catholique. Quand Luther en aura dépouillé le vêtement, il ne parlera plus de même. Si la peste s'abat sur son troupeau, il repoussera les âmes qui viendront à la table de la communion s'abriter contre la mort: « C'est bien assez, dit-il, qu'elles reçoivent publiquement, quatre fois par an, le corps de Jésus: l'Église n'est pas une esclave; donner le sacrement à qui conque s'approcherait de la table sainte, surtout en temps de peste, serait un poids trop lourd pour les ministres. » (Vol. I.)

## (O) Page 411.

632. Catholici nonnulli, qui cultus præstantiam parum curant, ipsorum protestantium testimonia quæ liturgiam nostram commendant, audiant (et erubescant): — 1. Hæninghaus, *Résultat de mes excursions*

*sions dans le champ de la littérature protestante, etc.*, 1857, ubi adversariorum confessiones habentur; — 2. *Réflexions d'un Français professant la Religion chrétienne réformée*. Paris, 1809: libellus ad imperatorem, ut protestantium cultum ad normam catholici reformaret; — 3. Muller, *Des Beaux-Arts, et de la langue des signes dans le culte des églises chrétiennes réformées*, Paris, 1841, ubi auctor protestans proprium cultum impetit ac nostrum attollit, laudans ritus, ceremonias, pompam, venerationem Reliquiarum, usum aquæ lustralis, imagines, processiones, vestes, adorationes, genuflexiones et cetera, quibus Ecclesia catholica utitur. Cujus quidem testimonia et aliorum plura refert eruditissimus liber cui titulus, *Considerazioni sul Protestantismo, ossia Discorsi pronunciati nella Cattedrale di Pinerolo dal R. M. A. Charvaz, ora Arcivescovo di Genova, all'occasione del ritorno alla cattolica fede di ventiquattro Valdesi*. Torino per Reviglio 1855 (cum notis et additamentis).

Inter ceteros Leibnitzius (*Syst. Théol.*, p. 207) ait: « Quant à moi, je ne puis me persuader que, comme plusieurs se plaisent à le penser dans leur extrême simplicité, Dieu ait du dégoût pour les douces harmonies, pour l'encens, pour le joyeux son des cloches, et en général pour tout ce qu'un pieux désir d'expansion religieuse a su inventer en vue de la gloire de Dieu. » — Et Menzel habet (*Geschichte der Deutschen*): « L'Église catholique possède un culte sublime qui s'empare de l'âme, une esthétique digne de la Divinité, dans laquelle se réfléchissent la vie, la civilisation, la prospérité de tout un peuple. » — Et Fitz-William (*Lettres d'Atticus*) scribit: — « Quand je pense à l'Église romaine, à ses immenses conquêtes, aux splendeurs de son culte majestueux; quand je contemple les magnifiques édifices qu'elle a élevés et cette admirable discipline qu'on dirait établie par une sagesse surnaturelle, alors je reste profondément émerveillé; je me perds, je me confonds. »

Ad rem etiam aiebat Federicus rex: « Les calvinistes traitent Dieu comme un serviteur, les luthériens comme leur égal; mais les catholiques comme un Dieu. » (Vid. Feller, *Dict.*, art. *Frédéric*.)

Negligentem Parochum describit Manuel ecclésiastique: « Entrez dans une paroisse qui ait à sa tête un homme sans zèle, un homme qui cherche toutes ses aises, en un mot un curé négligent. Donnez un coup d'œil à l'église paroissiale: ô Dieu! qu'elle est mal tenue par l'effet de son insouciance, cette église qu'on peut bien comparer à une étable! Les murailles sont couvertes de poussières; les toiles d'araignée pendent de tous côtés; le pavé est sale et dégoûtant; les confessionnaux méritent d'être interdits; la custode des saintes huiles est indécente et mal fermée; les nappes de l'autel du Saint-Sacrement sont

sales et déchirées; tous les ornements en désordre; la sainte pixide avec les hosties sacrées dans un tabernacle poudreux, avec un corporal noirci et un pavillon en lambeaux; les saintes et adorables hosties elles-mêmes ne sont renouvelées qu'après un grand laps de temps, et sont en danger de se corrompre. Si vous entrez à la sacristie, tout y est confusion et malpropreté... — It. vid. Ricardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, c. vi.

633. Hic non abs re pro Parochis notamus quoad sacras ædículas: Capellæ et Imagines piæ populi devotionem maxime fovent. Unde ait S. Carolus Conc. Prov. VI: *Oratoria, ubi Missæ sacrificium non fit, extruantur non in campis, sed in via publica, ut iter facientes eorum locorum prospectu pie commoti paululum precando consistant*. Et D. Gregorius, ep. 9: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus; quia etiam in ipsa cernentes vident quod sequi debent, in ipsa legunt qui litteras nesciunt*. Quamquam et litteratos pictura movet: unde de quadam imagine Abrahæ sacrificium ad vivum referente aiebat Nyssenus: *Vidi sæpe in scriptis imaginem et sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter ob oculos ponat historiam*. — V. Liguori, *Opera dogmatica*, lez. xxv, § 4, p. 35: *Le sacre immagini*. — V. Ferraris, v<sup>o</sup> *Capella*; et plura v<sup>o</sup> *Imagines*. — *Analecta juris pontificii*, an. 1857; pag. 137, ubi plura quoad modum eas pingendi. — It. Cittadella, *Istruzioni al pittor cristiano*; Ferrara, 1854.

(P) Page 411.

634. Plura notamus quoad Confraternitates: • Dans leur sein, ait Adrien Scott, se retrempe ce lien de fraternité qui est si fort recommandé aux chrétiens. On fait en commun les prières qui deviennent plus efficaces pour toucher le cœur de Dieu. On loue le Seigneur d'une voix unanime, ce qui tourne à sa plus grande gloire et à notre plus grand bien. Les fidèles s'excitent réciproquement à la fréquentation des sacrements, qui se trouve ordinairement prescrite par les règlements. On éveille cette sainte émulation qui contribue à accroître la piété. On donne et on reçoit continuellement des exemples de probité, de modestie, de charité; et chacun sait qu'au moyen de l'exemple on se forme à la discipline. » (*Teoremi di politica cristiana*, p. 4, c. vii). Hinc nil mirum si Concilia eas ubique erigendas curaverint, si eas SS. Pontifices indulgentiis cumulaverint: imo si vel ipsa civilis auctoritas eas defendendas susceperit.

In Bulla *Quæcumque* Clementis VIII, 7 dec. 1604, præcipue statuitur, ut una tantum erigatur in uno loco Confraternitas ejusdem in-

stituti, ut erectio fiat ab Ordinario cujus est constitutiones adprobare, ut non sint in præjudicium jurium parochialium; tandem ut collectæ elemosynæ in pios usus impendantur.

(Q) Page 412.

635. Facilius cognitionem ovium suarum Parochus consequetur, si quæ a Conciliis Provincialibus et omnibus ferme Synodis Diocesanis præscripta sunt, diligenter impleverit. Nempe: 1. ut quotannis censum seu statum, ut vocant, animarum per singulas familias accuratissime describat; — 2. ut baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum ac mortuorum nomina in libris distinctis, de vice in vicem, absque mora, et nitide scribat iis verborum formulis, quæ præscriptæ sunt. S. Carolus jussit expresse, ut Parochi omnes hosce libros omni studio conficiant, et eorum exemplaria singulis annis ad Curiam Episcopalem diligentissime transmittant. Hanc legem utpote Tridentino maxime conformem sæpius et etiam recentissime confirmavit ejusdem Concilii Congregatio atque præcepit: ad quam adhuc tenentur parochi, etsi Status civilis non amplius uteretur eorum opera, cum id maxime sit institutum in bonum Ecclesiæ ad dignoscendas parentelas, gradus, statum, etc.

(R) Page 415.

636. Expedit, ut Parochus sæpe in concionibus hæc specialia inculcet, uti ait S. Alphonsus, *Homo Apost.* tr. vii, nn. 57 et seqq.: nempe quod ad emendationem non sufficit peccatum fugere, sed etiam oportet fugere occasionem peccati. — Adurgeat homines, ne tabernas adeant ob innumera peccata, quæ inde eveniunt. — Sæpe declamet in vitium loquendi inhoneste in campis et in officinis: quot inde depravantur juvenes! Instet in eorum enormitatem, qui peccata reticent in Confessione: hac de re expediens est, ut interdum vocet Confessarios externos propter animas verecundas. Insinuet necessitatem doloris et propositi pro Confessione. — Hortetur, ut in iræ motu caveant a blasphemis; sed bonis verbis assuescant. — In horrorem ponat superstitiones. — Inculcet, ut parentes sedulo in filios animadvertant, cum blasphemant, furantur, etc. Hortetur auditores persæpe, ut arceant tentationes nominibus Jesu et Mariæ; et si in mortale prolapsi, illico contritionem eliciant: potissimum insinuet, ut orationi assuescant. — Hortetur populum ad visitandum SS. Sacramentum, ac Beatam Virginem; ad Congregationes frequentandas, etc. — Tandem in fidelibus singulari studio foveant devotionem erga Virginem, ut Ro-

sarium quotidie recitent, ut novenas celebrent: *Felix ille Parochus, concludit, qui suas oves ferventes tenet erga devotionem SS. Mariæ!* « Vivus religionis sensus, filialis timor Dei, sanctaque morum integritas eo magis viget, quo major viget devotio erga B. Virginem, » addit Stapf § 252, in contestationem provectiores Parochos testes provocans. Hinc laudanda devotio quæ, labente sæculo XVIII inducta, mirum in modum crevit, Virginem specialius honorandi per mensem integrum.

Monet S. Franciscus Xaverius *in epist.*: « Ne in concionibus eruditionem ac memoriam ostentes, recitando magno numero testimoniis et auctoritatibus scriptorum veterum; pauca, sed lecta et ad rem apta sufficiant. Magna pars ditionis insumatur in graphice dipingendo statu interiori ac tumulta animarum peccantium, inquietas impiorum machinationes, » etc.

637. Quoad verbi Dei prædicationem maxime etiam cavendum est a prolixitate: *Sermonis quippe satietas non minus auribus inimica est, quam immodicus cibus corpori*, ut ait Nazianzenus, *Oratione 40.* « Saint Vincent de Paul, est-il dit dans sa *Vie*, ayant un jour demandé à un paysan si l'on était content des missionnaires qui étaient dans son pays, reçut cette réponse: — Ils disent de grandes choses, mais ils sont trop long; nous autres gens de la campagne, nous sommes comme autant de vases: lorsque nous sommes remplis, tout ce que l'on continue à verser se perd inutilement. » Ex tunc suos alumnos ad breviter sermonis Sanctus hortatus est. Et D. Thomas in Apostoli verba: *Perpaucis scripsi vobis*, ait: *sermone breves valde accepti sunt; quia si sunt boni, avidius audiuntur; si vero mali, parum gravant.* Id etiam habet S. Alphonsus ad suum Clerum in suis *Notificationibus*. — V. S. François de Sales, *Règles pour les prédicateurs*.

638. Instructionis autem locum non tenet concio matutina; sunt enim diversa munera, ac duo potissima onera a Tridentina Synodo Curatoribus animarum imposita festis diebus, uti habet Benedictus XIV. Adde concionem jam supponere fidelem primis fidei rudimentis informatum; cum hæc nonnisi leviter atque cursim in concione attingantur. Neque ab hoc gravissimo munere Parochus liberatur ob exiguum numerum audientium, qui plerumque ex Rectorum negligentia dimanat; etsi unus tantum ex suis audiat, Parochus imitetur Christum, qui pro una Samaritana sermonem habuit (*Joan. iv*). Neque excusatur ideo, quia alii suppleant; nam ipse ordinariè tenetur qui est Parochus. Neque valet proferri immemorabilis consuetudo contraria, quæ enim sunt de necessitate salutis, non præscribuntur: hinc Pontifices hanc non quidem consuetudinem, sed corruptelam et abusum dixerunt eliminandum omnino. Iterum Benedictus XIV (*Notificatione IX et X*).

Hinc patet gravissime peccare Parochum, si notabiliter negligens sit in pueris catechizandis, in scholis visitandis, in rudibus instruendis: vel si munere catechizandi aut concionandi aliis justa de causa commisso, non vigilet, an omnia convenienti modo fiant. Imo catechizandi necessitas tanta est, ut si Parochus advertat parentes aut dominos non curare, ut filii aut famuli catechesibus intersint, teneatur cum Episcopo ex ipso Tridentino de opportuno remedio consilium capere (*Sess. 24, c. iv de R.*). Tanta est, ut non solum Curatores animarum, sed ipsi Clerici, ac simplices Sacerdotes hac in re operam suam Parochis commodare teneantur: quod si neglexerint, puniendi. Imo tanta est, ut siqui parochiani ob longam loci distantiam ad Parochiam convenire nequeant in festis, teneatur Sacerdos in illorum Oratoriis celebraturus christianæ Doctrinæ summam illis tradere (*Liguori, Hom. Ap. tr. VII, n. 55, 55*). V. Benedictus XIV Constitut. *Etsi*. — It. Instructio Clementis XI ad Episcopos. Et hæc omnia iterum atque iterum urget Novariensis Episcopus. Lit. 13 julii 1852. — Quæsitum fuit a S. Congregatione Concilii: 1. *an Clericos tam minorum, quam majorum Ordinum ad officium ludimagistri exercendum a communitatibus conductos Episcopus cogere possit, ut pueros rudesque scholares Doctrinam christianam edoceant*; 2. *an ad idem cogere possit ludimagistros laicos itidem a communitatibus conductos*; 3. *an ad idem cogere possit magistros, sive Clericos, sive laicos a nemine conductos*; 4. *qua pœna præfatos ludimagistros cogere possit?* S. C. C. 17 julii, anno 1688, respondit: *Posse prius hortando, postea præcipiendo.*

Boni pastores adnotatos tenent pueros, ut sciant quis eorum desit instructioni. Item valde confert inducere congregationes puellarum hac de re a sexdecim annis et infra. Tales enim collectiones causant bonum summum; nam si puellæ quæ illis interveniunt, postea nubent, facilius docebunt filios, sicque integræ familiæ sanctificabuntur. — Huc spectat Congregatio ita dicta S. Dorotheæ, qui pluribus in locis non sine ingenti utilitate inducta est. V. *Annali della pia opera di S. Dorothea per l'educazione cristiana delle giovinette del popolo*; Firenze, 1844, ecc.

639. Cavendum etiam sive in concione sive in instructione, ne verbis incautis populus offendatur, vel ne aspere illico obijurgetur ob aliquid inconveniens; zelus enim non esset secundum caritatem. Multo magis cavendum, ne quis redarguatur expresse: quod Lateranense V, prohibet sub excommunicatione ipso facto et Papæ reservata. — V. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., vº *Prædicatio*, n. 100<sup>1</sup>.

Quoad Catechismum, V. D. Augustinus, *De catechizandis rudibus*.



## (S) Page 416.

640. *Episcopi, ait Lateranense IV, viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes... verbo ædificent et exemplo. Hinc factum est, ut in omnibus fere Diocesis electorum Sacerdotum Congregationes erectæ habeantur, quorum quidem id muneris est Exercitia et Missiones agere. Hi diu noctuque revera insudant; sed quid in tanta populorum necessitate? Optimum ergo consilium, ut illis jungantur consortes et adjutores ceteri in Diocesi Sacerdotes: Apostolicum ministerium est, quo fides et docetur et propagatur et sustinetur; quos ergo superior judicat idoneos, si charitas Dei urget illos, si zelus domus Dei illos comedit, non dubitandum, quin ejus desiderio sint responsuri, ac quidem non obiter, sed studio et oratione ad opus salutare se preparando. Præmium respondet labori: Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates (Dan. xii). — V. Ricciardi, *Della predicazione più efficace*. — Morozzo, *Cardinale Vescovo di Novara, Lettere sulle Missioni*, 10 ap., 1855. — Liguori, *Lettere sull'utilità delle SS. Missioni*. — Segueri, *Il Parroco istruito*, c. xxvi. — Audisio, *Lezioni d'eloquenza*, p. 2, lez. 25. — *Civ. Cattolica*, ser. 2, V. I, art. *Gli esercizi spirituali e la civiltà moderna*. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., vol. VIII et X. — Schedoni, *Delle influenze morali*; t. II. — Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*. — *Miroir du clergé*. — *Méthode pour la direction des âmes*.*

641. Si igitur Parochus velit fructus Missionum durare, curet ut populus assidue oret, Sacramenta frequentet, occasiones fugiat, et

— Boudin, *L'obligazione che hanno i Pastori d'anime d'insegnare, ed i popoli d'imparare, la Dottrina di G. C.* — Cecca, *Le veglie dei contadini cristiani*. — Gaume, *Catéchisme de persévérance*. — Martinet, *Philosophie du catéchisme*. — Devie, *Divers Essais pour enseigner les vérités fondamentales de la Religion aux personnes qui ne peuvent pas apprendre la lettre du catéchisme, et surtout quand elles ne savent pas lire*. Lyon, 1845. — Ricardi, *dei Mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, cap. III: dell'importanza e insegnamento del catechismo. — Audisio, *Lezioni d'eloquenza* part. II, lez. vii et seqq. — Liguori, *Institutio cath.*: art. monitum ad Instructorem. Pro pueris informandis industriam modum edocet Careno, *Catechismo elementare dei fanciulli che si fa nella Quaresima*. Milano, 1842. — Couturier, *Catéchisme dogmatique et moral*, vol. VI. — Abrate, *Spirito del Paroco*, vol. II. Roma. — Sed præ ceteris vid. tum *Méthode pour la direction des âmes*; tum *Miroir du clergé*.

gravibus verbis interdum ostendat, quam grande malum sit gratia abuti, promissis deficere, ad vomitum redire. Item faciat, ut quos tunc fideles didicerunt cantus, nunquam intermittant. *Piæ et sanctæ cantiones non modo hæreticas, sed et impudicas exterminant; fit enim, ut populus qui facile hac delectatione privari non potest, dum occupatur piis cantibus, contemnat et obliviscatur impios et vanos. Notat id accidisse in Indiis P. Turcellinus in Vita S. Francisci Xaverii: Quippe, inquit, hic mos ita percrebuit, ut passim in scholis, in viis, in compitis, in lectis, in agris, in navibus pro ineptis et sordidis cantilenis, christianæ disciplinæ rudimenta jucundissime et audiantur et canantur. Ita Beyerlik, Magnum theatrum, 7<sup>o</sup> Cantus.*

## (T) Page 417.

642. Si Parochus videat correctione se nihil proficere, et malum sit grande, contumaces Episcopo indicet (ut etiam monet Synodus Novariensis, pag. 189); nihil enim intentatum relinqui debet, ad bonum animæ curandum. Neque valet dicere id fieri plerumque inutiliter, eum nequeat Episcopus malo occurrere: id nostrum non est tam facile judicare; plures etenim illi suppetunt corrigendi modi, et quod subito non potest, poterit agere tempore opportuno. Saltem inserviet Episcopo pro regimine Ecclesiæ suæ, et ipsi Parocho pro consilio ac securitate.

643. Hæc autem Parochi obligatio extenditur maxime ad Sacerdotes, si quos habeat in Parœcia. Circa eorum mores videlicet tenetur attente invigilare, et si quem viderit minus recte se gerere, eum cito debet corripere in spiritu primum lenitatis; quod si monitiones non prosint, ne communicet peccatis alienis, et graves Heli ærumnas incurrat, eundem Episcopo denuntiabit. Nemo enim ita in Ecclesia sancta Dei nocet, ut mali Ecclesiastici, qui exemplo suo alios ad malum trahunt: *Quidquid feceris*, ait D. Hieronymus ad Heliodorum Ecclesiasticum, *id sibi omnes faciendum putant*. — Quod si tanto malo radicatus occurrere velint Parochi, invigilent quammaxime in omnes, qui sunt in Parœcia, Clericos: per gloriam Dei, ac suam populorumque salutem caveant, ne boni testimonii fidem pro Ordinibus faciant iis, quos nec graviter nec honeste vitam agere deprehendunt; eosque in antecessum moneant, ut videant quid agant, ne postea inaniter conquerantur rejecti. *Maximo, quo possumus, studio (ad rem Benedictus XIV) Vicarios Foraneos, ac Parochos hortamur, ne testimonia ordinandis temere impertiant; ut Deum solum, non hominum gratiam, ac benevolentiam sibi ante oculos ponant, cum de virtute*

illorum testantur... *Rei gravitas ac magnitudo, Sacerdotis dignitas, qua ipsi præditi sunt, munus quo funguntur, et iusjurandum, quo fidem polliciti sunt Episcopo ordinanti ac ceteris in ejus locum subrogandis, id postulare omnino videntur* (Notificat. LXXXII).

Audiendum etiam gravissimum monitum S. Alphonsi, *Hom. Ap., tr. vii, n. 35*: « Debet Parochus apud Episcopum impedire, ne habitus clericalis conferatur adolescentulis aut pueris, qui suis moribus non sunt alii exemplo; aut saltem indolem ecclesiasticam non præ se ferunt. Nam si ipsi tacent, et sinunt eos induere habitum clericalem, illi postea adolescerent in otio, et exui habitu erubescerent, per fas et nefas, quamquam vitii onusti, niterentur ordinari, et Religioni magnæ essent perniciæ, cui in principio facile Parochus potuisset occurrere; post vero desperabitur remedium. » Velle enim eos postmodum corrigere, esset lapidem verberare, in aqua scribere, aquam e cribro haurire, apud fimum aromata spargere, dormienti loqui, surdo canere, æthiopem lavare, flagellare mortuum. Si lupi sunt, mutabunt pilum, non mentem. — « Quid miserius, iterum S. Alphonsus, esse potest, quam cernere Clericos, qui vix bis aut ter in anno confessi sunt et communicaverunt, Parochi fides audacter præsentare qualibet hebdomada aut bis in mense fuisse confessos et communicatos! De hujusmodi Parochis dicendum est defecisse a fide; nam certe de omnibus flagitiis, quæ committunt isti sic sine Dei vocatione promoti, et de omnibus iis, quorum ipsi alius causa sunt, Parochus sibi Deum vindicem facit. » Quare, ut securius in sacris Ordinationibus procedat Episcopus, monet Sanctus, ut præter attestations Parochorum, alias habeat a pluribus personis fide dignis: *vid. infra ubi de Dotibus inferiorum Clericorum.*

Hic etiam monendi Parochi, quoad proclamationes quæ pro Ordinationibus fiunt, ut eas nempe non agant perfunctorie; sed de gravitate rei semper fideles præmoneant, deque obligatione strictissima, qua quisque obstringitur, ut si quid grave sciat contra ordinandos, id in Domino manifestet. *Vid. de Ordine, ubi de ordinandorum probitate.*

(U) Page 423.

644. Missæ sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curæ commisso, uti ex divino præcepto descendens, a Tridentino diserte exprimitur (sess. XIII, c. 1 de Ref.) per hæc notabilia verba: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro iis sacrificium offerre.* Circa hæc nulla unquam difficultas mota fuerat: du-

bium erat tantum, quoties ad id tenerentur Parochi: in quo olim non una erat sententia. Alii docebant ad hoc toties teneri Parochos quoties celebrant; alii omnibus festis diebus; alii diebus singulis, si divites essent (V. A. Montazo, *De causis piis*, l. II, c. iv). Benedictus XIV Bulla *Cum semper* 19 maii 1774, omne dubium sustulit decretorie declarando, illud divinum præceptum bene impleri applicando Sacrum omnibus, qui tunc erant festis diebus; idque observandum mandavit. V. Lucius Ferraris, *Bibl. canonic.*, v<sup>o</sup> Missæ sacrificium, art. 5. — Hisce prænotatis:

Dicimus quia populus in aliquo festo dispensatur ab audiendo, non ideo etiam dispensari Parochum a Sacro applicando: neque enim hæc duo sunt correlata, ut unum includatur in alio; et uno relaxato, et aliud per se dispensatum sit. Sane *præceptum applicandi* est a Deo, qui illud reliquit determinandum ab Ecclesia; cum porro Ecclesia per Benedictum XIV declaraverit satis illud impleri per applicationem quæ fit diebus festis (qui tunc erant de præcepto); ideo etiam nunc satis impletur per hujusmodi applicationem talibus diebus factam; non autem satis impleretur, si hodie nunc Parochorum applicatio se restringeret ad dies festos, qui nunc vigent. *Præceptum vero audiendi* est immediate ab Ecclesia, quæ illud protulit ut melius diem festum fideles sanctificarent: cum vero alia media sint, quibus id possit a fidelibus præstari, ideo illud præceptum temperavit, injungendo, uti apud nos, alia pietatis exercitia, jejunium scilicet tempore Adventus.

Illud autem *toties tenentur Parochi applicare, quoties tenetur populus audire*, regula erat tunc merito sane inducta communi usu ac loquendi modo, cum tunc illi dies sibi essent correspondentes: hodie vero cum amplius non sibi correspondeant, sed aliter statutum sit a legitima auctoritate, vulgaris illa regula non amplius locum habere potest. Ergo Parochus tenetur Sacrum pro populo applicare etiam illis festis diebus qui post Benedictum XIV suppressi fuerunt; nam hæc suppressio liberat tantum fideles ab audiendo. Et ita pluries pro variis orbis partibus declaravit S. C. Congregatio, specialiter ad id a Pontifice deputata, nempe 28 martii 1801; 10 sept. 1818; 18 maii et 27 aug. 1824; 14 junii 1841.

645. Neque obstat, quod nonnulli Episcopi, quibus demandatum fuit Breve Pontificum pro festorum reductione ut illud publicarent, ab applicatione illa deobligaverint Parochos; cum evidenter dicendi sint non bene intellexisse et explanasse mentem Pontificis, utpote qui de sola festorum observantia loqueretur, ac dispensaret fideles a Sacro audiendo, sed ne verbum quidem faceret de applicatione Parochis injuncta: imo expresse decerneret nihil quoad *Chorum esse innovandum relate ad functiones ecclesiasticas*: quæ verba hanc Paro-

chorum obligationem includunt, ut ipsimet Pontifices declararunt per organum S. Congregationis Concilii. Hinc cum Episcopus Novariensis Romæ quæreret, an Parochi suæ Diœcesis ad hanc applicationem adhuc in festis suppressis tenerentur, humiliter exponebat ad R. Pontificem, quod jamdudum in sua Diœcesi invaluit opinio eos, qui curam habent animarum, non teneri Missam pro populo applicare diebus festorum, quæ suppressa aut translata fuerunt vigore Indulti Apostolici Pii VI 1786, et Pii VII 1814. Eo magis prædicta opinio vim habuit, quod Cardinalis Costa, Archiep. Taurinensis, cui executio primæ reductionis commissa fuerat, aperte declaravit sub die 21 junii 1786 dictam obligationem in diebus festis, suppressis in regno Pedemontano, non vigere. — S. C. C. de expresso Pontificis mandato declaravit 9 junii 1848, Parochos ad illam applicationem teneri.

Sed cum ex mente multorum hæc responsio non omnes difficultates auferre videretur pro Novariensi Diœcesi, ut ipsorum votis annueret Episcopus, novo ad R. Sedem recursu exposuit: « 1. quod non pauci ex suis Parochis tenes habent reditus; 2. quod Episcopus antecessor Vict. Philippus Melano, edict. 21 dec. 1795 notificando reductionem festorum Apostolica Auctoritate qua se præditum declarat, conceptis verbis ait, quod in festis, quibus populus dispensatur a Sacro audiendo, etiam Parochus remanet solutus ab eo applicando; 3. quod ab eo tempore, spatio annorum circiter quinquaginta, ea semper viguit in Parochis consuetudo, scilicet non applicandi, quin ullus reclamaverit Episcopus, vel dubium de obligatione in illis exurgeret; 4. quod in Novariensi Diœcesi nulla est obligatio audiendi Missam in festis suppressis; 5. quod die 9 nov. 1814, Sede Episcopali vacante, Vicarius Capitularis, publicans Breve Pii VII datum 9 nov. ejusdem anni, quo scilicet nonnulla festa reducta in pristinum vigorem restituebantur, expresse declarat in iis festis restitutis de novo exurgere obligationem Sacram applicandi pro populo; ergo pro adhuc suppressis ea obligatio non est. » Quid ad hæc S. C. C.? — En responsum, cujus quidem autographum extant in Secreteria Episcopali datum 7 dec. 1849:

« S. Congregatio Em. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Inter-  
« pretum, vigore facultatum a SS. Domino Nostro ipsi specialiter tri-  
« butarum Episcopi Oratoris precibus annuens facultatem Eidem im-  
« pertita est, ut, firmo remanente Parochis onere applicandi Missas  
« pro populo diebus festis reductis, ad quatuor tantum in singulos  
« annos et pro iis Parochis dumtaxat, quos congruæ tenuitate laborare  
« censuerit, per triennium proximum tantum pro suo arbitrio et con-  
« scientia gratis reducere possit et valeat. » — *Subscriptus* A. Card.  
« Majus Præfectus. »

Habemus item responsum S. C. C. datum in *Mecliniensi* 25 sept.

1847: quæsitum fuit 1. an Parochi debeant sanctissimum Missæ sacrificium pro populo offerre diebus dominicis et iis etiam festis diebus qui per Indultum Apostolicum 9 apr. 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo Diœcesano non fiat; 2. an consuetudo unquam legitima haberi possit, vi ejus Parochi non applicent pro populo Missæ sacrificium aut dominicis aut saltem prædictis festis diebus suppressis? — S. C. C. respondit ad 1 affirmative; ad 2 negative (Bouix, *De Parocho*, parte 5<sup>a</sup>). Tandem habemus rem certo definitam per Encyclicam Pianam supra memoratam in textu; adeo ut hodie huic disputationi non amplius fiat locus.

646. Quæres 1: An possit Parochus, accedente justa et legitima causa, adimplementum Missæ pro populo applicandæ alii Sacerdoti committere seu per alium Sacerdotem hanc Missam celebrare facere? Affirmative respondit S. Rituum Congregatio 22 jul. 1848. Attamen advertendum, quod non omnes causæ, etsi videantur tales, sunt habendæ ut justæ ac legitimæ. Hinc S. Congregatio Concilii in Fesulana, 26 jan. 1771, ad dubium: 1. An Parochi in dominicis aliisque festis diebus, præsentem cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto, et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam, in casu. Et quatenus negative; 2. An saltem applicationi Missæ pro populo supplere possint per alium Sacerdotem, in casu, etc. Respondit: ad 1. negative; ad 2. negative. Hoc iterum non est accipiendum absolute; nam Benedictus XIV, Indulto *Quod expensis* 26 aug. 1748, habet, quod juxta hodiernam disciplinam liceat presbytero, relicta Missa de die, Missam pro defuncto, si præsens sit corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solemnitas quæ Missam pro defunctis omni modo excludat. Unde responso S. Congregationis videtur intelligenda de casu, quo Parochus Missam pro defuncto non possit per alium celebrare; si enim potest Parochus, Missam pro populo applicet, et alio Sacerdoti Missam pro defuncto decantandam committat, cui quidem tribuat eleemosynam, quæ solet pro manualibus, et aliquid amplius pro incommodo. Non enim stricto jure totum quod accipit, tenetur dare Parochus: cum et ipse gaudere possit privilegio ceterorum Beneficiatorum, dum Missas proprii beneficii alteri tribuunt celebrandas, ex dicendis *De Sacrificio*.

647. Quæres 2: An etiam Cappellani, Beneficiati, Canonici, etc., qui ex lege fundationis tenentur applicare Missam diebus festis, debeant adhuc applicare in festis reductis, uti Parochi? — Alii negant, nisi in fundatione expresse cautum sit, vel aliud clarius eruatur; nam ratio diversa est: Parochi obligantur divino præcepto ad celebrandum, quod quidem non præscribitur, sed ab Ecclesia tantum explicatur. At Beneficiati obligantur a fundatore, cujus mens est, ut

celebrent ad hoc, ut populus præcepto Missæ faciat satis : cum igitur non amplius teneatur populus audire, ideo nec simplex beneficiatus celebrare. Sed alii merito affirmant, tum quia per suppressionem nihil est immutatum quoad officia in Ecclesia, et adhuc habentur festa suppressa uti de præcepto quoad res ecclesiasticas; tum quia in Brevibus reductionis expresse cautum est, ut omnia peragantur uti prius in liturgia; et hoc maxime currit de festis ultimo suppressis a Pio IX in Regno Sabaudia 6 sept. 1855; nam conceptis verbis Pontifex declarat, omnia in futurum (quæ ad sacram liturgiam pertinent) esse similiter agenda; tum quoad chori servitium et Missarum celebrationes, tum quoad alias functiones ecclesiasticas.

Res resoluta fuit a S. C. C. per responsum Novariensi Episcopo; quæsitum nempe fuit : *Cum plura beneficia a fundatione onus habeant Missæ in omnibus festis diebus applicandæ, dubium emergit, utrum singuli beneficiati ad id obligentur etiam in festis hucusque ab Apostolica Sede suppressis?* Die 15 decembr. 1856 responsum fuit, *juxta resolutiones alias in similibus editas, teneri.* Quod quidem, paritate rationis, videtur dicendum de Cappellanis et Legatariis; nam festa reducta semper habentur in Ecclesia ut festa de præcepto; hinc prima sententia in praxi nequit amplius sustineri; neque appellari privilegio aut consuetudini.

(V) Page 425.

648. Gravissimis de causis et quadam veluti necessitate inductum est, ut hospitalia a Parochorum jurisdictione eximerentur, et cappellanus quoad infirmos ceterosque ipsis inservientes proprius veluti Parochus constitueretur tum quoad Sacramenta, tum quoad funera; si enim adhuc jus permaneret Parochis, magna confusio esset, cum infirmi sint diversarum Paroeciarum. Excipe forte hospitale oppiduli, in quo facile posset Parochus, per se vel per vicarium, ægrotis præsto esse. — V. Bouix, *De Parocho, Append. I.* — De Luca, *De Parochis, Discursus 25.* — Laurentius, *Forum beneficiale, part. 1.*

Ad rem quoad infirmorum curam Balmès (*le Protestantisme comparé au catholicisme, c. xxxiii*): « Je plains les malheureux qui, dans leurs besoins, se trouvent réduits aux secours de l'administration civile, sans une intervention de la charité chrétienne. Dans les rapports présentés au public, la philanthropie exagérera les soins qu'elle prodigue à l'infortune; mais les choses, en réalité, iront d'une tout autre façon. L'amour de nos frères, lorsqu'il ne se trouve pas fondé sur les principes religieux, est aussi fécond en paroles qu'avare d'actions. La vue du pauvre, du malade, du vieillard infirme est un spectacle trop

désagréable pour que nous en supportions la vue, si nous n'y sommes obligés par des motifs très-puissants. Peut-on espérer qu'un sentiment vague d'humanité suffise pour nous faire soutenir comme il convient les soins continus qu'exige le soulagement de ces infortunés? Là où manquera la charité chrétienne, une bonne administration obtiendra sans doute ponctualité, exactitude, tout ce qu'on peut demander à des hommes qui reçoivent un salaire pour servir; mais il y manquera une chose que rien ne remplace, et qui ne se paye point : l'amour. N'avez-vous donc point foi dans la philanthropie? Non, ainsi que l'a dit M. de Chateaubriand : *La philanthropie n'est que la fausse monnaie de la charité.* »

649. Quæres : *Quomodo ministranda Sacramenta peste infectis?* — Plura habet Muratori hac de re, in libro *Del governo della peste*; et maxime Benedictus XIV, *De Synodo Diac.*, l. XIII, c. xix. En præcipua : — 1. quoad *Baptismum* hæc serventur ex D. Carolo : infans nuper natus peste laborans aut eo nomine suspectus, quia a matre pestifero morbo affecta ortus est, quamprimum ob instantis mortis periculum a Sacerdote peste laborantium curam gerente, infusione rite baptizabitur, aliis omissis ceremoniis... postea si superstes erit, et liber ab omni suspitione, Parocho offerretur ut suppleat ceremonias; — 2. quoad *Pœnitentiam*, ex dicendis de *Sacram. Pœnitentiæ* licet absolvere pœnitentem peste laborantem, etiam non expleta integra Confessione, si Confessarius probabiliter vereatur, ne et ipse pestem contrahat vel ex nimio fœtore vel ex diuturna mora cum ægroto. Monet D. Carolus, in Concil. Mediol. V : ut Confessionem audiens aliquantulum e lecto distet; et etiam ut in locum apertum aut ad fenestram, aut ostium, aut in porticum (si fieri possit) moretur; — 3. quoad *Viaticum*, responsum fuit Vicario Apostolico Julæ Cæsareæ, quod si Sacerdotes deprehendisset alienos et abhorrentes a ministracione manibus peragenda, modum ipse statueret, audito prudentum consilio, et præ oculis habito decore in tanti Sacramenti ministracione servando Plures plura proponunt; sed omnium forsan melius Cajetanus tradit, quod Sacerdos deponat sacram Particulam in loco apto, v. g. in patena vel alio vase mundo, et protendat ægroto, qui ore admoto, illam sumat; — 4. quoad *Extremam unctionem*, ad evitandum contagionis periculum, sufficit inungere organum illius sensus qui patentior se offert inunctioni, cum integra forma. Potest autem unctio peragi, adhibita oblonga virga, cujus extremæ parti alligatus sit firmiterque adhaereat gossippi pugillus sacro imbutus oleo.

*In ejusmodi casibus (ad rem Stapf, § 285) pius animarum pastor equidem justas cautelas adhibebit, quibus periculum contagionis evitari solet; ast intrepidus et Deo firmissime innixus nihil eorum*

omittit quæ ad muneris pastoralis spectant, memor illius quod princeps pastorum de semetipso professus est: Ego sum pastor bonus; bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis... *Hæc ipsa mentis fiducia, qua pulsa omni meticulositate Deo firmissime inhæret, etiam periculum contagionis præ omnibus remediis maxime arcere consuevit.*

(I) Page 428.

650. Si omnes et singuli Ecclesiastici ratione proprii status tenentur fidei salutem curare, jam deducere est, quid de illis Presbyteris pronuntiandum, qui Breviarium recitandi ac Missam celebrandi contenti, in ceteris de ope roganti Parocho vel Prælato respondent, se nullum obtinere Beneficium, quo ad id cogantur: sicque otiose vitam agunt, inutilem aliis, noxiam sibi; otium enim docet omnem malitiam. Si non Beneficium, Ordinem habent, quem vacuum tenere prohibentur; habent Dominicum præceptum, quo mittuntur ad opus ministerii; habent universale præceptum charitatis, quo unusquisque tenetur bonum proximi, maxime animæ, curare. Hosce cum Juda Apostolo nuncupare fas est: *Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas; fluctus feri maris...: sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* — Sacerdos ne etiam obliviscatur solemnitatem promissionis in sui Ordinatione emissæ; ponens enim manus suas junctas inter manus Episcopi dicentis: *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* respondit vix Communionem refectus, vestibus sacris indutus, noviter Sacerdos, in templo Domini, in faciem Ecclesiæ, coram Deo, angelis et hominibus: *Promitto.* Quæ porro Episcopo reverentia, si illum parvi faciât, atque apud ipsos seculares homines dehonestet? Quæ obedientia, si infinitis studeat prætextibus, ne obtemperet ejus mandatis cum ad excolendum Dominicum gregem mittitur? *Ecce mundus totus Sacerdotibus plenus, et tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator,* aiebat S. Gregorius (Hom. 17). Videamus ne ista de nobis etiam dici possint, qui ut ordinemur promissimus, ordinati renimus. — V. Dubois, *le Saint Prêtre*, ch. viii.

651. Ceterum hæc nostra tempestate non parum juverit hæc etiam verba referre cl. Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educax. Religiosa*, c. viii: « La subordination qui assure la discipline, qui consolide l'autorité, qui fait la gloire de l'Église, commence dans les simples prêtres envers les curés, s'étend des curés envers les vicaires forains; elle se continue dans les prêtres, les curés et les vicaires à l'égard de

l'évêque; ensuite des évêques envers le métropolitain; mais elle n'est pas parfaite si elle n'aboutit à la soumission de tous au suprême hiérarque, au vicaire de Jésus-Christ, au Pontife romain. C'est dans ce chef que réside la vie de tout le corps sacerdotal, et de ce chef que part l'esprit de toutes les Églises. »

(I) Page 429.

652. Ad scientiam Moralis Theologiæ addiscendam retinendamque notum est plurimum conferre Congregationibus casuum Conscientiæ interesse. Hoc vel ex eo solum quisque intelliget, quod tunc Moralis Theologiæ scriptores volvendi sunt, pensitandi ac simul conferendi. Hinc S. Concilii Congregatio censuit, *Episcopum cogere posse ad iis interessendum Parochos tam sæculares, quam regulares* (3 sept. 1605), item *omnes Sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi sint Canonici* (15 martii 1602). Imo iterum interrogata (30 aug. 1752), an illis Congregationibus omnes Ecclesiastici tenerentur assistere et quidem sub aliqua pœna pecuniaria, respondit: *Affirmative, præterquam Clericos non constitutos in Sacris, qui non sunt cogendi* (Thesaurus Resolutionum Sacræ C. C. in Larimens., 30 aug. 1757). Ipsi Episcopi cum Romam petunt vel mittunt invisenda limina SS. Apostolorum, etiam hujusce rei rationem reddere debent; in tertio enim relationis capite (*Instructio S. C. C. super modo conficiendi relationem*, etc., ad calcem libri *De Synodo Diœces. Benedicti XIV*) sub num. 14 dicitur exponendum, *an habeantur conferentiæ Theologiæ Moralis, seu casuum conscientiæ, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis, habeantur?* — V. Benedictus XIV, *Notificationibus xxxii, ci et cii.* — *Concilium Romanum* sub Benedicto XIII. — *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, part. IV. — Ferraris, *Bibliotheca can.*, etc. vº Congregationes Cleri. — Pavone, *Spicilegio*, ecc., §§ 412 et 226.

Hic præstat referre verba Pii Papæ IX: *Ne vero in Sacerdotibus, qui doctrinæ et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ministrandi Sacramenta* (Concil. Trid., sess. XXIII, c. xiv de Reformat.), *sacrarum disciplinarum studium unquam restinguatur aut languescat industria, optatissimum Nobis est, ut a Vobis, uti fieri possit in omnibus vestrarum diœcesium regionibus instituantur opportunis regulis, congressus de morum præsertim theologia ac de sacris ritibus, ad quos singuli potissimum presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositionem a Vobis quæstionis explicationem, et aliquo temporis spatio a Vobis præfi-*

nendo inter se disserere de morali theologia, deque sacrorum rituum disciplina, postquam aliquis ex ipsis presbyteris sermonem de sacerdotalibus præcipue officiis habuerit (Encycl. ad omnes Austriae Episcopos 17 mart 1856).

Quanam autem methodo casus resolvendi sint, tradit Benedictus XIV, ut nempe media via inter rigorem et laxitatem incedere curetur (De Syn. Diac., l. XII, c. vi).

## (X) Page 431.

653. Quid (quæres) maxime curandum, ut ecclesiastici omnes in suo munere utiliter ad Dei gloriam populorum salutem adlaborent? — R. Ut susceptæ pro Ecclesia curæ securdissimos habeant exitus, summa extet concordia opus est consensusque animorum inter omnes de clero. Præstat sane ut quos una simul in defensione sui Nominis adunavit Deus, unam colant et fidem mentium et pietatem actionum, scilicet eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam (Prov. x). Etenim frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma (Prov. xii). Qui ergo quærit quæ sunt Christi, non quæ sua sunt, ceteris se consociat, cum agitur de divina gloria tuenda, neque pertinaciter suum sensum sequitur, qui debet sanctam unitatem curare; quomodo stabit populorum religio, si ejus ministri se invicem mordent? De primis ipsis Ecclesiæ temporibus S. Chrysostomus aiebat: *Si dissensio fuisset in discipulis illis, omnia peritura erant* (Hom. 82 in Joan.). At quia conjuncti fuerunt, notum est veteres illos catholicæ fidei propugnatores (ut verbis utamur Pii Papæ IX, die 9 dec. 1854 in Consistorio habitis allocutione Singulari de pertinacissimis hæresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum et cum Apostolica sede tanquam cum Duce suo conjuncti milites, firmo animo erectoque in certamen descendissent.

654. Hic audiendus Nazianzenus: *Quis orationem huic calamitati parem invenire queat? latrones, quos scelus inter se devinxit, pacem colunt... nos autem nullo concordie federe, ac vinculo constringi, nec unquam in unum coire possumus... Cur qui charitatem colimus mutuis odiis flagramus? qui pacem, implacabile et inexpiabile bellum gerimus? qui angularem lapidem, diripimur et distrahimur? qui petram, concutimur? qui lucem, caligamus?... Prius nec supervacaneum aliquod verbum proloqui periculo carebat: nunc autem etiam summa pietate præditos conviciis proscindimus... Neque id solum; verum etiam ipsorum (profanorum) aures mutuis in nosmetipsos probris et contumeliis pascimus; ac ne*

illud quidem perspicere possumus, minime tutum esse arma hosti committere; nec ei qui Christianos odit, sermonem adversus Christianum. Nam quod hodie probo objicimus, idem nobis postero die objicietur... *Quæ hæc caligo est? qui hic nocturnus conflictus? quæ hæc tempestas, amicos ab hostibus non internoscens? cur vicinis nostris opprobrium facti sumus, subsannatio et derisio his, qui in circuitu nostro sunt? Quodque omnium gravissimum est, hæc criminatio non in nobis consistit, verum ad magnum et venerandum nostrum ministerium transit, etc.* (Orat. 3, De pace).

« Les impies (ita Frasinetti, *Riflessioni*, ecc.) savent que le grand secret de la force réside dans l'union; c'est pourquoi ils ont formé comme une république universelle, dans laquelle tous les membres agissent de concert jusqu'aux extrémités de la terre; et, pour que leur union fût plus forte et plus ardente, ils ont établi partout des conventicules où ils se réunissent le plus souvent qu'il leur est possible, afin de découvrir et d'organiser sans cesse de nouveaux moyens de mettre le monde sens dessus dessous. Mais le malheur des honnêtes gens, écrivait un grand génie de notre siècle, c'est l'isolement. »

655. Concordia etiam cum ipsis Regularibus ac religiosis hominibus maxime fovenda est, si velimus ut opus Dei progrediatur in domo Domini. — V. Massillon, *Conférences ecclésiastiques*. — Lanfredini, *Lettere pastorali al Clero*, ecc. — Audisio, *Educazione morale e fisica del Clero*, lib. III, c. ix. — *Méthode pour la direction des âmes*, etc., etc.

## (XI) Page 432.

656. Ad optimos ecclesiasticos habendos opportuna, ne dicam (hac temporum calamitate) necessaria, sunt ecclesiastica Seminaria. Sane cum omni tempore adolescentium ætas, nisi recte instituat, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et Religionem informetur (antequam vitiõrum habitus totos homines possideat) nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret (Trident. Sess. XXIII, c. xviii, de R.); quid hæc nostra tempestate dicendum foret, in qua tot tantaque sunt ad malum incitamenta, si juvenes Clerici sibi ipsis relicti essent? nonne mundus totus in maligno positus est? Recte ergo Pius Papa IX hortatur Episcopos: *Pergite igitur, Venerabiles Fratres, omnem impendere industriam atque operam, quo sacræ militiæ tyrones a teneris annis, quoad fieri poterit, in ecclesiastica Seminaria recipiantur: atque inibi tanquam novellæ plantationes succrescentes in circuitu taberna-*

culi Domini, ad vitæ innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur: simulque litteras, et minores majoresque disciplinas, præsertim sacras, addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cujusque erroris periculo alienam (Encycl. 8 dec. 1849; et 9 nov. 1846). Hinc male de illis Clericis ominari cogimur, qui Seminarium habent uti terram devorantem habitatores suos, regulas aspernantur, atque in terra Sanctorum iniqua agentes infinitos prætextus congerunt, ut a Moderatorum oculis se subducant, liberius domi conviventes.

Seminariorum erectionem tanti fecit Tridentinum l. cit. supra, ut facultatem dederit Episcopis certa beneficia Seminario uniendi, atque ex omnibus beneficiis et ipsa episcopali mensa partem decerpendi, si redditus deficerent. Et addit: *In ecclesiis amplas dioceses habentibus, possit episcopus unum vel plura in diocesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminarium; quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant... Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes vel aliter, Seminarium ipsum in totum vel in partem dotatum reperitur: tunc portio ex singulis beneficiis ut supra detracta et incorporata ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel in parte remittatur.* Quod tamen hodie in tanta rerum calamitate non de facili locum habere potest, cum undique urgeant angustiae, et opus sit omnes fere alumnos altere gratuito, nisi velimus ministris ecclesiam deficere.

657. Audiendus S. Alphonsus Noster, *Homo Apost.*, tr. vii, n. 55, quoad Seminarium:

1. « Seminarium sit optima directione constitutum, alioquin esset majoris perniciosæ juventuti et Diocesi. Qui Seminarium ingrediuntur (quantumvis diligentia adhibeatur) non erunt omnes Angeli; multi non afferunt eo spiritum, sed ibi acquirere debent illum. Igitur si Seminarium erit male directum, eveniet quod etiam illi, qui ut Angeli ingrediuntur, paulo post dæmones evadant... Quare Episcopus si ob redditum tenuitatem aut alium defectum non posset suum Seminarium de bonis ministris providere, tenetur illud penitus extinguere, nisi velit Deo tot criminum et scandalorum rationem reddere.

2. « Utendum est stricto rigore, miseratione omni postposita, cum incorrigibilibus et cum aliquo, qui scandalum positivum præbuerit, v. g. impuritatis, tumultuationis, furti, etc. Hujusmodi Seminarista, vix prima vice tolerandus esset post diuturnam et exemplarem animadversionem; sed tutius consilium est eum statim e Seminario expellere; quia talis ovis contagione inquinata potens est totum Seminarium corrumpere.

3. « Oportet statuere, ne tempore feriarum Seminaristæ domos adi-

rent; nam tunc (præcipue tempore vindemiarum) isti intermittunt omnia exercitia spiritualia, et illo mense aut bimestre cum foris vivunt, quantum boni aquisiverunt, amittunt; et regrediuntur in Seminarium vitis et peccatis onusti. » Revera S. C. Congregatio in hoc sensu semper respondet Episcopis, cum pergunt Romam Limina visitaturi. Et S. Carolus nullam suis Clericis ante pestem anni 1596 a litteris vacationem concedebat. Et Gregorius XVI Eminent. Cardin. Josepho Morozzo Novariensi Episcopo qui in sua Diocesi primo hunc morem induxit, vehementer est gratulatus Brevi 17 aug. 1851, *id in præcipuis studii pastoralis argumentis numerans.* Et sane de pluribus Clericis verificatur, quod de se ipse aiebat Augustinus, l. II *Confess.*, c. III: *Ubi... interposito otio, feriatur ab omni schola, cum parentibus esse cæpi, excesserunt caput meum vepres libidinum, et non erat eradicans manus.* — V. Tommasio, *Dell'utilità dei Seminari.* — Thomassinus, *Vetus et Nov. Eccl. discipl.*, pars I, l. III, c. II; et pars II, l. I, c. XCII. — L. Ferraris, *Bibliotheca Can.* etc, vº Seminarium, ubi plura. — Giovanni di Giovanni, *Storia dei Seminarii Clericali.* — Riccardi, *Dei mezzi per promuovere l'educ. relig.*, c. VII et VIII. — Audisio, *Educazione fisica del Clero.* — Theiner, *Il Seminario ecclesiastico.* — Morozzo, *Lettere Pastorali a' Clerici del Ven. Seminario Maggiore*, 1851. — *Notificatio et De Synodo Diac.*, l. V, c. XI, Benedicti XIV. — *Vita di Giovanni Olier, fondatore del Seminario S. Sulpizio di Parigi.* Torino, 1858. — *Concilia Provinc. Mediol.*; et *Scripta Ven. Bescapè Episcopi Novariensis.* — *Prælectiones canonici juris in Seminario S. Sulpitii*, t. II: de scholis clericorum. *Analecta juris pontificii, Romæ*; t. I: *De l'Éducation cléricale et des Séminaires*, etc.

Pro alumnorum directione vid. Sevoy, *Doveri ecclesiastici.* — Tronson, *Manuel du Séminariste.* — Luigi Martini, *Il Seminarista*, *Meditazioni.* — Barabino, *Il Seminarista diretto.* — *Il direttore spirituale dei Seminari secondo lo spirito di S. Carlo, ecc.* — Liguori, *Regolamento pei Seminari.* — *Il Nepeziano*, Bergamo. — Dubois, *Le Guide du Séminariste.* — *Manuale di pietà ad uso dei Seminaristi*, Torino, Marietti, 1859, etc., etc.

(BB) Page 439.

658. Pontifex non potest errare in approbatione Religionis quoad iudicium de honestate et sufficientia talis modi vivendi, ut sit status perfectionis acquirendæ seu religionis, prout certo tenendum est contra Canum. Ratio, quia Pontifex approbando religionem quasi canonizat illam uti sanctam et honestam, et obligat fideles ad id credendum; ergo

sicut non potest errare in canonizatione sanctorum, ita nec in confirmatione religionis. Hinc Lateranense sub Innocentio III dixit in univ-  
 versum bonam et piam esse religionem auctoritate Pontificis confirma-  
 tam. Hinc D. Thomas, *Opus XIX*, c. iv: *Cum aliqua religio per  
 Sedem Apostolicam instituta est, manifeste se damnabilem ostendit  
 qui talem religionem damnare conatur.* — Etsi autem infallibilis  
 non sit quoad iudicium opportunitatis ac convenientiæ; attamen quod  
 neque in hoc erret, non videtur posse dubitari, cum non omni sit ipse  
 divina assistentia destitutus, et alioquin habeat pro se et suo senatu,  
 sine cuius consilio tantam rem non aggreditur nec perficit, præsumptionem  
 prudentia, cui nullus privatus, nisi temere, suam antepone-  
 re potest. Hinc patet quam impudentissime nonnulli contra hanc vel illam  
 religionem debacchantur, quasi ex tripode sententiam suam dantes. —  
 V. Suarez, *De religione*.

659. « Les politiques modernes (ad rem hic vel ipse Gioberti), ou-  
 bliés des bienfaits passés et insoucians des biens futurs, estiment  
 heureux le pays qui n'a point de moines. Peu importe que l'égoïsme  
 triomphe, que l'amour de la patrie s'éteigne, que les athées, les épi-  
 curiens, les femmes perdues de mœurs, les suicides, les infanticides  
 et les autres énormités s'accroissent du double chaque année, pourvu  
 qu'il n'y ait pas de moines. Pauvres gens! Quand vous n'aurez plus ni  
 religieux ni religieuses, ferez-vous mieux vos affaires? Serez-vous plus  
 justes, plus sobres, plus craignant Dieu, en un mot, plus vertueux et  
 plus heureux? Lisez l'histoire, consultez l'expérience, et vous verrez  
 qu'aujourd'hui et dans le passé la plus grande partie des services ren-  
 dus à l'humanité est due aux moines, et que nul n'est plus apte qu'eux  
 d'être utile même aux hommes qui les méprisent et les haïssent. »  
 Non ergo nos ex eorum dispersione meliores, sed neque ex eorum ho-  
 nis magis divites: cum sacrilegam rapinam haud benedicat Deus.  
*Comprobat experientia* (ipse fatetur Lutherus, *Symphosiaz*, c. iv) *eos  
 qui ecclesiastica bona ad se traxerunt, ab eis tandem depauperari  
 et mendicos fieri. Nemo ab Ecclesia ita rapuit, ut Henricus VIII: at  
 nemo ita debitis gravatus decessit.* — V. Cobbet, *Storia della riforma  
 protestante.* — Tullius Dandolo, *Monachismo e Leggende.* — So-  
 laro della Margherita, *Avvedimenti politici*, c. xii. — Peraldi, *Sugli  
 Istituti Ecclesiastici e loro possedimenti*. Collezione di buoni libri,  
 Torino 1850. — Valsecchi, *Fondamenti della Religione.* — Ray-  
 naudi, *Malevoli erga religiosos maledicti.* — Tassoni, *La Religione  
 dimostrata.* — Spedaglieri, *I diritti dell'uomo.* — Scotti, *Teoremi  
 di politica cristiana*, teor. 5. — Cauchy, *Considérations sur les  
 Ordres religieux*. Paris, 1844. — Lenormant, *Des Associations re-  
 ligieuses dans le Catholicisme.* — Muzzarelli, *Il buon uso della Lo-*

gica, Opusc. XII: i claustrali. — Paolo Segneri, *Panegirico*: La causa  
 dei Religiosi al foro dei laici. — *Politicon ou Choix des meilleurs  
 discours sur tous les sujets de Politique traités dans la première as-  
 semblée*, etc., Paris, 1792. — Riccardi, *Gemiti della Chiesa di Spa-  
 gna: Conversazione I.* — La Motta Avogadro, *Saggio intorno al So-  
 cialismo*, ecc. — *Civiltà Cattolica*, ser. III, vol. X: il Frate. —  
 Secondo Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro  
 la religione*; vol. II, c. iv, v, vi. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc.,  
 vol. VI. — Martinet, *le Réveil du Peuple*, leq. xiii; et *Solution des  
 grands problèmes*, III, c. xxxvi.

(CC) Page 451.

660. Audiatur Balmes quoad religiosa vota: « Disons maintenant  
 deux mots sur les vœux qui sont propres d'ordinaire à tout institut re-  
 ligieux. Peut-être ces vœux sont-ils une des principales raisons de l'an-  
 tipathie du protestantisme contre les ordres religieux. Le vœu rend  
 fixe et stable; or le principe fondamental du protestantisme n'admet  
 ni fixité ni stabilité. Essentiellement multiple et anarchique, ce prin-  
 cipe repousse l'unité, détruit la hiérarchie; dissolvant par nature, il  
 ne permet à l'esprit ni de rester dans une foi permanente ni de s'assu-  
 jettir à une règle. La vertu même est pour lui une entité vague, qui  
 n'a point de base déterminée, un être qui s'alimente d'illusions, et ne  
 supporte l'application d'aucune règle fixe et constante. Cette sainte  
 nécessité de bien faire, de marcher sans relâche par le chemin de la  
 perfection, devait lui être incompréhensible, lui répugner au plus haut  
 degré; cette nécessité devait lui paraître contraire à la liberté, comme  
 si l'homme, en s'obligeant par un vœu, perdait son libre arbitre;  
 comme si la sanction que la promesse imprime à un dessein diminuait  
 en rien le mérite de celui qui à la fermeté d'accomplir ce qu'il a eu  
 le courage de promettre!

« Cet effort de l'homme pour se faire l'esclave du bien et enchaîner  
 son propre avenir, outre le sublime désintéressement qu'il suppose,  
 est l'exercice le plus vaste que l'homme puisse faire de la liberté:  
 voilà ce que l'on publie lorsqu'on invoque les droits de la liberté  
 contre cette nécessité que l'homme s'impose lui-même. Par un seul  
 acte, l'homme dispose de toute sa vie, et, en accomplissant les devoirs  
 qui résultent de cet acte, il accomplit perpétuellement sa propre vo-  
 lonté. « Mais, nous dira-t-on, l'homme est si inconstant!... » Voilà  
 précisément pourquoi, afin de prévenir les effets de cette inconstance,  
 l'homme se lie, et, mesurant d'un coup d'œil les éventualités de l'a-  
 venir, se rend supérieur à ces éventualités, les domine d'avance.



« Mais, répliquera-t-on, le bien, dans ce cas, se fait par nécessité. » Cela est certain, mais ne savez-vous pas que la nécessité de bien faire est une nécessité heureuse qui assimile en quelque façon l'homme à Dieu? Ignorez-vous que la bonté infinie est incapable de mal faire, et que la sainteté infinie ne peut rien faire qui ne soit saint? Les théologiens, expliquant pourquoi l'être créé est capable de pécher, en signalent cette raison profonde: « C'est, disent-ils, que la créature est sortie du néant. » Lorsque l'homme s'oblige autant qu'il est en lui d'agir bien, lorsqu'il enchaîne de cette manière sa volonté, il l'ennoblit; il se rend plus semblable à Dieu; il se rapproche de l'état des bienheureux, qui n'ont plus la triste liberté de mal faire, qui sont dans l'heureuse nécessité d'aimer Dieu.

« Le mot de *liberté*, depuis l'instant où les protestants et les philosophes s'en sont emparés, semble condamné à être mal compris en toutes ses applications. Dans l'ordre religieux, moral, social, politique, on a réussi, par mille efforts, à l'obscurcir et à le fausser. Cicéron donna une admirable définition de la liberté lorsqu'il dit qu'elle consiste à être esclave de la loi. On peut dire pareillement que la liberté de l'intelligence consiste à être esclave de la vertu; changez cet ordre, vous tuez la liberté. Otez la loi, vous proclamez le règne de la force; ôtez la vérité, vous proclamez l'empire de l'erreur; ôtez la vertu, vous mettez le vice sur le trône. Osez soustraire le monde à la loi éternelle, qui embrasse tout dans l'homme et dans la société, qui est la raison divine appliquée aux créatures raisonnables; osez chercher en dehors de ce cercle immense une imaginaire liberté, vous détruisez tout; il ne reste plus dans la société que l'empire de la force brutale, et dans l'homme l'empire des passions; chez l'un et chez l'autre la tyrannie, par conséquent la servitude. » — V. *Quatre Ans d'expérience de la religion catholique*, c. II. — Alia apud Stapf, *Theol. Mor.*, § 56. — V. Lacordaire, *Mémoire pour le rétablissement en France de l'ordre des Frères-Prêcheurs*, c. I. — *Analecta juris pontificii*, ann. 1857: *Des vœux solennels dans les monastères de religieuses.*

## (DD) Page 452.

661. Hæc notamus quoad votum paupertatis: — 1. permittunt communiter, ut religiosus possit elargiri cui voluerit suas *pietansias*, quæ limitate ei præbentur, ut ova, carnes, etc., nisi Superior id expresse vetet. Idem est de munusculis ad devotionem pertinentibus; vel de levis dotationibus remuneratoriis ex bonis sibi concessis ad usum, etc. — 2. facit contra votum paupertatis qui accipit ab extraneo pecuniam ad libitum impendendam in opera pia, quia esset actus proprietatis sic

agere. Secus est, si jam opera pia sint determinata a donatore; tunc religiosus non esset nisi canalis donatoris; — 3. Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis, sat opulentis, æquiparantur. Unde hæc ratio habenda est in computanda gravitate, si nempe furtum fiat de bonis Monasterii; — 4. generatim non peccat graviter religiosus clam accipiens rem aliquam a sua communitate, v. g. librum ad usum proprium, non tamen in perpetuum; tunc Prælati censetur tantum invitatus quoad modum; — 5. sine Prælati licentia generatim non peccat graviter religiosus res ad usum vel etiam ad non usum suum extraneis mutuando, modo sit tutus de restitutione facienda, nec tali mutuo grave damnum inferat communitati; — 6. peccat contra votum paupertatis, qui sine facultate, saltem præsumpta, Superioris aliquid emit etiam pro communitate; quia agit ut proprietarius. Non est peccatum sub conditione licentiæ obtinendæ aliquid accipere, vel donare, modo res recuperari et dari possit, si licentia negetur; quia actus reapse est suspensus; — 7. si habeat licentiam dandi aliquid Paulo et det Petro, non peccat religiosus, nisi superior dederit licentiam pro Paulo, ob peculiarem circumstantiam, alioquin negaturus; — 8. præter peccata contra votum paupertatis dantur etiam, nec raro, peccata contra *vir-tutem* paupertatis, illæso remanente voto: v. g. si religiosus nimium sentiat affectum ad res, quas ex licentia detinet, si commodis plus æquo indulgeat, si a superioribus superflua postulet, etc. — V. Gury, Croix, Lugo, Suarez, Sanchez, Sylvius, S. Antoninus, et Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 19.

## (EE) Page 461.

662. Attente recolatur Constitutio Sacræ Congregationis Regular., sic inscripta: *Decreto della Sacra congregazione sopra lo stato de' Regolari risguardante l'ammissione de' novizi all' abito e la professione, promulgato per comando di S. S. il nostro pontefice Pio IX, dat. in Roma, 25 genn. 1848.* Illic satis sit adnotare præcipua: — 1. In quocumque Ordine, Congregatione, Monasterio, Instituto, domo etiam speciali mentione digna, etsi non emittantur vota solemnia, nemo ad habitum est admittendus absque testimonialibus Ordinarii tum originis, tum loci, in quo Postulans post expletum 15 annum ætatis ultra annum moratus fuerit. Testimoniales litteræ erunt de ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an inquisitus, censuratus, irregularis, ære alieno gravatus, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius: super quibus Episcopi conscientia gravatur; — 2. qui duplici scrutinio, modo præstabilito agendo, non fuerit probatus, ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Con-

gregatione, etc. — 3. Superior religionis quolibet semestri ad Sacram Congregationem super statu regularium summarie referat de singulis Novitiis ad habitum receptis, de ætate, patria, moribus, necnon de actis confectis pro receptione, etc.; — 4. prope terminum cujuscumque trimestris Novitiatus magister Novitiorum Provinciali agendi rationem cujusque Novitii scripto referat; — 5. duobus mensibus ante professionem Provincialis Novitii voluntatem diligenter exploret: et per secreta suffragia interroget ceteros de domo, an ad professionem admitti possit; hancque relationem examinatis communicet, ut et illorum suffragia habeat. Quæ omnia sicut et cetera in prædicto Decreto præscripta sub pœna gravi sunt observanda (ab hisce tamen præscriptionibus Societas Jesu fuit dispensata).

Ad rem concessus episcoporum Vercellis, habitus 18 nov. 1849, § 5: « testimoniales litteras, quas SS. D. N. Pius PP. IX Decreto diei 25 jan., elapsi anni ab aspirantibus ad religiosam professionem impetrandas præscripsit, Præsules summa cum circumspectione elargiendas esse censent. Eapropter ad uniformitatem servandam constituunt, ut una saltim proclamatio in cujusque Parœcia præcedat; periculum vero super scientia in scriptis simul ac verbis exigatur, et litteræ ipsæ expediantur juxta formam, quam hisce actis adjectam communi calculo probaverunt. »

Quoad instituta illa, in quibus fieri solent vota solemnia, Summus Pontifex Pius P. IX, sub die 19 martii, anni 1857, per S. Congregat. Regularium præcipit hæc duo (non obstantibus quibuscumque in contrarium et accurate observatis Decretis diei 25 januarii anno 1848):

1° Quand ils auront terminé le temps de *probation* et le noviciat, suivant les prescriptions du concile de Trente, les constitutions apostoliques et les statuts de l'ordre approuvés par le Saint-Siège, les novices qui ont accompli leur seizième année, comme l'ordonne le même concile de Trente, feront les vœux simples; les frères laïcs et convers les émettront quand ils auront atteint l'âge prescrit par la constitution de Clément VIII *In Supremo*.

2° Les profès, après trois ans, à dater du jour où ils ont émis les vœux simples, seront admis, quand ils en seront trouvés dignes, à prononcer les vœux solennels, bien que dans certains lieux et par concession particulière à tel institut, on ne puisse pas faire des vœux simples pour un plus grand nombre d'années. Le supérieur général et même le provincial pourront, pour une cause juste et raisonnable, différer la profession des vœux solennels, non pas toutefois au delà de vingt-cinq ans accomplis. Si l'ordre ou l'institut n'a pas de provincial, la profession des vœux solennels peut être retardée par le supérieur de la maison des novices, avec le consentement toutefois du maître des novices

et de deux religieux revêtus d'une dignité quelconque dans l'ordre. » — (V. Bouix, *De Curia Romana*, part. II°).

663. *Quelle conduite doit tenir l'ordinaire dans le cas de suppression d'un couvent de religieuses et de leur translation dans des monastères d'ordre différent?*

R. A la première partie de la demande, la Sacrée Pénitencerie répond que l'ordinaire devra faire tout ce qui est possible pour ne point séparer les religieuses et les réunir dans un autre monastère de leur ordre, ou pour leur choisir un autre local, afin qu'elles soient toutes ensemble et que, autant que possible, elles n'omettent pas d'observer la règle qui leur est propre.

Si l'on ne peut réussir, et que les religieuses soient obligées de se retirer dans un couvent d'ordre différent, la Sacrée Pénitencerie (sur une autorisation spéciale de S. S. Pie IX) concède à l'ordinaire la faculté de permettre, en vertu de l'autorisation apostolique, qu'elles soient acceptées dans le couvent où elles ont été transférées. Elles y demeureront et en suivront la règle, dispensées de la leur propre, qu'elles chercheront aussi à maintenir autant qu'il leur sera possible; enfin, elles obéiront aux ordres des supérieures de la maison et aux autres personnes, afin de mériter d'être accueillies et traitées en toute charité.

Si quelques-unes de ces religieuses, pour de justes motifs que l'ordinaire devra examiner, ne pouvaient être transférées dans le monastère désigné ou dans une autre maison à ce destinée par l'Évêque, la Sacrée Pénitencerie permet à l'ordinaire d'autoriser ces religieuses à vivre hors du monastère, dans une tenue modeste, soit auprès de leurs parents, soit auprès de quelques pieuses dames; elles garderont le vœu de chasteté et la substance des autres vœux, comme celui de pauvreté et semblables; elles accompliront chaque jour les œuvres pies, les prières et la récitation des Heures canoniales, sous l'obédience de l'ordinaire dans le diocèse duquel elles demeuraient, relevées de toute irrégularité en vertu de l'autorité du Saint-Siège.

664. *Après la saisie des biens et des rentes des lieux de dévotion, des corporations religieuses et des églises, faite par le gouvernement envahisseur, les sanctuaires, les églises et les couvents peuvent-ils accepter, pour leur entretien, la part que l'usurpateur prétend leur assigner?*

R. Ils l'accepteront dans la nécessité extrême, quand ils ne pourront se soutenir par aucun autre moyen. — Ita S. Pœnitentiaria, 8 oct. 1860.

Plures aliæ decisiones quoad Regulares, et Congregationes tum mulierum tum virorum; item de *Tertiariis*, *Affiliationibus*, *Votis*, *Hos-*

*pitius, de Transeuntibus* de una ad aliam religionem, de *habitus dimissione*, V. apud Ferraris, *Biblioth.*, etc., hisce titulis. — Bouix, *De jure Regularium*. — Et *Analecta juris Pontificii*, passim.

665. NOTA : Synodus Novariensis, pag. 198 et seqq. quaedam specialia monet quoad moniales ac religiosos viros : 1. ut qui de licentia septa monasterii ingrediuntur, opere absoluto, statim exeant non vagando, sed recto pergant tramite, duabus ex senioribus monialibus comitantibus, ceterisque campanulae sono secedere jussis. Medici seclusa necessitate, et ceteri operarii ante solis ortum vel post occasum ne ingrediuntur, vel ibi cibum sumant; — 2. puellae in monasterio educationis causa degentes, clausurae tenentur lege. Quamdiu in ipso degunt, ne ineant sponsalia, sed quum primum de iis agitur, dimittantur. Quod si aliqua velit institutum capessere religiosum, non antea Episcopi permissu praesente, monastico donetur habitu, quam sex menses in monasterio commorata fuerit, ad experimentum; — 3. tam ordinarii confessarii, quam qui extra ordinem mittantur, officio suo functi, monasteria non adeant, neque cum monialibus per litteras agant; — 4. religiosi sine Episcopi consensu nequeant supplicatione agere extra claustra ultra limites antiqua consuetudine definitos; quoad functiones vero in propriis ecclesiis videant ne parochiales functiones turbent vel impediunt, ab his advocantes fideles. Mendicare vetantur nisi per sui Ordinis religiosos, qui insuper videant ne rerum sarcinas transferant in festo. Si in Dioecesi sedem non habeant, ne eleemosynas quaeritent sine Episcopi licentia; ceterum in hac re servetur legitima consuetudo.

(FF) Page 463.

666. Praeceptum probos eligendi (debita proportione) in gubernio constitutionali, ac republicano urget etiam omnes deputationum electores: et (aliis circumstantiis praclusis) non solum peccant qui malis suffragium tribuunt, sed etiam qui non concurrendo in causa sunt ut mali ab aliis eligantur; unusquisque tenetur a republica malum avertere, si spes sit aliqua. Quot autem mala ab improbis deputatis tum Religioni tum civili societati obveniant, nemo ignorat; cum ipsis summa omnium rerum concredita sit, neque tantum tribuant consilium, sed ipsas leges cum aliis condant. Hinc Episcopi provinciae ecclesiasticae Taurinensis Clerum monent: *Ad electiones vero quod peculiariter attinet, quum omnium prorsus officiorum Sacerdos sit demonstrator et vindex, nil certe vetat, imo necessarium est de hoc haud secus atque de aliis populum monere eumque docere ad jus voti ferendi obligationem respondere, qua unusquisque non raro adstringi*

*posset, proptereaque officio fallere qui absque legitima causa ad danda suffragia non convenerit*, etc. Hoc tamen odocendo si opus, prudenter agat, neminem offendat, nullum designet, et videat ne capiatur in sermone. Hic vid. Cod. pœnalis Sabaud. anno 1859; art. 190 et 268.

Diximus *si spes sit aliqua*; aliquando enim, omnibus pensatis, melius erit ut non simus neque electores neque electi; quod prudentum est judicare — V. *Armonia*, an. 1855, n. 140. — *Amico Cattolico*, vol. IV: *alcune riflessioni sulla elezione dei deputati alla Camera*. — Margotti, *Roma e Londra*, c. XI.

667. Quæres: *An sine charitatis vel justitiæ læsione candidatorum vitia possint publice aperiri?* — Audiatur Episcopus Parisi, *Cas de conscience*. « Un homme qui se présente à l'élection de ses concitoyens se livre par cela seul à l'examen de tous les électeurs et même de tous ceux dont les électeurs ont en main les intérêts. Par le fait volontaire de sa candidature, il se soumet lui-même au jugement public; il veut ce jugement et toutes ses conséquences... Le journalisme a donc, devant Dieu comme devant les hommes, le droit de révéler les opinions de chaque candidat en politique, en religion, en morale; de faire connaître son degré d'intelligence et de capacité pour les fonctions auxquelles il aspire; de peser les garanties qu'il offre ou les craintes qu'il inspire du côté du zèle, du désintéressement, de la moralité, etc., etc. Or, comme ces jugements ne seront admis qu'autant qu'ils seront appuyés, il a le droit de donner au public les preuves et les faits à l'appui de ses assertions, en faveur ou en défaveur des concurrents.

*Neque illico damnandus, qui acriter contra Ecclesiæ inimicos scriptis pugnat; nam ex ipso Augustino etiam charitas habet aculeos suos.* — Ad rem cit. auctor: « Sans aucun doute, il en résultera pour plusieurs une certaine déconsidération qui peut aller jusqu'à leur causer un dommage sérieux; et cependant il est certain que, si le publiciste est resté dans la vérité, s'il n'a fait d'ailleurs que les révélations qui lui paraissent nécessaires au bien public, ce dommage n'est ni contre la justice, puisque celui qui le subit a voulu s'y exposer, et que celui qui le cause use en cela d'un droit supérieur aux intérêts individuels; ni contre la charité, puisqu'on doit aimer la communauté des hommes plus que chaque homme pris à part, et que l'amour dû à la société civile ou religieuse exige, surtout dans nos mœurs constitutionnelles, que l'on démasque les hommes incapables ou pervers qui veulent mettre la main dans les choses publiques, ce qui ne pourrait arriver sans un grand préjudice pour tous et pour chacun. »

668. Puffendorff de ministris habet: *Cauti sint et circumspecti*:

mania a solidis, vera a fabulosis discernere callidi, secretorum tenacissimi; adversus quaslibet corruptiones obstinati. — V. Solaro della Margherita, *Memorandum storico-politico*, c. xvii. II. *Avvenimenti politici*. — P. Ventura, *Essai sur le pouvoir politique*, c. 1.

(GG) Page 465.

669. *Ex jure romano* accusare prohibentur pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, proxime conjuncti, etc. *Jure canonico* clerici in judicio seculari præsertim in causa sanguinis; laici respectu ecclesiasticorum, nisi agatur de crimine immani; hæretici non tolerati et excommunicati respectu fidelium etc.; ita generatim. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 258 et seqq. Tamen *jure civili* moderno non admittuntur tot exceptiones, et unaquaque regio suas hac de re leges habet. V. *Codices processus tum civilis, tum pænalis, tum criminalis*.

670. Non est autem confundendus denunciator cum iniquo delatore: Il y a une différence énorme entre le *dénonciateur* et l'*espion*, entre l'espionnage et la dénonciation... Ce qui anime l'espionnage, c'est un esprit vénal ne voyant dans la vie ou la liberté d'un compatriote ou d'un parent qu'une marchandise à livrer pour en retirer un profit, et qu'il faut céder au plus offrant. Mais quels moyens diaboliques pour accomplir ce marché! Plus le traître se déguise sous le masque de l'amitié, plus il inspire de confiance en cachant ou en montrant des sentiments, plus il est assuré de parvenir à son but et de surprendre un secret... S'il avait reçu d'un pouvoir compétent une mission légitime il pourrait du moins en rejeter l'odieux sur celui qui l'emploie; mais non, le propre de l'espion, c'est précisément de se faire l'instrument d'une autorité incompétente qui, sortant des limites où la Providence l'avait enfermée, se jette dans des mesures qui ne sont point de son ressort et qui ne vent d'autre résultat que de répandre la discorde et le soupçon...

Combien est différent le caractère de ces dénonciations que le devoir de l'amour du pays, quelquefois même l'amour fraternel, arrachent à un citoyen consciencieux! Sûr de remplir un devoir envers la patrie, il n'a pas besoin de recourir à la fraude, à l'artifice, à la corruption, pour découvrir un secret qu'il voudrait ignorer. Encore moins s'abaissera-t-il jusqu'à se vendre à un maître, à un magistrat soupçonneux pour lui livrer des secrets qui ne sont pas de la compétence de l'autorité qui interroge et compromettent la tranquillité domestique, ainsi que les devoirs de l'amitié et de la discrétion. Il n'a qu'un but, la justice; qu'un excitant, l'amour de la patrie; qu'un moyen d'accomplir

son devoir, la vérité. Il n'a pas eu besoin de recourir à la feinte et au mensonge, il n'éprouvera pas non plus la honte ni le remords; et, si parfois il ressent de la peine pour avoir innocemment amené quelque dommage particulier, elle est amplement compensée chez lui par le sentiment du bien général qu'il a procuré en remplissant son devoir.

Lorsqu'on réfléchit sur cette distinction si marquée entre l'acte de vertu civique, dont nous venons de parler, et de la scélératesse de l'espion à gages, on ne doit plus s'étonner de trouver dans les moralistes catholiques l'obligation de dénoncer certains crimes qui attaquent la société. Pour ne pas les citer tous, prenons saint Thomas seul, dont la *Somme*, spécialement dans la partie morale, a été louée par M. Cousin comme le chef-d'œuvre de l'esprit humain au moyen âge que personne parmi les modernes n'a surpassé: « Si crimen fuerit tale quod vergat in detrimentum reipublicæ, tenetur homo ad accusationem, dummodo suffieienter possit probare, quod pertinet ad officium accusatoris; puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem seu spiritualem (2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 68, a. 1). » Ces dernières paroles méritent une attention particulière. Elles font comprendre combien se trompent ou mentent certains docteurs modernes qui, forcés par la raison seule de convenir que la dénonciation est obligatoire quand il s'agit du bien temporel de l'État, la condamnent lorsqu'elle est imposée par l'Église pour le bien spirituel de la société chrétienne. Étrange distinction! qui ne serait pas venue certainement à la tête d'un homme de bon sens, si nous n'étions pas habitués à suivre comme des moutons la voix de quelques meneurs qui se nomment pompeusement l'*opinion publique*. En proie à deux erreurs très-graves sorties de la tête et de la bouche de leurs pareils, ils estiment comme pure bagatelle le tort spirituel fait à la société chrétienne, ou même regardent cette société comme n'existant que dans le cerveau de quelques théologiens, n'ayant aucune réalité extérieure de droit, de communauté, d'autorité, de but et d'intérêt; tout au plus, suivant eux, serait-elle un appendice de la société civile à laquelle il appartiendrait de juger s'il convient de lui accorder assistance et protection. (*Civiltà catt.*, ser. I, t. IX: *Le dénonciateur et l'espion*.)

(HH) Page 467.

671. Quæres: *An ad mortem damnatus teneatur fugere a carcere?* Si est innocens, regulariter tenetur fugere, ne cooperetur aliorum injustitiæ; excipe nisi aliud suadeat bonum virtutis, religionis aut reipublicæ: sic plures martyres, licet evadere possent, in carceribus manserunt. — Si vero sit reus, docent communiter talem posse fugere

nimum sane naturali inclinationi repugnaret, si tale medium ei adhibere non liceret. Non tamen tenetur, ex eo quod mors non sequatur ex non fuga, sed ex crimine commisso; quinimo dicunt, reum posse sponte sua se iudici sistere, ut Deo et reipublicæ satisfaciatur, atque sua ipsius puniatio aliis sit in exemplum.

Probabilius licet reo custodes (præcisa vi et corruptione) decipere ad fugam capessendam; item vincula et carceres effringere; quia cum finis est licitus, etiam media quæ non sunt intrinsece mala, licita sunt. Neque probabiliter tenetur rescire damnum illatum in carcerem, vel quia alii captivi simul fugerunt, vel quia custos inde punitur; hoc enim evenisse censetur per accidens. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 282, etc. — Lugo, *De Inst. et jure*, disp. 40, sect. 4.

## (II) Page 171.

## 672. Q. Quid de iudicis inquisitione?

R. Inquisitio iudicialis definitur: *Actus iudicis ad detegendum, an aliqua persona aliquod delictum patruerit, ut si illud patruerit, puniatur tum ad publicam delicti vindictam, tum in exemplum aliorum.* Triplex distinguenda est inquisitio: alia *omnino generalis*, si nempe in genere inquiretur, an subditi servent leges, et crimina evitent; alia *omnino specialis*, qua de certa persona et de certo crimine queritur, v. g. an Petrus commiserit furtum; alia est *mixta*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona, ut si queratur quis fecerit istud homicidium; vel an Petrus servet synodales Constitutiones.

Potest iudex sine ulla causa et præcedenti occasione, sed sola ratione officii sui instituere *inquisitionem generalem*; quia ita existit bonum Reipublicæ, neque alicui irrogatur injuria (Ex. c. 1, de off. iud.). Licet autem quorundam detegantur delicta, id contingit per accidens ac præter intentionem, cui incommodo prævalet bonum commune. — Sed non potest instituere *inquisitionem specialem*, nisi præcesserit, vel semiprobatio, vel infamia judicialiter contestata, vel clamorosa insinuatio, id est rumor multorum de crimine et de criminoso; sic enim existit ordinis publici conservatio et fama subditorum (Ex. c. XXI et XXIII de accus. V. Code civ. Gall., art. 1467). — Quoad *mixtam* autem distinguendum est: inquisitio generalis quoad personam, specialis vero quoad delictum, ut si queratur quis patruerit tale homicidium, licita est; nulli enim irrogatur injuria, et tunc publico bono providetur. At inquisitio specialis quoad personam, generalis quoad delictum, v. g. an Titius aliqua crimina patruerit, judicialiter non potest fieri, cum hoc esset sine causa infamare. Attamen si inquisitio non sit ad penitentiam, sed ad simplicem emendationem, id est si

inquisitio specialis sit paterna, non judicialis, licita est. Constat ex universali consuetudine: patet enim quod Episcopi eorumque visitatores in Diocesis visitatione (quam ordinarie non nisi paterne faciunt), de Parochis et aliis clericis in specie inquirere et indagare soleant, quomodo se gerant, an leges observent, etc. Quod valet etiam de superioribus sæcularibus. *Bovix.*

## 673. Q. Quid de probationibus judicialibus?

R. Probatio est *rei dubiæ seu controversæ per legitima argumenta ostensio*: quæ argumenta potissimum desumuntur ex locis extrinsecis, ut testibus, instrumentis, etc. Probatio alia est *plena*, quæ tantam fidem facit iudici, ut sufficiat ad decisionem causæ: hanc perhibent testimonium duorum, instrumentum authenticum, iurjurandum ad relationem partis præstitum, etc. Alia est *semiplena*, quæ facit iudici aliquam fidem, sed non sufficientem ad causæ decisionem: hanc inducunt, v. g. unius testis depositio, scriptura privata non authentica, comparatio litterarum, levis præsumptio, etc.; et hæc dant locum iuramento suppletorio et cum aliis admiculis faciunt plenam probationem. (V. Maschardus, *De probationibus*. — Maschat, *Jus. Can.* — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Probatio.)

## 674. Q. An iudex possit litem facere propriam per cessionem litigantis?

R. Cum distinctione: vel agitur de lite et iuribus litigiosis, quorum definitio non pertinet ad forum, ubi iudex munus suum exercet; vel de lite et iuribus litigiosis, quæ pertinent ad forum ipsius iudicis. — Si 1, utique iudex potest litem facere propriam; cum nulla lex id prohibeat: ac quoad hoc ipse habeatur uti persona privata. — Si 2, non potest: quia id vetat expresse Codex civilis. Excipe, si ageretur de actionibus hæreditariis inter cohæredes, aut de cessionibus in solutionem crediti, vel etiam si ageretur de vindicatione honorum, quæ ab iis possiderentur. (C. civ. art. 1604 — C. A. 879 — C. S. 1442 — C. P. 1405 — C. G. 1597 — C. M. 1484.)

675. Quoad dona (queritur) an iudex teneatur ea restituere ipso jure, antequam de restitutione damnetur? Alii probabiliter affirmant, quia tales donationes nullæ omnino a lege declarantur. Alii item probabiliter negant, quia leges illæ accipiuntur pro foro tantum externo, vel post sententiam declaratoriam; unde licet illicite agat iudex accipiendo, non peccat tamen contra iustitiam retinendo.

An saltem (quæres) debeat iudex restituere quod accepit sub pacto ferendi favorabilem sententiam? — Si dona iudex accepit pro ferenda sententia justa tenetur acceptum restituere, quia nullum habet titulum retinendi, et officium gessit quod non potest esse materia contractus; et hoc etiamsi accepit non ab una ex partibus, sed ab extraneo, v. g.

illius amico, familiari, etc. A fortiori restituere tenetur quæ extorsit vi, minis, etc. Si pro sententia injusta accepit, est probabile eum teneri ad restitutionem; quia actio peccaminosa nullo pretio digna est: sed opinio probabilior et communis docet contrarium cum Cajetano, Croix, Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Vasquez et Viva: Ratio potior hæc videtur, quod nempe lex naturalis omnino velit, ut in quocumque contractu oneroso: *Do ut des, facio ut facias*, quando una pars opus suum præstiterit quod ex justitia præstare non tenebatur, teneatur omnino et altera præstare suum (Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 216).

Obstrictus tamen semper esset ad restituendum parti læsæ, casu quo causa movens, nempe donans, ipse per se non restitueret (*V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 712).

**676.** *Lites interest reipublicæ quanto citius finire; etenim non solum consumuntur familiæ in expensis et jurgiis, verum etiam in illis distenti, publicis muneribus vacare et aliorum hominum commodo deservire prohibentur.* Ita Rota Rom. Decret. Recent. 146, n. 6, p. 1. Et ipse Justinianus Imperator L. *properandum ff. de judiciis*, conquerebatur, quod lites fierent pene perennes, et vitæ hominum modum excederent. Unde Tridentinum volens providere, ait (sess. 25, cap. 10, de Ref.): *Admonet S. Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, etc.* — *V. Muratori, Dei difetti della Giurisprudenza, cap. 14.*

Ad rem etiam pro praxi Stapf, § 557: Licitum est christiano, et quandoque per officia altiora etiam necessarium redditur, ut auctoritatem publicam interpellet; Apostolus ipse, ut se Judæorum insidiis subduceret, ad Cæsarem appellavit (*Act. 25*). At caveamus mendacia, dolos; neque id studio vindictæ vel animo alios nocendi nostra propugnemus; sed omnia in charitate fiant; atque nulla neque pendente neque finita lite in adversarium malevolentia ducamur, seu ut *quamvis inimici causæ, amici personæ simus*. Ast quia difficillime id obtinetur, ideo quoad potest, non nisi inviti et sat gravi ratione adducti litigemus; in levioribus cedamus potius, quod plerumque sumptus etiam et expensæ suadent; et ad amicabilem compositionem semper simus parati. Quidquid sit, vesana illa altercandi libido quæ alicubi et apud aliquos viget gravem sane reprehensionem meretur; præsertim in summam honestatis perniciem vergit: quos fructus divina religio illis in locis adhuc feret, ubi inter quotidianos litigiorum strepitus charitas fraterna conticuit? Vid. I *Corinth.* vi.

(JJ) Page 481.

**677.** Certum et commune est, quando desperatur de infirmo: 1. esse applicandum remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur, ut infirmo, modo quo potest, provideatur; 2. si remedium sit dubie profuturum et certo non nociturum, adhuc applicandum esse; habetur enim tunc aliquid spei, nihil vero timoris. Quando autem dubitatur, an remedium profuturum sit, an nociturum, sententia quæ nobis videtur satis probabilis, et fortasse etiam probabilior, docet illud applicari posse casu, quo agatur de infirmo sine spe. Nam conformius est prudentiæ et voluntati ipsius infirmi applicare illi remedium dubium, quam illud omittere, cum certitudine mortis. Hoc tamen fieri non posset ad experimentum faciendum pro aliis infirmis; est enim illicitum quærere experimentum in alterius vita.

**678.** Quoad obligationem monendi infirmos de confessione, communis docent ad id medicos teneri etsi non agatur de morbis non actualiter periculosis, sed qui periculosi fieri possunt. Quæ sententia (notentur hæc verba S. Alphonsi, *Praxis Conf.*, n. 57) mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis Medicorum etiam timorata conscientiæ, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam innixi doctrinæ plurium auctorum sentientium, quod præfatum juramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine receptum est. Ceterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem Medici illi, qui omitunt monere infirmos (maxime spectatæ dignitatis), cum jam infirmitas est periculosa. Hos porro vult Sanctus noster, ut Confessarius interroget ac moneat, *non obiter, sed cum calore; nam ex hoc pendet salus spiritualis Medici, et omnium infirmorum qui sub ejus cura erunt.*

— Imo ubi viget Concilium provinciale Romanum celebratum sub Benedicto XIII, lata est excommunicatio Episcopo reservata in Medicos, *si tertiam post infirmi visitationem ab infirmi cura non abstineant, usque dum infirmus ipse Pœnitentiæ non susceperit Sacramentum* (tit. XXXII, c. 1): Non viget apud nos. Vid. *Continuazione delle Memorie di Religione*. Modena, tract. XVII, art.: *Riflessioni del dott. Ermen. Pistelli sopra l'ufficio di far noto agli infermi il pericolo di morte.* — *Analecta juris pontificii 1859.*

*V. Angeli, Il medico giovine al letto dell' ammalato.* — Scotti, *Catechismo medico*, p. 3, c. ix. it. *Omeliæ ai giovani studenti* — Salva, *Sui pregi e doveri del medico*, Milano, 1845. Medici quo in sua arte sapientiores, eo sunt religiosiores. Ad rem celebris Medicus

Broësisches: *Tanta est inter Deum, Religionem et medicinam conexio, ut sine Deo et Religione nullus exactus Medicus esse queat.* Sane medicina a Deo est (Eccli. xxxvi); ac ne dum materialismum inducat, imo Dei providentiam mirabiliter commendat, tum in herbarum virtute quam inquirat; tum in admiranda humani corporis structura, cui studet: unde quidam anatomiam Dei existentiam evidentem demonstrationem appellat. — V. Moserus, *De Medicis sanctis*. — Albertus, *De convenientia medicinae cum Theologia practica*. — Matthias, *De habitu medicinae ad Religionem*. — Chiappa, *Della vicendevoles dipendenza tra la morale e la medicina*. — Devay, *De la Physiologie humaine et de la Médecine dans ses rapports avec la Religion chrétienne, la morale et la société*. Paris, 1840. — Ferraris, *Bibliotheca*, vº Medicus.

(KK) Page 483.

679. *An (quæres) mater teneatur lacte proprio prolem alere?* Affirmative nisi habeat justam excusationis causam, v. g. infirmitatem, debilitatem; quia ad hoc natura evidenter impellit. Navarrus et alii excusant etiam feminam nobilem ob consuetudinem (V. Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XI, c. vii. — Conte Benven. di S. Rafaele, *Ragionamento intorno all' obbligo di allattare i propri figliuoli* — *Précis de physiologie humaine pour servir d'introduction aux études de la Philosophie et de la Théologie morale, suivi d'un Code abrégé d'hygiène pratique*, ouvrage spécialement destiné au Clergé et aux Séminaires, par Debreyne, docteur en médecine. Bruxelles, 1845. — Roberti, *Opere*, vol. iii). Etsi autem probabilius mater ad hoc non teneatur nisi sub veniali, cum ejus obligatio gravis huc respiciat, ut proles bene alatur; tenetur tamen sub mortali bonam ei nutricem quærere, si ipsa per se tale onus non sustineat; lactis enim qualitas plurimum confert ad salutem ac mores.

(LL) Page 484.

680. 1. Peccant graviter parentes, qui, ut sumptibus parcant, educationem spiritualem filiorum proorsus negligunt; qui pro famulatu penes pravo dominos eos collocant, pluris facientes pecuniam quam animam; qui eos mittunt ad scholas hæreticorum, vel aliorum magistrorum, qui sint impii moribusque perditii: videant, quæso, quam terribilem rationem sint Deo reddituri, qui de manibus eorum animas filiorum repetet; neque enim ignorare possunt quantum instituta exemplaque præceptorum in adolescentium animos influant.

« Quoique un enfant soit en service, ses parents conservent toujours

sur lui leurs droits et l'obligation de veiller sur sa conduite. » *Examen raisonné*. — V. Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, c. xvii.

2. Si filius debita, ut vivere posset, contraxit, ea solvere pater tenetur. *Collet*. « Les parents, qui par un esprit d'avarice, nourrissent et entretiennent leurs enfants avec trop d'épargne, ne commettent qu'une faute vénielle, si les enfants n'en souffrent pas notablement et que ce qui leur est absolument nécessaire pour vivre et être entretenus honnêtement selon leur état leur soit accordé. » *Examen raisonné*, etc. In procurando filiis vite statu, maxime matrimoniali, multa attendere debent parentes, præsertim ut ejusdem temperamenti et ætatis (quantum potest) sint nupturi. Quot enim ex disparitate matrimonia infelicia, cum nempe robustus infirmum aut debilem; juvenis non juvenem ducit, præsertim si uxor senior sit! Hoc matribus per Confessarios singulariter inculcandum est. *Goritia*.

(MM) Page 487.

681. Non raro in praxi a mortali excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et sæpe ob materiae parvitatem, vel ob defectum rigorosi præcepti in ipsis parentibus. Audiatur Sporer: *Ex aliqua negligentia vel socordia fragilitatis humanæ, juvenilis præsertim, præceptum paternum transgredi semel, iterum, aut sæpius (non tamen sæpissime et ordinarie; tunc enim accederet virtualis saltem contemptus et pertinacia), non censetur peccatum mortale inobedientiæ. Cum obedientia paterna tali modo non censeatur lædi graviter, quamvis etiam sic merito paternæ punitioni subjacere debeant, etc.*

682. Bene ait Roncaglia non excusari a mortali qui matrem vocat *folle, ivrogne, bête, sorcière, voleuse*, et similia; qui vero diceret tantum *vieille, étourdie, ignorante* et similia, puto non posse de se absolute damnari de mortali, nisi parens ideo graviter offendatur. — Filius autem clam maledicta aut convicia in parentes conjiciens, non peccat graviter; cum non adsit tunc neque contumelia neque irreverentia, siquidem absentes sunt. Excipe nisi filius eis malediceret animo malevolo aut cum magno contemptu, nempe si malediceret coram aliis eo fine, ut illi dein parentibus deferant, vel forte saltem præsumendo quod deferrent. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 554.

Ad rem etiam Goussset: « Pour bien juger de la nature du péché qu'on commet en manquant de respect envers les parents, il faut faire attention aux mœurs, aux usages du pays, à la condition des pères et mères et à l'éducation des enfants. Une éducation grossière peut

diminuer l'injure faite aux parents, et diminuer par conséquent la malice du péché. »

683. Reverentiæ parentibus debite adversatur etiam nimia illa familiaritas, quam alicubi videre est, filiorum erga genitores suos, uti fert illud adagium : *Trop de familiarité fait perdre le respect*. Et ideo nullo nobis modo arridet consuetudo illa (quæ viget heu nimis!), ut filii tribuant patri ac matri pronomen secundum numeri singularis *tu, te, toi*.

Notetur, quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem Confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deosculentur, et absolutos dimittant; sed illi postea hoc adimplere non curant, et novum peccatum admittunt. Satius est curare ut ante absolutionem hanc veniam poscant, quin eis imponatur, ut pedes, aut manus deosculentur; quia illi filii quibus hoc faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequentur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione; sed potius ut consilium insinuetur, dum certe præsumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant. A venia petenda heu! nimium refugit amor proprius! Juvet saltem adolescentibus imponere, ut domum reversi parentibus dicant, se velle imposterum esse probos, doctos, etc.: *Aujourd'hui je me suis confessé; à présent je veux être meilleur*. Hæc enim parentes libenter accipiunt uti sufficientem satisfactionem.

V. Liguori, *Praxis*, § 54. — P. Gaetano da Bergamo, *L'Uomo Apostolico*, l. VIII, c. II, esortaz. 10, qui modum industriæ docet.

684. *Regula pro Confessario*. Sæpissime ex declaratione in tribunali non cognoscunt Confessarii quousque filii sint erga parentes rei, quia vage se accusant: unde fit quod sæpe absolvantur, quorum agendi ratio, et loquendi modus horrorem incuteret, si videretur et agnosceretur. Noscenda ergo est ipsorum filiorum indoles et educatio; et præsertim interrogandi quid dixerint, quid fecerint, et quidem quomodo et quo spiritu. Experientia constat paucas esse materias præsentibus difficiliore, sæpissimeque post interrogata remanere dubium, an mortaliter an venialiter solum peccaverint filii: et consequenter an absolvi possint, cum ordinarie hæc peccata sint consuetudinis. Itaque ad gravitatem peccati odii, irreverentiæ, injuriæ in parentes mensurandam, non sufficit æstimare ipsum actum secundum se præcise ex natura sua, ex suo objecto et intentione agentis; sed debet insuper attendi

effectus exacerbationis, contristationis in parentibus causatus, dum prævisus fuerit. Hinc quaecumque filius vel filia sine justa causa deliberate aliquid agit, vel omittit, etsi per se malum non sit; ex quo tamen scit parentes graviter offendendos aut forte etiam peccaturos nimia ira, indignatione, blasphemis, etc., ipso facto peccat mortaliter contra amorem, reverentiam et obedientiam parentibus debitam. Etiam in dubio, an sit justa causa aliquid agendi, ex quo parentes offendendi sint, tenetur filius abstinere, quia in tali dubio stat possessio et obligatio reverentiæ. Quando tamen justa causa omnino urget aliquid agendi, et constat offensionem parentum ex mera eorum morositate, melancholia, vel etiam malitia irrationabili orituram, non peccat filii illud agentes, idque maxime in sequenda vocatione divina (Ita *Examen raisonné*).

685. Quarto decalogi præcepto honorandi parentes adjecta est hæc promissio, *ut sis longævus super terram*; ita in Deuteronomio; et repetitur etiam in lege nova Ephes. 6. Quæ porro promissio verificatur secundum intentionem Dei, quæ quidem est conditionata, in quantum nempe vita longæva congruit saluti et bono filii ac divinæ providentiæ: sic rapiuntur aliquando citius boni filii ne mutantur; rapiuntur aliquando boni filii, si immineat patriæ aut familiæ acerba calamitas. Et tunc promissio longævitatæ superabunde adimpletur per modum compensationis, in quantum iis loco temporalis vitæ datur vita æterna; sicuti non dicitur falli ille, cui argentum promissum est et datur aurum.

Hæc parochi aliique, data occasione, ad praxim deducere possunt, ut obedientia, reverentia et omnis subordinatio debite servetur. V. D. Thomas, 2, 2, q. 104, a. 5; 1, 2, q. 100, a. 5; et Catechismus Romanus, in hunc locum.

## (IV) Page 459.

686. Quenam gravis parentum necessitas filium retrahere valeat a Religione, audiendus Angelicus: *Si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire et alia opera perfectionis prætermittere, et peccaret eos dimittere. Si vero sine ejus obsequio possunt aequaliter sustentari, non autem honorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere* (Quodl. I, art. 9).

Quid (addes) si filii jam sint professi, tenenturne e Religione egredi ut parentibus subveniant? Tenentur utique in extrema parentum necessitate, quæ nullam agnoscit legem: et egressi ex decreto Benedicti XIV 1745 subduntur Ordinario loci. Sed in gravi parentum necessitate probabilius non tenentur; de hac habet Angelicus: *Ille,*



qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo: unde non debet occasione sustentationis parentum exire e claustro (2, 2, q. 101, a. 4).

687. Ad tollendam omnem hallucinationem circa status religiosi electionem, dicimus propositum de religionis ingressu esse tale, ut hæc diligenter perpensi requirant: — 1. an finis, quo movetur adolescens ad religionem, sit rectus, animæ nempe salus et Dei gloria; intentio probat opus; — 2. an disciplina, observantia et fervor vigeat in illo instituto, ad quod ipse vocari se putat; secus enim difficillime poterit perfectionem sectari; — 3. an sit aptus officii illius Instituti: aliter in sui et aliorum ruinam illud ingrederetur. His rite perpensis auxilio docti, prudentis ac pii consiliiarii, potest religionem ingredi, quin de magis diuturno examine sollicitus sit, sperans fore, ut perfectionis semitam tuto pede, Deo opitulante, percurrere possit. Status enim religionis talis est ex Doctore mellifluis, in quo homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fidentius, purgatur citius, præmiatur copiosius. Adolescentes majoris semper probationis cupidos sic alloquitur S. Thomas: *Diuturna deliberatio, et multorum consilia requiruntur in magnis dubiis...; ingressus religionis est melius bonum, et qui de hoc dubitat, quantum in se est, derogat Christo, qui hoc consilium dedit* (2, 2, q. ult. a. 10). Iterum Bernardus: *Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum eis extinguit spiritum, quem voluerat Deus vehementer accendi!... Cum a Deo verbum esse non dubitas, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus: quid aliena consilia præstolaris? quis enim fidelior quisve sapientior illo?* (Serm. in Evang. Ecce nos reliquimus).

688. Diversa res est, si agatur de statu Ecclesiastico, qui viros non probandos, sed probatos requirit. Verum in neutro casu ordinarie parentes audiendi, licet diversimode se gerant. A Religione filios abducunt, quia nihil accipere posse probe sciunt, cum Religiosus sæculo moriatur. Ad statum vero Ecclesiasticum eos cogunt invita Minerva, ut aiunt; id est refragante ingenio, repugnante natura, non favente cælo: cogunt, inquam, quia inde maria ac montes sperant; non enim filios suos Ecclesiæ offerunt ut Anna filium Samuelem, quæ *commodavit eum Domino* (I Reg. 1): hodie parentes non commodant, quia commodare est mutuum dare nihil inde sperantes; sed locant, ut pretium locationis accipiant: contractus videlicet, quem parentes inire confidunt, cum filiis Ecclesiasticum ministerium suadent, est: *Do ut des.*

(00) Page 493.

689. Nulli dubium esse potest, quod in Clericorum Seminariis moderandis, ut verbis utar Pii IX *Allocutione* 9 decembris 1854, non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria. Imo potestas sæcularis neque *jus inspectionis* in seminaria proprie dicta habere potest ex Breve Leonis XII ad De Pins Archiepiscopatum Lugdunensis Administratorem Apostolicum an. 1828; sed tota res uni Episcopo reservata est (ex Tridentino, sess. XIII, c. XXIII de Ref.) qui omnia opportuna et necessaria cum consilio duorum Canonico- rum seniorum et graviorum constituet. Hoc tamen non impedit gubernium docere (ait Leo XII) quod pertinet ad seminaria de alumnorum numero qui in illis sit, quique major numerus putetur necessarius, nomina illi patefacere superiorum et moderatorum, eos designando presbyteros sæculares; subsidia pecuniaria cæteraque temporalia adjumenta quibus opus sit, aperire; hoc profecto præstare, res est per se innocua, eaque (ut nunc sunt tempora) inevitabilis si aliqua saltem pars juventutis servari et a teneris, ut aiunt, unguiculis educari sanctuario velis. Apud Bouix.

Diximus seminaria proprie dicta; si enim ea instituat ad modum collegii, non impedit, quominus in rebus licitis se gubernio conformet. Saltem curet rem componere cum legitima auctoritate, ita ut etiam horum collegiorum episcopus caput, directio et anima esse possit; parentes autem plerumque non satis provident de religiosa puerorum educatione; in scholis vero quæ laicis sunt destinatæ multa desiderantur ad informationem vitæ christianæ, et nimis sæpe gravissima pericula urgent. Quos ergo non facit suos Clericos, faciet religiosos laicos: porro Episcopus nil debet intentatum relinquere, ut omnis juvenus christiane educetur impedimentis, ac difficultatibus studiose occurrendo. — V. Archiep. Droste, *Della pace tra la Chiesa e gli Stati*, cap. IX: i Seminari. — *Collezione di buoni libri*, disp. IX. — *Il Cattolico di Lugano*, vol. XVI et XVII: il vescovo può ammettere l'ispezione civile nei suoi Seminari? *Concordatum austriacum*, art. 5, 6, 7, 8 et 17. — *Civ. Cattolica*, ser. III. vol. XI: Il sacerdozio nella pedagogia, ecc., ecc.

690. Quoad autem laicorum Scholas, adhuc certum est quoad religiosam institutionem Ecclesiæ regimini eas subjacere; religionis enim magistros Deus non sæculares homines, sed suos ministros constituit. Hac de re hæc ejusdem Pontificis Pii IX verba sunt notatu dignissima, qui postquam docuit Episcoporum esse rite instituere Clericos, ad rem subjungit: *Quoniam... ceteros etiam ex laicorum ordine adole-*

scentes ad pastorem vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, venerabiles fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in vobis est omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicæ doctrinæ normam exigatur... Eo autem in genere præcipiam vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super professoribus sacrarum disciplinarum, et in reliquis omnibus quæ Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in iis maxime quæ Religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cujuscumque suspicione immunes. Commoneat animarum Curatores, ut seduli vobis adjuvatores sint in iis, quæ scholas respiciunt infantium, et juvenum primæ ætatis, etc. *Encycl.* 8 dec. 1849.

691. Ad rem auctor libri *Saggio intorno al Socialismo*, p. 649 :

« Il y a des écoles où, dans la crainte que l'enfant ne devienne trop religieux, on lui parle à peine des choses chrétiennes pendant de courts et rares instants, tandis que de nombreux maîtres l'égayent par les scènes plus attrayantes de la nature et du monde sensible. L'enfant croira-t-il, d'après cela, que la chose la plus essentielle pour lui, c'est la religion, la vertu, la morale de l'Évangile, et qu'elle est la base de son éducation comme elle doit être celle de toute sa vie? Ce serait peu encore si l'on ne voyait, ce qui arrive trop souvent, les germes les plus subtils d'un sensualisme saint-simonien infiltrés jusque dans les enfants dans le sein de certaines écoles, où leurs premières études sont fixées sur leur propre corps, sur ses diverses parties et sur les plaisirs dont ils sont susceptibles; où de longues colonnes de nomenclatures sottes, triviales et souvent lubriques éveillent dans les enfants les instincts de la gourmandise, en leur laissant plus ou moins obscurément deviner les satisfactions plus viles dont ils ont sous les yeux les objets proportionnés à leur âge, dans les classes qui réunissent les deux sexes. De tels maîtres n'ignorent que trop ce que dit l'Esprit-Saint : *Stultitia colligata est in corde pueri*; et ils ne savent pas mieux ce qu'a dit un païen : *Res sacra puer*. — V. Mgr Rendu, *A quel point en est la Révolution*, §§ 2 et 5.

(PP) Page 493.

692. 1. Un pasteur zélé doit être convaincu que la génération naissante est la portion choisie de son troupeau. Rien donc de plus important pour lui que d'avoir l'œil incessamment ouvert sur les écoles de sa paroisse... Pour obtenir d'heureux résultats, il reconnaîtra sur-

le-champ qu'il est nécessaire d'entretenir des relations bienveillantes et amicales avec les instituteurs, surtout s'ils sont ecclésiastiques...

2. Que si, au contraire, un curé ardent et brouillon, s'avise, au premier mot qu'il entend contre l'instituteur, de déblâter publiquement contre lui, s'il s'abstient de mettre les pieds dans son école une seule fois dans l'année, s'il évite toute rencontre... qui pourrait dire les haines que produira cette déplorable désunion? L'instituteur, déjà mauvais, je le suppose, deviendra pire encore, la guerre sera déclarée... Pauvres enfants! Quel sera leur sort au milieu de tels combats... Concluons donc que le soin capital d'un bon curé en cette grave matière, est d'employer tous les moyens qui sont en son pouvoir pour gagner l'affection de l'instituteur. Pour obtenir une fin si désirable... qu'il lui fasse quelque honorable invitation, qu'il parle de lui avec avantage dans la paroisse, relevant ses qualités et dissimulant ses défauts, qu'il fasse cela, et souvent c'en sera assez pour se l'attacher à tout jamais; c'en serait même, quelquefois, assez pour le convertir, s'il avait besoin de conversion...

3. Mais si l'instituteur est un loup ravissant et incorrigible? — Notre premier avis est qu'en un pareil cas on ne donne pas publiquement le signal de la lutte... Il faut s'assurer si les autorités supérieures desquelles dépend immédiatement cet instituteur sont favorables à la religion et si, quand on leur signale des faits de cette nature, elles usent de leur pouvoir pour provoquer la révocation ou du moins la translation des instituteurs immoraux... Du reste, en ces circonstances graves, s'il survient quelque complication, nous conseillerions à un curé de faire à son évêque l'exposé fidèle des choses, avec prière d'user de sa haute influence pour obtenir le résultat désiré, ou du moins de faire savoir quelle marche il convient de suivre, dans le cas où le prélat ne croirait pas devoir agir par lui-même...

4. Il arrive quelquefois que dans la même paroisse il y a plusieurs écoles... La position d'un curé, en de telles circonstances, est un peu délicate; il nous semble que d'abord il ne doit jamais se déclarer ouvertement contre une de ces écoles, à moins qu'elle ne soit tombée en plein discrédit. Nous convenons cependant qu'il n'y aurait pas beaucoup d'inconvénients à témoigner un peu plus d'intérêt à une école religieusement tenue par des instituteurs ou des institutrices appartenant à quelque congrégation, qu'à celles qui sont tenues par des séculiers... Cependant, pas d'opposition formelle, pas de luttes ouvertes, pas de critiques malveillantes; témoignage d'intérêt, de dévouement et de bienveillance à tout le monde...

5. La visite des écoles est une œuvre éminemment pastorale. L'instituteur s'en tient ordinairement fort honoré, et les enfants prouvent,

par un aimable sourire, qu'ils ne sont pas non plus indifférents à la démarche affectueuse de leur pasteur. Une courte allocution, dans ces circonstances, faite avec le cœur bien plus qu'avec l'esprit; une chaleureuse exhortation à l'étude et à la pratique de la vertu; un petit mot gracieux à l'adresse de l'instituteur; l'inspection des cahiers et même, si l'on veut, quelques interrogations adressées aux plus instruits sur tel ou tel point de l'enseignement; tout cela, couronné par la distribution de quelques images ou petits livres donnés à ceux dont le maître déclare qu'il est le plus satisfait, ne peut que produire d'excellents effets et laisser dans tous les esprits une heureuse impression. Il est bien rare que les occupations d'un curé soient si multipliées, qu'il ne puisse pas renouveler cette visite une fois le mois, surtout quand il n'a qu'une école dans sa paroisse. Quant à la grande fête des enfants, la distribution des prix, il est bien clair que le curé doit en être l'âme. Son absence serait infailliblement remarquée, et produirait le plus mauvais effet...

6. Quoique nous n'ayons parlé dans tout ce chapitre que de l'instituteur, il est clair que les détails dans lesquels nous sommes entrés s'appliquent, en grande partie, à l'institutrice; aussi nous garderons-nous de répéter pour l'école des filles les conseils que nous avons donnés pour celle des garçons. Nous mentionnerons seulement quelques points de différence qui nécessiteront des conseils spéciaux dont l'importance sera facilement appréciée. L'harmonie que nous avons tant recommandée entre l'instituteur et le curé doit assurément exister de même entre celui-ci et l'institutrice; mais il ne faut pas que, sous prétexte de bonne harmonie, il s'établisse des relations et des assiduités trop fréquentes. Si surtout l'institutrice était encore jeune, ou à plus forte raison, si elle était très-jeune, de telles assiduités seraient bientôt remarquées, censurées et odieusement suspectées.

Or, qu'on ne l'oublie jamais, quand un prêtre donne prise de ce côté, c'en est fait de son ministère; il est frappé subitement de stérilité complète... On vous observe dans la paroisse, on vous juge, on vous critique; cela suffit. Je n'ai plus besoin de savoir ce qui se passe dans le secret de vos communications pour les condamner. Il n'est pas absolument nécessaire qu'elles aient lieu, et il est rigoureusement nécessaire que vous conserviez intacte votre réputation de bon prêtre.

Pas d'assiduités donc; visites rares et très-rares de l'institutrice au presbytère; visites rares et très-rares du curé à l'institutrice, quand elle est seule chez elle; et dans ces visites, souvenir continu de cette sentence des saints: *Sermo rarus, brevis et austerus*. C'est toujours à l'école, quand les enfants s'y trouvent, que le curé doit faire ses visites. Encore dirons-nous, sans crainte d'exagérer les précautions, que

le curé doit montrer dans la classe des filles un degré de modestie et de gravité de plus que dans celle des garçons, qu'il doit éviter les paroles un peu tendres et affectueuses et ne se permettre aucune de ses familiarités ou caresses qui n'ont rien, si vous voulez, de très-grave, mais qu'un saint prêtre a soin de s'interdire. (Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, chap. VII, passim.)

« Monemus parochos summopere esse invigilandum, ne scholæ, quæ dicuntur *Asyla*, in animarum detrimento vertantur; meminerint etenim hic non solum de primis scientiæ rudimentis agi, quæ quidem minime sunt negligenda; sed super omnia de innocentia vitæ et recta Dei cognitione. Solliciti sint præsertim ne unquam isti parvuli committantur nisi bene moratis et piis mulieribus. Attendant insuper, ut preces, cantica, lectiones et quicquid ad animarum informationem tendit, nihil nisi catholicum redoleant. Demum ubi pueris utriusque sexus aperitur asyllum, videant an semper et ubique, sive studeant, sive ambulent, intersepto quodam separentur. » Ita Concil. Provinciale Burdigalense, anno 1850.

## (QQ) Page 494.

693. Quoad magistros hæc notanda: aliquando magistri etiam coram lege civili tenentur de damnis suorum alumnorum, *vid. C. Albert.*, art. 1502. C. A. 1501. C. G. 1584. C. S. 1358. C. M. 1395; — 2. *Reg. patentibus* 2 junii 1852, omnibus subditis Regni Sabaudie prohibetur extra regnum studiorum causa abire sine Principis facultate expressa; — 5. Pro eorum directione *vid. les Douze Vertus d'un bon maître*. — Ricciardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa*. — *La scuola di filosofia e di religione, e modo d'insegnarla*, ecc., Roma 1852.

Quoad discipulorum vero obligationes pro praxi hæc notat *Examen raisonné*: « Les élèves doivent à leurs maîtres l'amour, le respect et l'obéissance dans ce qui concerne les soins que ceux-ci doivent leur donner. Au lieu d'avoir pour vos précepteurs ou pour vos maîtres l'amour et le respect qui leur étaient dus, ne les avez-vous point haïs, méprisés, et peut-être même injuriés? (Si la haine, le mépris, ou l'injure est grave et volontaire, péché mortel qui a double malice. *Bonacina*. Si elle n'est pas grave, péché véniel.)

« Ne les avez-vous point provoqués à la colère par des paroles offensantes ou autrement? (Si on les provoque avec délibération à une grave colère, péché mortel qui a double malice; si cependant les paroles ou la manière d'agir à leur égard ne pouvaient leur faire une grave injure, le péché ne serait que véniel. Souvent les élèves, à raison de leur âge

et de leur légèreté, sont excusables de péché mortel là où il y en aurait un s'il y avait de la réflexion et pleine délibération. *Sporer.*)

« Ne leur avez-vous pas volontairement désobéi dans ce qu'ils avaient droit de vous commander, par exemple, dans ce qui concernait vos études et vos devoirs de religion? (Si la chose est de peu d'importance, péché véniel; mais, si elle est d'une grande importance et commandée sérieusement avec l'intention au moins implicite d'obliger *sub gravi*, et que d'ailleurs on désobeisse avec pleine délibération et avec connaissance de la gravité de la matière, péché mortel. Souvent le défaut de réflexion de la part des élèves rend le péché véniel.)

« N'avez-vous point obéi en murmurant, répondant même avec arrogance? (Si en obéissant ainsi avec réflexion on fait une grave injure au maître, et qu'on ait pu le prévoir, péché mortel; si l'injure n'est que légère, péché véniel.)

« Dans les temps d'étude, au lieu d'étudier conformément à la volonté de vos maîtres, et de faire avec soin vos devoirs de classe, ne vous êtes-vous point livré à l'oisiveté et à la paresse? (Si la perte de temps n'est pas notable, péché véniel; mais, si elle est considérable, et qu'elle nuise notablement aux progrès des études, elle est mortelle. *Goritia*. Le défaut de réflexion peut souvent excuser de faute grave.) — Ne vous êtes-vous pas quelquefois absenté des classes sans cause légitime et sans permission? (Péché véniel): il ne serait mortel qu'autant qu'il y aurait un certain nombre d'absences qui nuiraient notablement aux études, ou qui seraient réputées un grave désordre, et qu'il y aurait assez de réflexion pour le connaître.

« Pendant les classes, au lieu d'être attentif aux leçons qu'on y donne, ne vous êtes-vous point laissé distraire volontairement, vous occupant à des choses vaines et inutiles? (Si cela arrive souvent, et que l'on puisse prévoir que le progrès des études en souffrira gravement, péché mortel; si cela n'arrive que quelquefois, et qu'on ne porte qu'un léger préjudice aux études, péché véniel.)

« Comment avez-vous sanctifié vos études?... Au lieu de vous y proposer la gloire de Dieu et votre sanctification, n'avez-vous pas étudié uniquement par des motifs de vanité, d'orgueil, d'ambition, etc.? (Péché plus ou moins grave, selon que le motif est plus ou moins mauvais; mais, pour que le péché soit mortel, il faut qu'il y ait ce que les théologiens appellent *gravis inordinatio*, un grave désordre dans le motif: étudier simplement par vanité, pour exceller, pour se faire remarquer par sa science, n'est qu'un péché véniel.)

« Ne vous êtes-vous point trop livré à la lecture des ouvrages totalement étrangers à vos études et à votre classe? (Si l'on perd à cette lecture un temps considérable, et que l'on s'aperçoive que par là on

nuît notablement à la science à laquelle on se destine et aux progrès qu'on doit faire dans sa classe, péché mortel; si cette lecture ne porte pas aux propres études un préjudice notable, péché seulement véniel, pourvu toutefois que les livres ne soient ni contre la religion ni contre les mœurs.) »

(RR) Page 499.

694. Quoad famulos hæc adhuc ad praxim maxime conducentia notanda duximus cum toties laudato, docto, atque pio *Joanne Ambrosio Stapf*, § 523 et alibi passim.

1. Rem esse valde periculosam, quod puellæ rusticæ majori commoditate vel vitæ splendore attractæ in urbes commigrent, ut ibidem ancillentur, præsertim ubi neminem habeant, quem consulere possint. Quare facile est, ut vel impio seductori in prædam cadant, vel nimio luxui indulgentes in omnia vitia præcipites ruant.

2. Illi famuli acriter increpandi sunt, qui identidem atque occulte aliquid de cibis exquisitis surripiunt. Licet enim per se res non ita gravis videatur; attamen timendum est ne sic ad domestica furta disponantur: non præterquamquod etiam gula ipsi peccant.

3. Admonendi sunt famuli, ut dum viribus valent, etiam in futurum sibi provideant, ne tempore infirmitatis aut senectutis adveniente, miserime vitam agere cogantur. Utique nimium nos sollicitos esse dedecet, sed etiam dedecet inconsideratos esse; qui enim bona in juventute dissipat, inutiliter lugebit in senectute.

4. Curandum ut sua sorte contenti sint, neque contra Dei providentiam insurgant. Sciant terribile judicium instare iis, qui præsumunt; et sæpe magnam fortunam magnam esse servitutem. Sciant in humili vitam egisse tum Mariam Cœli Reginam, tum Christum Dominum Dominantium. Sciant omnes homines alios ab aliis dependere, unum Deum independentem esse. Sciant eorum statum plures Sanctos numerare, etc.

695. Quoad dominos autem hæc iterum specialius notamus. Sciant domini eo magis suos famulos fore in re domestica diligentes, quo magis erunt in Religione fideles. Sane qui Deo nequam est, cui bonus erit? Qui vero e contrario Deum diligit, ejus leges curat, quæ debitam subjectionem erga majores tumentur.

« Les domestiques étant placés comme sous la tutelle de leurs maîtres, le péché que commettent ceux-ci en les portant au mal est plus grave que s'ils y sollicitaient des étrangers. » *Examen raisonné*. — Sæpe in confessione hanc circumstantiam tacent heri, quæ proinde petenda est.

## TRACTATUS QUARTUS

### DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE ET SPECIE AC DE CENSURIS

Postquam homo vidit quomodo sui in se actus efficiantur, et quibus regulis directricibus ad honestatem ordinentur, necessarium imprimis est, ut e regulis illis nunquam recedat, sicque malum evitet juxta illud: *Declina a malo*. Sed quomodo a regulis illis recedit homo, nisi per vitia ac peccata? Oportet igitur ut de iis disputemus; en Tractatus quartus. Duo autem hic maxime fluunt: 1. ut homo peccatum in natura sua agnoscat; 2. ut peccatorum præcipuas addiscat radices seu vitia principaliora, quæ sunt veluti peccatorum omnia capita.

Hinc duplex disputatio: 1<sup>a</sup> de peccatis in genere; 2<sup>a</sup> de peccatis in specie seu vitiiis capitalibus: ut autem magis a peccatis et vitiiis abhorreat christianus; 3<sup>a</sup> addemus de Censuris, quæ sunt pænæ, quibus ab Ecclesia in foro etiam externo quædam graviora plectuntur.

### DISPUTATIO PRIMA

#### DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE

##### 696. Q. 1. Quid est peccatum?

R. Peccatum improprie modo accipitur pro *hostia*, quæ pro peccatis offertur: sic Apostolus ait, quod Christus pro nobis peccatum fecit<sup>1</sup>. Modo pro occasione peccati: sic Moyses vitulum aureum peccatum appellat<sup>2</sup>. Modo pro effectu ac simul occasionali causa peccati: sic Apostolus concupiscentiam peccatum dicit<sup>3</sup>. Modo pro pænâ peccatis debita: sic Daniel vult, ut peccata eleemosynis redimantur<sup>4</sup>.

Proprie autem, sed generice acceptum peccatum idem est

<sup>1</sup> II Cor. v. — <sup>2</sup> Exod. xxxiii. — <sup>3</sup> Rom. vii. — <sup>4</sup> Cap. iv.

ac quilibet defectus. Unde in ordine naturali monstra dicuntur peccata naturæ; in artibus opera defectuosa dicuntur peccata artis; in moralibus vero actus humani vitiosi simpliciter peccata dicuntur: quo sensu hic a nobis accipitur peccatum. Celebris autem est peccati definitio, quam tradit Augustinus: *Peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam*<sup>1</sup>. Communiter tamen definiri solet peccatum: *Libera legis divinæ violatio; seu actus libere positus, vel libere omissus contra legem Dei*<sup>2</sup>.

Dicitur: 1. libera; quia debet esse in voluntatis potestate actum illum ponere vel non ponere, alioquin numquam erit peccatum; cum tam ad merendum quam ad demerendum requiratur illa indifferentiæ libertas, quam homo agere possit et non agere: *Peccatum, inquit Angelicus, essentialiter consistit in actu liberi arbitrii*<sup>3</sup>.

2. Legis; ubi enim non est lex, nec prævaricatio<sup>4</sup>. Et quidem legis divinæ, quo nomine intelligitur lex omnis; nam quævis violatio etiam legis humanæ adversatur legi divinæ, clamante Apostolo: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*<sup>5</sup>.

3. Violatio, ut indicetur formalis ratio peccati, quæ consistit in voluntario hominis recessu a recta agendorum, et omittendorum regula, sive in privatione ordinis, et rectitudinis<sup>6</sup>.

697. Hæc definitio peccati (dices) non convenit peccato originali, cum non fuerit in nostra potestate illud ponere vel non ponere; ideoque nobis nullimode fuit liberum. — R. Etsi originis peccatum

<sup>1</sup> L. XXII contra Faust., c. xxvii. Nomine facti vel dicti venit etiam omisio; cum male agat qui omittit quod omittere non debet. — V. Liguori, Op. Mor., l. IV, n. 1. — Ferraris, Bibliotheca, v<sup>o</sup> Peccatum.

<sup>2</sup> Vitium et peccatum etsi promiscue usurpentur, proprie tamen, uti notat Angelicus, 1. 2, q. 71, differunt. Nam peccatum est ipse actus moraliter malus; vitium est habitus seu dispositio inclinans ad actum ipsum malum. Unde primum est quid pejus; cum actu male agere pejus sit, quam solum esse dispositum ad male agendum.

<sup>3</sup> 1. 2, q. 77, a. 6. — <sup>4</sup> Rom. iv. — <sup>5</sup> Rom. xiii.

<sup>6</sup> Non tamen peccatum est ipsum nihilum: *Peccatum non est pura privatio*, ait S. Thomas, 1. 2, q. 72, a. 1, sed est actus debito ordine privatus.

non fuerit in potestate nostra, ut sumus personæ singulares, fuit tamen in potestate nostra ut sumus membra totius naturæ humanæ, ideo liberum; cum nempe fuerit in potestate nostri capitis (quod sustinebat personam omnium) peccare vel non peccare. Hoc enim ipso, quo Deus constituendo Adamum caput nostrum naturale et morale, illi commisit voluntates nostras moraliter, et ipsi nos illi commisimus. Unde tradita definitio omnia peccata comprehendit, ac legitima est.

Adde: *Datur peccatum soli naturali rationi repugnans et mere philosophicum, uti vocant; ergo definitio non est recta.* — Aliqui discrimen posuerunt inter actum humanum, qui soli naturali hominis rationi adversatur, et actum qui adversatur legi divinæ: 1<sup>um</sup> peccatum philosophicum; 2<sup>um</sup> theologicum nuncupavere. Verum hæc opinio merito uti erronea diris devota est ab Alexandro VIII; nam etsi non pugnet peccatum per mentis præcisionem, id est abstrahendo, considerari posse uti pure repugnans rectæ rationi; nusquam tamen potest ab offensa Dei realiter separari. Nam qui peccat contra rectam rationem, simul et indivisibiliter peccat contra legem Dei<sup>1</sup>; quia dictamen rectæ rationis est intimatio legis æternæ necessario prohibentis quod dedecet naturam rationalem. Ad rem Alphonsus noster: « Le motif de cette condamnation est clair, parce que personne ne peut savoir qu'il offense la loi naturelle sans avoir une connaissance au moins implicite et confuse du suprême législateur qui a fait cette loi naturelle; et cela suffit pour former le péché mortel théologique<sup>2</sup>. »

698. Q. 2. *Quomodo peccatum generatim dividitur?*

R. Prima et generalis peccata divisio est in *originale* et *personale*. Originale est quod ab ipsa origine nostra in Adamo contraximus, et definitur: *Peccatum a primo parente in posteris per generationem transmissum*. Personale est quod committimus propria nostra, physica, et actuali voluntate. Hinc D. Anselmus: « Est peccatum a natura, et est peccatum

<sup>1</sup> Imo non tantum peccat in Deum uti *legislatorem*, cujus leges aspernatur, sed etiam uti *judicem*, cujus pœnas non pertimescit; uti *testem*, cujus præsentiam non reveretur; uti *dominum*, cujus servitutem detrectat; uti *benefactorem*, cujus beneficia contemnit: uti *ultimum finem*, ipsum in creaturis collocans. — Utique effective Deus lædi non potest juxta illud Jobi iii: *Si peccaveris, quid ei nocebit?* At affective mala hominis voluntate utique offenditur, quatenus homo sanctissima jurâ Dei violat, ejusque amicitiam practice contemnit. Nonne directe etiam veritas per mendacium læditur? attamen veritas in semetipsa semper remanet incorrupta; qui tamen mentitur, vere veritatem offendit.

<sup>2</sup> *Apologie*, ecc., v, n. 11.

a persona; itaque quod est a persona, potest dici *personale*; quod autem a natura *naturale*, quod dicitur *originale*<sup>1</sup>. »

« La différence qui existe entre le péché originel et le péché personnel consiste en ce que le péché personnel se commet par la volonté physiquement propre, et que le péché originel est commis par une volonté physiquement étrangère, mais moralement propre. » Ita etiam S. Alphonsus<sup>2</sup>.

CAPUT PRIMUM

DE PECCATO ORIGINALI

Art. I. — De peccati originalis existentia.

699. Q. *An peccati originalis existentia admittenda sit?*

R. Peccati originalis existentiam præcipue negarunt IV sæculo Pelagiani; VII Armeni; VIII Albanenses; XIII Albigenenses; XVI Zuvingliani aliique ex Novatoribus; et negant adhuc Sociniani et increduli. Verum de fide catholica est, *peccatum originale in omnes et singulos homines transfundi, qui via naturali ex Adamo descendunt, nisi privilegio speciali exemptantur*.

Prob. I. *Scriptura*: Regius Psaltes habet: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*<sup>3</sup>. Atqui hujusmodi iniquitas atque peccatum, in quo David conceptum se dolet, non aliud esse potest, quam pec-

<sup>1</sup> *De Concept. Virg. et Orig. pecc.*, c. XXIII.

<sup>2</sup> *Opera Dogmatica* contro gli increduli pretesi riformati, sess. v.

<sup>3</sup> Ps. I. In textu hebraico habetur numerus singularis *in iniquitate et in peccato*. Sed non officit quod ponatur plurale; tum quia peccatum originale est radix plurium peccatorum; tum quia in eo peccato plures e. graves fuerunt deformitates, nempe superbia, infidelitas, inobedientia, gula, etc. Attamen si quærat quodnam fuerit primum Adæ peccatum. dicimus illud fuisse non inobedientiam, sed superbiam simul includens ac causans inobedientiam. Audiens enim Adam, quod foret Deo similis comedendo de ligno vetito, in superbiam elatus ex motivo hujus assimilationis concepit voluntatem comedendi, et comedit

catum originale: Numquid David (ait S. Augustinus in hæc verba) de adulterio natus erat, de Jesse viro justo et conjuge ipsius? Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Et Apostolus scribit: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt<sup>1</sup>. Docet hic Apostolus per Adamum peccatum in mundum intrasse, non secus ac mortem; atqui mors intravit in omnes et singulos homines tam adultos quam parvulos, absque ullo discrimine. Ergo etiam peccatum originale; neque enim in parvulis actuale esse potest.

2. *Patribus*: unanimis sane fuit et perpetuus eorum consensus hac in re. Duos proferimus, Augustinum et Athanasium. — Primus contra Pelagium sic inquit<sup>2</sup>: Non ego finxi originale peccatum, quod Catholica fides credidit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus. Alter hæc habet: Ob Adam iniquitatem omnes, qui ab Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur<sup>3</sup>.

5. *Conciliis*: sufficiat omnium loco Tridentinum, cujus Patres sic decreverunt: Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum quod est mors animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum; et per pecca-

<sup>1</sup> Rom. v. — <sup>2</sup> De Nupt., l. II, c. xii.

<sup>3</sup> In Ps. l. De lide est omnes omnino homines ab uno Adamo derivare: hoc est contra Peyrerium qui docuit Adamum et Evam esse tantummodo capita populi Israelitici, parentes autem gentium alios fuisse homines antea creatos, quos proinde vocabat Præ-Adamitas. Sed hoc fabulosum est, ut patet ex toto Genesis contextu, et ex illo I Cor. xv: Factus est primus homo Adam in animam viventem. Unde Augustinus tract. IX in Joann.: In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum. — V. Billuart, De Pecc. orig. Digressio historica. — Bergier, Dictionnaire de théologie.

tum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt<sup>1</sup>.

4. *Ratione theologica*. Ac 1. Fides Catholica semper docuit Baptismum esse necessarium ad salutem æternam: atqui nulla esset talis necessitas, si peccatum originale non existeret; 2. Christus fuit Salvator atque Redemptor tam adultorum quam parvulorum: atqui sublato dogmate peccati originalis, talis dici non posset.

5. *Denique antiquæ traditionis vestigiis*, quæ apud omnes gentes etiam barbaras reperiuntur, uti ex historia apparet. Unde vel ipse Voltairius, ultro fatetur: Casus hominis est fundamentum Theologiæ omnium pene antiquorum populorum<sup>2</sup> (A).

Diximus: 1. Qui via naturali ex Adamo descendunt, ut ita eximatur Christus, et alii qui per miraculum formarentur; nam isti tunc non descenderent per seminalem propagationem ab Adamo: Revera, ait Tridentinum, homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant<sup>3</sup>.

2. Nisi privilegio eximantur, ut exempta fuit Maria; absit ut Eam includamus opus (ex Damiani) quod solus Opifex supergreditur<sup>4</sup>.

700. *Objicies 1: Concipi nulla ratione potest, quomodo peccatum originale in posteros traducatur; ergo repugnat illud admittere.*

R. 1. Latet quidem nos modus: Ego istam quæstionem profundam sentio, inquit D. Augustinus: libet me et hic exclamare quod Paulus: O altitudo divitiarum<sup>5</sup>! Neque tamen idcirco fas est aliquid concludere contra peccati originalis existentiam: secus eodem argumento negari posset commercium animæ cum corpore; quia minime innotescit, quomodo anima in corpus, et corpus vicissim in animam agat. Item adhesio partium in corpore; cum modus non agnoscat hujus adhesionis. Unde hic magis curandum est, ait idem S. Doctor, sive in parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio.

<sup>1</sup> Sess. v, can. ii. — V. Liguori, Opera Dogmatica, sess. v.

<sup>2</sup> Phil. de Hist., ch. xvii. — Muzzarelli, Il buon uso della logica in materia di religione, op. xxv: peccato originale.

<sup>3</sup> Tridentinum, sess. vi, c. iii. — <sup>4</sup> Serm. de Nat. B. V.

<sup>5</sup> Serm. cccxv, de Bapt. parv.

quam quo vitata sit merito<sup>1</sup>: sane qui cecidit, non querit quomodo ceciderit, sed quomodo surgat.

R. 2. Ceterum ad exponendum impenetrabile hoc mysterium varia sunt excogitata systemata. Alii dicunt ideo peccatum originale traduci, quia anima infunditur in corpus vitiatum: sicut liquor in vase vitiato corrumpitur; sic ipsa anima dolet, si jungatur corpori vulnerato. Sed non admittendum; quia in hac hypothesi vitium corporis supponitur ante peccatum, cum tamen sit ipsius peccati effectus. — Alii volunt inter Deum et Adamum interfuisse pactum, cujus hæc conditio fuit, ut penes Adamum generis humani sors foret: admittunt insuper in omnibus posteris Adæ interpretativam quamdam voluntatem, vi cujus si exitissent, tale pactum libenter fuissent acceptaturi. Verum hoc pactum gratis omnino supponitur, et consensus voluntatis nondum existentis non potest puniri. — S. Thomas, cujus sententia communis evasit, docet Adam constitutum a Domino fuisse *caput naturale et morale totius generis humani, tum ad conservationem, tum ad amissionem justitiæ originalis*, ita ut, eo perseverante in bono, omnes nati fuissent justii; eo autem prævaricante, omnes nascerentur justitia originali exuti. Atque hinc jure merito aiebat Augustinus, homines participes fieri peccati Adami *non proprietate actionis, sed contagione propaginis*. Sicut Rex a populo electus cum titulo hæreditatis, qui pactum fundamentale transgrediens et a potestate excidens, totam dynastiam suam in ruinam trahit; ita Adam, caput morale totius generis humani constitutus, omnes posteros suos, quorum sors et dignitas ejus fidelitati committebatur, secum perdidit.

701. Ex quo patet: — 1. quare Adam nocuerit peccando, quin prodesse potuerit pœnitendo. Nam ipse delevit quidem personale peccatum, quod in mala voluntate erat; at non potuit amplius auferre naturæ corruptionem, quæ a peccato necessario secuta est; — 2. quare cetera protoparentis peccata ad posteros non debuérunt transmitti; semel justitia originali amissa, protoparens non amplius agebat uti caput morale hominum. Sic explicatur illud Ezechielis: *Filius non portabit iniquitatem patris*<sup>2</sup>; et alia ejusmodi; — 5. quomodo originale peccatum posteris sit voluntarium et proprium: *Omnes homines, ait Angelicus, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt...; ita ut multi homines ex Adam derivati sint tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed*

<sup>1</sup> L. V, *Contra Julian.*, c. iv.

<sup>2</sup> Cap. xviii.

*voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur; sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente. Unde et vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephæsiarum, 2: Eramus natura filii iræ*<sup>1</sup>.

Sed (dices) Deus potuitne statuere, ut voluntas Adæ esset habenda pro voluntate nostra? — R. Affirmative, et absque ulla injustitia; cum Deus sit supremus omnium Dominus, qui, ut ait S. Augustinus, *magis habet in sua potestate voluntates nostras, quam nos ipsi*: sicut nos possumus in alium transferre voluntatem nostram, ita Deus jure suo potuit, non requisito consensu nostro (cum tunc non essemus actu) transferre voluntates nostras in Adamum, non quatenus sumus singulares personæ; sic enim quisque habet voluntatem propriam et est arbiter sui, sed quatenus sumus membra totius naturæ ab Adamo propagandæ. Simile quid contingit in humanis, dum Princeps includit voluntatem minoris in voluntate tutoris, quantum ad actus civiles; aut dum magistratus agit nomine totius communitatis cum Rege, et illi exhibet juramentum fidelitatis.

702. Objicies 2: *Originali peccato semel admissio, malæ essent nuptiæ; quia per illas peccatum propagaretur.*

R. Cum Augustino: *Nuptiæ institutæ sunt causa generandi, non peccandi*<sup>2</sup>; unde non est per se, sed tantummodo per accidens, quod originale peccatum ex generatione sequatur. Neque refert, quod inde proles nascatur infecta; nam, uti ait S. Thomas, *melius est ei sic esse*

<sup>1</sup> 4, 2, q. 81, a. 7. — Et S. Alphonsus: « On dit que nous avons péché en Adam, en tant qu'Adam contenait dans sa fécondité la nature humaine, et que le choix de sa volonté avait pour conséquence l'état heureux ou malheureux de cette même nature: ainsi, en péchant, il fit que toute sa race naquit avec la tache et le désordre causés par son péché, en sorte que dans Adam la tache de la personne a souillé la nature; mais en nous, c'est la tache de la nature qui a souillé la personne. »

<sup>2</sup> L. IV, *De Nupt.*, c. xxvi.



*secundum naturam, quam nullo modo esse, præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere*<sup>1</sup>.

Neque injustus est Deus, qui transfusionem illam permittit; adest enim justa causa, nempe generis humani propagatio, cui abunde per redemptionem provisum fuit. Unde Apostolus habet: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*<sup>2</sup>. Nempe sicut Adam fuit principium mortis, ita Christus est principium vite, quamvis per accidens non omnes ejus beneficium experiantur. Neque etiam pugnat, quod cum parentes baptizati amplius non habeant peccatum originale, illud tamen in posteros transmittant; quia cum parentes generent secundum corpus, non secundum mentem, nec quatenus sunt per Baptismum renovati, sed quatenus de vetustate primi peccati aliquid in mortali corpore retinent; ideo licet baptizati et sancti peccatum originale in prolem traducunt<sup>3</sup>.

**703.** Objicies 3: *Peccatum originale est in anima; anima autem non est ab Adam nec a parentibus per generationem; sed a Deo creatur, ut decisum est in Lateranensi sub Leone X, sess. viii. Ergo dicendum est a Deo animam vitari si revera originale peccatum in ea est.*

R. Peccatum originale traducitur per generationem, sed quatenus semen movet dispositivo ad animam et ad ejus conjunctionem cum corpore, ex qua conjunctione fit hic homo, hæc natura humana. Per generationem itaque habetur et traducitur natura ab Adam seminaliter propagata, consequenter per concomitantiam seu resultantiam traducitur et culpa: quia traducitur natura privata justitia originali. *Humana autem natura, aut Angelicus, traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur; et ex hoc infectionem incurrit, quod sit cum carne traducta una natura. Si enim ei uniretur non ad constituendam naturam, sicut Angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet*<sup>4</sup>.

**704.** Objicies 4: *Injustus est Dominus, qui protoparentes nostros totamque progeniem obnoxios esse voluit periculo peccati, maxime cum præsciis esset tristissimi exitus.*

R. Justus, immo et munificus Dominus, qui protoparentes nostros libertate donavit, et tentavit eos, ut, si vellent, ea bene utendo, inveniret illos dignos se. Fefellit eventus: unde duo hic habemus, libertatem et ejus abusum; libertas porro est quidem nobilissimum donum Dei; at abusus libertatis est omnino alienus a dono et a donatore, sed

<sup>1</sup> 1, 2, q. 85, a. 1. — V. Moehler, *La simbolica*, t. I. — F. A. Breno, *Epitome manualis Missionariorum orientalium*, pars I<sup>a</sup>.

<sup>2</sup> I Cor. xv. — <sup>3</sup> Angelicus, 1, 2, q. 81, a. 3.

<sup>4</sup> Q. 3, *De Creat.*; a. 3, ad 5.

opus est deliberatum solius hominis, nec nisi per summam injuriam Deo imputari potest, qui potius et abusum vetat et punit. Illum utique præscivit Deus in hominibus (sicut et in angelis); sed præscivit etiam multos ex illis bene usuros esse, honorumque exercitio profuturos esse malos; et ideo libertatem eis non ademit, *potentius* (ut ait Augustinus) *et melius esse judicans etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere*<sup>1</sup>.

Tentatio autem erat facile superabilis, tum respectu *ipsorum protoparentum*, qui utpote imbuti plenitudine scientiæ ac voluntatis rectitudine, prima fronte poterant et mendacium dæmonis cognoscere et illud propulsare<sup>2</sup>; tum respectu *loci* qui undique ipsis ostendebat magna Dei, ut ipsi ex corde servirent; tum respectu *rei*, ex tot enim tantisque arboribus, unam tantum eis interdixerat creator; tum ex parte *temporis*, quo enim recentior erat divini legis promulgatio, eo facilius fuerat contemptus satanicæ suggestionis; tum demum ex parte *modi*, non enim primo vir, sed mulier in periculo fuit, ut si vinceret, major esset tentatori confusio: si autem vinceretur, penes caput nostrum foret adhuc humanum genus salvare, vincendo vincitorem<sup>3</sup>.

**705.** Grave monitum sit: si in omnibus theologicis disputationibus cavendum est a verborum novitate, ne inducatur confusio, disputationibus aditus aperiatur, errori fiat locus ac offendantur fideles, in præsentem maxime cavendum; cum in ea proprie fides christiana consistat. Qui amant novas in Theologia inducere voces seu *theologias*, audiant Patres Africanos in Epistola ad Theodorum Papam: *Certum est, quod tales sermonum novitates de malo amore gloriæ nascuntur. Dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces et sapientes videri, quaerunt quid novi proferant* (B).

#### Art. II. — De peccati originalis subjecto, natura et effectibus.

**706. Q. 1.** *Quodnam est subjectum peccati originalis?*

R. Peccati originalis subjectum sunt omnes homines naturaliter ab Adam derivati, ut patet ex generalibus tum Scripturæ tum Patrum verbis: hinc Apostolus aperte docet, quod omnes in Adam peccaverunt. Est ergo contra fidem quod tradunt Calvinistæ, nempe peccatum originis filii fidelium non imputari, quia justitia parentum per eorum fidem ipsis

<sup>1</sup> *De Civit. Dei*, l. XXII, c. 1.

<sup>2</sup> *Eccli.* xvii.

<sup>3</sup> F. Martinet, *Institutiones Theolog.*, vol. I, lib. II, a. 5.

communicatur; tunc enim frustra ipsi baptizarentur, si per parentum fidem essent justificati. Quare merito Tridentinum: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari... anathema sit*<sup>4</sup>.

Hoc tamen non impedit, quominus exceptionem faciamus pro Beatissima Virgine Maria: « On n'ôte rien à la vérité, dit Liguori, d'une règle générale par une exception de quelque objet particulier, qu'on a coutume de renfermer dans l'espèce lorsqu'on le veut, bien qu'il y ait quelque raison spéciale de ne pas le faire. » Sic quamvis generales sint istæ locutiones in Scripturis quoad actualia peccata: *Omnis homo mendax, non est homo qui non peccat*; nullus tamen hic Mariam comprehendit. — Imo de fide catholica est, *Beatissimam Virginem, quamvis ex Adamo carnali generatione descendat, a Deo tamen per gratiam prævenientem ab originali peccato fuisse præservatam vi redemptionis futuræ, eo instanti quo formata fuit; ita ut labem peccati nunquam de facto habuerit* (C).

1. Id manifestum est ex verbis, quæ Genesis III leguntur post protoparentum nostrorum lapsum, dum Deus serpentem seu diabolum originalis peccati auctorem alloquitur: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus*. In prima textus parte denuntiatur identitas inimicitiarum inter dæmonem et semen mulieris, ac inter dæmonem et mulierem ipsam; atqui inimicitie inter dæmonem et semen mulieris, id est Christum, fuerunt absolutæ, perpetuæ, quæ nullam præcedentem amicitiam admittunt: ergo tales sint oportet etiam mulieris seu Mariæ inimicitie cum dæmone; tales autem non fuissent, si B. Virgo vel unico instanti subjacisset peccato. In secunda parte denuntiatur effectus prædictarum inimicitiarum, id est triumphus quem mulier virtute seminis sui, nempe Christi, plenum refert. Sed

<sup>4</sup> Sess. v, can. 1.

hic triumphus plenus non fuisset, si dæmon veneno suo seu peccato mulierem infexisset; hac enim in hypothesi non ipsa caput contrivisset serpentis; sed dæmon contrivisset caput mulieris, seu B. Virginis<sup>1</sup>.

Veritas confirmatur ex verbis Gabrielis archangeli ad ipsam Virginem: *Ave gratia plena;... invenisti gratiam apud Deum*; et Elisabeth: *Benedicta inter mulieres*<sup>2</sup>. At quomodo ipsa gratia plena, quomodo invenire potuit gratiam apud Deum, quomodo adeo accepta Deo, atque supra ceteras mulieres benedicta, quomodo uno verbo adeo sublimata, laudata, honorificata, si aliquid novi, aliquid magni et singularis non contigisset in Virgine Maria? Ita hæc verba exposuerunt Origenes, S. Ambrosius, S. Sophronius hierosolymitanus, S. Andreas Cretensis, S. Joannes Damascenus et alii, uti videre est penes Passaglia: qui docent B. Virginem per gratiæ plenitudinem quam ipsa consecuta est, ac benedictionem illam, fieri prorsus singularem inter creaturas omnes, puriorem cælestibus agminibus, omnisque labis expertem.

2. Id probat auctoritas Pontificum Sixti IV, Pii V, Pauli V, Gregorii XV et Alexandri VII, qui declarant toto se animo piam sequi sententiam, Conceptionis Missam et Officium approbando, et indulgentias concedendo<sup>3</sup>. Et Gregorius XVI, postulanti Episcopo quam libentissime facultatem tribuit, ut in Lauretanis Litanis, et in ipsa Missæ præfatione Immaculatus Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex

<sup>1</sup> In hebraico textu et samaritano, ac alexandrina versione, loco ipsa legitur *ipsum* (semen nempe mulieris) aut *ipse* (Christus videlicet); sed hoc parum refert ad rei substantiam; non enim vis probationis pendet ex voce ipsa vel ipsum, sed ex inimicitia absoluta, et perpetua filii et matris adversus dæmonem, ex qua sequitur et filium et matrem perfecte et plene de dæmone triumphasse, licet ex diverso titulo, nempe Filium virtute propria, matrem virtute Filii. Ceterum vero catholico est præferenda lectio Vulgatæ versionis, quæ authentica declarata a Tridentino atque proposita authentica fuit a Sixto V et Clemente VIII; et illius lectionis fundamenta gravissima exponunt Catholici controversistæ et expositores, Bellarminus, Bonfrerius, etc.

<sup>2</sup> Luc. 1 et v.

<sup>3</sup> Imo triginta et amplius numerantur Pontifices qui promoverunt piam sententiam, et cultum Virginis immaculatæ. — V. Piazza, *Causa immaculatæ Conceptionis*; et Perrone, *De Deo creatore*.

credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Tandem Pius IX proprium de Immaculata Conceptione Officium die 2 feb. anno 1849 pro Universa Ecclesia lætissimo prorsus animo concessit; die autem 8 dec. anno 1854 Apostolicis Litteris *Ineffabilis Deus*, dogmaticam definitionem (616 archiepiscopis et episcopis una cum eorum clero hanc veritatem jam profitentibus) toto plaudente catholico orbe dedit, promulgavit: *Ad honorem Sanctæ et individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem Fidei catholicæ, et Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam, quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam, immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*

3. Id firmant Concilia. Inter cetera Toletanum anno 654, ubi receptum fuit Breviarium a S. Isidoro Archiepiscopo reformatum, in quo quidem B. M. Virginis immunitas ab originali prædicatur. Trullanum anno 692, quod quidem liturgia S. Jacobi Apostoli nuncupata utebatur; in ea autem Beata Virgo vocatur *sanctissima, immaculata*. Et Nicænum II generale (anno 787) definit: *Si quis non confitetur sanctam semperque Virginem Mariam proprie ac vere Dei genitricem sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, anathema sit*. At quomodo Virgo posset dici *sublimior* omnibus creaturis etiam angelicis, si aliquando fœdata fuisset a culpa originali, ideoque gratiæ expers et Dei inimica? Tandem Tridentinum anno 1542 cum dogmaticum de peccato originali ederet Decretum, solemniter declaravit, *non esse suæ intentionis in decreto ipso comprehendere Dei Genitricem Mariam*. Hac enim declaratione, ait Pius PP. IX citatis Litteris, *Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Litteris, nihil ex Traditione, Patrumque auctoritate rite*

*afferri posse, quod tantæ Virginis prærogativæ quovis modo refragetur.*

4. Habemus SS. Patrum testimonium, qui utique conceptis verbis id non adstruunt, cum nulla hac de re tum exorta esset controversia: sed veritatem ut certam supponunt ob generalia, quibus loquuntur, verba. S. Ephrem ait (anno 370): *Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima Virgo*<sup>1</sup>. S. Joannes Damascenus (ex Calmet locupletissimus sententiarum totius græcæ Ecclesiæ testis, atque doctrinæ præcedentium Patrum custos fidissimus), loquens de Virginis Conceptione aperte ait (anno 755): *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratiâ fructum suum produxisset*<sup>2</sup>. S. Petrus Damiani (anno 1070) ait<sup>3</sup>: *Caro Virginis ex Adam sumpta maculam Adam non admisit (D)*.

5. Adde universalis Ecclesiæ praxim, nam ubique Festum Immaculatae Conceptionis, ubique sodalitates, vel pia exercitia in honorem hujusce mysterii extabant, etiam nondum data dogmatica definitione. Adde liturgias orientalis et occidentalis Ecclesiæ, panegyricas orationes, hymnos qui publice decantantur, in quibus omnibus B. Virgo (uti res meridiana luce clarior) ab omni labe originali immunis prædicatur, laudatur, extollitur. — Adde celebriores orbis Universitates, Religiosorum Ordinum votum, Principum devotionem pro immaculata Virginis conceptione. — Adde communem fidelium sensum, qui, dicente Cano, *in questione fidei haud levem facit fidem*<sup>4</sup>; impossibile est enim, quod omnes fallantur: idque maxime, si locis ac tempore sint dissiti, indole dispares, ac moribus diversi, et tamen in unum semper conveniant<sup>5</sup>. — Adde factas revelationes, et acta per Deum prodigia, in cultum videlicet B. M. Virginis sine labe originali conceptæ.

Adde vel ipsam rationis congruentiam. Decuit enim, ut Deus sanctitatis amator sibi talem eligeret Matrem, quæ om-

<sup>1</sup> In Orat. ad Sanctiss. Dei Genitricem. — <sup>2</sup> Orat. 1. De Nativ. Virg.

<sup>3</sup> Serm. De Assumpt. — <sup>4</sup> De loc. Theol., l. V, cap. ult.

<sup>5</sup> V. Petavius, De Incarnat., l. XIV, c. II, n. 10.

nino esset sancta. Decuit, ut Sanctorum Regina, inferorum Dominatrix, Domini Genitrix ne uno instanti diceretur sub potestate dæmonis : *Si Dominus*, ait D. Anselmus, *castaneæ confert, ut inter spinas, remota compunctione, recipiatur, alatur et formetur; non poterit hoc dare humano quod sibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimode exors redderetur? plane potuit et voluit; quod si voluit et fecit<sup>1</sup>.*

707. Q. 2. *In quonam peccati originalis natura collocanda est?*

R. Circa naturam peccati originalis non una Catholicorum sententia. Plures antiqui illam reponunt in prava quadam ac morbida carnis qualitate, quæ in animam transierit; sed hoc est potius effectus quam essentia peccati. Alii peccati originalis naturam ponunt in habitu inclinante hominem in bonum commutabile, ut in ultimum finem; non tamen recte, hæc enim inclinatio est iterum effectus peccati, non ipsum peccatum. Alii aliter sentiunt. Sed communis evasit sententia Angelici, qui docet, quod originale peccatum formaliter est privatio justitiæ originalis, quatenus superiorem animæ partem rectificabat in ordine ad Deum. Materialiter autem est

<sup>1</sup> Liber *De Concept. B. M.*, cap. iv.

<sup>2</sup> Plura hic sunt Novatorum placita, quæ Catholicis repudiare ac condemnare debet: « Il doit désavouer et condamner l'opinion de Matthias, luthérien illyrien, affirmant que le péché originel n'est autre chose que la substance de l'âme humaine corrompue par le péché d'Adam; dans cette hypothèse, le Dieu créateur de l'âme serait l'auteur du péché dans les descendants du premier homme. Il doit désavouer et condamner l'opinion de Pighio, qui soutenait que le péché originel était le péché actuel d'Adam, qui nous était imputé intrinsèquement, puisque, comme le susdit concile l'enseigne, ce péché est propre à chacun, *inest unicuique proprium*. Il doit désavouer et condamner l'erreur des Pélagiens, qui faisaient consister le péché originel dans le seul *reatus pœnæ*, tandis que la peine suppose la faute. Il doit pareillement rejeter et condamner l'assertion des luthériens et des calvinistes, qui affirment que la concupiscence constitue formellement le péché originel, parce que, dans une semblable supposition, le péché originel persévérerait après le baptême, et que, contrairement à la doctrine expresse de l'Église, il n'y aurait d'effacé que l'imputation extérieure de ce même péché. » Ita Giudice, *Dottrina teologica sul peccato originale e suoi connessi*, ecc., § 2. Genova, 1850.

ipsa concupiscentia, seu carnis et virium inferiorum animæ deordinatio.

Quod ut bene intelligatur, sciendum justitiam originalem nihil aliud fuisse, quam perfectam totius hominis rectitudinem, quæ tria hæc complectebatur : 1. perfectam voluntatis subjectionem ad Deum, et conjunctionem cum eo per gratiam et charitatem; 2. perfectam subjectionem inferiorum animæ virium ad rationem, ita ut nullo unquam inordinato affectionum motu illa perturbaretur; 3. subjectionem item corporis ad ipsam animam, et exemptionem a morte et a quovis morbo.

Ex quibus hæc sequuntur : — 1. peccatum originis formaliter sumptum in omnibus esse æquale, ex parte nempe aversionis a Deo et carentiæ gratiæ; cum æqualiter in omnibus fuerit solutum vinculum originalis justitiæ. Aliunde omnes voluntates æqualiter in Adami voluntate continebantur: nec ulla ratio est, cur ad unum magis, quam ad alium pertineat illius prævaricatio; — 2. peccatum originis materialiter sumptum diversum esse : *Soluto vinculo originalis justitiæ*, ait Angelicus, *sub quo quodam ordine omnes vires animæ continebantur, unaqueque vis animæ tendit in suum proprium motum, et tanto vehementior, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animæ esse fortiores in uno, quam in alio propter diversas corporis complexiones<sup>1</sup>.* Veluti si diversis equis tollatur frenum, unusquisque eorum præceps fertur; sed unus alio velocior, prout vivacius est temperamentum.

708. Q. 5. *Quot sunt peccati originalis effectus?*

R. In præsentī vita effectus peccati originalis et corpus et animam afficiunt; Tridentinum enim Concilium docet *totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse<sup>2</sup>.*

1. Effectus ex parte corporis sunt ærumnæ, morbi et ipsa mors: licet enim corpus nostrum ex contrariis compactum naturaliter esset corrumpendum; Deus tamen benignitate sua dederat per justitiæ originalis donum, ut dissolutio impediretur lignum vitæ vescendo<sup>3</sup>. *Posse non mori Adamo præstatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ*, ait Augustinus<sup>4</sup>. At semel amissa originali justitia, corpus in

<sup>1</sup> 1, 2, q. 82, a. 4.

<sup>2</sup> Sess. v, can. 1. — <sup>3</sup> Gen. ii. — <sup>4</sup> Lib. VI, *De Gent. ad lit.*, c. xxvi.

pœnam pristinae naturae restitutum est. Hinc ærumnæ, morbi et ipsa mors; unde Apostolus: *Per peccatum mors*<sup>1</sup>.

2. Effectus ex parte animæ quatuor enumerat Angelicus: quorum primus respicit rationem, secundus voluntatem, tertius irascibilem, quartus concupiscentiam. *Quatuor sunt potentia animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est forlitude; concupiscibilis, in qua est temperantia.* — *In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantia. In quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitia. In quantum irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis. In quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentia*<sup>2</sup>. Quæ vulnera per actuale peccatum fiunt pejora.

Diximus in præsentī vita. Quod autem spectat ad vitam futuram, de fide certum est, originale peccatum etiam solum a regno cœli perpetuo excludere, juxta illud Joannis, III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (E).

## CAPUT SECUNDUM

### DE PECCATO PERSONALI

709. Q. 1. *Quomodo dividitur peccatum personale?*

R. Peccatum personale dividitur in actuale et habituale. Per actuale intelligimus peccatum in actu existens, id est ipsammet actionem peccaminosam: est contra Lutherum, qui dicebat peccatum actuale nihil aliud esse quam *malum illud, quod in nobis producitur a peccato originali*<sup>3</sup>. Per peccatum vero habituale intelligimus ipsam maculam animæ inhaerentem ex actuali peccato, eamque deturpantem, donec pœnitentia abstergetur<sup>4</sup>. Hic est potissimum de peccato actuali.

<sup>1</sup> Rom. v. — <sup>2</sup> 1, 2, q. 85, a. 5.

<sup>3</sup> *De Captivit. Babyl.*, c. x. — <sup>4</sup> V. Bonacina, *De Peccatis*.

*An (quæres) ad omne peccatum personæ actuale requiratur actualis in agente libertas; an vero præter peccatum liberum admittendum sit etiam peccatum actuale necessarium?* — Si de fide est, ad merendum vel demerendum in præsentī naturæ lapsæ statu non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate, clarissime hæc sequuntur: 1. ad omne peccatum personæ actuale constituendum necessario requiri actualem in agente libertatem; 2. ad hæreticas Jansenistarum Scholas prorsus esse amandandam illam peccati necessarii doctrinam. Sane nullus spiritualiter moritur (inquit Angelicus) nisi propria voluntate peccando<sup>1</sup>. Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali quæ per actum personæ committitur<sup>2</sup>. Peccatum consistit in actu liberi arbitrii<sup>3</sup>: incipit genus morum ubi primum dominium voluntatis invenitur<sup>4</sup>. Quare merito Alexander VIII diris devovit illam Jansenistarum propositionem: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis*.

Accedit ratio theologica: communi Catholicorum sensui repugnat illud ipsum peccati necessarii vocabulum; quippe quod rationi ipsi naturali adversetur. Quid enim est peccatum actuale liberum, nisi illud quod provenit a voluntate hominis non coacta ab ulla necessitate neque intrinseca, neque extrinseca antecedente? Quid vero erit peccatum necessarium? certe erit illud e contrario, quod provenit a voluntate hominis coacta ab aliqua necessitate intrinseca vel extrinseca? atqui nullum penes Catholicos datur peccatum hujusmodi. *Quis enim peccat* (cum D. Augustino rogamus) *in eo, quod nullo modo caveri potest*<sup>5</sup>? Quare a Sede Apostolica jure damnate fuere duæ illæ Michaelis Baii propositiones: 1. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit*; 2. *ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium*.

710. Q. 2. *Quomodo dividitur peccatum actuale?*

R. Peccatum actuale multiplex dividitur, prout multiplici sub respectu consideratur. A nobis consideratur: 1. ratione causæ occasionalis, quæ est vel *externa* vel *interna*, prout nempe ipsi hominis naturæ inhaeret vel non<sup>6</sup>; 2. ratione

<sup>1</sup> 1, 2, q. 75, n. 5. — <sup>2</sup> In 2, dist. xxx, q. 2, a. 2.

<sup>3</sup> 1, 2, q. 1, a. 1. — <sup>4</sup> In 2, dist. xxx, q. 2, a. 2.

<sup>5</sup> *De Lib. Arbit.*, l. III, c. xviii. — V. Audisio, *Introduzione agli studi ecclesiastici*, l. III, cap. viii.

<sup>6</sup> Ubi causæ nomine non intelligitur causa efficiens peccati, quæ alia

differentis speciei, et dicitur a Scholasticis *differentia peccatorum specifica*; 3. ratione differentis gravitatis, et venit peccatum mortale et veniale; 4. ratione multiplicationis actuum, quibus unum idemque peccatum etiam in eadem specie et gravitate potest iterum iterumque committi, et sic multiplicari; et hæc in Scholis appellatur *differentia peccatorum numerica*; 5. ratione modi, quo peccatum patrat, et venit peccatum tum *commissionis* et *omissionis*; tum *internum* et *externum*, nempe *cordis*, *oris* et *operis*. Hinc versus:

*VE* Causam, cum specie pondus, numerumque, modumque  
Qualibet in culpa discutienda scias.

**Art. I. — De peccato actuali ratione causæ occasionalis.**

711. Q. 1. Quotuplex causa peccati externa occasionalis?

R. Causa externa occasionalis peccati duplex est: *Diabolus* et *mundus*.

1. *Diabolus*; certum est enim ipsum homines variis artibus captare pro cuiusque natura et moribus<sup>1</sup>; et quantum potest eos contra legem Dei concitare, uti Evæ et Jobi historia probat. Quare S. Petrus sic admonet: *Sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem devoret, cui resistite fortes in fide*<sup>2</sup>.

2. *Mundus*, quem pariter esse externam peccati causam probat quotidiana experientia; ipse enim nos ad peccatum inducit impiis dictis, exemplis pravis et sensuum illecebris: adeo verum est, *quod mundus totus in maligno positus est*<sup>3</sup>.

*Nonne (dices) ipse Deus est externa peccati causa?* — Deus nedum causa peccati esse possit, imo illud summopere detestatur: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, ait R. Psaltes<sup>4</sup>. Et Jacobus: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est*<sup>5</sup>. Quare merito Tridentinum habet contra Novatores, qui efficientem peccati causam in Deo impie collocabant; *Siquis dixerit*

non est nisi nostra voluntas; sed quicquid aliquo modo ad peccatum trahit: ideo dicitur *causa occasionalis*.

<sup>1</sup> Lactantius, *De vero cultu*, l. VI, c. iv.

<sup>2</sup> Ep. I, c. v. — *F. Bible de Vence*, vol. III, dissert. sur les démons.

<sup>3</sup> Ep. I, Joann., c. v. — <sup>4</sup> Ps. II. — <sup>5</sup> Cap. I.

*non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie et per se, ita ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit*<sup>1</sup>. Sane peccatum consistit in ordinis perversione; non ergo esse potest ab eo, qui ordo est et universa ordinavit<sup>2</sup> (F).

712. Q. 2. Quotuplex causa peccati interna occasionalis?

R. Triplex distinguitur causa peccati interna occasionalis: *ignorantia*, *concupiscentia* et *malitia*. Prima est ex parte intellectus. Secunda ex parte appetitus. Tertia ex parte voluntatis. — Ex iis autem oriuntur peccata ignorantiae, infirmitatis atque malitiæ.

713. Q. 5. An ignorantia et mala ex ignorantia sint peccata?

R. Certum est: — 1. quod ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire potest et debet, peccatum est in se ipsa; quia est voluntaria negligentia scientiæ legis. Hinc David aiebat: *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine*<sup>3</sup>. Quod quidem peccatum multiplicatur pro numero vicium, quibus ignorantia potest depelli et non vult depelli. — Species autem et gravitas peccati ignorantiae sumitur ex speciali bonitate et gravitate præcepti ignorati; nam cognitio obligationum quæ ad cujuscumque statum vel officium pertinent, cadit sub eodem præcepto, ex quo ipsæ obligationes sunt implendæ; ideo enim præceptum est, ut sciantur, ut possint adimpleri. Hinc medicus, qui medicinæ ignarus officium suum exercet, peccat contra justitiam; quia ex justitia tenetur artis salutaris scientiam habere, si velit illam exercere.

2. Hæc *vincibilis ignorantia* non solum est peccatum in se ipsa, sed etiam est causa peccati; multa sane faciunt peccatores obcæcati, quæ, depulsa ignorantia, non facerent. Unde Apostolus de Judæis aiebat: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*<sup>4</sup>; atqui Judæi Christum occi-

<sup>1</sup> Sess. vi, c. vi. Hodierni protestantes hanc impietatem non amplius tuentur.

<sup>2</sup> S. Thomas, q. 5, *De Malo*, a. 1.

<sup>3</sup> Ps. xxiv. — <sup>4</sup> I Cor. II.

dendo peccaverunt, ergo per ignorantiam peccaverunt : seu quod idem est, ignorantia in illis fuit causa peccati. Et Christus ipse in cruce hujus peccati veniam illis adprecabatur sic orans Patrem : *Pater, dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt*; ergo peccabant in eo quod nescientes faciebant; secus nulla venia opus erat.

Diximus *vincibilis*; nam ignorantia invincibilis non est peccaminosa neque in se neque in suis consecrariis; etenim moralitatis fundamentum est voluntarietas, quæ non reperitur in ignorantia invincibili: *Non enim tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras*, ait Augustinus, *sed quod negligis quærere quod ignoras*.

Quatuor autem modis ignorantia fieri potest nobis voluntaria.

1. Per negligentiam: *Cum aliquis, inquit Angelicus, propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur, talis negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntarium et peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur et potest*<sup>1</sup>. Ubi animadvertendum, ignorantiam culpabilem non esse ejus, qui involuntarie non advertit, sed ejus qui negligit, sive ejus qui actu a voluntate quodammodo imperato animum applicare recusat ad ea addiscenda, quæ scire tenetur circa præceptum quod urget. Negligentia enim, quæ ignorantiam parit ex eodem D. Thoma, nihil est aliud, *quam non applicare animum ad sciendum id quod quis debet scire*<sup>2</sup>, uti sunt ea, quæ sunt proprii status et officii.

2. Per passionem; quando nempe quis vult deliberate eandem sequi prævidens saltem confuse et in genere effectus prævios, qui inde solent oriri, licet in particulari minime eosdem agnoscat: qui enim vult causam, dicendus est velle etiam effectus omnes necessario cum ea conjunctos, etsi particulatim eos non videat. Sic qui vult offensorem occidere, vult etiam (saltem confuse et in genere) mala, quæ ab occisione proveniunt, v. g. filiorum ejus et domus ruinam.

<sup>1</sup> Q. 5, *De Malo*, a. 7. Plura de ignorantia, n. 22 et 175.

<sup>2</sup> 1. 2, q. 76, a. 3.

3. Per habitum pravum: quando nempe quis pravum habitum emendare non curat efficaciter. Tunc actus mali, qui ex malo habitu illo proveniunt, sunt prorsus voluntarii vel in causa, id est prava illa consuetudine, quæ voluntarie contrahitur (uti est de homine blasphemus vel perjuriis assuetus); vel potius quia, ut sentimus cum Antoiné, hujusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem non ita expeditam, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum, sufficientem nempe ad reddendos actus deliberatos et mortales<sup>1</sup>.

4. Per inconsiderationem: est quando quis ita præcipitanter agit, ut advertenter negligat considerationem illam, quam res agenda meretur. Nam homini, qui jam advertit in actione sua esse quidpiam magis considerandum, et tamen vult agere præcipitanter, merito imputantur errores omnes, qui inde oriuntur. Exemplum sit in Confessario, qui ut frequentiam attrahat poenitentium, perfunctorie munera sua implet quasi dimidiatas audiendo Confessiones, et incompleto judicio, citissime omnes absolvit: huic sane imputantur gravissimi errores, qui ex mala illa Sacramenti administratione profluunt.

#### 714. Q. 4. Quid de peccatis infirmitatis?

R. Peccata, quæ ex concupiscentia proveniunt, dicuntur *peccata ex infirmitate*, quasi totidem animi ægrotudines. Verum concupiscentia in se spectata, quatenus ad objectum sensibile et illicitum nos inclinât, quin concurrat voluntas, peccatum non est: est de fide contra Lutherum et Calvinum, aliosque paucos hæreticos<sup>2</sup>. Nullum sane peccatum ubi nulla libertas; atqui nulla libertas in hujusmodi concupiscentiæ

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 4; *Homo Apost.*, tract. III, n. 28. Cum isti parvipendunt peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis impressio, quæ fit in alio habente conscientiam minus depravatam: hinc evenit, quod in eorum memoria non remanet vestigium actualis illius cognitionis, quam satis antea habuerunt de peccato, aut vestigium est adeo leve, ut interrogati de facili respondeant, quod non adverterint; sed cautus Confessarius non debet illis fidem præstare: plerumque enim sufficienter advertunt.

<sup>2</sup> Imo concupiscentia ad licita etiam impellit. — V. *Catechismus Romanus*, p. III, c. x, § 6.

motibus, quibus non assentimur. Quare D. Augustinus : *Frustra dictum est post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes et ad mala trahere nitescentes sentit eas*<sup>1</sup>. Hinc damnata est hæc Baii propositio : *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto non concupisces; unde homo eas sentiens et non consentiens, transgreditur præceptum, non concupisces; quumvis transgressio in peccatum non imputetur.* Unde patet improprie peccata vocari quæ ex concupiscentia proveniunt.

Non tamen negandum concupiscentiam frequentissimam esse peccati causam. Hinc Daniel : *Concupiscentia subvertit cor*<sup>2</sup>. Et Jacobus : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*<sup>3</sup>. In quæ verba Augustinus : *Concupiscentia non parit nisi conceperit, non concepit nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum*<sup>4</sup>; ergo in ipsam dimicandum fortiter, ne concipiat ac pariat peccatum.

715 Q. 5. Quid de peccatis malitiæ?

R. Peccata, quæ quis nec ignorantia deceptus nec concupiscentia incitatus, sed ex plena libertate committit, dicuntur malitiæ. Quæ definiuntur *deliberata quædam voluntatis adhæsiō peccato, qua fit ut illud eligat et velit ex solo et pravo in ipsum peccatum affectu.* Peccata autem provenientia ex ignorantia affectata vel ex passione libere excitata æquiparantur peccatis malitiæ; cum prima earum radix sit sola prava voluntas, quæ vel ignorantiam vel passionem procurat. Tale est peccatum illorum, qui *letantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*<sup>5</sup>; vel quasi de industria recesserunt ab eo (Deo), et omnes vias ejus intelligere noluerunt<sup>6</sup>.

— Idem est de peccatis commissis ex prava consuetudine, quam quis emendare non studet; nam *manifestum est, inquit S. Thomas, quod quicumque peccat ex habitu, peccat ex certa malitia*<sup>7</sup>; quia peccat ex majori inclinatione voluntatis.

<sup>1</sup> L. V, *Contra Jul.*, c. III. — <sup>2</sup> Dan. XIII. — <sup>3</sup> Epist. Jacobi, c. I.

<sup>4</sup> L. V, *Contra Jul.*, c. XV. — <sup>5</sup> Prov. II.

<sup>6</sup> Job. XXXIV. — <sup>7</sup> 1, 2, q. 78, a. 2.

Peccatum malitiæ ceteris paribus gravius est peccato infirmitatis : et hoc item gravius est peccato ignorantiae, ratione nempe voluntarii, quod plenius est in uno quam in altero (G).

COROLLARIUM. — De tentationibus.

716. Q. Quid est tentatio, et quid de ea?

R. Tentatio generatim sumpta est *incitamentum ad peccandum voluntati nostræ propositum, seu quasi stimulus quidam, quo voluntas nostra allicitur vel inclinatur ad violandum præceptum legis.* Potest esse vel a nostra corrupta natura, vel a dæmone solo, vel a dæmone simul et nobis ipsis, si nempe ab eo et simul a concupiscentia nostra originem habeat. In quocumque casu ea est vel levis vel gravis.

Sentire tentationem non est peccatum; cum eam impedire non sit in nostra potestate. Imo sæpius est occasio meriti penes Deum, qui tentationes permittit in bonum nostrum, juxta illud : *Fili, accedens ad servitum Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Certamen forte dedit illi, ut vinceret*<sup>1</sup>. Peccatum vero est tentationi libere consentire; malum enim est malum voluntate approbare.

Si agitur de tentatione gravi, remedia sunt : — 1. vigilantia et oratio, dicente Christo Domino : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*<sup>2</sup>; vigilantia enim patefacit inimici insidias, oratio vero eas superat;

2. Exhibere sub oculis Crucifixum, et eidem profiteri perfectam submissionem, hostem acriter propulsando illis Domini verbis : *Vade, Satana; scriptum est enim : Dominum*

<sup>1</sup> *Eccli. II; Sop. X.* Multi sensum et consensum, cogitationem rei male et delectationem in re mala promiscue sumentes in magna idearum confusione versantur ac scrupulis torquentur; quos igitur animarum Directores instruere debent. Item summopere præstat, ut omnes Confessarii accuratam sibi cognitionem acquirant circa tentationes, ut valeant penitentibus opportuna remedia suppeditare. — V. Sales, *Introduction à la vie dévote*, p. IV, c. III. — Pinamonti, *Il direttore delle anime*, c. VI et VII, etc.

<sup>2</sup> Marc. IV. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, un. 45 et seq.; et *App. II*, § 2. — Stapf, *Theol.*, § 606, etc.



*Deum tuum adorabis et illi soli servies*<sup>1</sup>; hæc enim professio ac propulsatio diaboli vires infirmant;

3. Tentationem citius aperire proprio Directori: diabolus enim totus tenebrosus lucem timet; ideo satis est pravorum machinationes pandere, ut evanescant: *Nemo insolentior latrone quamdiu latitat; et nemo illo timidior quando manifestatur; talis diabolus est*, ait S. Gregorius M.;

4. Tentationem non tam facile et confidenter aspicere in se, nec disputare cum tentatore, maxime si tentet contra castitatem. Observat Angelicus quod tentationes venereæ feliciter vincuntur fugiendo, scilicet nos ad alia illico convertendo, quam positive illis resistendo; quia quanto magis homo particularia objecta carnis considerat, tanto magis incenditur<sup>2</sup>. Quod idem consulitur in tentationibus contra fidem et spem, et in cogitationibus suspiciosus de proximo;

5. Viriliter contra tentationem se habere; nemo facilius prosternitur, ait Stapf, quam qui vertigine laborans sese identidem lapsurum formidat. Adde: qui animo cadit, ille nihil tribuit divinæ misericordiæ, quæ faciet etiam cum tentatione proventum<sup>3</sup>, ut possimus sustinere; neque enim hosti major vis competit, quam Deus ad nos salubriter exercendos illi concessit.

Si agitur de tentatione levi, remedium magis opportunum erit, ut sine anxietate tentatio contemnatur; et actus eliciantur virtutum oppositarum, præsertim charitatis in Deum, quin ad eam animum convertamus; hæc est enim uti ignis cineri suppositus, qui fodicatione accenditur magis. Pinamonti remedia reducit ad *humilitatem*, qua fit gratiæ locus; ad *orationem*, qua tribuitur gratiæ donum; ad *fortitudinem*, qua gratiæ cooperando consummatur victoria nostra<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Matth. iv. — <sup>2</sup> In epist. I, ad Corinth., c. vi, lect. III.

<sup>3</sup> I Corinth. x. — V. Knoll, *Instit. Theol.*, p. II.

<sup>4</sup> *Il confessore diretto.*

**Art. II. — De distinctione specifica peccatorum et eorum differenti gravitate.**

717. Q. 1. *Quænam peccata specie differunt inter se?*

R. Ea peccata specie differunt inter se, quæ non habent eandem malitiam; sed omnino diversam et specialem, ut homicidium, furtum, etc.

Putant aliqui differentiam peccatorum specificam desumendam esse ex oppositione, quæ sit notabiliter major cum lege. Sed communiter id rejicitur cum S. Thoma<sup>1</sup>; nam majus et minus non diversificant speciem, seu non mutant malitiam, sed tantum augent vel minuunt malitiam ipsam jam existentem. Unde dicimus, specificam differentiam repetendam esse ab oppositione specie diversa cum lege; peccatum enim constituitur per hanc oppositionem: si ergo oppositio sit specificè diversa, peccatum quoque specie diversum habebitur. Tunc vero oppositio cum lege est specie diversa, ideoque peccata specie inter se differunt: 1. *quando diversæ offenduntur virtutes*; 2. *quando diversa violantur officia ejusdem virtutis*; 3. *quando eadem læditur virtus, sed modo contrario.*

Res illustretur exemplis.

1. *Apostasia a fide, desperatio, odium Dei* differunt specie inter se. Quare? quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, nempe fidei, spei et charitati; — 2. *furtum, detractio, homicidium* inter se specie differunt. Quare? quia opponuntur diversis ejusdem virtutis officiis, nempe justitiæ, quæ jubet, ut nemo lædatur neque in bonis vitæ, neque in bonis famæ, neque in bonis fortunæ; — 3. *prodigalitas et avaritia* pariter differunt specie inter se. Quare? quia opponuntur quidem eidem virtuti, nempe liberalitati; sed opponuntur modo plane opposito, prima nempe *per excessum*, altera vero *per defectum*.

Hinc versus:

*Virtutes læsæ, diversa objecta, modusque  
Dant speciem peccatis, diversumque reatum.*

<sup>1</sup> 1, 2, q. 16. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 32; et *Homo Apost.*, tract. III, n. 55.

718. Q. 2. *An detur peccatorum differentia ratione gravitatis?*

R. Fuit olim Stoicorum paradoxum, omnia peccata ratione gravitatis inter se æqualia esse<sup>1</sup>. Errorem tam monstruosum amplexus est sæculo IV Jovinianus, eumque tenuerunt etiam sæculo XVI Calvinus et Lutherus, quorum erat effatum: *Omnia peccata esse ex natura sua mortalia; et venialium nomine ea tantum esse appellanda, quorum de facto venia obtineretur*. Wiclephus docet, omnia peccata reproborum esse lethalia, contra vero prædestinatorum peccata omnia ex divina ordinatione venialia esse: unde fit, ut peccata sint mortalia vel venialia non per se, sed tantum externa imputatione. His accedere visus est insanus Jansenistarum præcursor Michael Baius, cujus hæc propositio a Pio V et Gregorio XIII damnata fuit: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam*.

Verum de fide est, peccata realiter inter se ac natura sua differre ratione gravitatis, sive considerentur in prædestinatis sive in reprobis.

Prob. 1. *ex Scripturis*. Jeremias de Israelitis habet: *Pejus operati sunt quam patres eorum*<sup>2</sup>. Et Christus Pilato de Juda proditore dixit: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*<sup>3</sup>. Et Joannes aperte distinguit peccata ad mortem, et non ad mortem<sup>4</sup>. Tandem ex Scripturis quædam sunt peccata, quibus justis et prædestinatis gratiam amittunt, quale fuit illud protoparentum nostrorum; quædam vero quibus gratia non amittitur juxta illud: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet*<sup>5</sup>. Ergo peccata alia sunt graviora, alia levia natura sua; non autem externa imputatione, aut habita ratione ad committentem, quatenus nempe fidelis sit vel infidelis, prædestinatus vel reprobus.

<sup>1</sup> Cicero, *De Offic.*, par. III. — <sup>2</sup> Cap. VII.

<sup>3</sup> Joann., c. XIX. Qui textus probat contra Stoicos et Jovinianum peccata alia aliis esse posse graviora, neque semper esse æqualia, licet in eadem specie mortali.

<sup>4</sup> *Epist.* I, c. V. Hic damnantur Lutherus, Calvinus, Baius venialia non admittentes.

<sup>5</sup> *Ecclesiastes*, VII.

2. *Ex Patribus*: S. Hieronymus ex professo scripsit pro hac tuenda catholica veritate contra Jovinianum hæreticum: eique summopere hac de re gratulatus est D. Augustinus, qui etiam habet ad rem: *De quotidianis, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio satisfacit*<sup>1</sup>.

3. *Ex Conciliis*: Tridentinum docet, nos teneri in Confessione manifestare omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt; non item vero venialia<sup>2</sup>: quæ sane doctrina stare non posset sine vera et reali peccatorum inter se differentia ratione gravitatis. Idem Concilium habet: *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justis in levibus saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justis*<sup>3</sup>.

4. *Ex ratione*: eodem modo, data proportionem, disserendum de injuriis hominum in Deum, ac filiorum in patres et subditorum in Principes: atqui injuriæ istæ differunt ratione gravitatis, ergo et illæ. Adde ex Angelico: *Peccata sunt quædam animæ infirmitates; et sicut corporis infirmitates aliæ sunt mortiferæ quæ mortem corpori inferunt, aliæ non mortiferæ quæ corporis vires tantum imminuant; ita animæ infirmitates aliæ sunt mortiferæ, quæ gratiam tollunt, in qua est animæ vita: aliæ non mortiferæ quæ gratia sanctificante animam non privant, sed tantum charitatis fervorem imminuunt*<sup>4</sup>.

719. Q. 3. *Undenam repetenda est gravitas peccatorum?*

<sup>1</sup> *Epist.* XXIX ad eundem; II. *Enchir.*, c. LXXI.

<sup>2</sup> Sess. XIV, c. V. — <sup>3</sup> Sess. VI, c. XI.

<sup>4</sup> 2, q. 88, a. 1. Neque etiam peccata ita sunt inter se connexa, ut qui unum committit, et aliorum sit reus uti patet. Et illud, quod opponunt, Jacobi, 2: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, est extra rem*; ibi enim agitur de peccato ex parte aversionis, quasi sensus sit: qui Deum graviter offendit in uno, in ordine ad gratiæ et gloriæ amissionem idem est, ac si eum offenderet in omnibus; quia jam per unum mortale amittimus vitam spirituales. Hinc videant quomodo securi esse possint qui hoc vel illud præceptum grave transgredientes, attamen nihil formidant, imo forsitan sibi plaudunt; quia reliqua sua officia strenue peragunt, ea præsertim quæ publice fiunt, sicque in humana societate honesti homines prædicantur.

R. Cum Angelico, peccata eo graviora esse ex suo genere, quo majori bono privant, seu quo excellentiori virtuti opponuntur.

Diximus : *ex suo genere* ; quia per accidens fieri potest, ut peccatum quod privat ex se bono specie majori, vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione actus, vel ex eo quod non ita directe majori bono opponatur, sit levius peccato inferioris speciei. Sic sodomia et bestialitas perjurio utique graviora sunt : quia magis disconveniunt et magis prohibentur. Imo fieri potest, ut idem actus magis disconveniat in uno, quam in alio, si nempe secundum plures circumstantias opponatur rationi et legi. Hinc ait S. Thomas : *Ceteris paribus, gravius peccat fidelis quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam propter Sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit*<sup>1</sup>. Hinc illud Domini : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... ; tu vero homo unanimitis ; dux meus et notus meus ; qui simul mecum dulces capiebas cibos ; in domo Dei ambulavimus cum consensu*<sup>2</sup>. Hoc maxime valet de Ecclesiasticis tot gratiis dignatis.

720. Q. 4. Quomodo dividitur peccatum ratione gravitatis?

R. Peccatum ratione gravitatis dividitur in mortale et veniale. Primum est *gravis transgressio legis divinæ, per quam homo privatur gratia sanctificante et amicitia Dei, dignusque efficitur pœna æterna* : dicitur mortale seu lethale, quia animæ mortem affert. — Alterum est *transgressio levis ejusdem legis, minuens fervorem charitatis, et reddens hominem dignum pœna temporali*. Dicitur veniale, quia veniam facile consequitur, non vero quasi sit res in se levis, ac non attendenda ; si enim et veniali peccato Deus offenditur, hoc erit malum omnia alia superans post mortale peccatum. Et ideo etiam veniale peccatum est a Deo prohibitum, prout in Ecclesiastico legitur : *Noli velle mentiri* ; et apud Matthæum *non jurare omnino*<sup>3</sup>. Ex qua patet etiam venialia esse contra legem divinam, etsi non omni modo (H).

<sup>1</sup> 2, 2, q. 10, a. 5 ; et q. 14, a. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 54.

<sup>2</sup> Ps. LIV. — <sup>3</sup> Eccli. VII ; Matth. V. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 11.

§ I. — De peccato mortali.

721. Q. 1. Quid requiritur ad peccatum mortale constituendum?

R. Tria requiruntur : unum ex parte objecti ; aliud ex parte intellectus ; tertium ex parte voluntatis. Quæ quidem tria præsumuntur in homine perfecta utente ratione, qui sit plene vigil et sui compos.

1. *Ex parte objecti* requiritur materiæ gravitas, saltem ratione finis, si nempe finis sit magni momenti, ad quem id quod statuitur, plurimum conferat ; ex objecto enim actus primam malitiam desumit.

2. *Ex parte intellectus* requiritur advertentia malitiæ actionis vel omissionis : quæ quidem advertentia in genere considerata definiri potest, ut sit *consideratio, sive cogitatio malitiæ et prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio aut suspicio peccati aut peccandi periculi*. Ubi notandum quod intellectus advertere potest, vel *plene* quando nimirum nos mente expedita discernimus ; vel *semiplene*, quando rem cognoscimus mente non plene expedita, quia forte sumus semidormientes, semiebrii, alio distracti, aut graviter mente commoti. Potest insuper intellectus noster rapi a delectabilitate objecti oblato, ita ut nihil malitiæ in illo advertat. Huic autem triplici cognitioni tres motus correspondent : 1. *motus primo-primi*, qui anteverunt omnem advertentiam rationis, et hi sunt omnino culpæ expertes ; 2. *motus secundo-primi*, qui fiunt cum semiplena advertentia, et hi culpam venialem non excedunt ; quia cum in eis non præcesserit plena advertentia, voluntas in eos non consentit perfecta libertate requisita ad mortale ; 3. *motus deliberati*, qui fiunt cum plena advertentia intellectus clare discernentis malitiam moralem, saltem confuse in genere, et cum pleno consensu voluntatis : et hi sunt mortalia, si objecta sub gravi sunt vetita. Quod porro plena advertentia ad mortale constituendum sit necessaria, patet ; nam homo per mortale fit reus æternæ pœna, sed non est credibile infinitam Dei bonitatem velle, ut homo tantæ pœnæ reus constituatur, nisi plene advertat ad pec-

cati malitiam vel ejus periculi Unde Angelicus: *Cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, et tunc... non habet proprie rationem blasphemiae*<sup>1</sup>.

5. *Ex parte voluntatis* requiritur perfectus consensus, ille nempe actus, quo voluntas objectum sibi ab intellectu propositum deliberate amplectitur: sane motus nostri in tantum sunt culpabiles, in quantum sunt voluntarii; in tantum autem sunt voluntarii, in quantum sunt a voluntatis consensu ac deliberatione. Qui consensus potest esse vel *expressus*, seu directe talis, quando nempe voluntas objectum ipsum in se directe, et expresse complectitur: vel *implicitus* seu indirecte talis, quando nempe quis vult causam, ex qua necessario oritur effectus. Porro ad peccatum mortale requiritur quidem perfectus consensus, sed satis est, si sit indirectus; requiritur *perfectus consensus*, ad mortale enim quod est plena et consummata malitia, necesse est plenum et perfectum voluntarium. At sufficit *consensus indirectus*, quia et in hoc plene adest ratio voluntarii: hinc qui vult lectionem rerum obscenarum, sufficienter velle censetur pravas cogitationes pravasque motus inde exurgentes; Clericus qui fastidit studium, vult per consequens ignorantiam, et mala sine numero quae ex sua ignorantia in suo ministerio inde consequuntur.

722. *Quæres: Qualis esse debet perfecta advertentia malitiæ ad mortale constituendum? actualisne et expressa, qua quis nempe actionis suæ malitiam actu cognoscit; an vero solummodo virtualis, qua nempe cognosceret si adverteret?*

Magna quæstio est<sup>2</sup>. Nos diversas sententias facile concili-

<sup>1</sup> 2, 2, q. 15, a. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 4, etc.

<sup>2</sup> Alii enim cum Antoine, Concina, Continuatore Tournely, Medina, Lopez, Serra, Prado, Franjoja, etc., dicunt non requiri advertentiam actualem malitiæ actus, sed satis esse virtuales et interpretativam, in eo scilicet positam, quod homo teneatur, et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat; alias essent immunes a culpa, qui obsecati passionibus malum patrant, non amplius advertentes. Alii cum S. Antonino, Adriano VI, Gotti, Lyrano, Sayno, Sanchez, Salas, Sylvio, Suarez, Salmanticensibus, tum scholasticis tum moralibus, Gammachæo, Val, Vasquez, etc., dicunt ad mortale requiri aliquam advertentiam, sive suspicionem malitiæ actus vel in se vel in sua causa, saltem in confuso; nam

liantes dicimus cum Billuart: quantum ad illos, qui operantur malum grave vel ex culpabili negligentia, vel passione, vel habitu in antecessum non retractatis, vel ex voluntaria inconsideratione non requiritur actualis et expressa advertentia, ad hoc ut gravi culpa teneantur. Hi enim jam voluntarie posuerunt causas inadvertentiæ et obsecationis circa malitiam suorum actuum, eamque inadvertentiam et obsecationem ex his causis secuturam aut prævident, aut facile prævidere possunt et debent.

Sed quantum ad illos, qui ex oblivione, vel distractione naturali, aut alia causa simili aliquid operando non advertunt, ut censeatur vincibilis et voluntaria ista inadvertentia et non excusans a peccato, requiritur actualis dubitatio aut suspicio malitiæ, saltem aliqua actualis cogitatio aut cognitio sive periculi sive obligationis inquirendi; secus nihil esset assignabile, in quo quis dici queat posse animadvertere. Sane ex una parte intellectus noster, cum sit potentia necessaria, non se determinat ad considerandum aliquid; sed determinatur, præsertim a voluntate. At voluntas ex altera parte non potest determinare intellectum ad considerandum, nisi ex prævia aliqua cognitione; voluntas enim non fertur in incognitum. Ergo in iis, qui non ponunt voluntarie causam inadvertentiæ, nihil est assignabile, in quo dicantur posse advertere, quam dicta cogitatio aut cognitio; non ergo sufficit ad culpam advertentia virtualis, qua nempe malitia potest et debet cognosci, sed requiritur actualis et expressa advertentia, qua de facto malitia ipsa aliquo modo cognoscatur<sup>1</sup>.

723. *Opponunt 1: Omnis ignorantia in eo, qui tenetur et potest suam obligationem advertere, est vincibilis et propterea culpabilis. — Sed recte respondent Sylvius et Suarez: qui omnino ignorat mali-*

nil volitum, quin sit præcognitum. Istæ sententiæ facile conciliantur per sententiam nostram. — V. Liguori, qui de ea agit fusius tum in *Op. Mor.*, l. V, n. 5; tum in *Hom. Apost.*, tract. III, n. 25.

<sup>4</sup> Pro praxi debet Confessarius maxime venari ex moribus poenitentis, an inadvertentia, quam allegat, sit vincibilis necne. Si enim sit vitæ liberioris, sæculi moribus serviens, salutis incurius, judicanda est ut plurimum vincibilis inadvertentia ac peccaminosa. Secus si persona sit timorate conscientie, neque agatur de peccatis externis circa primaria ac secundaria præcepta legis naturæ. *Billuart.*

tiam objecti. et adhuc obligationem advertendi, habet quidem potentiam remotam, sive physicam ad advertendum; sed caret potentia proxima et expedita, quæ homini necessaria est ad cognoscendam deformitatem suarum actionum. *Quis enim nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat?* ait S. Augustinus<sup>1</sup>: unde nequit ipse naturaliter ac humano modo suam vincere ignorantiam. Agnoscat quidem suam actionem qua actio est, sed ignorabit eam qua mala est; sola enim cognitio objecti in esse physico non est sufficiens principium ad discernendum, nec ad inquirendum objectum in esse morali, quod prorsus differt a physico.

Opponunt 2: *Si ad omnia peccata requireretur actualis advertentia, inculpabiles reputandi essent Judæi crucifigentes Dominum, pagani occidentes Martyres, et hæretici innumera crimina perpetrantes.* — Sed uno verbo his omnibus respondetur, nempe quod horum omnium ignorantia fuit et est omnino crassa: loquens enim Christus Dominus de Judæis, dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*<sup>2</sup>. Idem dicendum de infidelibus et hæreticis, quibus ob suam malitiam vel supinam negligentiam omnes errores juste imputantur ad culpam.

724. Q. 2. *Quotuplex distinguitur peccatum mortale?*

R. Peccatum mortale tale est vel ex genere suo, vel ex accidenti.

Peccatum mortale *ex accidenti* est, cum actus aliquis venialis vel indifferens ex se fit mortalis per accidens: puta si quis aliquid perpetret veniale vel indifferens cum conscientia peccati mortalis.

Mortale vero *ex genere suo* est illud, quod in sua specie sistendo et absque nova malitia potest esse mortale: tale est, v. g., furtum, quod licet ex levitate materiæ fieri possit veniale: attamen sine accessione alterius malitiæ mortale esse potest. — Mortale autem ex genere suo subdistinguitur in mortale *ex genere suo toto*, et in mortale *ex genere suo non toto*. Primum est illud, cujus objectum seu materia gravis est ex omni parte et graviter semper dedecet naturam rationalem; quia scilicet pars quælibet semper continet gravem inordinationem, uti est odium Dei<sup>3</sup>. Secundum est illud,

<sup>1</sup> *De Spir. et Lit.*, c. xxxv, n. 56.

<sup>2</sup> Joann. xv. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. V, n. 4.

<sup>3</sup> Talia ordinarie judicantur tum ea, quæ directe sunt contra Deum, aut

intra cujus objectum vel materiam datur aliquid ex se grave et aliquid leve, aliquid nempe graviter et aliquid leviter inordinatum atque prohibitum. Hoc patet, v. g., in furto, cujus quidem materia esse potest gravis vel levis.

725. *An (quæres) peccatum quod est ex genere suo mortale, evadere possit veniale?* Cum ad mortale requiratur materiæ gravitas, perfectus consensus ac plena advertentia, sequitur peccatum mortale fieri veniale, si deficiat:

1. *Ex parte materiæ*; si enim parva est, tantummodo parvæ inordinationis est capax: nisi ipsa ex toto genere suo gravis sit; quia tunc in qualibet parte ejus gravis esset deformitas.

2. *Ex parte intellectus*; si nempe advertentia non sit, nisi imperfecta; nam pro modo cognitionis peccatum est. Imperfecta autem censebitur advertentia, cum is qui agit *vel* leviter apprehendit aliquid esse malum; *vel* post factum, re diligenter considerata, judicat se illud non fuisse facturum si ita apprehendisset; *vel* demum vehementissima antecedenti passione, apprehensione aut distractione ita fuit perturbatus in agendo, ut ferme nesciverit quid perageret.

3. *Ex parte voluntatis*, si nempe ejus consensus non sit plenus ac perfecte liber; solo enim consensu voluntas nostra fit culpabilis. Consensus autem ipse censebitur imperfectus: — 1. si agens opus peccaminosum non sit executus, licet de facili illud exequi potuisset; — 2. si fuerit semidormiens, nec plene compos sui; — 3. si soleat ita esse animo comparatus, ut potius mori velit, quam mortaliter peccare. Hæc enim satis demonstrant voluntarium non fuisse perfectum<sup>4</sup>.

726. Q. 3. *Quibus regulis cognoscitur peccatum esse mortale?*

R. Tres extant regulæ præcipuæ a Theologis communiter admissæ.

aliquam ejus perfectionem: ut sunt peccata contra fidem, spem, charitatem: item blasphemia, perjurium. Tum ea, quæ gravissime nocent humane dignitati, si admitterent temperamentum, ut sunt peccata contra castitatem, circa quam, admissa semel levitate, ob nostram proclivitatem, omni turpitudini pateret locus. Tum ea, quæ in indivisibili consistunt et gradum non admittunt: ut jejunium naturale in sumptione Eucharistiæ, etc.

<sup>4</sup> *V. Liguori, Op. Mor.*, l. V, nn. 53 et seq.; et l. VI, n. 476. — Stapf, § 108.

Prima regula est, ut recurratur ad sacras Scripturas: quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio, ait Augustinus<sup>1</sup>. Ea autem peccata existimanda sunt mortalia, quæ in SS. Litteris dicuntur *digna morte*, aut *excludere a Regno Cælorum*, vel enuntiantur cum adjuncta particula *væ*. Quia expressiones hujusmodi significant deformitatem actionis profecto gravem. Sic Apostolus loquens de operibus carnis ait: *Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur*<sup>2</sup>.

Secunda regula est, ut Sacris Scripturis deficientibus, recurratur ad SS. Patres, ad SS. Pontificum definitiones, atque ad Conciliorum Generalium decreta, si nempe in iis aliquid peccatum declaretur mortale, aut gravibus conspiciatur pœnis affectum. Ab iis enim post Deum regula morum repetenda est, qui positi sunt in Ecclesia sancta Dei Magistri atque Doctores.

Tertia regula est, ut consulantur Theologi doctrina et pietate insignes. Quæ porro ab ipsis unanimiter habentur mortalia, etiam a nobis sic erunt existimanda, secus non; non sentire enim quod ipsi, temeritatem sapit, cum talium consensus sit veritatis indicium. Namque Theologi, ut notat Martinet, in expositione, propugnatione et evolutione divinarum revelationum Patribus successerunt<sup>3</sup>.

Quod si adhuc res dubia sit, ne facile damnemus de mortali, quum inde pœnitentes exponi possint periculo peccandi mortaliter, et sic peccata multiplicandi (I).

#### § II. — De peccato veniali.

Etiam ad veniale constituendum præter malitiam objectivam actus, requiritur advertentia mentis ad illam malitiam, et voluntatis consensus; repugnat enim committi peccatum absque ulla cognitione peccati ac voluntate peccandi.

727. Q. 1. An plura venialia possint constituere unum mortale?

<sup>1</sup> *Enchir.*, c. lxxvii.

<sup>2</sup> *Ad Gal.* v.

<sup>3</sup> *Institut. Theol.*, vol. I, prolegomena, a. 1.

R. Peccata venialia, utcumque multiplicata, per se loquendo, et ratione multiplicationis, nunquam possunt constituere peccatum mortale; quia mortale constituitur in ordine altiori, et plura individua unius speciei non possunt constituere speciem aliam. Sic, v. g., mille mendacia jocosa vel officiosa, sunt mille peccata venialia; sed ne unum quidem mortale conficiunt, Hinc Tridentinum docet venialia non esse de necessitate Confessionis. neque gratiam extinguere<sup>1</sup>.

Diximus per se loquendo et ratione multiplicationis peccatorum; nam si materiæ ipsorum venialium possunt in unum coalescere, ita ut fiat unum objectum grave relate ad idem præceptum, tunc peccatum fiet utique mortale; sed non per se et multiplicatione actuum venialium, bene vero quia ultimus actus, etsi in se levis, ob continuationem cum aliis complet materiam gravem, seu uniuntur actus ad unum producendum effectum graviter inordinatum. Sic plura parva furta constituunt tandem furtum mortale; at non quia sunt parva furta; sed peccatur mortaliter in eo, quod materiæ parvorum furtorum coalescunt in unam notabilem materiam. Sic qui eodem die festo pluries per quadrantem absque causa excusante operi servili incumbit, singulis vicibus peccat venialiter; sed ultima vice, si per eam unitam aliis notabilem vetiti laboris materiam compleat ad mortale sufficientem, peccat profecto tunc mortaliter.

728. Q. 2. Quot modis peccatum ex se veniale evadit mortale?

R. Cum peccatum ex genere suo veniale illud sit, quod ex se ac sine addito alienæ malitiæ semper est tale, uti v. g. superfluitas in lætitia; ideo patet illud evadere mortale tantum ratione adjunctorum, quæ novam malitiam illi tribuant. Varios modos sequens notat versus:

*Damaum, finis, amor, discrimen, spretus et error.*

1. *Ratione gravis damni* tam spiritualis, puta scandali, quam temporalis proximo illati, uti si quis, v. g., instrumentum parvi momenti auferendo in causa sit, cur artifex

<sup>1</sup> Sess. xiv, c. v. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. V, nn. 52 et seq.

opus notabile perficere nequeat, aut in blasphemias erumpat. Etenim ob talem effectum gravem et prævisum actus graviter adversatur charitati et justitiæ.

2. *Ratione finis mortaliter mali*, si quis, v. g., ad seducendam puellam mendacium proferat officiosum. Nam actus ex se participat de malitia sui effectus, et suam a fine speciem sumit.

3. *Ratione mali affectus*, si quis, v. g., rem venialiter malam (aut indifferentem) perficiens paratus animo sit eam facere, tametsi esset mala mortaliter. Satis enim ostendit suam voluntatem in malum: et quantum est in se, jam illam præfert divinæ amicitiae.

4. *Ratione periculi proximi* labendi in peccatum mortale: uti si quis v. g. ex conspectu mulieris, vel familiari cum eadem colloquio grave incurrat periculum labendi in turpia. Nam mortale est se exponere proximo periculo peccandi mortaliter; qui enim de fine tenetur, tenetur etiam de mediis necessariis ad illum.

5. *Ratione contemptus formalis* legis, vel superioris: uti si quis violet præceptum in re levi, ideo quia renuit subjei superiori quia superior est; contemptus enim redundat in Deum, a quo omnis potestas.

6. *Ratione conscientiae erroneæ*, quia quis putat se peccare mortaliter; nam tunc ipse consentit in mortale apprehensum. Conscientia autem peccatum facit.

729. *Quid (quæres) agere debet Confessarius, ut penitentem liberet a venialibus?* Duplex remedium Ascetici suppeditant: unum *curativum* mali præteriti; alterum *præservativum* mali futuri.

1<sup>um</sup> Consistit in detestatione peccati mortalis, quam sæpius in penitente debet Confessarius excitare. Hæc quo magis fuerit viva et vehemens, eo erit simul efficacior ac potentior ad eliminanda venialia.

2<sup>um</sup> Situm est in cognitione causarum, e quibus tanquam a fonte venialia in penitente proveniunt, ut eas extinguere valeat. Sic si Confessarius videat nimium divitiarum amorem esse causam venialium, eidem præscribat majores eleemosynas. Si nimiam ambitionem, præscribat fugam conversationum. Si nimiam animi divagationem in precibus ceterisque muniis, ei præscribat majorem collectionem et solitudinem<sup>4</sup>, etc.

<sup>4</sup> V. Pinamonti, *Il Direttore*, etc., c. v.

### Art. III. — De distinctione numerica peccatorum<sup>1</sup>.

Ea peccata dicuntur distingui numero, quorum malitia est multiplicata, ita ut peccata numerari possint, v. g. duo, tria furta, etc.

730. Q. *Quandonam peccata distinguuntur numero?*

R. Certum est ea peccata, quæ specie differunt, a fortiori differre numero; nam si specie differunt, unum peccatum non est aliud, et ideo habentur peccata numero multiplicata. Sic in uno parricidio duo sunt numero peccata: vel si ita placet, unum peccatum, sed duobus æquivalens; nam occisio hominis specie differt ab occisione patris: unde tunc in uno actu duo clauduntur peccata, unum contra justitiam, alterum contra pietatem. — Si vero peccata intra eandem speciem committantur, quandonam numero multiplicentur, non satis conveniunt. Ad solvendam omnem difficultatem tres regulas statuimus:

*Regula 1<sup>a</sup>*: Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus externi completi; ideo qui diversis actibus plures occidit, tot commisit homicidia numero distincta. Nam singuli illi actus in se terminantur et complentur: unde sunt totidem actus voluntatis distincti.

*Regula 2<sup>a</sup>*: Tot sunt peccata numero distincta in uno eodemque actu, quot sunt objecta distincta; quia ille actus, licet unicus, tot habet malitias distinctas. Hinc qui uno actu decem occidit homines, decem committit homicidia: qui pluribus unica vice scandalum præbet, plura committit peccata. Qui uno verbo de tota communitate detrahit, tot committit injustitias quot sunt personæ in communitate<sup>2</sup>; quia unaquæque jus distinctum habet ad famam. Qui unico actu optat ad plures foeminas accedere vel pluries ad eandem foeminam, tanto magis qui eadem nocte pluries eandem foeminam cognoscit, pluries peccat; quælibet enim fornicatio habet suum

<sup>1</sup> V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 57. — *Homo Apost.*, tract. III, n. 57.

<sup>2</sup> Qui negat plures fidei articulos, verius unum committit peccatum; nam cum unum sit objectum fidei, nempe veritas Dei revelantis, æque infidelis est qui unum articulum negat ac qui omnes. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 48, etc.

terminum completum. Qui unico actu vult per plures dies Horas omittere vel jejunium, plura peccata committit; quia singulis diebus est affixa propria obligatio. Et Sacerdos in mortali tot committit sacrilegia quot uno actu administrat Sacramenta, ut si una absolutione plures absolvat.

*Regula 5<sup>a</sup>*: Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti; ubi enim actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi, et iteratione multiplicantur: nam voluntas est, *qua peccatur et recte vivitur*<sup>1</sup>.

**731.** Quæres: *Quando actus voluntatis censetur moraliter interruptus?* Actus voluntatis censetur moraliter interruptus, quando nec formaliter nec virtualiter perseverat. Quod quidem contingit: 1. per *revocationem expressam*: hæc enim impedit, ut actus posterior cum priore jungatur moraliter: v. g., tibi complacebas in delectatione mala, actum displicentiæ elicis, sed postea ad eandem voluntarie redis, duplex commisisti peccatum; 2. per *cessationem voluntariam*: v. g., consilium furandi iniisti, sed postea ab illo proposito advertenter cessas, si dein illud renovas, novum committis peccatum diversum a primo; cum novum a primo non dependeat; 3. per *longum intervallum*; sed tunc tantum, quando iudicio prudentum idem actus voluntatis moraliter perseverare non censeatur neque in se, neque in aliquo externo opere; neque enim tempus, sed voluntas facit peccatum.

*Sed (inquires) quænam mora, seu intervallum censetur longum, ideo sufficiens ad actuum multiplicationem?* — Hic oportet accurate distinguere tum actus mere internos, uti est odium, mala delectatio; tum actus internos cum intentione eos externandi, uti est voluntas furandi, fornicandi; tum demum actus externe consummatos, uti est homicidium.

Si agatur 1. *de actibus mere internis*, illi multo facilius multiplicantur; quia tales actus simplicis voluntatis nihil habent, vi cuius perseverent. Unde tot habentur numero peccata, quot iterantur actus etiam post brevem, etiam post naturalem, vel involuntariam cessationem, nisi forsitan ex uno

<sup>1</sup> S. Augustinus, *De vera Religione*.

eodemque concupiscentiæ impetu et ardore illi actus immediate procedant. Idcirco pœnitens in Confessione debet semper explicare, si potest, quot vicibus malæ voluntati consenserit. Si vero nequit, saltem indicare debet tam tempus, quo cum malo illo animo perduravit, quam interruptiones, si fuerint notabiliter raræ vel frequentes.

Si agatur 2. *de actibus internis cum intentione eos externandi*, multiplicantur toties quoties propositum formaliter innovatur, quia tunc novus habetur voluntatis actus. Propositum autem idem censetur perdurare majori vel minori tempore, habita ratione intensitatis; item personæ, ætatis, sexus, etc. Pro praxi, si ultra biduum vel triduum perduraverit, id indicandum erit, ut numerus actuum internorum moraliter percipiatur.

Si agatur 3. *de actibus, qui externe perficiuntur*, aliquando statim interrumpuntur moraliter; aliquando non, etsi etiam aliquandiu perduret prava ipsa voluntas. Interrumpuntur statim, si non respiciant actum completum: v. g., si quis pluries percutit inimicum non habens animum eum occidendi, tunc omnes illæ percussiones sunt distincta peccata; quia quilibet actus habet suam distinctam, completam atque totalem malitiam<sup>1</sup>. — E contrario non interrumpuntur, sive actus procedant ab eodem impetu, cum tunc in eo fiant quid unum, unde si quis ex eodem iracundiæ motu pluries aliquem percutiat, pluries se inhoneste tangat, unum tantum committit peccatum: sive actus illi moraliter ordinentur ad unum peccatum consummandum; nam tunc *non habent rationem peccati; nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur*<sup>2</sup>. Quapropter in illo fine ultimo omnes actus conveniunt: v. g., si quis ad homicidium parandum emit arma, viam capit, quærit hostem et occidit,

<sup>1</sup> Ita Navarrus, Lessius, Bonacina, Concina, ac fuse Salmanticenses, tract. VI, c. viii, n. 76; et tract. XX, c. xii, n. 41, ubi id ipsum etiam ex ipso jure Canonico probant.

<sup>2</sup> S. Thomas, in 2, d. 41, q. 1, a. 1. Ita si quis ad copulam consummandam præmittit oscula, verba, etc., uno dumtaxat peccato gravatur; itaque tunc sufficit dicere, se copulam commisisse. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 40.



unum peccatum hisce actis committit, etsi pluries repetat occidendi intentionem (J).

**Art. IV. — De peccato, ratione modi quo patrat.**

**732. Q. 1. Quid de peccato commissionis et omissionis?**

R. Peccatum commissionis est *transgressio præcepti negativi*, fitque agendo quod prohibetur a lege, v. g., furtum patrando. — Peccatum omissionis est *transgressio præcepti positivi*, fitque omittendo quod a lege præcipitur, v. g., Missam die festo non audiendo, injunctum jejunium non servando, etc. Ubi notamus, ad omissionem requiri actum positivam ac deliberatum voluntatis; voluntas enim non peccat, nisi per talem actum, uti bene docent Gonet, Filliucius alique. Omittens tamen quod facere quis tenetur, in ordine ad imputabilitatem moraliter censetur facere contra id, quod facere tenetur.

Inter se differunt specie peccata commissionis et omissionis, etiam cum eidem adversantur præcepto; quia adversantur semper diverso modo. Sic differunt specie inter se odium Dei et ommissio actus amoris; ideoque qui Deum odisset, peccatum suum sufficienter non declararet dicendo, se contra charitatem divinam peccasse. Imo in hoc etiam differunt, quod peccatum commissionis ceteris paribus majorem habeat malitiam: est profecto gravius amplecti objectum malum, quam honorem non adherere: v. g., gravius est odisse Deum, quam actum charitatis in Deum non elicere<sup>1</sup>.

**733. Quid de iis actibus, qui adjunguntur omissioni culpabili?**

Actus conjungi potest omissioni culpabili vel eam causando, vel tantummodo eam concomitando.

1. Si actus concomitanter tantum se habeat ad omissionem, quamvis ille sit cum præcepto incompossibilis; attamen

<sup>1</sup> Alii cum D. Thoma (1, 2, q. 72, a. 6) negant specie differre omissionem et commissionem, si eidem præcepto adversetur, et ex eodem motivo; nam peccata sicuti et ceteri actus humani habent suam speciem a fine. Attamen adhuc in hac sententia sunt seorsim confitenda; quia semper se habent ut partes integrales, ex quibus constituitur adequate una species moralis. — V. Billuart, *De pecc.*, art. 5.

nisi aliunde sit malus, nil de pravitate omissionis contrahit, quia in illam nullimode impellit: unde non est declarandus. Sic qui firmiter statuit omittere Sacrum, si postea tempore Sacri studet, puta ne otiosus remaneat, satis est si declaret omissionem Sacri; nam studium non participat de mala omissione, cum in eam non influxerit: imo supposita mala voluntate, tempus illud, ne otiosum sit, recte impenditur in studio.

2. Quando actus est causa omissionis culpabilis, tunc si actus ille in se est bonus, solam malitiam contrahit omissionis; cum nulli alteri præcepto adversetur præter illud, cui opponitur ommissio. Unde in Confessione sufficit omissionem declarare: ita qui Sacrum festo die causa studendi omiserit, satis est, si dicat, se Missam sine sufficienti ratione omisisse. Si vero ille actus jam est ex objecto malus, tunc duplex in omissione pravitas: alia ipsius omissionis, alia causæ; et utraque aperienda est. Sic qui ad furandum Missam omisit, utramque malitiam et omissionis Sacri et furti tenetur confiteri.

**734. Q. 2. Quandonam peccatum omissionis incipit imputari?**

R. Incipit imputari illo temporis puncto, quo advertenter ponitur illius causa, etsi ommissio non sequatur, ut recte docent cum Angelico<sup>1</sup>, qui quia ponit causam omissionis, jam interpretative vult omissionem ipsam. Si tamen peccaminosa ommissio reapse sequatur, aperienda erit in Confessione cum ipsa causa (si hæc suam habeat malitiam propriam): nam actus externatus est de necessitate confessionis; cum inde notabiliter varietur ratio peccati, ac status peccatoris<sup>2</sup>.

*Sed (dices) quid si quis de sua mala voluntate doleat, sed non amplius habeat potestatem ejus effectum impediendi? ut*

<sup>1</sup> 2, 2, q. 79, a. 5. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, n. 45.

<sup>2</sup> Quod valet, etiamsi tempore quo ommissio contingit, voluntas facta fuerit impotens ad illam vitandam, etenim effectus jam fuit sufficienter voluntarius in causa: et talis est fidelium praxis: sicque et peccati gravitas et illius consecraria aperiuntur. Hinc qui se inebriat prævidens tempore ebrietatis se ommissurum Sacrum, tenebitur tam causam, quam illius effectum aperire, id est et ebrietatem et omissionem Sacri. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 149; et l. V, n. 10.

si quis projiciat Breviarium in mare, et postea se vere poeniteat; sed amplius Breviarium habere non possit, quo Officium recitet? — Verius cum D. Thoma dicunt, talem peccasse, ac statim tot peccata commisisse, quot prævidit omissiones ex tali Breviarii projectione: illas igitur debet confiteri; nam illis præstitit consensum, cum causam posuit. Si tamen postea de hoc vere doleat, non tenetur (uti plures cum Alasia tuentur) confiteri omissiones illas revera secutas esse; nam illæ non amplius sunt peccata in se spectatæ, cum retractatæ fuerint<sup>1</sup>. Neque ex tunc tenetur ad restituendos fructus beneficii, nam per retractionem subsequens Horarum omissio non est amplius illi culpabilis.

735. Q. 3. Quid de peccatis internis et externis?

R. Peccata interna sunt quæ tantum corde patrantur; externa quæ etiam externo opere complentur. Inter peccata autem interna, quæ sunt ipsæ cogitationes pravæ, distinguuntur desiderium, gaudium ac delectatio. Quæ quidem tria diversa sunt, cum actum diverso modo attingant; et ideo ea, uti in se sunt, in Confessione aperienda erunt.

Essentialiter non differunt peccata interna ab externis quoad malitiam; nam peccatum externum totam suam imputabilitatem sumit ab interno, et est ipsius peccati interni complementum. Unde Augustinus ait: *Quidquid vis et non potes, factum Deus computat*<sup>2</sup>, nempe voluntas pro facto reputatur. Ex his colligitur, peccata interna, sive omnes cogitationes peccaminosas esse vera et completa peccata. Hinc S. Scriptura eas graviter damnat: *Abominatio Domini cogitationes malæ*<sup>3</sup>. Sane omnis affectus peccaminosus circa aliud quod graviter malum, graviter disconvenit rationali naturæ.

Neque ad peccatum requiritur efficax consensus in opus; alioquin approbans alterius peccatum, non peccaret.

<sup>1</sup> Si peccato consummato annexa sit censura, et quis, antequam effectus sequatur, se retractaret, etsi esset reus effectus præcogniti, non tamen incurreret censuram, si tali omissioni sit imposita; quia censura requirit contumaciam eodem temporis momento, quo peccatum consummatur. — V. Ligouri, *Homo Apost.*, tract. III, n. 45. — De Restitutione, ubi *De Consulente*.

<sup>2</sup> In Ps. LVII. — Viva, in prop. 25 Alexandri VII solide hanc veritatem tuetur. — <sup>3</sup> Prov. xv.

736. Dices: *Ex moderno adagio facultas cogitandi est in homine essentialiter libera: quomodo ergo quis poterit cogitatione sua peccare?* R. Retorquendo argumentum: facultas volendi est in homine essentialiter libera; quomodo ergo quis poterit voluntate sua peccare? Sed directe respondendo dicimus: triplici sensu objectum adagium accipi potest: 1. pro *immunitate a coactione*, id est violentia extrinseca; 2. pro *immunitate a necessitate*, id est a violentia intrinseca; 3. pro *immunitate a quacumque lege morali*, quatenus homo possit se sine culpa malis etiam cogitationibus libere sordidare.

1. Si accipiatur priori sensu, adagium est verum; quia verum est cogitandi facultatem in hominem immunem esse a coactione, cum sit rationali hominum naturæ intrinseca. Sed nobis non nocet, quia non impedit, quominus homo circa suam cogitandi facultatem leges habeat a Superioris auctoritate, quas iccirco transiliendo peccabit; non enim Superioris auctoritas est violentia extrinseca, seu *coactio*.

2. Si accipiatur secundo sensu, adagium illud neque a Philosophis neque a Theologis admitti poterit: unanimiter enim docent hominis intellectum esse facultatem per se imperatam, quæ nempe in operationibus suis necessitatem patitur<sup>4</sup>. Voluntas videlicet est, quæ in omnes intellectus operationes dominatur, si primas objectorum apprehensiones excipias: *Voluntas* (inquit Angelicus) *movet alias potentias animæ ad suos actus; utimur autem aliis potentiis, cum volumus*<sup>5</sup>. Ex quo oritur, quod homo peccet de malis cogitationibus, quia cum eas cohibere possit, tamen libere admittit in corde suo: *Abominatio Domini cogitationes malæ*<sup>6</sup>; *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*<sup>4</sup>.

3. Si adagium accipiatur tertio sensu, quasi nempe homo nulla morali lege quoad operationes intellectus sui teneatur, ideoque nulla in eo admittenda sint peccata interna, tunc illud declaramus: 1. *prorsus absurdum*; quia docet recta ratio leges honestatis afficere etiam inferiores hominis potentias; 2. *lege naturæ et divinæ contrarium*, quia lex de non-concupiscendis rebus malis et inhonestis in ipsa naturali et divina lege fundatur: *Non concupisces*; 3. *catholicæ Fidei subversivum*, quia doctrina est Ecclesiæ catholicæ, cogitationes malas *nonnunquam animam gravius sauciare et esse periculosiores vis, quæ in manifesto sunt*<sup>5</sup>. Hinc legimus in Evangelio Christum Dominum

<sup>4</sup> V. Antoine, *De act. hum. Dissert. Proem.*, a. 2.

<sup>5</sup> 1, 2, q. 9, a. 1. — <sup>6</sup> Prov. xv. — <sup>4</sup> Ps. x.

<sup>5</sup> Ex Tridentino, *sess. xiv, cap. v*: idque vel quia facilius perpetrantur vel quia minoris curantur. Hoc advertant tum poenitentes, qui de illis leviter se accusant: tum Confessarii, qui de illis vix interrogant. — V. Careno,

Scribas et Phariseos, qui dicebant nullam habendam esse rationem eorum quæ in corde hominis latent, sic indignanter locutum fuisse<sup>1</sup>: *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia; sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* En quo nos ducunt moderni, ad ætatem Scribarum, et Phariseorum! Progressus mehercule valde præclarus! Quis non videt doctrinam hanc pullulare ab hæreticorum systemate *sensus*, ut vocant, *privati* (K)?

737. Q. 4. *An liceat actionem ponere, ex qua quis prævidet, malas cogitationes aut pravos concupiscentiæ motus se esse passurum?*

R. Si actio illa necessaria est, utilis et honesta, non peccat qui eam ponit, secluso periculo consensus; quia tunc utitur jure suo, et tentationes inde exurgentes ac motus utpote non intenti, non censentur voluntarii. Si aliter esset, plures deberent suum officium relinquere, quod nimis grave est: hinc non peccant Confessarii, Chirurghi et similes, qui in sui muneris exercitio pravos patiuntur cogitationes vel motus, modo ab eorum consensu caveant.

Quod si actio illa non esset necessaria, sed ex levitate tantum fieret, esset mortale peccatum illam ponere, si proximam contineret dispositionem ad turpes motus, vel pravos cogitationes, indeque proximum iis consentiendi periculum; nam qui vult causam, vult etiam effectum. Verum si quis actionem illam ponendo nec tales pravos motus intenderet nec adesset in eo periculum consensus, in plurimum sententia venialiter tantum peccaret; hi namque motus in humanæ vitæ negotiis, utcumque honestis, frequenter oriri solent; unde non videntur sat voluntarii in causa; secus omnis vel honesta conversatio esset fugienda.

738. *Quid (quæres) si pœnitens dubitet, an pravæ cogitationibus consenserit necne? Sequentes regulas tradunt Theologi: — 1. Præsumendum est pœnitentem non consensisse, si agatur de eo, qui Deum timet et in animo dispositus est, ut*

*Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti, esame x et xi.*

<sup>1</sup> Matth. xxiii.

mori mallet, quam Deum offendere. E contrario peccatis assuetus, aut parum abhorrens a peccato præsumi potest vere consensisse; in dubio enim prudens præsumptio petitur ex communiter contingentibus. Communiter autem contingit, ut vir pius malo non consentiat, quin rite advertat, et dignoscat se peccato consentire; vir autem pravus non resistat sine pugna, quæ tollit dubium circa consensum, aut dissensum; — 2. qui dubitat vigilans ne an dormiens, sui compos an non quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse nec consensisse; qui enim vigilat, satis sentit se vigilare; — 3. si quis ubi primum reflectit ad pravos cogitationes aut motus, statim sentiat dolorem, tristitiam, aversionem, horrorem, prudenter præsumitur in dubio non consensisse; — 4. si ætatis defectus adsit, puta si septennium nondum sit completum, tunc perfecta saltem advertentia et plenus consensus non præsumitur, ni malitia certo suppleat ætatem.

Præfata regulæ omnimodam non præstant securitatem, sed res ex omnibus circumstantiis dijudicanda erit; quare prudens Confessarius rite attendat pœnitentis propensionem, agendi modum, et animi statum, ut inde rectum iudicium efformare possit. Ceterum sola pravæ cogitationis continuatio non est indicium consensus; cum diuturna esse possit tentatio cui resistitur<sup>1</sup>.

739. Q. 5. *In quo differunt desiderium, gaudium et delectatio?*

R. In hoc differunt desiderium, gaudium et delectatio:

*Desiderium* respicit tempus futurum; et est actus voluntatis, quo quis deliberate intendit opus determinatum perficere. Dicitur efficax, quando quis media suscipit ad opus illud perficiendum: inefficax, si non proponit opus perficere; sed illud esset perfecturus, si posset; ut si diceret: *Rem istam furto libenter compararem mihi, si possem.*

*Gaudium* e contrario seu *complacentia* respicit tempus præteritum: et est cum quis de malo opere patrato sibi blanditur. Huc revocatur displicentia, malum data occasione non fecisse, v. g., puellam non seduxisse; advertendo illam tunc facile seduci potuisse.

<sup>1</sup> Ita Talento. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 65; et *Homo Apost.*, tract. III, n. 69.

*Delectatio* respicit tempus præsens : et in re nostra habetur, quando quis per imaginationem reddit sibi præsens objectum peccati, et de illo delectatur deliberato consensu, ac si opus actu perficeret; quin tamen habeat desiderium illud reapse perficiendi. Ut si quis fingens se fornicari, in tali actu sibi præsens delectetur, quin illum intendat perficere. Delectatio hæc dicitur *morosa*, non quidem a temporis mora, cum etiam uno temporis puncto perfici possit; sed eo quod voluntas post plenam advertentiam in ea immoratur<sup>1</sup>.

740. Q. 6. *An et quale peccatum est desiderium operis mali?*

R. Quodlibet desiderium rei vel actionis malæ, licet inefficax, peccatum est, utpote prohibitum nono et decimo Decalogi præcepto: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt*<sup>2</sup>. Sane turpe et inhonestum est desiderare aliquid turpe et illicitum.

Malum autem desiderium est peccatum ejusdem speciei atque malitiæ, cujus est opus ipsum, in quod desiderium fertur. Id constat ex his Christi verbis: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*<sup>3</sup>. Ipsa ratio suadet; quia actus internus suam sumit malitiam ab objecto, in quod fertur et cujus malitia nota est; neque enim ab illo vel per abstractionem malitia separari potest. Quare desiderium etiamsi inefficax furandi rem gravem, occidendi vel fornicandi, erit peccatum grave furti, homicidii vel fornicationis: ideo in Confessione omnia desideria sunt distincte aperienda. Non ergo sufficit, ut pœnitens dicat generatim se impura desideria habuisse; sed debet specificare quid desideraverit, an copulam, an solum tactus vel aspectus; an cum persona in genere, et cujus sexus, et quæ; an libera, an matrimonio aut castitate detenta, vel consanguinitate aut affinitate sibi ligata, etc.

741. *Quid (quæres) dicendum de illo, qui optat quidem objectum graviter malum, sed sub conditione, si liceret?*

<sup>1</sup> Juxta alios delectatio *morosa* idem est ac delectatio *mentis*.

<sup>2</sup> Exodi xx.

<sup>3</sup> Matth. v.

Vel illa conditio *si liceret*, aufert ab objecto malitiam, vel non. Si 1, non peccat saltem graviter qui sic objectum malum optat. Esset si quis diceret: *Hodie manducarem carnes, si non esset dies veneris, vel sabbati: Horas canonicas omitterem, si non essent sub gravi præceptæ*; nam conditio illa totam ab objecto malitiam excludit. Quia tamen hoc, ut plurimum, est periculosum vel saltem otiosum, ideo vix excusatur a veniali<sup>1</sup>. — Si 2, tunc graviter peccat, quia eo desiderio tendit in objectum graviter malum; cum nempe per eam conditionem non auferatur malitia objecti, tota transfunditur in actum voluntatis. Et licet consensus conditionatus nihil ponat in objecto, in voluntate tamen ponit affectum committendi: ita peccaret graviter qui diceret: *Luxuriose viverem, si non esset peccatum*. Sic communiter et rationaliter<sup>2</sup>. Item multo magis mortaliter peccaret qui optaret absolute, ne esset prohibitum quod est intrinsece malum; esset enim velle invertere ordinem et legem naturæ, uti recte aiunt Salmanticenses.

742. Q. 7. *An, et quale peccatum est complacentia de re mala?*

R. Gaudium (seu complacentia) de malo, malum est; cum includat illius approbationem. Adde: omnis virtus exigit, ut ipsa non contemnatur: illam autem contemnunt qui de illius violatione gloriantur, et sunt qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis<sup>3</sup>.

Hæc complacentia comprehendit totam malitiam et omnes species, quibus objectum induitur; cum secundum se tota in

<sup>1</sup> Si tamen non tantum hypothetice, sed etiam hic et nunc ac realiter malitia ab objecto possit excludi, tunc illud desiderare neque est periculosum neque culpabile. Sic etsi decimo Decalogi præcepto prohibeatur, ne quis alienum concupiscat, quia id intelligitur in damnum proximi, ideo bene possumus aliena desiderare inculpabiliter, hoc sensu, ut ea legitime acquiramus sine proximi injuria vel damno: secus damnarentur contractus emptionis et venditionis; nemo enim emit, nisi quod se habere desiderat.

<sup>2</sup> Sunt tamen qui satis probabiliter dicunt quod qui cupit quodcumque malum sub conditione, *si non esset malum*, nunquam concupiscit malum revera; sed tantum ostendit quamdam inclinationem ad illud: quod ad mortale non attingit. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 4; *Homo Ap.*, tract. IX, n. 50.

<sup>3</sup> Prov. II.

illud feratur. Unde qui sibi complacet de copula habita cum conjugata, de novo adulterium committit; quia tunc voluntas complectitur totum objectum pravum cum omnibus circumstantiis, nec ab illis præscindere potest. Item qui gaudet de copula sodomitica, committit sodomiam. Hinc qui se jactat de peccato patrato, regulariter explicare debet in Confessione omnes species illius; quia se jactando regulariter adjungit ad jactantiam et scandali peccatum, etiam complacentiam de peccato commisso<sup>1</sup>.

743. Q. 8. An, et quale peccatum est delectatio de re mala?

R. Certum est delectationem deliberatam de objecto graviter malo esse peccatum mortale; quia graviter dedecet naturam rationalem: uti si quis in deliciis habeat, quod Deus graviter offendatur; *Perversæ enim cogitationes separant a Deo*, ait Scriptura<sup>2</sup>. — In probabiliori autem sententia delectatio morosa suam speciem sumit a qualitate objecti exterioris, quod sibi imaginatione repræsentat; non obstante enim quacumque præcisione a mente facta, videtur ferme impossibile, ut delectatio non complectatur objectum ut tale, et cognitum totum prout est. Hinc D. Thomas: *Delectatio alicujus operationis et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur; sicut et operatio virtutis et delectatio de eadem ad eandem virtutem*<sup>3</sup>. Quare qui delectatur de objecto graviter malo, debet in Confessione aperire circumstantiam specialem illius objecti, in quod sua mala delectatio ferebatur: v. g., in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre an alio, uno an pluribus; in materia luxuriæ, an de conjugata, moniali, consanguinea, etc. (L).

744. Quid (dices) si quis delectetur non jam de re ipsa mala, sed de simplici cogitatione vel cogitatione rei malæ? — Alia est delectatio de opere malo, ita ut opus malum sit objectum delectationis, quæ semper est mala. Alia est delectatio de cogitatione objecti mali, ita ut non opus malum, sed ipsa cogitatio de opere sit per se objectum delectationis. Et hæc vel potest esse bona, si adsit justa causa cogitandi,

<sup>1</sup> V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 9. — <sup>2</sup> Sap. 1.

<sup>3</sup> Q. XV, *De Verit.*, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 28.

v. g., causa studii, consultationis, etc., cum abominatione tamen objecti; vel potest esse venialiter mala, si fiat ex curiositate, etc.; vel potest esse aliquando etiam graviter mala, si adsit periculum proximum consensus. Ita S. Thomas qui ait: *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus postet delectari. Uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata...*, cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare vel disputare, etc.<sup>1</sup>. Dicit autem esse mortale, quando quis cogitans de fornicatione delectatur de ipso actu cogitato. Et communiter S. Doctorem sequuntur S. Antoninus, Lessius, Sanchez, Bonacina cum Salmanticensibus.

745. An (quæres) licita sit delectatio de modo malæ operationis? Si modus ille per se malus est, aut cum periculo gaudendi etiam de ipso objecto malo, v. g., si quis utatur fraudibus atque mendaciis ad seducendam puellam, clare patet delectationem de modo illo esse ex se malam; quia ejusdem objectum malum est. — Si vero modus ille talis non est, delectatio nequit mala esse; præcisus enim a malo opere, modus malus non est. Neque peccare dixeris hominem ridentem de modo quo ebrius pede ob vinum vacillante procedit, vel de modo subtili et artificioso, quo quis usus est ad furtum. Etiam hoc sensu laudavit Dominus villicum iniquitatis<sup>2</sup>.

746. Q. 9. An liceat gaudere de opere malo ob bonum effectum inde secutum?

R. Vel opus illud, quod a nobis vel ab aliis commissum fuit, est malum formaliter, quod nempe cum peccato perpetratum fuit; vel non:

Si 1, certum est non licere de eo delectari, non solum tanquam de peccato, sed neque tanquam de causa effectus boni inde secuti; objectum enim delectationis in hoc casu semper est malum. Si 2, aliqui docent fas esse de eo opere

<sup>1</sup> 1, 2, q. 74, a. 8. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 17. — <sup>2</sup> Luc. xvi.

delectari, non quidem per se, sed prout est causa boni effectus; quia tunc causa non attenditur nisi indirecte, neque fuit peccaminosa. — Attamen in hoc casu alii tenent oppositum et verius; quia actio illa, etsi non fuerit peccaminosa, fuit tamen objective mala: et eam nunc approbando voluntas malum formaliter facit. Sane quilibet affectus deliberate tendens, directe et immediate in objectum per se malum, totus imbitur fœditate objecti. Hinc Innocentius XI damnavit hanc (sub n. 15) propositionem: *Licetum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutus*<sup>1</sup>.

Quid (dices) de illo, qui non gaudet quidem de ipso opere malo, sed duntaxat de effectu bono ab illo opere secuto? — Per se loquendo licet delectari de effectu bono secuto ab opere malo; nam tunc delectatio non fertur in objectum malum: sic licita est delectatio de consecutione hæreditatis, quæ ob mortem patris venit, qui injuste fuerit occisus. Hoc sensu Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum Dominum secuta ex Adami peccato exclamans: *O felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem*<sup>2</sup>!

747. An (quæres) liceat sine peccato delectari de re, quæ actu est mala utpote prohibita; sed tractu temporis erit bona evasura, cessante nempe prohibitione? Negative; nam delectatio reddit objectum sibi præsens, et ideo mala est, cum actu desit conditio illud cohonestans. Sic nefas erit sponso, nondum celebrato matrimonio, delectari de ejusdem usu; nam matrimonium est tantum in spe, delectatio esset in re<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Pariter non licet delectari de nocturna pollutione, quæ venerit ex tactu vel ex turpi somnio; quia tunc ipsa fuisset objective mala. Secus, si ea venerit ex natura se naturaliter exonerante; nam quod a natura est, malum non est (Angelicus, in 4, d. 9). Item neque licet delectari de Missa festo die ex oblivione relicta, neque de carniû comestione die jejunii ex inadvertentia; quia res sunt, supposito præcepto, ex objecto malæ. Roncaglia, Sanchez, etc. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 20 et 27.

<sup>2</sup> Item licet per se loquendo delectari de effectu pollutionis, quamvis voluntariæ, nempe de exoneratione naturæ; quia exoneratio naturæ bona est. *Salubrius tamen est cogitationem circa hanc rem divertere*, uti rectissime monet Gerson; ob periculum nempe delectationis venereæ, quæ consurgere potest.

<sup>3</sup> Aliud est, ait Roncaglia, si sponsus desiderat simpliciter copulam fu-

COROLLARIUM. — *De peccati actualis effectibus.*

748. Q. 1. *Quinam sunt effectus peccati mortalis?*

R. Præcipui effectus peccati mortalis sunt:

1. Gravis offensa Dei, quem vehementer irritat; peccator enim Dei voluntati contumaciter reluctans contra Omnipotentem roboratur, si non verbis, facto dicens: *Non serviam*<sup>1</sup>. Hinc docet Angelicus, peccatum habere *quamdam infinitatem malitiæ ex infinitate divinæ Majestatis*<sup>2</sup>.

2. Jactura gratiæ sanctificantis: gratia nobis tribuit, ut filii Dei nominemur et simus<sup>3</sup>; hoc porro per mortale expoliamur nam per illud effimur inimici Dei et filii diaboli. Hinc Tridentinum: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti*<sup>4</sup>.

3. Fœdissima animæ macula. Hanc per peccatum induci de fide est contra Lutheranos et Calvinianos, qui per solam imputabilitatem homines peccatores faciunt. Id constat ex Scriptura, ubi de Jerusalem peccatrice dicitur: *Maculata es in iniquitate tua*; iterum: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*<sup>5</sup>. Et Tridentinum ait, hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum*<sup>6</sup>. Unde patet aliquid relinqui in anima peccatoris ad modum vulneris, quod licet uno ictu transeat, relinquit tamen in corpore deformitatem.

turam cum sponsa, quando sibi erit uxor; quia tunc optat rem ad tempus, quo revera illa sibi licita erit. Sed hoc non obstante ego subjungo, quod per hujusmodi desideria, cum quis moratur in iis cogitationibus, magnum subest periculum delectationis præsentis; ideoque debet Confessarius omnino prohibere, ne sponsi in hujusmodi desideriis morentur. » Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, n. 51. Curandum ut quam citissime, sponsalibus initis, a sponsis matrimonium celebretur, ne sponsi in illa facili peccandi occasione relinquuntur.

<sup>1</sup> Jer. II. — <sup>2</sup> P. 5, q. 2, a. 2. — <sup>3</sup> I Joann. III.

<sup>4</sup> Sess. VI, cap. XV. — V. Baudrand, *L'Âme élevée à Dieu*, t. I, leç., 8 et 18. ubi et gravissima peccati vulnera, et excellentes divinæ gratiæ dotes vivide expressit.

<sup>5</sup> Jer. II, Isai. IV.

<sup>6</sup> Sess. V, can. II. In veniali tamen peccato hæc macula non intervenit;

4. Amissio meritorum omnium, quæ in statu gratiæ anima jam sibi comparaverat: mortale hæc omnia prædatur; legitur enim de peccatore: *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*<sup>1</sup>. Itemque inhabilitas, perdurante statu peccati, ad nova merita acquirenda in ordine ad vitam æternam; quia, ut ait D. Augustinus, *ubi deest charitas, nihil est quod prosit ad gloriam*<sup>2</sup>.

5. Angor spiritus et cordis perturbatio; sic enim habet Job: *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Contritio et infelicitas in viis eorum, inquit Realis Psaltes, et viam pacis non cognoverunt*<sup>3</sup>. Et D. Augustinus: *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*<sup>4</sup>.

6. Pænæ reatus: quo nomine non aliud intelligitur quam obligatio subeundæ pænæ proprio peccato debitæ; æquum est enim, ut qui ordinem violavit, ab ordinis Auctore puniatur. Hæc pœna solvenda pro peccatis duplex est: una quæ solvitur in præsentī vita, uti sunt diversa morborum genera, ærumnæ, afflictiones, etc.<sup>5</sup>. Alia vero persolvenda in vita futura, vel temporanea in purgatorio, si peccatum fuerit quidem deletum quoad culpam, sed non totaliter quoad pœnam; vel æterna in inferno, si peccatum non fuerit deletum quoad culpam.

Peccatum mortale inducere reatum pænæ æternæ, de fide est contra Origenistas et Socinianos, quibus adherent increduli, et nonnulli ex protestantibus. Sane Christus sic reprobos alloquitur: *Discedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus*<sup>6</sup>. Quare Augustinus:

sed tantum privatio fervoris charitatis, ut ait idem Angelicus, in 4, d. 16, q. 2, a. 2. Differt macula a reatu pænæ quæ maculam jam supponit; differt ab inclinatione ad malum, quæ remanet adhuc, sublata macula. Juxta Angelicum (1, 2, q. 86, a. 1) consistit in privatione illius nitoris, qui exurgit ex debita conformitate facultatum animæ ad legem atque ad Deum.

<sup>1</sup> Ezech. xviii. — <sup>2</sup> De Verb. Domini.

<sup>3</sup> Job. lvii; Ps. xiii. — <sup>4</sup> Liber Confessionum.

<sup>5</sup> Deum frequenter etiam in hac vita punire peccata passim constat: uti ex diluvio, ex Sodomæ incensione, ex historia Davidis. Hinc illud Prov. xiv: *Miseros facit populus peccatum.* — V. etiam c. x.

<sup>6</sup> Matth. xxv.

*Quia vita Sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum finem procul dubio non habebit*<sup>1</sup>. Et Gregorius M.: *Quia pius est (Deus), miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur*<sup>2</sup>. Id definitum est contra Origenistas in Constantinopolitano II (M). — Hinc versus:

*Irritat, expoliat, sedat, prædatur et angit,  
Pænæque æternæ gravis affert noxa reatum.*

749. An (quæres) unum peccatum possit esse pœna alterius? Per se unum peccatum non est pœna alterius; cum peccatum a libera hominis voluntate proficiscatur. Poterit esse per accidens, quatenus Deus in illius pœnam auxilia subtrahit, quibus homo destitutus in peccata alia voluntarie labitur. Hinc in pœnam superbiæ gentiles *tradidit Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*<sup>3</sup>.

750. Q. 2. Quinam sunt effectus peccati venialis?

R. Sex maxime numerantur effectus venialis peccati, nempe veniale:

1. *Deum offendit*; quo sensu veniale est aliquid pejus omnibus mundi malis collectim sumptis, ipsa etiam morte, ipso etiam inferno, prout infernus est mera pœna. Nam hæc omnia sunt mala creaturæ; peccatum vero veniale malum Dei est, quatenus ipsum offendit, etsi tamen ejus gratiam non extinguat.

2. *Minuit animæ pulchritudinem*; sit quidem levis nebula, at quælibet nebula aliquantisper lucem impedit.

3. *Minuat timorem Dei* ex una parte, ex altera auget *animi teporem*: homo enim juxta viam quam semel elegit, facile progreditur.

4. *Impedit gratias speciales*, nosque reddit indignos peculiari illo Dei affectu, quo ipse prosequi solet justos in amore suo ferventes juxta illud: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> L. XXI, De Civ. Dei, c. xxiii. — <sup>2</sup> L. IV Mor., c. xix.

<sup>3</sup> Rom. i. — F. Billuart, Dens, Knoll, etc.

<sup>4</sup> Matth. vii, V. Segneri, Il Cristiano istruito, p. 2, Rag. xxii. — Belleccio, Exercitia spiritualia; etc. De Peccato veniali.

5. *Inducit reatum pœnæ* (per se temporalis) subeundæ in hac vel in altera vita : æquitas sane postulat, ut quilibet reus puniatur. Diximus *per se temporalis*; sentit enim Angelicus, quod licet veniale, cum a Deo non separet, non mereatur pœnam æternam; poterit tamen per accidens, sive ratione irremissibilitatis in æternum puniri, si reperiatur in damnatis non remissum quoad culpam<sup>1</sup>.

6. *Disponit ad mortale*, præsertim si ex habitu committatur in eadem materia. Scriptum est enim : *Qui spernit modica, paulatim decidet*<sup>2</sup>. *A minimis incipiunt qui ad maxima prorunt*<sup>3</sup>. Igitur periculose nimis negliguntur venialia, maxime ab iis, qui ad majorem tenentur perfectionem, uti sunt Religiosi, Sacerdotes, et adulescentes ministerio Ecclesiastico proludentes. — Hinc versus :

*Offendit Dominum; decus imminuitque timorem;  
Subtrahit auxilia; ad pœnam et mortalia ducit.*

### ADNOTATIONES

#### AD TRACTATUM QUARTUM

(A) Page 579.

751. Quæstio de peccato originali pertinet ad ipsa Religionis principia; cum, dicente Augustino, in hoc *proprie fides Christiana consistat, et hoc qui negat, ipsa Christianæ Fidei subvertere fundamenta conatur* (l. I, contra Julian., c. II; et l. II de pecc. orig., c. XXIV). — V. Perrone, qui in suis *Prælect.*, ubi *de homine* de more et argumentorum soliditate et eruditionis copia rem totam exolvit. II. Billuart, Alasia, Frassen, De Rubeis, Knoll, etc.

<sup>1</sup> In 4, d. 22, q. 1, a. 1, ad 5. Diximus: *Quoad culpam*; si enim remissum non sit quoad pœnam, hæc bene in inferno expiatur. *Nec propter hoc sequitur, quod sit in inferno redemptio, quia pœna quæ solvitur, non redimitur*; nempe est solutio, non condonatio. Idem Angelicus.

<sup>2</sup> Eccli. XIX. — <sup>3</sup> S. Gregorius M.

Ab Adamo solo fuit transmissum hoc peccatum: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* (Rom. v). Et definiit Trident. sess. v, c. II. Unde illud: *A muliere initium factum est peccati*, intellige occasionaliter, quia mulier induxit virum ad peccandum. Et præceptum datum Evæ de non comedendo ipsam spectabat tantum ut personam particularem, non ut caput morale generis humani. Qua pariter ratione communiter docent, quod si, non peccante Adamo, aliquis ex ejus posteris, puta Cain, peccasset, posteri Caini non contraxissent peccatum originale; quia solus Adam erat constitutus caput morale omnium. Imo probabilius est, quod si ipse Adam solum post natum filium peccasset, iste filius cum suis posteris peccatum originis non contraxisset; quia illi tantum illud contrahunt, qui ab Adamo peccatore seminaliter propagantur; at in hypothesi, quando Adam peccavit, dictus filius jam erat generatus. Vid. *Billuart*.

« On a demandé souvent pourquoi Dieu envoyait une âme pure dans un corps souillé par le péché. Pourquoi? Messieurs, vous venez de le voir. Ce n'est pas Dieu qui envoie les âmes, c'est vous qui les évoquez. C'est vous, hommes doués d'une vie transmissible, investis du droit auguste de la paternité, c'est vous qui, sur l'ordre de votre chair, appelez les esprits à vous et les forcez de recevoir avec votre image la honte ou la gloire d'être votre postérité. Si cette puissance vous eût été retirée, c'eût été l'arrêt de mort du genre humain. Dieu, qui voulait sauver l'humanité, vous a laissé la vie dans sa plénitude, il a maintenu la loi de la transmission héréditaire, sans laquelle, demeurés au néant, vous n'interpelleriez pas sa justice et sa sagesse; et, accomplissant de sa part tout ce qu'il avait promis, il permit à votre misère de souiller les âmes qu'il créa pour vous, et à votre ingratitude de le blasphémer pour le mal dont vous êtes les auteurs. » Lacordaire, Conf. 65.

Audiat Roselly, *De la mort avant l'homme*, c. IV, § 1, quoad originis peccatum: « Compulsez les annales des peuples; au frontispice de chaque histoire s'aperçoit une tache mystérieuse, sujet de tristesse et de perplexités... Les parties civilisées de l'univers, habitants de l'ancien monde et des continents nouveaux, insulaires et montagnards, ont conservé l'empreinte de l'événement mystérieux qui changea la condition humaine. Les Hindous, les Chinois, les Perses, les Scandinaves, les Tartares, les Thibétains, les Égyptiens, les Grecs, les Romains, les Gaulois, les Mexicains, les Iroquois, la plupart des tribus de l'Amérique et des hordes africaines, nous montrent également, pour cause du châtement de l'homme, — sa désobéissance, inspirée par l'orgueil, à la suggestion d'un être malfaisant. »

Idem Auctor in libro: *le Christ devant le siècle*, c. IX, habet ad



5. *Inducit reatum pœnæ* (per se temporalis) subeundæ in hac vel in altera vita : æquitas sane postulat, ut quilibet reus puniatur. Diximus *per se temporalis*; sentit enim Angelicus, quod licet veniale, cum a Deo non separet, non mereatur pœnam æternam; poterit tamen per accidens, sive ratione irremissibilitatis in æternum puniri, si reperiatur in damnatis non remissum quoad culpam<sup>1</sup>.

6. *Disponit ad mortale*, præsertim si ex habitu committatur in eadem materia. Scriptum est enim : *Qui spernit modica, paulatim decidet*<sup>2</sup>. *A minimis incipiunt qui ad maxima prouunt*<sup>3</sup>. Igitur periculose nimis negliguntur venialia, maxime ab iis, qui ad majorem tenentur perfectionem, uti sunt Religiosi, Sacerdotes, et adulescentes ministerio Ecclesiastico proludentes. — Hinc versus :

*Offendit Dominum; decus imminuitque timorem;  
Subtrahit auxilia; ad pœnam et mortalia ducit.*

### ADNOTATIONES

#### AD TRACTATUM QUARTUM

(A) Page 579.

751. Quæstio de peccato originali pertinet ad ipsa Religionis principia; cum, dicente Augustino, in hoc *proprie fides Christiana consistat, et hoc qui negat, ipsa Christianæ Fidei subvertere fundamenta conatur* (l. I, contra Julian., c. II; et l. II de pecc. orig., c. XXIV). — V. Perrone, qui in suis *Prælect.*, ubi *de homine* de more et argumentorum soliditate et eruditionis copia rem totam exolvit. II. Billuart, Alasia, Frassen, De Rubeis, Knoll, etc.

<sup>1</sup> In 4, d. 22, q. 1, a. 1, ad 5. Diximus: *Quoad culpam*; si enim remissum non sit quoad pœnam, hæc bene in inferno expiatur. *Nec propter hoc sequitur, quod sit in inferno redemptio, quia pœna quæ solvitur, non redimitur*; nempe est solutio, non condonatio. Idem Angelicus.

<sup>2</sup> Eccli. XIX. — <sup>3</sup> S. Gregorius M.

Ab Adamo solo fuit transmissum hoc peccatum: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* (Rom. v). Et definiuit Trident. sess. v, c. II. Unde illud: *A muliere initium factum est peccati*, intellige occasionaliter, quia mulier induxit virum ad peccandum. Et præceptum datum Evæ de non comedendo ipsam spectabat tantum ut personam particularem, non ut caput morale generis humani. Qua pariter ratione communiter docent, quod si, non peccante Adamo, aliquis ex ejus posteris, puta Cain, peccasset, posteri Caini non contraxissent peccatum originale; quia solus Adam erat constitutus caput morale omnium. Imo probabilius est, quod si ipse Adam solum post natum filium peccasset, iste filius cum suis posteris peccatum originis non contraxisset; quia illi tantum illud contrahunt, qui ab Adamo peccatore seminaliter propagantur; at in hypothesi, quando Adam peccavit, dictus filius jam erat generatus. Vid. *Billuart*.

« On a demandé souvent pourquoi Dieu envoyait une âme pure dans un corps souillé par le péché. Pourquoi? Messieurs, vous venez de le voir. Ce n'est pas Dieu qui envoie les âmes, c'est vous qui les évoquez. C'est vous, hommes doués d'une vie transmissible, investis du droit auguste de la paternité, c'est vous qui, sur l'ordre de votre chair, appelez les esprits à vous et les forcez de recevoir avec votre image la honte ou la gloire d'être votre postérité. Si cette puissance vous eût été retirée, c'eût été l'arrêt de mort du genre humain. Dieu, qui voulait sauver l'humanité, vous a laissé la vie dans sa plénitude, il a maintenu la loi de la transmission héréditaire, sans laquelle, demeurés au néant, vous n'interpelleriez pas sa justice et sa sagesse; et, accomplissant de sa part tout ce qu'il avait promis, il permit à votre misère de souiller les âmes qu'il créa pour vous, et à votre ingratitude de le blasphémer pour le mal dont vous êtes les auteurs. » Lacordaire, Conf. 65.

Audiat Roselly, *De la mort avant l'homme*, c. IV, § 1, quoad originis peccatum: « Compulsez les annales des peuples; au frontispice de chaque histoire s'aperçoit une tache mystérieuse, sujet de tristesse et de perplexités... Les parties civilisées de l'univers, habitants de l'ancien monde et des continents nouveaux, insulaires et montagnards, ont conservé l'empreinte de l'événement mystérieux qui changea la condition humaine. Les Hindous, les Chinois, les Perses, les Scandinaves, les Tartares, les Thibétains, les Égyptiens, les Grecs, les Romains, les Gaulois, les Mexicains, les Iroquois, la plupart des tribus de l'Amérique et des hordes africaines, nous montrent également, pour cause du châtement de l'homme, — sa désobéissance, inspirée par l'orgueil, à la suggestion d'un être malfaisant. »

Idem Auctor in libro: *le Christ devant le siècle*, c. IX, habet ad

rem : « Les Perses nous disent : « Le ciel était destiné à l'homme, à condition qu'il serait humble, pur dans ses pensées, dans ses actions. » — La couleuvre, cet Ahriman plein de mort, aperçut Oramusd après qu'il eut fait l'Écrimé-Véedio (le paradis terrestre). — Ahriman et tous les deus virent l'homme pur, et ils en furent abattus. Ahriman courut sur les pensées d'Adam et d'Ève ; il renversa leurs dispositions, il les trompa sur ce qui regardait le deus, et jusqu'à la fin ce cruel ne chercha qu'à les séduire... »

« Les livres chinois exposent un semblable récit : « Au commencement, l'homme obéissait au ciel ; il était tout esprit. — La terre produisait spontanément des fruits en abondance. Il n'y avait alors ni maladie, ni malheur, ni mort. — Mais, quand on eut dégénéré de cet heureux état, les oiseaux et les bêtes fauves, les vers et les serpents, tous ensemble, comme de concert, firent la guerre à l'homme. — Aussi l'ancien proverbe dit : « N'écoutez pas la femme... »

« La déchéance de nos premiers parents n'est pas non plus oubliée des Tartares. Ils racontent que, éclairés de leur propre lumière, sans privations comme sans désirs, ils jouissaient d'une vie fortunée ; que la terre produisait une plante dont la douceur égalait celle du miel le plus pur, dont la beauté enchantait les regards ; qu'ils ne purent résister à cette séduction ; qu'ils mangèrent de cette plante fineste, et éprouvèrent la même infortune. « Leurs jours furent abrégés, leurs forces s'affaiblirent, pour la première fois ils éprouvèrent le tourment de la crainte. »

« Les Thibétains attribuent également la perte des qualités primitives, de l'intelligence et du corps, à la faute d'avoir goûté de la dangereuse plante du schimæ, douce et blanche comme du sucre ; la connaissance de l'état de nudité fut révélée par ce fruit.

« Les Scandinaves se rappellent l'arbre de la science du bien et du mal. Chez eux, c'est un énorme frêne appelé l'Ydrasils, dont les branches s'étendent dans le monde entier, et que le serpent ronge par-dessous. « Sciu (le serpent), en montant et descendant le frêne, porte la parole de l'envie. »

V. Stevenson, *Voyages dans l'Amérique du Sud*. — Sonerat, *Voyage aux Indes*. — Belzoni, *Voyage en Égypte et en Nubie*. — Bruce, *Voyage en Abyssinie*. — Gomara, *Histoire générale des Indes occidentales et de Terre-Neuve*. — *Histoire générale des Voyages*. — *Le Grand Dictionnaire chinois*. — *Lettres édifiantes*, etc. — Bergier, *Dictionnaire*, Append., v<sup>o</sup> Réparateurs. — Nicolas, *Études philosophiques sur le Christianisme*, p. I, l. II, c. iv. — Gaume, *Caté-*

*chisme*, 1<sup>re</sup> partie. — Martinet, *Solution des grands problèmes*, etc. — Cantù, *Histoire universelle*. Documents : *Religion*.

(B) Page 583.

752. Ut aliqua exempla proferamur de periculosa verborum novitate :

1. Non probamus, qui originale *peccatum* dicunt, non vero *culpam*. « Quelle que soit la distinction possible entre les notions de *péché* et celle de *faute*, dans les régions de l'abstrait (ad rem percelebris Audizio, *Introduzione agli studi Eccl.*, l. III, c. VIII), je n'y crois pas du tout, dans le cas concret du *péché* originel ou même de toute autre action, qui soit un acte humain en opposition avec la loi. En effet, saint Thomas a appelé du nom de *faute* le *péché* originel aussi bien que le *péché* actuel : *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali, quæ peccatum personæ committitur; ad culpam vero naturæ non requiritur nisi voluntas in natura illa* » (in 2, dis. 50, q. 2, a. 2).

2. Neque illis subscribimus ullo modo qui docent per originis peccatum nos damnari, non tamen illud nobis imputari. « En disant que ce *péché* (originel) nous damne sans être imputé (*iterum cit. auctor*), on semble perdre de vue l'inevitable *proprrium* du Concile de Trente. Et de plus on va contre cette persuasion universelle et très-juste, savoir, que l'imputation doit nécessairement précéder la condamnation, et que, de même que, pour un individu, il ne peut y avoir de châtimeut sans *faute*, il ne peut non plus y avoir de condamnation sans une imputation réelle et proprement dite de cette même *faute*. »

« Cette doctrine est celle de saint Thomas, etc. : *Pena simpliciter habet rationem ad culpam propriam, sed quandoque ad culpam actualement... quandoque vero ad culpam originalem*. Et encore : *Non autem puniuntur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa, neque in presenti neque in futuro*. Comment la *faute* sera-t-elle propre sans l'imputation divine ?

« Enfin, il me paraît que tel est le sentiment des Pères du Concile de Trente : *Si quis per Jesu Christi Domini Nostri gratiam, quæ in baptisate confertur, reatum originalis peccati remittit negat; aut etiam asserit non totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit*. On voit : 1<sup>o</sup> qu'on doit considérer comme une chose de foi que le *péché* originel n'est pas une simple difformité, mais un *reatus* qui atteint l'âme spirituelle, et que les théologiens nomment

« *reatus culpæ*; 2° que ce *reatus*, avec la faute et la peine éternelle qui y sont attachées, est détruit par le baptême; 3° qu'il serait contraire à la foi de dire que dans le baptême ce péché est raturé ou non imputé, *radi aut non imputari*. Maintenant, c'est au petit nombre de ceux qui, par une innovation de langage, affirment que, dans le péché originel contracté par nous, il n'y a ni *reatus culpæ* ni imputation, c'est à eux, disons-nous, à se concilier avec le Concile de Trente. Qu'ils disent comment il se peut que le baptême nous dégage d'une offense qui ne nous eût point été imputée et qu'il nous délie de ce qui n'aurait jamais été lié; et, puisque le Concile a prononcé l'anathème contre ceux qui soutiennent que le péché originel cesse d'être imputé à ceux qui ont été baptisés, qu'ils disent s'il est conforme à l'idée catholique de prétendre qu'il n'en existe aucune imputation ni avant ni après le baptême. »

## (C) Page 584.

753. Quoad B. Virginis Conceptionem, V. Salzano, *Corso di Storia Eccl.*, l. XVII, n. 17. — Liguori, *Opus Morale dissert. super censuris circa Imm. B. V. Conceptionem*, l. VII, n. 244. — Frassen, *Scotus Academicus*, hic. — Suarez, *hac disp.* — Card. Lambruschini, *Dissertatione polemica sull'Immacolato Concepimento di Maria*. Roma, 1845. — Cerri, *Triumphus B. M. Virginis Matris Dei in originale peccatum*. Taurini 1851. — Perrone, *apud De Luca, Annali, ecc.* Roma, vol. 16, pag. 328; et *Prælectiones Theologicæ*. Edit. 25, anno 1857, vol. 3. — Mazzola in Ven. Seminario Novariensi olim professor, *De Beata Virgine, Disput. Historico-Theologicæ*, ubi fuse veritatem prosequitur ac solide undequaque tuetur. — *Amico Cattolico*. Milano, serie 2<sup>a</sup>, t. 1, p. 545. — *Collezione de' buoni libri a favore della Cattolica Religione*. Torino 1850, dispensa xi, nota 4; e dispensa 135: *Riflessioni e cenni storici, e Bolla dogmatica della Immacolata Concezione*. — Knoll, *Institutiones Theologicæ*, vol. 2. — Ballerini, *Sylloge monumentorum ad mysterium Conceptionis Immaculatæ Virginis Deiparæ illustrandum*. Romæ 1854. — Croiset, *Exercices de piété pour tous les jours de l'année: le mois de décembre*. — *Civiltà Cattolica*, ser. 2, t. 8: *Definizione dogmatica, in che consista; il domma e la civiltà, cenni storici*; t. 9: *cenni storici; l'assemblea cattolica e le assemblee eterodosse*. — Lib. *Sul criterio dei dogmi; reminiscenze di Seminario, e studi di un Sacerdote milanese*; Milano 1860. — Passaglia, *De immacolato Deiparæ Conceptu Commentarius theologicus*, Opus a Pio IX laudibus cumulatam. — Gousset, *La Croyance générale et constante de*

*l'Église, touchant l'Immaculée Conception de la bienheureuse Vierge Marie.*

754. Plures cum Galatino, Cusano, Ponte, Salazar, Catharino, Navarrino, Viva, Lugo, Egidio, Richerio fortiter tuentur, Mariam non solum a macula originali fuisse mundam, sed etiam ab ipso eam contrahendi debito exempta, quamvis ab Adamo descendat per carnem. Nempe in æterno Dei Decreto de futura peccati originalis existentia, supposito Adami lapsu, eam comprehensam non fuisse; adhuc tamen dici debere redemptam, quia propter Christum fuit ab illa lege excepta, ideoque merito semper canitur, quod Deus eam præservavit. — Etsi hoc pie credi possit, et videatur probabile, nec certo repugnantiam involvat; tenent nihilominus communiter, Mariam in Adamo peccasse, seu vi Conceptionis suæ habuisse debitum culpam originalem contrahendi; originem enim habuit a natura corrupta. Neque ideo Mariæ dignitas imminuitur; quia, ut ait Augustinus, l. VI *contra Jul. c. iv*: *Peccatum originale quatenus consideratur in actione alterius, alienum est; fit autem proprium tantum contagione propaginis*, id est per contractionem actualem: quod de Maria dici nequit (Liguori, *Opera Dogmatica*, sess. 5, n. 26). *Civiltà Catt.*, serie 3, t. x: *l'immacolata Concezione di Maria considerata come dogma di fede per M. Malau.*

755. Hic non abs re erit indicare piam societatem, cui ab aurea corona nomen, Immaculatæ Conceptionis B. V. M. quam quidem Pius IX, die 11 sept. 1855, libenter erexit, seque ejusdem patronum declaravit Indulgentias sociis largiendo. Constat ex celebratione Sacrorum quæ singulis mensibus ab uno et triginta Sacerdotibus præfinito die in Deiparæ honorem erunt peragendæ, orando insuper juxta mentem S. Pontificis. Cui bono etiam singuli fideles participare possunt, sub datis conditionibus, ut videre est in Regulis hujusce novæ societatis.

## (D) Page 87.

756. 1. Cum tanti sit D. Thomæ auctoritas (quem, ut graphice aiunt, *si solum scias, omnia scias, etsi cetera omnia ignores; si solum ignores, ignores omnia, etsi cetera omnia scias*), præstat ut ipsius Angelici auctoritatem proferamus circa exemptionem B. Virginis à peccato originali. Qua de re videatur P. Angelo Bigoni, ministro generale dei Minori Conventuali, *In lode di Maria SS. senza macchia concetta*, Dissertazione panegirica. Roma 1845. Is primis Patribus testimonium S. Doctoris addit proferens hæc genuina verba illius Opu- sculi, *Expositio Salutationis Angelicæ*, quæ quidem ipse suis oculis

perlegit in Codice membranaceo Vaticanæ bibliothecæ: *Ipsa* (Virgo) *fuit purissima quantum ad culpam, quia nec originale nec veniale peccatum incurrit* (Amico Cattolico, vol. X, pag. 62; Mem. Modenesi, serie III, fasc. 4). Unde non immerito ex antiquis etiam ac sincerioribus Codicibus probant, recentiores præsertim, textum qui habetur 5 p., q. 22, a. 2 contrarius fuisse corruptum. — Adde: quo utitur argumento Angelicus in *cit. loco*, nostram firmat sententiam; nam ibi probat Mariam fuisse in utero sanctificatam, quia Ecclesia celebrat ejus Nativitatem. Quid ergo nunc temporis dixisset, quo etiam celebratur Festum Conceptionis? dicere debuisset hac ipsa de causa et Virginis Conceptionem sanctam esse atque immaculatam. V. Opusculum Nicolai Cichovii, *Angelici Doctoris S. Thomæ de B. M. V. Deiparæ immaculata Conceptione sententiæ*. Patavii, 1720. Adde objecta verba D. Thomæ explicari posse de debito peccatum originis contrahendi, ut clarius ipse indicat 4, dist. 45, q. 1, a. 4, ad 3. — V. Joannes a S. Thoma, *Tract. de approbat. et auctoritate doctrinæ Angelicæ D. Thomæ*. — Mariano Spada dell' ordine de' Predicatori, *Esame critico sulla dottrina dell' Angelico dottore S. Tommaso circa il peccato originale relativamente alla B. V. Maria*. — Gaude dell' ordine de' Predicatori, *De immaculato Deiparæ conceptu ejusque dogmatica definitione in ordine præsertim ad scholam Thomisticam*; Romæ, etc., etc.

757. 2. Opponunt auctoritatem D. Bernardi in celebri Epistola ad Canonicos Lugdunenses, in qua aperte videtur negare hoc Virgini Privilegium. Sed respondemus cum P. Perrone: in confesso est: — 1. S. Bernardum Canonicos illos redarguisse quod, inconsulta Sede Apostolica, festum de Virginis Conceptione adoptaverint; — 2. ipsum ex eo Virginis ortum sanctum fuisse deducere, quod solemnitas ejus Nativitatis in universa Ecclesia celebraretur; — 3. impetivisse Conceptionis cultum eo quod careret objecto: siquidem ex ipsius mente Virgo sancta esse non potuit priusquam conciperetur, quam nequiverit ante sancta esse, quam esse. Sed nec in ipso Conceptionis momento id potuit; quomodo namque, pergit, aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit ubi libido non defuit? nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam, et non de viro conceptam fuisse: sed hoc hæcenus inauditum. Nempe ideo S. Doctor inficiatur sanctam Virginis Conceptionem, quia maritali complexu genita est. Unde patet, ipsum esse locutum de prima Virginis Conceptione, quam activam dicunt, de ea nempe, in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invicem convenientes, præstiterunt ea, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a

Deo infundendam. Non autem de Conceptione *passiva*, seu de animationis momento, de quo hic agimus (de hac distinctione vid. Benedictus XIV, *De Festis*, l. II, c. v). Reapse hoc sensu auctores S. Bernardo suppres *conceptionis* vocabulum usurpasse ostendit Mabillonius (*nota 141 in Epist. 74 S. Bernardi*, col. LXII): unde legitime colligitur S. Doctor piæ sententiæ haud infensus. Imo cum ipse ex celebritate Festi de Natali Virginis die, quæ jam in Ecclesia ubique vigeat, intulerit sanctam eam extitisse ante Nativitatem, merito concludimus sanctam ipsum pariter Conceptionem propugnatum fuisse, si idem festum ubique celebrari, ut nunc fit, cognovisset.

Quamquam apud criticos certum est hodie objectam epistolam non esse genuinum D. Bernardi opus (V. *Civ. Catt.* serie III, vol. X: *Immacolata Concez.* di M.).

## (E) Page 590.

758. Incertum quæ futura sit conditio eorum, qui cum solo originali moriuntur. Exules certo erunt a patria cælesti; sed quæ erit eorum sors æterna?

Alii cum Sylvio, Petavio, Gregorio Ariminensi, qui ideo dictus fuit *tortor parvulorum*, etc., una cum Augustino, Fulgentio et latinis Patribus docent parvulos solo originali maculatos pœna ignis, mitissima tamen, esse cruciandos. Et probant ex Concilio Florentino, ubi habetur: *Credimus... illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas* (quamquam verba *inferni* ac *pœnarum* hic nimis generalia sint: sic per se *infernus* est locus inferior. Definitio autem Concilii non cadit in qualitatem pœnarum, sed in illud *mox*). Hoc dicunt Scripturæ, pluribus Patribus et fidelium persuasioni conformius. V. Bergier, *Dictionnaire*, v° Enfants. — Berti, *Theol.*, l. XIII.

Alii cum Valentia, Bellarmino, et græcis Patribus docent tales infantes pœna sensus non esse plectendos; cum hac Scriptura iis solum comminetur, qui actuali peccato tenentur. Attamen docent eos habituros esse perpetuam tristitiam de amissione beatitudinis, ad quam ab origine erant destinati; talis enim exclusio non potest esse sine dolore. Hanc sententiam communiorem appellat Bouvier, et ei videtur probabilior. — V. Bellarminus, *De amissione gratiæ*, l. VI, c. vi et vii. — Frayssinous, *Défense du Christianisme*; conférence: *le Salut des hommes*.

Alii cum Petro Lombardo, D. Bonaventura, Innocentio III, D. Thoma censent tales parvulos esse prorsus immunes a pœna sensus. Ratio

est, ait Angelicus (*De malo*, q. 5, a. 2), *quia pœna sensus respondet conversioni ad creaturam, et in peccato originali non est conversio ad creaturam, et ideo peccato originali non debetur pœna sensus. Imo docet tales pueros nullam percepturos esse tristitiam de amissione gloriæ; nam sicut nullus sapiens, ait (in 2 Sent., d. 35, q. 2, a. 1), affligitur de hoc, quod non possit volare sicut avis, vel quia non est rex vel imperator, cum sibi non sit debitum; ita pueri non dolebunt de amissione visionis beatæ, cum non sit debita, nec ad illam habeant proportionem. Imo adhuc tradit, quod illi infantes participabunt de bonis naturalibus, et de Deo gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione. Quod tamen Billuart explicat de dilectione naturali necessaria (eo enim amore quo quis necessario diligit seipsum, diligit etiam suum essendi principium); non autem de amore libero et amicabile. — Du reste, ad rem S. Alphonsus (*Opera Dogmatica*, sess. v, n. 10), faisant abstraction de ce bonheur naturel, le sentiment qu'ils ne reçoivent dans l'autre vie ni récompenses ni châtements est plus équitable et il me paraît plus probable, eu égard à la divine miséricorde. Saint Augustin ne s'éloigne pas de ce sentiment (lib. III, *De lib. arb.*, c. xxv); saint Grégoire de Nazianze et saint Grégoire de Nysse ont exprimé la même opinion. »*

Alii cum Catharino docent, eos parvulos post iudicii diem esse in quodam paradiso terrestri collocandos, ubi sua sorte optime contenti beatitudine naturali perfuerunt in Dei cognitione et amore fundata : qui amor erit liber, efficax et perfectus in genere suo. Id ex parte defendit Cardinalis Sfondrati in libro, *Nodus prædestinationis dissolutus*. Romæ 1696. Item lib. cui titulus *Delle cose divine, e specialmente degli ultimi tempi del mondo, Ammonimenti di Giovanna Le Royer, Suora*, ecc. Rovigo 1852. — Quæ opinio etsi non sit communiter admissa, non est tamen confundenda cum hæresi Pelagianorum : isti quoque illis pueris naturalem beatitudinem concedunt, sed sine morte animæ : unde juxta ipsos exclusio ab intuitiva Dei visione non habet rationem pœnæ, quod negant Catholici. V. Perrone, *Prælectiones Theologicæ*. — Secondo Franco, *Risposte popolari alle obiezioni più comuni contra la Religione*; c. III, Torino 1859. — Martinet, *Instit. Theol.*, vol. III, lib. VI, a. 3.

Alii tandem eo usque progressi sunt, ut credant Deum in ultima iudicii die gratiam Baptismatis illis infantibus elargiturum fore. Ita in libro, *Considerazioni sullo stato dei bambini morti senza Battesimo*. Lugano 1859. Quid sit sentiendum de hoc singulari ac noviter excogitato medio, videant sapientes.

759. Quidquid sit, ad rem monet Liber *Metodo per la direzione delle anime* : « Ne dites jamais au peuple que les enfants morts sans

baptême souffrent la peine du feu; mais n'affirmez point non plus qu'ils ne la souffrent pas. Cela pourrait avoir de graves inconvénients. Sic, v. g., puella gravida per fornicationem, fructum perdere tentaretur, dans la pensée que, mort sans baptême, l'enfant ne sera pas damné. Les mères prendraient beaucoup moins de précautions lorsqu'elles sont enceintes; les pères ne se hâteraient pas de faire baptiser leurs enfants. Si l'on vous interroge sur le sort de ces pauvres créatures, répondez qu'elles ne verront jamais Dieu et qu'elles n'entreront jamais dans le ciel; mais ajoutez qu'on ne peut préciser d'une manière absolue la nature et les circonstances de cet état de privation, où Dieu les a placées. »

(F) Page 593.

760. 1. Quod primo nos tentat *diabolus* est, vaferrimus sane hostis, nam prout S. Leo Magnus, *Serm. 16 in Nat. Domini*, ait : « Omnium discuit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; et ibi causas quarit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. » Sed ne concidamus animo : qui sane futurorum cupidine succensus fortiter resistit, nedum iacturam, sed faciet etiam cum tentatione provenitum; *fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* (1 Cor. 10). Hinc ad rem aiebat Casarius Arelatensis de dæmone tentatore (*Serm. 18*) : « Alligatus est tanquam canis innexus catenis... latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino nisi volentem non potest; non enim cogendo, sed suadendo nocet : non extorquet a nobis consensum, sed petit. »

Hæc etiam notamus cum Stapf agenda post pugnas maxime graviores. Qui infeliciter decertavit, ne concidat animo; sed sincere doleat, strenue ac viriliter acturus in posterum; *filioli mei, hæc scribo vobis, legitur I Joann. 2; ut non peccetis; sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Qui vero victor extitit, ne sibi fidat, sed Deo agat gratias, atque ad nova bella se præparet; non enim cessat ab insidiis suis serpens antiquus.

2. Alter metuendus animarum adversarius *mundus* est : mundus quoad essentiam semper idem est, voluptatibus inhians, æternitatis immemor, Dei inimicus, et varias pro diversis temporibus formas induit. Quenam porro sit præsens forma spiritus mundani, quam alio nomine appellamus *genium sæculi*, aperte declaravit Pius IX tot machinationibus apta remedia suggerens. De hisce erit de *Justitia et Virtutibus Theologicis*. — Hæc interim admonemus cum laudato Stapf (*Th. Mor.*, § 125) : « Maxima calamitas in Ecclesiam Dei redundat, si ipsi sacrorum Ministri genio sui temporis turpiter assentiantur.

Cum enim mundus spiritum veritatis non possit accipere (*Joann.* xiv, 17), ille, qui hominibus placere gestit, Christi servus non est (*Gal.* 1, 10)... Equidem quod ad animi cultum et morum comitatem attinet, Sacerdos ea neutiquam aspernabitur, quæ ævum nostrum vere commendant; at tamen, ut veterum aliquis monet, *nimum ne crede colori; fallit enim vitium specie virtutis et umbra*. Revera tentatio sectandi genium temporis non est minima, præsertim pro viris junioribus; egoismo enim vix aliud magis arridet, quam placere illis, qui ex moderno genio sentiunt. »

Absit autem ut Deum etiam faciamus peccati causam et auctorem. Hoc hæreticorum est, qui plura opponunt ex Scripturis, in quibus Deus dicitur, *excæcare, in reprobum sensum tradere*, etc. Sed facillime refelluntur, si totus contextus attendatur; Deus enim id non facit agendo, vel movendo; sed potius deserendo, non impediendo, permittendo. — V. Bergier, *Dictionnaire*. Item Deus *tentare* dicitur, sed non ad seducendum, bene vero ad probandum. Hinc ex Augustino, lib. II, *de consensu Evangelistarum*, duplex tentatio distinguitur, videlicet *probationis et seductionis*.

## (G) Page 597.

761. Regius Psalter (*Ps.* 18) etiam de alienis timet: *Ab alienis parce servo tuo*. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi nempe ad ea committenda non debeat concurrere nostra voluntas; quæ sola est peccati sedes. Sed eo sensu, quia illa sub aliqua ratione etiam nobis debent imputari. Hæc imputatio incurritur dupliciter: 1. *positive*, quando quis alium ad peccatum inducit vel imperio vel consilio vel plausu vel per illecebras, ut si qui perversos libros evulgent, turpes imagines exponant; 2. *negative*, si ob desidiam nostram alii peccatis libere indulgent. Ex qua parte parentes, magistratus, Parochi, Episcopi, qui suis non invigilant, horrendum iudicium expectent. Ex his vero patet, hanc peccatorum alienorum imputationem immensum non raro orbem describere, prout notat *Stapf*, § 122. — Plura apud Voit.

762. D. Thomas, 2, 2, q. 14, de alia specie peccatorum agit, quæ majorem quam cetera præ se ferunt deformitatem, et ideo ceteris difficilius remittuntur, sunt:

1. Peccata in Spiritum Sanctum, ea scilicet, quibus per contemptum abjiciuntur media et beneficia, per quæ homo a peccatis potuisset abstinere: sunt *præsumptio, desperatio, agnita veritatis impugnatio*, ea nempe animi perversitas quæ contra veritatem evidenter cognitam obduratur, *fraternæ charitatis invidentia*, ut cum quis contristatur

graviter de donis proximi, quibus fit conspicuus, *obstinatio, et impatientia*, sumpta pro proposito non pœnitendi. Qui talibus se commaculant, patet ipsos ex proposito fieri rebelles lumini, et in profundum jam venisse.

2. Peccata in cœlum clamantia, quæ nempe in hac vita et in altera divinam ultionem provocant, et conclamant, cum adeo abominandam contineant malitiam; et sunt *homicidium voluntarium* (*Gen.* 4, v. 10); *sodomia* (*Gen.* 18, v. 20), *oppressio pauperum, viduarum et pupillorum* (*Exod.* 22, v. 22); denique *defraudata operariorum merces* (*Deut.* 24; et *Jac.* 5, v. 4).

3. Huc revocatur tum *excæcatio* (ex parte intellectus), et est pertinax adhesio animi ad malum, ita ut illuminationes et instructiones tam internas quam externas recipere nolit; tum *obduratio* (ex parte voluntatis), et est pertinax adhesio animi ad malum, qua resistit gratiæ et monitionibus tum internis quam externis, ita ut cor nec precibus nec minis emolliatur.

## (H) Page 607.

763. Undenam vero petenda sit differentia inter peccatum mortale et peccatum veniale, non conveniunt inter se Theologi. Censet Scotus in eo peccatum mortale discerni a veniali, quod prius sit contra præceptum, alterum vero contra consilium; sed errat, quia quod est solummodo contra consilium, illud nullomodo peccatum est; prout ait Apostolus (*Rom.* 4): *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*. Alii putant in hoc differre peccatum mortale a veniali, quod mortale sit contra legem, veniale vero præter legem; sed etiam hallucinantur, quia omne peccatum eo ipso, quo peccatum est, est contra legem, ut patet in mendacio jocosum, furto rei levis, etc. Alii opinantur mortale esse contra finem, veniale vero contra media, quæ sunt ad finem; sed falluntur, quia plura sunt venialia peccata, quæ sunt contra ipsum finem, uti motus non pleni infidelitatis, etc.: item sunt plura mortalia peccata, quæ versantur circa media, uti furtum, detractio, etc. Alii communius peccatum mortale in eo a veniali distingui volunt, quod prius sit aversio a Deo, et conversio ad creaturam, tanquam ad ultimum finem; posterius vero sit conversio ad creaturam, salvo tamen aliquo ordine ad Deum, tanquam ad ultimum finem. Alii demum cum Card. Gerdilio fortasse clarius differentiam peccati mortalis, et venialis ex eo repetunt, quod peccatum mortale sit contra legem et sit etiam contra finem legis, nempe charitatem: dirimatque propterea conjunctionem illam, qua homo charitate Deo adheret, ut fini; veniale vero

tametsi sit contra legem, non repugnet tamen fini legis, possitque ideo cum charitate, qua Deo jungimur, consistere.

Sic optime ratiocinatur Gerdil : quæ contra alium fiunt in duplici sunt differentia; alia quippe consistere possunt cum amore et benevolentia erga illum, contra quem fiunt; alia vero cum tali amore et benevolentia consistere nullomodo possunt. Fac filium, aut servum, aut amicum, parentem, dominum, amicum debito amore ac reverentia prosequi, si aliquantulum fuerint negligentes in gerendis eorum rebus, si leve quoddam damnum eis attulerint, si leviusculum quoddam eorum erratum quod ipsorum famæ non noceat, patefecerint; hæc certe talia sunt, ut conciliari possint cum vera benevolentia erga parentem, dominum et amicum; hæc namque ab iis ipsis admittuntur, qui sincere et ex animo diligunt. Contra vero si filius ille, famulus aut amicus gravem aliquam injuriam parenti, domino, aut amico afferant, si debitam obedientiam, et fidem proterve negaverint, si fortunæ, famæ, aut vitæ insidias struxerint; profecto necesse est ipsos exuisse omnem amorem et benevolentiam; neque enim cum hoc animo amatur, neque fieri potest, ut quis eum amet, contra quem talia facit. Est ergo in ipsa rerum natura et communi hominum sensu constitutum et fixum discrimen, ut quæ fiunt contra aliquem, alia omnem erga ipsum amorem excludant, alia cum debito amore consistant; quamvis per ea quis aliquantulum ab isto amore deflectat.

Peccata itaque mortalia censenda sunt, quæ ita sunt contra legem, ut sint etiam contra ipsius legis finem, charitatem nempe, quæ cum iis consistere nullatenus potest. Venialia vero peccata ea habenda sunt, quæ sunt quidem contra legem, sed non contra finem, seu charitatem non tollunt, cujusmodi sunt mendacium jocosum, furtum rei levis, motus non deliberati etiam circa objecta gravia; hæc enim committi possunt adhuc ab iis qui sincere Deum diligunt, in eumque tanquam in ultimum finem conversi sunt (V. Talento, *Institutiones Theol.*, tom. I. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 41).

(I) Page 605.

764. Audiendus Stapf, § 106 : Cum allatæ regulæ ex se quidem optime, attamen minus definitæ sint, juvat illas una sententia comprehendere, et quantum fieri potest, accuratius determinare. Quare, ut quantitas materiæ definiri possit, actio quæ in questione versatur, cum primo honestatis principio comparari debet, utrum scilicet amor Deo et proximo exhibendus per talem actionem, omissionemve graviter, an vero nonnisi leviter violetur. Atque hoc judicium utique non ex præconceptis opinionibus, propensionibusve; sed ex principio nostro for-

mali, ex sensu magisterii apostolici repeti debet *ne afferamus stateras dolosas, sed afferamus divinam stateram* (contra Donat. l. II, c. vi)... Ubi decisiones positivæ desunt, attendere debemus quid consensus Ecclesiæ tacitus, quidque ejusdem praxis præ se ferat, et quid demum auctoribus videatur ab Ecclesia ipsa approbatis...

Ceterum in iis quæ parvitatem materiæ admittunt, regula prorsus exacta ne datur quidem; quia materia non simul et simul et quasi per saltum, sed successive ingravescit, ita ut ex communi sententia objectum legis nunc leve, nunc gravius atque sensim ponderosius fiat, donec tandem materia impliciter gravis videatur. In dimetienda quantitate morali idem nobis evenit quod in quantitate physica: dum, v. g., aliquis in sporta nuces in urbem defert, edic, quæso, quot præcise nuces requirantur, ut pondus istud grave censi possit. Eodem modo desipiunt, qui, e. g., furti gravitatem ad ultimum usque obolum determinare conantur; cum tamen materia sensim tantum ingravescat, adeoque inter pondus et pondus simpliciter leve et grave materia intermedia quasi in ancipiti relinquatur.

765. C'est pourquoi (ait ad rem cl. Card. Gousset, n. 265), lorsqu'on consulte les ministres de la religion, soit au tribunal de la pénitence, soit ailleurs, on ne doit pas toujours exiger d'eux qu'ils déterminent avec précision le degré d'énormité des péchés dont on s'accuse, ou sur lesquels on les consulte. Ce qu'on est en droit d'attendre, c'est qu'ils décident avec exactitude si la chose est bonne ou mauvaise, permise ou défendue, dangereuse ou non. Cette connaissance est nécessaire pour savoir ce qu'on doit faire ou éviter; mais elle est suffisante pour régler les mœurs des fidèles. Dès qu'ils savent qu'une chose est prescrite ou défendue, souvent c'en est assez pour les engager à la faire, si elle est commandée; ou à s'en abstenir, si elle est défendue, quoiqu'on ne puisse pas dire précisément s'il y a péché mortel, ou péché véniel seulement.

Hæc pro penitentibus: pro Confessariis valet illud Gersonis (*De vita spiritali*, 4); *Doctores non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re; nam per hujusmodi assertiones rigidas in rebus universis nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum; sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur: « nam error, quo creditur esse mortale quod non est mortale, ait Angelicus (Quodl. 9, a. 15), ex conscientia ligat ad peccatum mortale. »* Hinc non bene se gerunt Concionatores illi et Confessarii, qui facile homines damnant de mortali, etsi gravis malitia evidenter non dignoscatur: vel eadem facilitate odiosam laxitatis notam tribuunt sententiis, quæ non apparent aperte improbabiles.

## (J) Page 614.

766. Ex dictis satis colligitur quomodo confessarius interrogare debeat penitentem, qui, v. g., confitetur se tribus diebus continuis gravi odio proximum fuisse aversatum.

*Confessarius*: Quale malum optasti proximo? *Pœnitens*: optavi æternam damnationem ob gravem injuriam mihi illatam.

*Confessar.*: Quoties illud odium prorupit in actus externos? *Pœnit.*: Non processit ad actus externos; sed fuit mere internum.

*Confessar.*: An odium illud fuerit retractatum vel interruptum et quoties? *Pœnit.*: Primo die per integrum fere tempus ista aversio mihi representabatur, eique voluntarie adhæsi, decies plus minus; secundo die circiter per medium tempus de eo cogitavi, et affectum malum forte vigesies iteravi; tertio die ista cogitatio septies plus minusve rediit cui adhæsi singulis vicibus per quadrantem circiter, bis iterum reflexe optando ejus damnationem: sed vespere, antequam decumberem, omnia ista retractavi.

767. Conformer ad hæc inquirendum circa alia peccata interna, libidinis, vindictæ, superbiæ, etc. Hoc tamen ita minutim indagare fere impossibile est in consuetudinariis, qui a longo tempore non sunt confessi. Tum satis erit de mora consuetudinis exquirere, interrogando de lapsibus circiter in die, in hebdomada, mense, etc.; et sic in confuso apprehendendo numerum, ex dicendis *De Pœnitentia*.

Hic tamen plura sunt consideranda:

1. Ad mortale peccatum non requiritur, ut ejus malitia sit directe et in se volita; sed sufficit ut sit volita indirecte, hoc est ut voluntas advertenter se ferat in aliquod objectum graviter malum, etiamsi ejus malitiam secundum se aversetur. Quia dedecet naturam rationalem ac legem divinam velle aut acceptare ullo modo quod malum est et illicitum; et aliter agere, diabolicum esset.

2. Animadvertendum etiam est, triplici modo posse voluntatem objectum malum attingere, nempe vel *positive* consentiendo in illud, nempe idem ex professo amplexando. Vel ad illud *negative* se habendo, id est ei neque consentiendo neque dissentiendo. Vel denique ei *positive* resistendo, videlicet totis viribus illud repulsando. — Primum semper malum est; tertium semper bonum; secundum aliquando bonum, aliquando malum scilicet ratione periculi consensus. *V. Liguori, Op. Mor., l. V, num. 4 et seq.*

3. An explicandi tactus qui statim copulam consequuntur, alii affirmant quia non amplius ad copulam referuntur; alii item affirmant, sed tantum si in eis tanquam in nova voluptate sistatur. Sed non mi-

nus probabiliter alii cum communi dicunt omnes hos actus non esse de necessitate explicandos semper ac tactus (idem est de complacentia, quæ habetur de copula) statim post copulam habeantur, et non dirigantur ad novam copulam; quia tunc verisimiliter tactus illi adhibentur ad primæ copulæ obtentæ complementum.

4. Explicanda sunt tanquam distincta peccata omnia media posita ad peccatum consummandum, si postea illud reapse non consummetur, ut ait Viva valde probabiliter cum communi; et hoc non solum si dicta media per se sint mala, uti sunt tactus et sermones inhonesti; sed etiam si sint indifferentia, uti carpere viam, ascendere domum ad mulierem cognoscendam, parare arma ad homicidium, etc. Ratio quia tunc peccatum non manet tantum internum, sed externatur sufficienter in illis actionibus, quæ omnes malæ deveniunt; cum a malitia pravi finis omnes informentur.

5. Si quis habens oscula, tactus, etc., nolisset ab initio copulam, sed postea ob libidinem auctam pefecerit, non sufficit si tantummodo copulam confiteatur; tunc enim omnes actus tanquam distincta peccata debent explicari, quia cum illic sistitur, quivis actus habet in se malitiam suam consummatam. Et idem dicendum de eo qui animum habuit tantum hostem vulnerandi, et inde ira accensus occidit; is duo peccata committit. Item si quis ex intentione furandi centum aureos, centenis vicibus moraliter interruptis eos subripiant, tunc centum peccata committit, dicit Croix; quia singuli actus habent in se consummatam malitiam. — *V. Liguori, Op. Mor., l. V, nn. 41 et seqq.*

## (K) Page 618.

768. Inquiet quispiam: « Deus fecit hominem liberum in cogitationibus suis, dicente S. Scriptura: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* » — R. eum distinct.: Deus fecit hominem liberum in cogitationibus suis, *libertate physica*, conc.; *libertate morali ad malum*, nego. Latum adest discrimen inter *libertatem physicam* et *libertatem moralem*: *libertas physica* in eo sita est, quod hominis voluntas in exercitio facultatum suarum non patitur violentiam extrinsecam neque intrinsecam; *libertas autem moralis ad malum* consistit in hoc quod homo careat in actibus suis quacumque lege morali, et sic inculpabiliter (ac ideo etiam sine ullo imputabilitatis periculo) tam cogitare quam agere possit quidquid sibi magis arriserit, et omne *libitum* suum habere *pro licito*: illa libertatis nomine venit; ista *licentiæ* vocabulo nuncupatur. Jam vero primam utique Deus homini largitus est, cum eum *constituit et reliquit in manu consilii sui*, ut sic merito et demerito in ejus actibus daretur



locus; sed alteram expresse negavit. Et sane ille homini negat hanc libertatem *moralem*, qui eidem imponit morum præcepta et normam agendi, præmia promittens sibi obtemperantibus, et pœnas minitans refragantibus. Sic, v. g., ille paterfamilias non dat filiis suis libertatem Marte proprio vivendi, qui eis præscribit quæ pro bono domus ordine putat expedire, et contraria vetat; atqui ita se gessit cum homine Deus. Sic enim legitur in eo ipso Scripturæ textu nobis objecto; *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui: en libertatis physice concessio; sed cito eidem adiecit mandata* (dicens): *Si volueris mandata servare, conservabunt te: ecce libertatis moralis negatio ad malum. Quis ignorat decem illa gravissima præcepta quæ Decalogi nomine tam in Veteri quam in Novo Fœdere nobis omnibus a Deo imposita sunt et manu quasi sua in cordibus nostris insculpta? Si vis ad vitam ingredi* (inquit Christus in Evangelio), *serva mandata...; vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Quæ porro moralis ad malum libertas ubi tot leges habentur, tot mandata et præcepta gravissima pro recta vivendi norma?*

Verum instabis. « Libertas agendi (*liberté d'action*) et libertas cogitandi (*liberté de penser, liberté d'opinion*) valde differunt inter se: esto primam a Deo minime hominibus fuisse concessam; sed non idem dici potest de altera. »

R. Nego utramque propositionem: primo quidem libertas cogitandi et libertas agendi sunt duo *correlata* inter se, ita ut una sine altera nec esse nec concipi possit; radix enim actus vere et proprie humani est in intellectu, quia ex vulgari et communi Philosophorum adagio *nihil volitum quin præcognitum*; ergo si intellectui conceditur libertas moralis cogitandi, negari non poterit voluntati libertas agendi, nisi impiam, scelestissimam et totius humanæ societatis deletricem hypocrisim inducere velimus.

Falsa est etiam altera propositio, cum certissimum et de facto sit Deum prohibere, sicuti actiones malas, ita etiam malas ipsas cogitationes: *Abominatio Domini cogitationes malæ; — non concupisces rem proximi tui; — cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio; — qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Hæc profecto sunt totidem divina oracula in Scriptura Sacra ad nostram instructionem relata (*Prov. 26; Deut. 5 et 15; Psal. 10*). Quis itaque tuto auserit affirmare Deum libertatem moralem cogitandi nobis donasse etiam quoad malum?

Nonne dices postremo ex ipso Jure Canonico *cogitationis nemo pœnam patitur?* — R. Cum distinct.: *Cogitationis nemo pœnam patitur, coram Deo, qui est scrutator cordium et renum Deus, nego.* Hæc est differentia inter legem divinam et legem mundanam,

quod lex mundana judicet facta et dicta; divina autem non hæc tantum, sed etiam cogitata. Et ratio hujus discriminis est, quod illa sit per homines, qui judicant ea quæ apparent exterius; sed divina est a Deo, qui interius exteriusque conspicit: ita ratiocinatur Angelicus (Opus. de 10 præc.).

Quoad cogitationes malas hæc habet ad rem clarissimus Balmès (*le Protestantisme comparé au Catholicisme*, l. XIII): « Si nous pénétrons dans le sanctuaire de la pensée, où ne parvient jamais l'œil de l'homme, et qui n'est ouvert qu'aux regards de Dieu, eh bien, que signifie alors liberté de penser? La pensée, par hasard, n'aurait-elle pas des lois auxquelles elle doit se soumettre, sous peine de s'égarer dans le chaos? Lui est-il permis de mépriser les règles de la saine raison, de fermer l'oreille aux conseils du bon sens? Peut-elle oublier que son objet est la vérité et ne tenir aucun compte des principes éternels de la morale? — V. *Collezione di buoni libri.* — Bergier, *Dict. de Théologie*, art. *Liberté de conscience, Tolérance.* — *Saggio elementare di diritto pubblico Eccles.*, vol. I.

769. Quæres: *An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo qui cupit aliquid patrare malum, puta fornicationem, furtum, judicans per errorem solum desiderium fornicandi, furandi non esse mortale, si fornicatio, si furtum non sequatur.* — Affirmant uti probabilius Sanchez et Cardenus dicentes hunc peccare tantum materialiter; quia licet ipse velit malum illud objectum, tamen invincibiliter credit desiderium suum injuriam Deo non irrogare. Hanc tamen opinionem nunquam probabilem censere potui; nunquam enim intelligere valui, quomodo qui vult deliberate actionem exercere qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere, Deum non offendere, dum efficaciter cupit illam exequi, qua certe agnoscit averti a Deo.

*Sed (dices) quomodo iste peccabit formaliter illo suo desiderio, si ejus malitiam ignorat?* R. Quamvis detur quod ignoret malitiam illius actus interni, certo tamen agnoscit malitiam actus externi; si ergo vult illum exequi, jam cognitum uti malum, quomodo a peccato excusabitur? Omnes quidem ex ipso lumine naturæ dignoscunt, se teneri ad obediendum suo Creatori: quando igitur quis deliberate vult agere id quod scit a Deo sibi velitum, necessario simul agnoscit quod male agit; et quamvis reflexe tunc non peccet, putando solum actum externum esse peccatum; exercite tamen et in facto jam peccat, volens negare Deo, tempore quo cogitat consummare peccatum, debitam obedientiam.

Instabis: *Plures rustici ideo non confitentur de his pravis desideriis, quia credunt tunc tantum peccare, cum peccatum externe consummant.* — R. Isti potius falso decipiuntur in credendo, quod

non tenentur confiteri peccata quæ non consummant; sed prudens confessorius judicare debet quod, cum consenserunt in peccatum consummandum, etsi non consummaverint, tamen vere et formaliter peccaverunt voluntate prava se a Deo avertentes. Ex quibus omnibus opinionem contrariam cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo. Hactenus Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 9.

**(L) Page 622.**

**770.** Non est negandum, quod adhuc sit speculative loquendo valde probabilis sententia, quam tenent Layman, Lugo, Roncaglia alique, qui docent delectationem speciem suam sumere ab objecto duntaxat in mente representato: ac ideo si quis v. g. delectetur de copula cum conjugata ita cognita quidem, sed delectatio non sit *qua conjugata*, sed *qua pulchra*, non committit adulterium; quia tunc circumstantia adulterii ex se non intrat in delectationem. Ad diversitatem desiderii et complacentiæ, quæ in omnium sententia objectum totum prout in se est ordinariè absorbent, sese nempe ferendo in objectum uti tale. Verum in praxi non recedendum a prima sententia: atque ideo sine dubio semper explicandæ sunt quoad delectationem omnes objecti circumstantiæ, quia saltem adest periculum proximum objecto secundum se toti consentiendi et desiderandi; cum vix uno gradu delectatio et desiderium inter se distent. Quia tamen sepe difficile est obtinere a penitentibus, ut circumstantias objecti cogitati aperiant; tunc prudentes Confessarii priori opinione innixi ab importunis quæstionibus abstant. Billuart.

Notandum tamen, quod delectatio sæpe versatur circa objectum generale, v. g., circa fœminam in genere non cogitando ullam in particulari sua qualitate, nec virginem determinate nec conjugatam, etc.; quo casu non occurrunt speciales circumstantiæ objecti exprimendæ; sed solum simplex committitur peccatum venereum, quantum est ex parte objecti. Et ita si adolescens liber delectetur de fornicatione mere uti tali cum muliere, non determinando aliquam in particulari aut certæ qualitatis, solummodo contrahit malitiam objecti seu simplicis fornicationis. Ita Dens.

**(M) Page 627.**

**771.** Poena æterna damnatorum est duplex: damni et sensus. Prima habetur illis verbis: *Discedite a me, maledicti*. Secunda illis: *In ignem æternum*. Porro ut habet D. Hieronymus, *In uno igne omnia tormenta sentient damnati in inferno*. Quæ poena erit damnatorum

peccatis proportionata, juxta illud Apoc. 18: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. — Quamvis nos lateat quomodo ignis animas cruciare possit, tenent tamen Catholici cum Augustino (*De Civ. Dei*, l. XXI, c. x) revera illum ignem esse materialem ac corporeum; nimis enim clara sunt verba Deut. 32, Job. 20, Isa. 55 et 65, Jud. 16, Matth. 10, Luc. 16, etc. S. Antoninus varias refert opiniones hac de re.

**772.** Merito damnatorum poena æterna est; cum enim peccatum æternæ in anima damnatorum perseveret, æternæ puniendum est. Adde peccatum mortale habere quamdam infinitatem malitiæ ex parte infinitæ personæ quæ offenditur, cum utique a læso sit mensuranda culpa, juxta axioma: *Honor est in honorante, injuria in injuriato*; ergo infinite puniendum saltem (si aliter non possit) extensive, id est quoad durationem. Hanc autem veritatem vel ipsi ethnici non pauci solo ipso lumine naturali cognoverunt; sic Tullius aiebat: *Justis quidem reditum patere ad supremam felicitatem, improbis vero devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deorum* (l. I Tuscul. quæst.). Imo hæc veritas omnium populorum consensu firmatur, dicente ipso Seneca: *Quum de animorum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum timentium inferos* (epist. 114).

Item V. Lacordaire, *Conférence LXXII*. — Nicolas, *Études philosophiques sur le Christianisme*, vol. III in fine, opus a Pio IX benigne acceptum. — Rusca, *De inferno et statu dæmonum ante mundi exitum*, libri quinque, in quibus tartarea civitas, paratorum ibi cruciatuum genera, ethnicorum etiam de his opinionibus, etc. varia eruditione describuntur. Mediol. 1621. — Patuzzi, *De futuro impiorum statu*. — Liguori, *Dissertaz. Teologico-Morali*, Dissertaz. viii; it. *Verità della fede*, p. 2, c. xix; it. *Breve dissertazione contro gli errori dei moderni increduli*. — Passaglia, *De æternitate pœnarum, deque igne inferni*. — Martinet, *Solutions des grands problèmes*; it. *Institutiones Theol.*, vol. III, c. vi, lec. 3. — Ventura, *La raison philosophique et la raison catholique*, confér. xxi: *Éternité des peines*; vol. III. Milano 1857. — Ségur, *Réponses courtes et familières*, etc., § 51. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v° Infernus.

## APPENDIX I

### SERIES CHRONOLOGICA PROPOSITIONUM AB AP. SEDE DAMNATARUM<sup>1</sup>

Propositiones ab Alexandro VII proscriptæ 10 jan. 1659.

773. 1. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ab obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint: neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt; cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus Fidei, neque etiam Bulla Pii IV pro confirmatione illius Concilii promulgata. *Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim et schisma inducens, sacro Concilio Tridentino et Sedi Apostolicæ injuriosa.*

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimo Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; et si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset. *Complexæ accepta est falsa, temeraria, scandalosa et erronea.*

3. Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsis indulta non fuerit. *Quoad*

<sup>1</sup> Ad assequendum genuinum sensum damnatarum propositionum vid. Anacletus Reiffenstuel, *in initio ejusd. Theol.* Edit. Antuerpiæ. 1758; item *sub fm.*, ubi ea de re habetur *Dissertatio Massæi Kresslinger.* — Carboneanus, *Notio critica sensus omnium propositionum Moralium ac Dogmaticarum,* etc. — Campioni, *Instructio pro se præparantibus ad audiendas Confessiones,* pars II. Romæ, 1704. — Sed præ omnibus vid. *eximie sapientiæ vir* (ut eum appellat Benedictus XIV, *Notificat.* vii et xxxi) Dominicus Viva, *Damnatae theses ab Alexandro VII, Innocentio XI et Alexandro VIII: Necnon Jansenii ad Theologicam trutinam revocatae juxta pondus Sanctuarii.* Ed. 8<sup>o</sup> in qua Baii, Michaelis de Molinos, et alie item theses recensentur, etc. Alie plures damnatae propositiones vid. apud L. Ferraris, *Bibliotheca canonica, juridica,* etc., etc., v<sup>o</sup> Propositiones damnatae.

*primam partem est falsa, et saluti animarum perniciosa: quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum, et Sedi Apostolicæ injuriosa.*

4. Nullus in foro conscientiae Parochiae suae interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, Fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur, et docentur. *Quoad primam, et secundam partem simpliciter accepta, est erronea, et temeraria: suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.*

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum vel Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus poenis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt. *Suppositis iisdem privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram; verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta.*

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a Judicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsi mandata concedant ad prædicandum in Adventu et Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi decretum Judicium sæcularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset. *Est falsa, erronea et in hæresim ac schisma inducens.*

Ab eodem Alexandro VII damnatae in globo 24 sept. 1665.

774. 1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cænæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 10 julii in Consistorio Sacre Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incurra.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non tenentis denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti

chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebrandæ tradantur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam (promissione etiam juramento firmata) danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione ommissa, seu oblita ob instans periculum vite, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pena.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium

Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

**Damnate ab eodem Alexandro VII 18 mart. 1666 in globo.**

775. 29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lactinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsentis, et crastino.

56. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

57. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V, hodie sunt revalidatae.

58. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praecipuum.

59. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinari, vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae tadio magno concubinarium afficerent, et aliae famulae nimis difficile invenirentur.

42. Licet mutuantur aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti *donec expurgentur*, possunt retineri usquedum adhibita diligentia corrigantur.

**Propositiones in globo damnatae ab Innocentio XI 2 martii 1679, ad minus ut scandalosae et in praxi perniciosae.**

776. 1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabilis.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praecipuum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac affectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Praecipuum proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licet absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura pinguis est haereditas.

15. Licet filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praecipuum speciale et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabilis revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

25. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis alium additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fusto percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impediendum, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habent in Cathedrali, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impediendum.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surri-

pere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur, tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituali; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituali; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores et Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent. Concilium vel primo videtur pro hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malum quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, idoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum

ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, et si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum, ratione magni concursus poenitentium, qualis, v. g., potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere: quinimo directe, et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Ab eodem Innocentio XI in globo damnata 23 nov.

777. 1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.

Propositiones Michaelis de Molinos damnatae ab eodem  
PP. Innocentio XI in globo Const. COELESTIS 20 nov. 1686.

778. 1. Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, ideo opus est seipsum in Deo totum, et totaliter derelinquere, et postea permanere, velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit, et ad suam originem, dum est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizzata, et Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum; et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad priores defectus.

10. Si proprii defectus alios scandalizent, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expugnare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogi-

\* V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., vº Molinosisme.

tatio et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii, *Petite et accipietis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo huiusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura, et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria, et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptionibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, et per cogitationes per quas Deus animam alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cujusque cogitationis particularis, ac distincte attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, et amandum eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia in his Deus sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, sed postea cognoscit illam se habuisse; et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem et Contemplationem

infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id exspectet, ad contemplationem infusam; et hæc cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos. Fidem et Sacramenta si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerantur, non impediunt orationem Fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiam si superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio, et contemplatio actualis; quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa et Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica; cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, nec seipsum: et male agit, cum eam desiderat, et eam habere conatur; quia per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est: siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo et virtutes, et frigida remanet, nullum in seipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurium et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hæc occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales,



omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, et lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu *Pater noster*, recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione et activitate; alias non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos aut Humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et poenitentia quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhesionem.

40. B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctorum; igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice illorum manus et alia membra contra eorum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et femine, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonis, qui causando in eis prædictas violentias facit ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, et se Deo resignent.

44. ob blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis; quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via; et hæc est via facilior et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obsceni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietari, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit non confitendo; quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet inde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. xvi Job).

50. David, Hieremia, et multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, uti illud de Samson, qui per violentiam seipsum occidit cum Philisthæis, conjugium inivit cum alienigena, et cum Dalila meretricæ fornicatus est; quæ alias erant prohibita, et peccata fuissent. De Judith, quæ Olopherno mentita fuit. De Eliseo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse quod in iis consenserint, et videre quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumo a lumine quodam actuali cognitione humana ac Theologia superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, et ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo quo interdum con-

tingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos inveniunt et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentiant, nihil, nihil; nec ullam sentiant inquietudinem sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, et duæ cupiditates, animæ una, et amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius: unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges et duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia nec venialia.

58. Ad ejusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, et a casibus conscientiæ, a Theologia et Philosophia.

60. Animabus proyeclis, quæ reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem et supplet ipse tanta gratia perseverante, quantam in Sacramento recipere: et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia est in illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult; quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem, in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum, quinimo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non representent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativum; primo quia non habet fidem adeo puram: secundo quia non est adeo humilis: tertio quia non adeo curat propriam salutem: quarto quia caput reseratum habet phantasmatibus,

speciebus, opinionibus et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore vero aliter res se habet, quia solus Deus et Director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo; quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi benevisum.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriore tribunalis præpositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus præjudicant his deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur epistolæ Directoris quoad internum animæ, et ideo opus est animadvertere quod hoc est insultus Satanæ, etc.

**Propositiones damnatæ in globo ab Alexandro VIII 24 aug.  
anno 1690.**

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformatione actuum cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in suum finem ultimum interceptive: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

2. Peccatum philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; Theologicum et morale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non offensa Dei, nec peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei nec æterna pœna dignum.

**Ab eodem Alexandro VIII damnatæ in globo 7 dec. 1690.**

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.
3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.
4. Dedit semetipsum (Christus) pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.
5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inertem, sine omni gratia sufficienti.
6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos, Domine.
7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.
8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.
9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.
10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.
11. Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.
12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, et etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana.
13. Quisque etiam aeternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.
14. Timor gehennæ non est supernaturalis.
15. Attritio, quæ gehennæ, et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.
16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.
17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.
18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.
19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.
20. Confessiones apud Religiosos factæ plerumque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.
22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam præterdunt antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.
23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communionem quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.
24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis sufficienter testatur, quod indigerit purificatione, et quod Filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.
25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.
26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.
27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, etc.*, prætermisissis illis: *Ego te baptizo.*
28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observet, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*
29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.
30. Ubi quis invenit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.
31. Bulla Urbani VIII *In eminenti*, est subreptitia<sup>4</sup>.

**Propositiones super amore erga Deum purissimo in globo damnatae ab Innocentio XII Brevi CUM ALIAS 21 martii anno 1699.**

779. 1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura et sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

<sup>4</sup> In hac Bulla data 1641, Urbanus VIII confirmat Constitutiones Pii V et Gregorii XII, quibus damnantur 79 propositiones Baii: ulterius prohibet librum Cornelii Jansenii.

2. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id quod est essenziale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione et subtilitate; oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet officere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quod interesse proprium... Extremæ probationes in quibus hæc abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes quibus Deus amulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo per fugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quæ non est intimus conscientia fundus, se juste reprobam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse,

sed nunquam amittit in parte superiori: id est in suis actibus directis et intimis spem perfectam quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi, quam sibi a Deo indicta credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis perturbationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione; nam totum, quod est involuntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actu discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ, ut fiat spiritualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo in fervore nascente earum contemplationis... Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distincte, non cogitando, quod sint virtutes; quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformate sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluderunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura, et simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitationem amoris interessati eorum gratiæ proportionatam.

25. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

**Quesnelli propositiones damnatæ in globo a Clemente XI  
Constitutione UNIGENITUS 8 sept. anno 1713<sup>1</sup>.**

780. 1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis ingentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax homini cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

4. Ita Domine: omnia possible sunt ei, cui omnia possible facis eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes et gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter fœdus Judaicum et Christianum est, quod illo Deus exigit fugam peccati, et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero facilitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus.

<sup>1</sup> V. SS. N. D. Clementis Papæ XI Constitutio *Unigenitus* theologice propugnata, etc. Romæ, typ. Salvioni, t. II. Celebris hæc Constitutio tantam in Ecclesia auctoritatem sibi conciliavit, ut, quemadmodum ait Benedictus XIV, *Encycl.* 10 oct. 1756, ad Episcopos Galliæ, *nemo fidelium possit absque salutis eternæ discrimine a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari.* — Toricelli. *Dissertationi, ecc.*, vol. VIII. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Constitutio *Unigenitus*.

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis et facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nullæ voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, et suam æternam locutionem committit unctione sui Spiritus, et interiori vi gratiæ suæ, operatur illum in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorum Filii, nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obediri; imperat, et omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis, et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ et gratiæ, quæ omnes ita gratuite, atque ita dependentes sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam qua creaturam a nihilo producit, et mortuus reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habuit de omnipotentia Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus, illuminat animam, et eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate: jubet et ipsa obtemperatur.
26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.
27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.
28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.
29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.
30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.
31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.
32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu Angeli exterminatoris.
33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, et sibimet ipsis renuntiasse ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem et mysteria, ut fecit sanctus Paulus, dicens: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me!*
34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.
35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ, et integræ.
36. Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentie, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.
37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando Jesu Christo, est omnipotens, et digna Filio Dei.
38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.
39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum... est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.
40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.
41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.
42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: sine hoc nihil, nisi impuritas; nihil, nisi indignitas.
43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.
44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes

nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones corrumpat.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, et sine Christo, et sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum: *Pater mi*, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis remedia continentur in fide, tanquam in suo germine et semine, sed hæc fides non est absque amore et fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones Christianas) per relationes ad Deum et Jesum Christum.

54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat penitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet; cor autem tandiu peccato adjicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo; et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetae, Sacerdotes et Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint, nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem, sicut bestiae; sed per fidem et per amorem, sicut filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in Fide et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et præmium Fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper servant vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ad sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiae Christianae est, quod sit Catholica, comprehensens et omnes Angelos caeli, et omnes electos et justos terrae, et omnium saeculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in eo sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput; omnes vero Sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona: unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi et Justi omnium saeculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, et Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem, et Mystera sacrae Scripturae.

80. Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari foeminis lectione sacrorum Librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.

84. Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicae et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni honorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis illius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiae.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per Primos Pastores de consensu saltem praesumpto totius Corporis.

91. Excommunicationis injustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quae praecipua primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato Jesus restituit; quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus ea prædicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium. Neque satis advertitur, quod hic effectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata: sed justus vivit ex Fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis et pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g., bonos libros, instructiones, sancta exempla.

100. Tempus deplorabile quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos, tempus hoc advenit... Haberi, et tractari a Religionis Ministris, tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, atque abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur quam communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efflicere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Propositiones damnatæ in globo a Benedicto XIV Const.  
DETESTABLEM 10 nov. anno 1752<sup>1</sup>.

781. 1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duellum, tan-

<sup>1</sup> Præter plurimas Constitutiones, quas Benedictus XIV dedit uti Pontifex, sunt alia Opera quæ in re morali maxime inserviant, quæque ipse edidit

quam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux vel Officialis Militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malæ ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

quidem uti privatus auctor; attamen quæ plurimi sunt facienda, cum sapientia plena sint. Sunt porro: — 1. *De sacrificio Missæ*, ubi omnia erudite vel quoad ipsas cæremonias discutit. — 2. *De Festis*, italico sermone confectum, ubi sapientibus et insipientibus escam tribuit. — 3. *Institutiones Ecclesiasticæ*, ubi doctrinam et praxim habes undequaque exploratam eximiamque: sunt numero 107; quæ primum seorsim Bononiæ italico sermone exarata prodierunt, cum Auctor illi Ecclesiæ præesset; quæque aliquando *Notificationum*, sed frequentius *Edictorum* nomine donantur (etiam *Regole del buon governo*). In latinum versæ sunt studio P. Ildefonsi a S. Carolo Scholarum Piarum: quem laborem liberaliter excepit ipse Pontifex, ac valde gratum habuit. — 4. *De Synodo Diocesana*, ubi præcipuè Theologiæ sacræ opiniones, ac ab Episcopis tenendæ normæ in plena luce collocantur. Hoc opus jampridem excogitatum et paratum, sed variis distractis curis Auctor non edidit, nisi septimo sui Pontificatus anno. Illa prima editio octo continebatur libris; at paucos post annos illam auctam vulgavit in tredecim libros. — 5. *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonisatione*, ubi immensa eruditione ac doctrina universam pene theologiam et maxime quæ sunt cultus, complectitur et discutit sapientissime, Summatim ejus doctrinam exhibet Mansi, *Epitome Doctrinæ Moralis et Canonice ex Operibus Benedicti XIV*, ad calcem *Moralis S. Alphonsi*. — Ita vid. *Constitutiones selectæ, nec non Bullæ, Decreta, Epistolæ, etc. Parochis, Confessariis, etc., utiliores ac necessariæ*. Venet., 1775. — Ita *De Syn. Dioc. Opus egregium... contractum*. Venetiis, 1765.



Propositiones Synodi Pistoriensis a Pio VI Bulla AUCTOREM  
FIDEI 28 augusti, anno 1794 singillatim damnatæ<sup>1</sup>.

782. 1. *Propositio quæ assertit* postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscuracionem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religionem, et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi, *hæretica*.

2. *Propositio quæ statuit* potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum: — Sic intellecta ut a communitate Fidelium in Pastores derivetur Ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, *hæretica*.

3. *Insuper quæ statuit* Romanum Pontificem esse caput ministeriale: — Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ caput pollet in universa Ecclesia, *hæretica*.

4. *Propositio affirmans*, abusum fore auctoritatis Ecclesiæ transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde: *tum etiam*, multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorum subjectionem suis Decretis: — Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriori constituenda et sancienda, *hæretica*.

5. *Qua parte insinuat*, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis Decretis exigendæ aliter quam per media, quæ pendunt a persuasione: — Quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori judicio,

<sup>1</sup> Hoc solemne ac dogmaticum Sanctæ Apostolicæ Sedis judicium fusiis vindicat cel. Card. Gerdil, t. XIV, *omnium ejus Operum*. Romæ, 1809, typis Poggioi. — It. Can. Guasco, *Dizion. Ricciano ed Anti-Ricciano*, Ediz. 2, Vercelli, 1794. — It. passim Bergier, *Dictionn. de Théol.*, cui quidem innumera ad rem nostram additamenta accedunt opera præsertim percelebris ac doctissimi Archiepiscopi cardinalis Gousset. — It. *Sermoni istruttivi d'un vecchio Paroco della Toscana al suo popolo colle annotazioni d'un giovane Coadjutore sopra la Bolla Auctorem fidei*, Vercelli, 1796. Quod quidem opus est Patris Philippi a Rimella. — It. *Le Provinciali all'Italia*, per Crescimbeni. Lugano, 1831. — Torricelli, *Dissertazioni*, ecc., t. VIII.

ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi, *inducens in systema alias damnatum ut hæreticum*<sup>1</sup>.

6. *Doctrina Synodi, qua profitetur* persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ Diœcesis: — Perinde ac si ad bonum regimen cujusque Diœcesis necessaria non sint superiores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et Concilia Generalia pro universa Ecclesia, *schismatica, ad minus erronea*.

7. *Item in eo*, quod hortatur Episcopum ad prosequendam naviter perfectiorem Ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem, *idque* contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini Diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi Fidelium: — Per id quod supponit Episcopo fas esse proprio judicio, et arbitrato statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, siue venia et interventu superioris hierarchicæ Potestatis a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent, *inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea*.

8. *Item quod et sibi persuasum esse ait*, jura Episcopi a J. C. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ: — In eo quod innuit jurium Episcopatum exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ, *inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea*.

9. *Doctrina quæ statuit* reformationem abusuum circa Ecclesiasticam disciplinam in Synodis Diœcesanis ab Episcopo, et Parochis equaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum, *falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ a Calvino innovatæ*.

10. *Item doctrina, qua Parochi aliive Sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo* iudices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per Ordinationem accepto, *falsa, temeraria, Ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitivorum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea*.

<sup>1</sup> V. Benedictus XIV, Brevi Ad assiduas, 1755.

11. *Sententia enuntians* veteri majorum instituto ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesie sæcula serrato, receptum fuisse ut decreta aut definitiones aut sententiæ etiam majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognite fuissent et approbatæ a Synodo Diocæsana, *falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ Constitutionibus Apostolicis, tum et sententiis ab hierarchia superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.*

12. *Assertiones Synodi complexivæ acceptæ* circa decisiones in materia fidei ab aliquot sæculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflictæ sunt vulnera nimium adhuc recentia, *falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.*

13. *Propositio relata inter acta Synodi,* quæ innuit Clementem X pacem Ecclesie reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti in subscriptione formularii ab Alexandro VII præscripti, *falsa, temeraria, Clementi X injuriosa.*

14. *Quatenus vero ei distinctioni suffragatur,* ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando, *temeraria, perniciosæ, summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

15. *Doctrina, quæ proponit* Ecclesiam considerandam veluti unum corpus mysticum coagmentatum ex Christi capite, et fidelibus qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus Sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate: — Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesie non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate, *hæretica.*

16. *Doctrina Synodi* de statu felici innocentie qualem eam repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam: — Quatenus complexivæ accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanæ naturæ non gratuitum Dei beneficium, *falsa, alias damnata in Baio et Quesnello, erronea, favens hæresi Pelagianæ.*

17. *Propositio his verbis enuntiata:* edocli ab Apostolo spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera, ut

justam pœnam culpæ originalis: — Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem quæ in præsentis statu inflictæ est veluti justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio, *captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.*

18. *Doctrina Synodi enuntians* post lapsum Adami Deum annuntiasset promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam J. C. allaturus erat; *tamen* Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum; *ac primum ut in statu naturæ* homo relictus propriis luminibus disceret de sua cæca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis: — Doctrina, ut jacet, *captiosa;* atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere, *suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.*

19. *Item quæ subjungit,* hominem sub lege, cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis quæ sanctissima erat, sed culpa hominis qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit; *superadditque,* legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris: — Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare: quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, *falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata<sup>1</sup>.*

20. *Qua parte datur intelligi,* hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis, *Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi Semipelagianæ<sup>2</sup>.*

21. *Propositio quæ asserit* lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali: gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amoris in nobis dominantis; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem

<sup>1</sup> S. Cæsarius, Serm. LXXIII. — V. Augustinus, *De natura et gratia*, c. XLIII; *De gratia et libero arb.*, c. XVI; *Enarr. in Ps. LVI.*

<sup>2</sup> Concil. Arausicanum II, can. III.

esse proprie gratiam J. C., inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera, hanc esse gratiam Novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei: — Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati, constituitur filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (*Trident.*, sess. vi, cap. v); nec vera detur interior gratia Christi cui resistitur, *falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda Propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.*

22. *Propositio quæ innuit fidem a qua incipit series gratiarum et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt: — Perinde ac prior non esset gratia illa quæ ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem, suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnello damnata, erronea<sup>1</sup>.*

25. *Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et charitatis dominantis enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere: — Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur: aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata: — Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati, *falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum, art. 40.**

24. *Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus mediæ a natura ipsa insiti, sive nature laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum remanserunt veluti extrema lineamenta, et reliquæ imaginis Dei<sup>2</sup>. — Perinde ac si inter dilectionem Divinam, quæ nos perducit ad regnum, et delectionem humanam illicitam, quæ damnatur, non daretur dilectio humana licita, quæ non reprehenditur, *falsa, alias damnata<sup>3</sup>.**

25. *Doctrina, quæ timorem poenarum generatim perhibet duntaxat*

<sup>1</sup> Augustinus, *De dono persever.*, c. xvi.

<sup>2</sup> Augustinus, *De spiritu et lit.*, c. xvi.

<sup>3</sup> Augustinus, *Serm. cccxlix, De charit.*

non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum: — Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, veluti donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ, *falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ, opus esse juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, ut intret timor primo, per quem veniant charitas: timor medicamentum, charitas sanitas<sup>1</sup>.*

26. *Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem Limbi puerorum nomine fideles passim designant) in quo animæ decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur: — Perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ, et poenæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulantur Pelagiani, *falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.**

27. *Deliberatio Synodi qua prætextu adhæisionis ad antiquos Canones in casu dubii Baptismatis propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione, temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.*

28. *Propositio Synodi, qua postquam statuit Victimæ participationem esse partem Sacrificii essentialem, subjungit, non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo; — Quatenus insinuat ad Sacrificii essentialiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de Victima participant, et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ, in quibus solo Sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet, *falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.**

29. *Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1° Christum post Consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2° tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus; prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiatio-*

<sup>1</sup> Augustinus, *Epist. Joann.*, c. iv; *In Joann.*, tract. xli; *Enarr. in Ps. cxxvii*; *Serm. clvii et clxi, De verb. Dom.*; *Serm. cccxlix, De charit.*

nis, seu conversionis totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam veluti articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemnî fidei professione continetur: — Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecrata ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de questione mere scholastica, *perniciosa, derogans expositioni veritatis catholice circa dogma transsubstantiationis, favens hæreticis.*

50. *Doctrina Synodi*, qua dum profitetur credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis: *dein continuo subjicit*: non tamen, quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem veluti magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet: *Unde et consequenter traducit veluti falsam opinionem invecam in populum, quod illi, qui eleosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant*: — Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem, et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a Sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a Pastoribus pro suis ovibus: quod veluti ex divino præcepto descendens a Sacra Tridentina Synodo diserte est expressum, *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wiclepho*<sup>1</sup>.

51. *Propositio Synodi enuntians* conveniens esse pro divinorum Officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit Altare, sibi que adeo placere morem illum restituere, *temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti, et probato mori injuriosa.*

52. *Item præscriptio vetans*, ne super Altaria sacrarum Reliquiarum thecæ, floresve apponantur, *temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.*

53. *Propositio Synodi, qua cupere se ostendit*, ut cause tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiæ ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et elata voce proferendo: — Quasi vigens ordo Liturgiæ ab Ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet, *temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.*

54. *Declaratio Synodi*, qua postquam præmisit ordinem poenitentiae canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarij, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt: — Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ poenitentiae cursu hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta, *temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.*

55. *Propositio his verbis concepta*: Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum argumentum hujus charitatis oportet ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen poenitentiae quam medium, illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem: longe quidem absimus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutiones adimplendas: si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis? — Quatenus innuit poenitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse veluti supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi (ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen servetur) oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem, *falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.*

56. *Doctrina Synodi qua postquam præmisit*: quando habentur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum qui admittatur ad participationem Sanguinis Jesu Christi, quæ fit in Sacramentis, *subdit*, supposititias con-

<sup>1</sup> Benedictus XIV, Const. *Cum semper oblatas*, § 2.

versiones, quæ fiunt per attritionem nec efficaces esse solere nec durabiles; consequenter pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis, antequam admittat suos penitentes ad Sacramenta, quæ signa, ut deinde tradit § 17, Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis; quem insuper fervorem charitatis perhibet (de Pœnit. § 10) velut dispositionem, quæ debet præcedere absolutionem: — Sic intellecta ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata; sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad Sacramenta, et speciatim penitentes ad absolutionis beneficium admittantur, *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciz detrahens et injuriosa.*

57. *Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat*, post institutionem Diœcesium et Parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorii, sive jure quodam personali, *propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio*: — Quatenus post institutas Diœceses et Parochias enuntiat tantummodo, conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos; sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam, *falsa, temeraria, pernicioza, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

58. *Item doctrina, qua postquam Synodus professa est, se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ, ut ait, ad penitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, subjungit*, per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent, *contraria Canoni 13 Concilii Nicæni I, Decretali Innocentii I ad Exuperium Tholos., tum et Decretali Cælestini I ad Episcopos Viennensis et Narbonensis provinciz, redolens pravitatem, quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.*

59. *Declaratio Synodi de peccatorum venialium Confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi Confessiones, temeraria, pernicioza, Sanctorum*

*ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatæ contraria.*

40. *Propositio asserens*, Indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus penitentiz, quæ per canones statuta erant peccanti: — Quasi Indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonice non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actuabilibus debite apud divinam justitiam, *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in articulo 19 Lutheri damnata.*

41. *Item in eo quod subditur*, Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clara notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum: — Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, *falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulo 17 Lutheri damnata.*

42. *Item in eo quod superaddit*, luctuosius adhuc esse quod chimærica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos, *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in articulo 22 Lutheri.*

45. *In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas Indulgentiarum, Altaria privilegiata, etc., temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.*

44. *Propositio Synodi asserens*, reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro penitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem, *falsa, temeraria, male sonans, pernicioza, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchie potestatis læsiva.*

45. *Item de spe quam ostendit fore, ut reformato Rituali, et ordine penitentiz, nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes*: — Prout, attentata generalitate verborum, innuit per reformationem Ritualis et ordinis penitentiz factam ab Episcopo, vel Synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare, *Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino, et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.*

46. *Propositio asserens*, effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore com-

municatione Ecclesiæ: — Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in Coelo, animas obligans, *falsa, perniciosa, in articulo 25 Lutheri damnata, ad minus erronea*<sup>1</sup>.

47. *Item quæ tradit*, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem precedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam viam habere, nisi serie comminationis sine ullo actuali effectu, *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea*.

48. *Item quæ pronuntiat*, inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset, *falsa, temeraria, Ecclesiæ præxi injuriosa*.

49. *Item quæ damnat* ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia, *falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa*.

50. *Item in eo quod insinuat*, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (*sess. 14, c. 1 de R.*) suspensionis ex informata conscientia legitime infligendæ, *jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva*.

51. *Doctrina Synodi*, quæ perhibet in promovendis ad Ordines, hanc de more, et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, ut si quis Clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus aestimabatur, qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque tum talis Ordinatio dicebatur per saltum, uti postea dictum est:

52. *Item quæ innuit*, non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalced.; subjungens § 6, quandiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum confirmavit Ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu Ministrorum Sanctuarii:

53. *Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert*, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait § 5, Ecclesia insistens Apostolicis vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem:

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta: — 1. sive quibus Ordinationes per saltum vetitæ sunt; — 2. sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, veluti specialim a Tridentino Ordinatio ad titulum patrimonii: salva obedientia, qua sic ordinati

<sup>1</sup> Augustinus, *Epist. ccc.*, *Auxilio Episc.*; tract. L, in Joann., n. 12.

Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab Apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit; — 5. sive quibus jure Canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab Ecclesiastico Ministerio omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent: *Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, Ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones, et speciatim per Tridentini Decreta probatum injuriosa*.

54. *Item quæ veluti turpem abusum notat* unquam prætere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ*, et generalim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur: — Quasi turpis abusus crimine notandi essent Ministri Ecclesiæ, dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem, et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur, *falsa, temeraria, Ecclesiastici ac Pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque Ministros injuriosa*.

55. *Item qua vehementer optare se profitetur*, ut aliqua ratio inveniretur minutuli Cleri (quo nomine inferiorum Ordinum Clericos designat), a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectionis ætatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, veluti Acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia, non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant: — Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur ut minorum Ordinum functiones per eos tantum præstentur exerceanturque, qui in illis constituti, adscriptive sunt (Concilium Provinciale IV Mediol.): idque ad mentem Tridentini (*sess. 23, c. 17*), ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiarum functiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ juxta sacros Canones revocentur, ne ab hæreticis tanquam otiose traduceantur, *suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, Ecclesiastici Ministerii perturbativa, servandæ quoad fieri potest in celebrandis Mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum Ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per Canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam convitiis et calumniis*.

56. *Doctrina quæ statuit* conveniens videri in impedimentis Ca-

nonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem æquitalis et moderationis canonicæ a sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.

57. *Præscripto Synodi quæ generaliter et indiscriminatim veluti abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiæ beneficium uni, eidemque conferatur: item in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio, tametsi simplici, neminem frui posse, pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini, sess. 7, c. v; et sess. 24, c. xvii.*

58. *Propositio quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem, continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere: — Quasi actus disponens ad Sacramentum non subiaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ, falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.*

59. *Doctrina Synodi asserens, ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia, quod jus originarium præterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum, subjungens, supposito assensu vel conniventia Principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii: — Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediunt, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdem dispensare, Canonum 3, 4, 9 et 12, sess. 24 Concilii Trid. eversiva, hæretica.*

60. *Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spirituales, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani, tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum, juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ: — Quatenus civili potestatis jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis, libertatis ac Potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.*

61. *Propositio quæ asserit, adorare directe humanitatem Christi, magis verò aliquam ejus partem fore semper honorem Divinum datum creaturæ: — Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita Divinitati foret honor Divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque oratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, falsa, captiosa, pio, ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens, et injuriosa.*

62. *Doctrina, quæ devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas erroneas, aut saltem periculosas: — Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, falsa, temeraria, perniciose, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.*

63. *Item in eo, quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant SS. Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a Divinitate adorari non posse cultu latriæ: — Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel præcisione a Divinitate dum illud adorant uti est Cor Jesu, Cor nempe Personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a Divinitate adorabile fuit in sepulchro, captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.*

64. *Doctrina quæ veluti superstitionem universe notat quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum: — Tanquam superstitionem censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum, vel externarum actionum præfinitis pro Indulgentiis consequendis, pro adimplendis penitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite ex ordine peragendo, falsa, temeraria, scandalosa, perniciose, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans erronea.*

65. *Propositio enuntians, irregulare strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Exercitia vel Missiones... forte nunquam aut saltem perarò eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura, temeraria, male sonans, perniciose, mori pio salutariter per Ecclesiam frequentatio, et in verbo Dei fundato injuriosa.*

66. *Propositio asserens, fore contra Apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum*

voce totius Ecclesiæ: Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicis precibus inducendæ, *falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

67. *Doctrina perhibens* a lectione sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subjungens ultro se proderi obscuratorem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates Religionis, *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnello damnata.*

68. *Laudatio*, qua summopere Synodus commendat Quesnelli commentationes in novum Testamentum, alique aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta; eademque Parochis proponit, ut ea tanquam solidis Religionis principiis referta in suis quisque Paræciis populo post reliquas functiones perlegant, *falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.*

69. *Præscriptio*, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis, propter sui generalitatem *temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ existent imagines Sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ.*

70. *Item doctrina et præscriptio* generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potiusquam ad aliam confugere, *temeraria, perniciososa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordinis injuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

71. *Item quæ vetat*, ne imagines præsertim Beatæ Virginis ullis titulis distinguantur præterquam denominationibus, quæ sint analogæ Mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio: — Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat, *temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi Beatæ præsertim Virginis debitæ injuriosa.*

72. *Item qua velut abusum extirpari vult* morem, quo velatæ aservantur certæ imagines, *temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad fidelum pietatem fovendam inducto mori contraria.*

73. *Propositio enuntians* novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis

<sup>1</sup> Benedictus XIV, Brevi Sollicitudini, anno 1745.

<sup>2</sup> S. Augustinus, *Epist. LXXVIII, Clero senioribus et universæ plebi Eccl. Hipponensis.*

earumdem solemnitatum originem duxisse, *falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.*

74. *Deliberatio Synodi* de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis: idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam Ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum; tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum Episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis: — Quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesiæ præscriptos pro festis, jejuniisve celebrandis: aut indutum Missæ audiendæ præceptum abrogare, *propositio falsa, Conciliorum Generalium, et summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismali favens.*

75. *Doctrina quæ perhibet* beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis Divini Præceptoris, atque ab aurea Evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsismet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatum fuisset actus irreligiösus, homine Christiano indignus: *insuper* continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse: indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia Ecclesiastica Jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta in investituris, et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit statuitque, adeo implorandam a seculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam Ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali, *falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris Ecclesiastici læsiva, disciplinæ per Canones inductæ et probatæ subversiva.*

76. *Insectatio, qua Synodus* scholasticam exagitat, veluti eam, quæ viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilissimum et laxissimum: — Quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt, *falsa, temeraria, in sanctissimos viros et Directores, qui magno Catholice Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.*

77. *Item in eo quod subdit*, mutationem formæ regiminis Ecclesiastici, qua factum est, ut Ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes; eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones Ministerii Ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis: — Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ, et probatæ obliterar



unquam potuerit, et amitti primitiva notio Ecclesiastici Ministerii, pastoralisve sollicitudinis, *propositio falsa, temeraria, erronea.*

78. *Præscriptio Synodi* de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua posteaquam præmisit, in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad finem, et ad essentiam Religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ, *subjungit*, in hac ipsa (*disciplina*) distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo quod est inutile, aut onerosius quam libertas filiorum novi fœderis patiatur, magis vero, ab eo, quod est periculosum et noxium, utpote inducens ad superstitionem, et materialismum; — Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum, *falsa, temeraria, scandalosa, pernicioosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac spiritui Dei quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.*

79. *Assertio*, quæ conviciis, et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitas, et de quibus Apostolica Sedes nihil aliud adhuc definiendum, aut pronuntiandum censuit, *falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debite Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.*

80. *Regula 1<sup>a</sup>* quæ statuit universe et indiscriminatim statum Regularem aut Monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cuiusque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis, *falsa, pernicioosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres, et Præsules qui regularis vitæ instituta cum clericalis Ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetustâ, probato Ecclesiæ mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria: quasi Monaci quos morum gravitas et vitæ, ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ Clericorum officii aggregentur.*

81. *Item in eo quod subjungit*, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines Mendicantium Institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset, *scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum Auctorum contumeliis fovens.*

82. *Regula 2<sup>a</sup>*, multiplicationem Ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem: item in eo quod præmittit § 4, Regularium fundatores, qui post monastica instituta prodierunt,

Ordines superaddentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare: — Intellecta de Ordinibus, et institutis a S. Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat, *falsa, calumniosa, in Sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices injuriosa.*

83. *Regula 3<sup>a</sup>*, qua postquam præmisit, parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum, subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata, veluti speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias, *falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus, et calumniis.*

84. *Art. 1.* De uno duntaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ ceteris Regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius Ordinis merita; sic tamen ut in his, quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrudere conveniat:

2. Ne competes fiant Ecclesiasticæ Hierarchiæ, qui se huic Ordini adjunxerint, nec ad sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unum, vel duo, initiandi tanquam Curati, vel Cappellani Monasterii, reliquis in simplici Laicorum ordine remanentibus:

3. Unum tantum in unaquaque civitate admittendum Monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum:

4. Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore Psalmodiæ impendendo, aut etiam si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodiæ deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctæ sunt Psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque Regularium:

5. Nulla foret admittenda distinctio Monachos inter sive choro, sive ministeriis addictos; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus Regularium spiritum charitatis expulit:

6. Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres Monaci, qui tamen Ecclesiæ consolatio, et Christianismi

ornamentum extiterunt. Vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium, et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet, ut perpetua sint; nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus:

7. Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit Monachos admittere et expellere semper tamen accepto contubernali consilio:

8. Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet Sacerdotes, in hoc Monasterio admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali regula sub num. 2<sup>o</sup> statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque ceteris Sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare. — Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ: a carnali spiritualitate qua pleræque detinentur, avocandæ; expendendum, utrum quod ad ipsas attinet, satius foret Monasterium in civitate relinquere:

*Systema vigentis, atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus Apostolicis et plurium Conciliorum etiam Generalium, tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota, et regularia instituta stabiliiori consiliorum Evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.*

85. *Propositio enuntians, qualemcumque cognitionem Ecclesiasticæ Historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem Concilii Nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiuntur in Ecclesia respectivarum Nationum controversiæ spectantes ad Religionem: — Sic intellecta, ut controversiæ ad fidem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ, per Nationale Concilium irrefragabili iudicio finire valeant; quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus Nationali Concilio competeret, schismatica, hæretica.*

**Conclusio Bullæ, ubi alia adnotantur.**

783. Ceterum per hanc expressam præfatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in eo complures deprehense fuerint propositiones et doctrinæ sive illis quæ supra damnatæ sunt

affines, sive quæ communis et probatæ cum doctrinæ et disciplinæ temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et Apostolicam Sedem animum præ se ferunt. — Duo autem speciatim notanda censemus, quæ de augustissimo Sanctissimæ Trinitatis Mysterio § 2 decreti de fide, si non pravo animo, imprudens certe Synodo exciderunt, quæ facile rudes præsertim et incautos in fraudem impellere valent.

« 1. Dum posteaquam rite præmisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus Personis distingui, perperam discedit a communi, et probata in christianæ doctrinæ Institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus Personis distinctus dicitur non in tribus Personis distinctus; cujus formulæ commutatione hoc vi verborum subrepat erroris periculum, ut Essentia distincta in Personis putetur, quam fides Catholica sic unam in Personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

« 2. Quod de ipsismet tribus divinis Personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum: quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturæ locis consecrata, voce ipsa Patris e celo et a nube delapsa, tum formula Baptismi a Christi præscripta, tum et præclara illa Confessione qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus: ac non potius retinendum esset quod edoctus a B. Augustino Angelicus præceptor (1 p., q. 54, a. 2) vicissim ipse docuit in nomine Verbi eandem proprietatem importari, quæ in nomine Filii, dicente nimirum Augustino (de Trin. VII, c. 11); eo dicitur Verbum quo Filius.

764. « Neque silentio prætermittenda insignis ea fraudis plena Synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab Apostolica Sede Conventus Gallicani Declarationem anni 1682 ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in Decretum de fide inscriptum insidiosè includere, articulos illos in illa contentos plane adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsius Decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemnī professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de Synodo, quam Prædecessoribus nostris fuerit de Comitibus illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanæ Ecclesiæ non levis injuria irrogatur quam dignam Synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum quibus illud est contaminatum Decretum. — Quamobrem quæ Acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, Prædecessor Noster Venerabilis Innocentius XI per Litteras in forma Brevis die 11 apr. 1682; post autem expressius Alexander VIII Constitutione

*Inter multiplices* 4 aug. 1690 pro Apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiiis affectam adoptionem veluti temerariam, scandalosam ac praesertim, post edita Praedecessorum Nostrorum Decreta, huic Apostolicae Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Constitutione reprobamus et damnamus ac pro reprobata et damnata haberi volumus<sup>1</sup>.

785. « Ad id genus fraudis pertinet, quod Synodus in hoc ipso Decreto de fide quamplures articulos complexa quos Lovaniensis Facultatis Theologi ad Innocentii XI judicium detulerunt, tum et alios duodecim a Cardinali de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato II Ultrajectensi Concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis jactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a quacumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos: cujus tamen assertae commendationis non modo nullum exstat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quae in Nostrae supremae Inquisitionis Tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse judicium. »

<sup>1</sup> Pontifex Benedictus XIV scribens ad supremum Hispaniae Inquisitorem 31 Julii 1748, circa defensionem hujus declarationis a Bossuet confectam, aiebat: *Difficile profecto est aliud opus reperire, quod aeque adversetur doctrinae extra Galliam ubique receptae de S. Pontificis ex cathedra dependentis infallibilitate, de ejus excellentia super quodcumque Concilium aecumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum religionis et Ecclesiae commodum id exigat, super juribus temporalibus Principum supremorum.* Vid. *Memorie di religione, di morale e di letteratura.* Modena, t. XIV: *Aforismi sui quattro articoli della dichiarazione del 1682, diretta ai giovani teologi.* — It. Veith, *De Primatu R. Pontificis*, etc. A Romano Pontifice quaesitum fuit: « N. Confessarius in Gallis consulit, num ipse queat et debeat absolvere illos Ecclesiasticos, qui se subicere recusant condemnationi, quam sancta Sedes edidit quatuor celeberrimarum propositionum eleri Gallicani. Ita multae tollentur quaestiones et conscientiae quiescent. » — Respondit per sacram Pœnitentiarum ut sequitur: *S. Pœnitentiarum, diligenter perpensa proposita quaestione, respondendum censuit: Declarationem conventus Gallicani anni 1682, ab Apostolica Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata; nulla tamen theologiae censurae notam doctrinae Declaratione illa contentae iustam fuisse: propterea nihil ob stare quominus sacramentali absolute donentur sacerdotes illi, qui bona fide et ex animi sui persuasione doctrinae illi adhuc adherent, modo absolute digni aliunde videantur.*

## APPENDIX II

ROMANARUM CONGREGATIONUM RESPONSA  
PLURIMA AC NOVISSIMA AD PRAXIM MAXIME  
SPECTANTIA

786. *Prænotanda.* Occurrunt nonnunquam in responsionibus Sacrarum Congregationum verba non adeo facilis intelligentiae; explicantur. *Dilata*, seu differtur respondere, ut res maturiori examini subiciatur, utpote difficilis solutionis. *Affirmative et amplius: Negative et amplius*, seu cum res fuerit in S. Congregatione plus æquo discussa, et plenius votis prout jacet decisa, non amplius admittitur tale quaesitum. *Nihil*, seu non admittitur petitio utpote incongrua. *Relatum vel Lectum*, seu cum relatum vel lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum. *Reponatur*, seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis. *Detur decretum generale*, scilicet responsio obligans omnes. *Spectare ad Episcopum vel orator adeat episcopum*, ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes, non autem juxta libitum suum. *Non congruere*, id est Congregatio non putat quod conveniat concedere quod quaeritur<sup>1</sup>.

An Episcopi possint esse judices ad declaranda dubia super sacris ritibus et caeremoniis exorta? S. R. C. respondit, *negative* 11 jun. 1605.

Cum saepe orientur dubia super authenticitate nonnullorum Decretorum, quae licet in publicis tabulis S. R. C. inscripta reperiantur; at in collatione eorundem decretorum typis edita omissa fuere, quaeritur an talia decreta pro postulantium voto eidem collectioni addi possint? *Affirmative*; S. R. C. 17 sept. 1822.

Quaesitum fuit: 1. quum in declaratione SS. Rituum Congregationis 25 maii 1846 sancitum fuerit decreta et responsiones ab ipsa emanatas, dummodo scripto formiter editae fuerint, eandem auctoritatem habere

*Datum Romae, in sacra Pœnitentiarum, die 27 sept. 1825.* — « Michael Cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarum. » V. Toricelli, *Dissertaz.* v, vi.

<sup>1</sup> Explicantur abbreviationes: S. R. C. id est Sacra Rituum Congregatio; S. C. E., id est Sacra Congregatio Episcoporum; S. C. C., id est Sacra Congregatio Concilii; S. C. I., id est Sacra Congregatio Indulgentiarum; C. S. O., id est Congregatio Sancti Officii, quae quidem est supremæ inquisitionis.

*Inter multiplicēs* 4 aug. 1690 pro Apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in Synodo tot vitiiis affectam adoptionem veluti temerariam, scandalosam ac praesertim, post edita Praedecessorum Nostrorum Decreta, huic Apostolicae Sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Constitutione reprobamus et damnamus ac pro reprobata et damnata haberi volumus<sup>1</sup>.

785. « Ad id genus fraudis pertinet, quod Synodus in hoc ipso Decreto de fide quamplures articulos complexa quos Lovaniensis Facultatis Theologi ad Innocentii XI iudicium detulerunt, tum et alios duodecim a Cardinali de Noailles Benedicto XIII oblatos, non dubitaverit ex reprobato II Ultrajectensi Concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis jactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a quacumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos: cujus tamen assertae commendationis non modo nullum exstat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quae in Nostrae supremae Inquisitionis Tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse iudicium. »

<sup>1</sup> Pontifex Benedictus XIV scribens ad supremum Hispaniae Inquisitorem 31 Julii 1748, circa defensionem hujus declarationis a Bossuet confectam, aiebat: *Difficile profecto est aliud opus reperire, quod aeque adversetur doctrinae extra Galliam ubique receptae de S. Pontificis ex cathedra deponentis infallibilitate, de ejus excellentia super quodcumque Concilium aecumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum religionis et Ecclesiae commodum id exigat, super juribus temporalibus Principum supremorum.* Vid. *Memorie di religione, di morale e di letteratura.* Modena, t. XIV: *Aforismi sui quattro articoli della dichiarazione del 1682, diretta ai giovani teologi.* — It. Veith, *De Primatu R. Pontificis*, etc. A Romano Pontifice quaesitum fuit: « N. Confessarius in Gallis consulit, num ipse queat et debeat absolvere illos Ecclesiasticos, qui se subicere recusant condemnationi, quam sancta Sedes edidit quatuor celeberrimarum propositionum eleri Gallicani. Ita multae tollentur quaestiones et conscientiae quiescent. » — Respondit per sacram Pœnitentiarum ut sequitur: *S. Pœnitentiarum, diligenter perpensa proposita quaestione, respondendum censuit: Declarationem conventus Gallicani anni 1682, ab Apostolica Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescissa, et nulla atque irrita declarata; nulla tamen theologiae censurae notam doctrinae Declaratione illa contentae iustam fuisse: propterea nihil ob stare quominus sacramentali absolute donentur sacerdotes illi, qui bona fide et ex animi sui persuasione doctrinae illi adhuc adherent, modo absolute digni aliunde videantur.*

## APPENDIX II

ROMANARUM CONGREGATIONUM RESPONSA  
PLURIMA AC NOVISSIMA AD PRAXIM MAXIME  
SPECTANTIA

786. *Prænotanda.* Occurrunt nonnunquam in responsionibus Sacrarum Congregationum verba non adeo facilis intelligentiae; explicantur. *Dilata*, seu differtur respondere, ut res maturiori examini subiciatur, utpote difficilis solutionis. *Affirmative et amplius: Negative et amplius*, seu cum res fuerit in S. Congregatione plus æquo discussa, et plenius votis prout jacet decisa, non amplius admittitur tale quaesitum. *Nihil*, seu non admittitur petitio utpote incongrua. *Relatum vel Lectum*, seu cum relatum vel lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum. *Reponatur*, seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis. *Detur decretum generale*, scilicet responsio obligans omnes. *Spectare ad Episcopum vel orator adeat episcopum*, ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes, non autem juxta libitum suum. *Non congruere*, id est Congregatio non putat quod conveniat concedere quod quaeritur<sup>1</sup>.

An Episcopi possint esse iudices ad declaranda dubia super sacris ritibus et caeremoniis exorta? S. R. C. respondit, *negative* 11 jun. 1605.

Cum saepe orientur dubia super authenticitate nonnullorum Decretorum, quae licet in publicis tabulis S. R. C. inscripta reperiantur; at in collatione eorundem decretorum typis edita omissa fuere, quaeritur an talia decreta pro postulantium voto eidem collectioni addi possint? *Affirmative*; S. R. C. 17 sept. 1822.

Quaesitum fuit: 1. quum in declaratione SS. Rituum Congregationis 25 maii 1846 sancitum fuerit decreta et responsiones ab ipsa emanatas, dummodo scripto formiter editae fuerint, eandem auctoritatem habere

*Datum Romae, in sacra Pœnitentiarum, die 27 sept. 1825.* — « Michael Cardinalis de Petro, Major Pœnitentiarum. » *V. Toricelli, Dissertaz.* v, vi.

<sup>1</sup> Explicantur abbreviationes: S. R. C. id est Sacra Rituum Congregatio; S. C. E., id est Sacra Congregatio Episcoporum; S. C. C., id est Sacra Congregatio Concilii; S. C. I., id est Sacra Congregatio Indulgentiarum; C. S. O., id est Congregatio Sancti Officii, quae quidem est supremæ inquisitionis.

ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, an per ea verba dummodo formiter scripta edita fuerint, sufficiat quod sint subscripta a sacra R. C. praefecto et secretario, ac ejusdem sigillo munita; seu potius requiratur, ut sint vel Romae vel ab episcopis in suis diocesisibus promulgatae? — 2. et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam, an tanquam formiter edita habenda sint decreta et responsiones in Gardelliana authentica collectione inserta? S. R. C. in Romana 8 apr. 1854 respondit: ad 1, affirmative ad primam partem, negative ad secundam; ad 2, affirmative.

**787. Absolutio.** — Illud Deinde, quod absolutioni peccatorum immediate praemittitur, recitandum est simul cum ipsa absolutione, veluti ejusdem contextum. S. R. C. in Viglevanensi, 27 febr. anno 1847.

Quaesitum fuit a S. R. C.: « Quum in Rituali R. de absolutionis forma legatur: in Confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest, Misereatur: et satis erit dicere, Dominus N. J. C. usque ad illud: Passio, etc., quaeritur an sit intelligendum exclusive vel inclusive? R. 27 febr. 1847, intelligendum exclusive.

**788. Administratio Sacramentorum.** — a. Tempore paschali in domo infirmi non dicitur *Vidi aquam*, nec oratio *Spiritum*, sed servandum Rituale. S. R. C. 11 febr. anno 1702.

b. Parochus, seclusa Episcopi reservatione, potest dare simplici Sacerdoti licentiam administrandi Sacramenta, excepta Penitentia: neque sine causa prohibendus est ab Episcopo. S. C. E. 20 aug. anno 1602.

c. Pro Sacramentorum administratione nil accipiendum hoc titulo, etiam a sponte dantibus; si offertur sponte pro eleemosyna accipi potest. S. C. C. 1 febr. 1595.

d. Eucharistia omnino servanda est in qualibet Parochiali: si reditus non sufficiant, instituat eleemosynarum collector. S. C. E. 14 martii anno 1614.

An toleranda vel eliminanda consuetudo inveterata. Sacerdotem qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit sacris vestibus Sacrificii indutum et jam praemanibus calicem habentem, ascendere in transitu Altare, in quo adest SS. Eucharistia, ut ibi Communionem distribuat? Et quatenus non sit toleranda, utrum depositis planeta et manipulo in sacristia, accedere possit cum alba et stola? S. R. C. respondit, si adsit necessitas, posse tolerari: 12 martii 1856.

e. S. C. C. post maturam discussionem censuit non posse prohiberi Regularibus habentibus privilegia apostolica, ut a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive, non valeant ministrare saecula-

ribus Communionem in suis Ecclesiis; posse tamen iisdem prohiberi, ut saecularibus die Paschatis illam administrent, etsi dicti saeculares fecissent satis praeepto Paschali: 11 junii 1650<sup>1</sup>.

Prohibetur Regularibus administrare saecularibus Sacramentum Communionis ipso die Paschatis. S. C. E. 10 sept. 1627.

Laici non possunt in die Paschatis de manu Regularium Communionem accipere, etiamsi alia die satisfecerint praeepto. S. C. C. 31 jan. anno 1782<sup>2</sup>.

Curatus non debet dare licentiam generalem, ut quilibet Parochianus in ipso die Paschatis communicare possit in Ecclesiis Regularium. S. C. C. 7 sept. 1615.

f. Quaritur 1. An tempore Missae Sacrificii in administratione Viatici, praesertim in Xenodochiis, liceat ab Altare recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim Psalmum *Miserere*, ut fieri solet extra Missam? 2. Utrum tempore etiam Sacrificii Missae administrari possit Sanctissimum Viaticum in paramentis nigris? 3. Quum occasione mortis alicujus Episcopi praescribat Ceremoniale Episcoporum, quod ipso sepulto, preces pro opportuna electione Deo fundantur, quaeritur utrum haec *Collecta* pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem consecrationis, an electionis tantum? Ad 1: Negative quoad Psalmum *Miserere recitandum. Insuper animadvertendum, quod si Celebrans pro Viatici administratione intra Missam Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere.* — Ad 2: Affirmative. — Ad 3: *Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti.* S. R. C. 19 dec. anno 1829.

g. An in Communione fidelibus ministranda post versiculum *Panem de caelo*, dici omnino debeant ante Orationem alii versiculi *Domine, exaudi*, et *Dominus vobiscum*? R. Affirmative; 24 sept. 1842<sup>3</sup>.

Juxta Rubricas Missalis hostiae pro communionem populi conservandae ponuntur vel super corporale, vel in alio calice seu vase; quaeritur an per illud vas intelligere liceat aliam patenam? Insuper an hostiae con-

<sup>1</sup> V. Benedictus XIV, *De Synodo Dioc.*, l. IX, c. xvi. Hoc cum sit Regularibus concessum ob privilegia apostolica, non militat pro aliis qui regulares non sunt: qui utique prohiberi poterunt, sic judicante Episcopo, ne scilicet in propriis Ecclesiis non parochialibus illis diebus Communionem distribuant.

<sup>2</sup> Sed Roncaglia et Wigandt, in hoc dicunt constantem esse consuetudinem contrariam, quae jurisdictionem praebet (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 240); unde de novo esset urgenda hujusce legis observantia.

<sup>3</sup> Hac de re vid. Gardellini, *Decreta authentica S. R. C.*, t. VI, p. 205, ubi rationem indicat, atque varias opiniones notat, quae ante hanc declarationem obtinebant.

secranda poni possint in alio corporali plicato in parte corporalis superposito, quod tempore oblationis, consecrationis explicetur, ut discooperiantur particulae? S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: *Si nullae sunt particulae consecrandae, satius est eas ponere in pyxide; si paucae, poni possunt in alia patena, nunquam vero in alio corporali complicato.*

Quando Communio administratur monialibus ad fenestrellam clausurae, muri crassitudo impedit quin sacerdos prope os communicantium pyxidem admovere possit; licet ne in hoc casu servare consuetudinem apponendi supra linteum ante communicantes extensam laminam argenteam deauratam seu facile ejusdem materiae ad fragmenta recipienda? S. R. C. 12 aug. 1854 respondit *affirmative.*

An de medio tolli debeat usus inter quasdam moniales inductus, ut ipsae communicatae et puellae earum cura commissae propriis manibus accipiant patenam deauratam ne fragmenta decidant? S. R. C. 17 sept. 1855 respondit: *Permitti posse, dummodo non sit eadem Patena quae Missae inservit, sed tantum communicandis tradatur.*

In Communione Monialium habentium fenestrellam in parte Evangelii, Sacerdos debet descendere, et reverti per gradus anteriores, non vero laterales Altaris. S. R. C. 15 sept. 1756.

h. Non possunt excipi in Ecclesia Confessiones maxime mulierum, durante tempore nocturno, sed expectandum, ut illucescat aurora (adeo ut objecta jam facile discerni possint, ut exponit Cavalieri): et tam pro confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia administranda fidelibus. S. R. C. 25 mart. 1686<sup>4</sup>.

i. Patenae suppositio per Sacerdotem cotta indutum in Communione generali quae per dignitates agitur, licita est. — S. R. C. 5 sept. 1661; et est purificatorio tenenda. Ipse tamen sacerdos administrans communionem sive intra sive extra Missam prohibetur tenere patenam per se ipsum, uti inter digitos manus sinistrae quae sacram pyxidem gestat, mento communicantium illam supponendo. S. R. C. 12 aug. 1854.

j. In administratione Baptismi interrogationes quibus respondere debet patrinus infantis vel catechumenus baptizandus, fieri debentae lingua vulgari, prout Rituale innuere videtur ubi de baptismo adultorum? S. R. C. respondit 12 aug. 1854 *negative.*

k. An in collatione baptismi interrogationes possint fieri vernacule; vel saltem vernacule iterari, postquam latine factae fuerint? S. R. C. respondet 12 sept. 1857, *quoad interrogationes quae baptismi ordi-*

<sup>4</sup> Attamen summo etiam mane, ac sero (ni aliud obstat) exercitia et missiones haberi possunt, ut praxis et necessitas probat, modo luminibus per Ecclesiam tenebrae pellantur.

*nem praecedunt vel sequuntur, ac pro quibus Rituale nullam exhibet formam, affirmative; quoad interrogationes quae in ipsomet baptismi ordine occurrunt, ac pro quibus formulae in Rituali exstant, negative ad utramque partem.*

Super adultum valide baptizatum, si supplendae ceremoniae, adhibentur quae pro Baptismate infantum. Si vero supplendae sint super adultum ab haereticis baptizatum, servandae quae sunt pro Baptismo adultorum. S. R. C. 27 aug. 1856.

In aquam baptismalem infundi debent Olea sacra nondum renovata, si attentis omnibus temporum circumstantiis, difficulter recipi possint Olea noviter consecrata. In casu praedicto Baptisma conferri debet cum aqua recens consecrata, licet in ipsam infusa sint Olea praecedentis anni. Et Aqua sic benedicta in Sabbato sancto, debet reservari usque ad vigiliam Pentecostes, in quo benedicuntur fons cum novis Oleis. S. R. C. 25 sept. 1857.

k. Rochetus non est vestis sacra adhibenda in administratione Sacramentorum; ac proinde tam ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam tonsuram et minores Ordines superpelliceo utendum. S. R. C. in *Cenomanensi*, 10 jan. 1852.

l. Parochus, etiam absente indultario, potest in casu necessitatis celebrare in Oratorio privato, ut Viaticum ministret. S. R. C. 25 sept. 1856.

Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem ut a parcho deferri possit equitando, S. R. C. indulget, de arbitrio et prudentia episcopi; 22 jan. 1740; in *Laudensi*.

Parochus laborante reumate et viaticum infirmis deferenti, solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum, de consensu tamen episcopi. S. R. C. 6 mart. 1655; et 10 jan. 1695.

m. Omnes de Clero inservientes Missae Pontificali feria v in Coena Domini tenentur Communionem recipere de manu Celebrantis. S. R. C. 22 sept. 1857.

n. In Missis defunctorum cum paramentis nigris non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo pyxidem e custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando fidelibus praebetur Communio cum particulis in eadem Missa consecratis. Ita S. R. C. 2 sept. 1741. — Sed alia Decreta habentur, quae etsi semper prohibeant dare Communionem cum paramentis nigris ex particulis praeseconsecratis ante vel post Missam, permittunt tamen si hoc fiat in ipsa Missa: in qua sententia consentit Benedictus XIV, *De sacrificio Missae*. Verum hac de re varia semper fuit Doctorum opinio, et plu-

ries adhuc recursum est ad S. Rituum Congregationem; tres recentiores citamus declarationes.

1. In Veronensi 25 maii 1855: cum diversæ circumferantur opiniones circa communionem fidelium in missis defunctorum, quæritur: an in missa de requiem cum paramentis nigris liceat unquam sacram Synaxim administrare cum particulis præconsecratis? Resp. *Negative juxta decreta in una Congregationis Montis Coronæ 22 jan. 1701; in Ordinis Capucinatorum 22 nov. 1710 et in Aquen. 22 sept. 1741. S. R. C.*

2. In Mutinensi 25 sept. 1837, quæsitum fuit: *Perdurat adhuc in quibusdam Ecclesiis mos communicandi in Missa defunctorum cum particulis præconsecratis, quia Decreta hac de re non censentur a multis authentica aut saltem revocata. Quæritur 1. an idem mos possit permitti, vel saltem ab Episcopo prohibendus, adeo ut solum liceat communicare in dictis Missis cum particulis in ipsis Missis consecratis: 2. an saltem toleranda consuetudo celebrandi prædictas Missas in paramentis violaceis, ad hoc ut possit præberi Communio cum particulis præconsecratis.* — R. *Ad 1. dilata; ad 2. serventur Rubricæ (quæ dicunt generatim Missas de requiem dicendas cum nigro colore<sup>1</sup>). S. R. C.*

3. Ex responsione S. C. I. 11 apr. 1840 sacerdos debet celebrare in paramentis nigris diebus non impeditis ut lucretur indulgentiam altaris privilegiati. Hinc quæritur 1. an niger color sensu exclusivo debeat intelligi, ita ut indulgentiam altaris privilegiati non consequatur qui, v. g., ad ministrandam eucharistiam per modum sacramenti, cum paramentis violaceis missam de Requiem celebret? 2. Utrum qui hæc vel quacumque alia ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat? S. C. I. 16 febr. 1852 respondit: ad 1. *ut fruatur altari, privilegiato sacerdos diebus non impeditis debet celebrare missam defunctorum et uti paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis.* Ad 2, *negative.*

Nequit negari communio fidelibus extra Missam. S. R. C. 7 dec. 1844.

o. In Communione extra Missam decet quod bursa cum corporale

<sup>1</sup> Nullius momenti est eorum opinio, qui in Missis defunctorum prohibitam etiam volunt renovationem aut meram consummationem SS. Sacramenti, imo et aperitionem tabernaculi; cum circa ista nunquam noscatur motam fuisse quæstionem; nec aliquis inveniat in rebus liturgicis vel leviter versatus, qui hoc inficietur. Ita in libro, *Manuale Decretorum*; Romæ, typis Propagandæ, 1855.

deferatur a Sacerdote. S. R. C. 24 sept. 1842. In Communione extra Missam semper adhibenda bursa cum corporale; et Rubrica Ritualis Romani pro hac praxi est præceptiva; neque sufficit palla super Altare posita loco corporalis. Ita S. R. C. 27 febr. 1847.

In Communione fidelium extra Missam Sacerdos antequam populo benedicat, osculari non debet Altare. S. R. C. 15 martii 1853. — An proferens verba: *Benedictio Dei omnipotentis*, etc., debeat elevare et extendere manus eodem ritu ac in fine Missæ? S. R. C. respondit 12 aug. 1854 *affirmative.*

An die magni concursus ad indulgentiam plenariam vel jubilæum possit ministrari Communio aliqua hora ante auroram, et post meridiem? — R. *in casu de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missæ celebrantur vel ad formam Rubricæ vel ad formam Indulti: 7 sept. 1816. S. R. C.*

p. Non est reprobandus Parochus qui defert Viaticum infirmo feria vi in Parasceve, modo private et submissa voce, quinimo submississima voce recitet Psalmos consuetos, per vias publicas, etiamsi dicat *Gloria Patri*; quia in tali circumstantia actio talis nil habet esse cum functionibus Ecclesiæ hujus diei; et considerandum est, quod defert cum stola et pluviali albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiæ functionibus; ideoque si defert privatim non est reprobandus, si populum Benedictione dimittat feria vi Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi: 15 maii 1745 in *Lucana. S. R. C.*

q. An sacramenta Episcopo ægroto ministranda sint ab Archipresbytero uti parochus, an vero a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis? *spectat ad digniorem Capituli Cathedralis. S. R. C. 22 nov. 1681.*

789. **Adoratio.** — In adoratione Crucis feria vi in Parasceve celebrans et ministri debent deponere etiam manipulum. S. R. C. 15 sept. anno 1756.

790. **Altare.** — a. Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco movetur sepulchrum Reliquiarum. S. R. C. 5 martii, anno 1605. — Utrum altaria portatilia consecrationem suam amittant quando fractum est sigillum quod reliquis in sepulchro inclusis apponitur; an tantum quando fractum est sepulchrum? R. *negative nisi fractum sit sepulchrum vel ejus operculum, aut hoc amotum; 5 dec. 1851.*

Celebrari non potest super Altare, a quo furtim (non amota vel fracta mensa) subtractæ fuerunt Reliquiæ a militibus, nisi Altare de novo consecratur. S. R. C. 5 martii 1625.

b. Non indigent nova consecratione Altaria, a quibus alio translati fuerunt Tituli et Imagines, remanente mensa consecrata; cum Altaria

non Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur. *S. R. C. in Brixien.* 7 jul. 1759.

c. Si ab Altari fixo privilegiato rationabili de causa lapis consecratus amoveatur et alius substituatur, altare privilegiatum remanet; quia privilegium altari, non lapidi conceditur. *S. R. C. in Limbury* 15 dec. 1841.

Idem Altare in eadem Ecclesia potest adsignari ut Altare proprium variis sodalitatibus; sed expedit magis, ut unaquæque sodalitas sum habeat altare, ad præcavendas quæstiones: *S. C. I.* 29 maii 1841.

d. Altare portatile cujus sepulchrum, aliis remanentibus consecrationis vestigiis, invenitur sacris Reliquiis vacuum, est denuo consecrandum. Item si deleto tantum Episcopali sigillo super sepulchrum hispica cera impresso, obserata adhuc inveniantur Reliquia, quia non constaret de illarum authenticitate. *S. R. C.* 25 maii 1846.

e. Consuetudo denudandi Altaria post Vesperas a celebrante stola et cotta induto servari potest. *S. R. C.* 14 sept. 1847.

f. Lumina super mensam Altaris vel eidem quomodocumque imminetia non adhibeantur, nisi cerea. *S. R. C.* 5 apr. 1821.

g. An tolerari possit, ut tempore Missæ et Officiorum candelabra altaris ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela permanente vestita; imo ut et ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minori pro cruce Altaris pretiosiore sic oblecta? *S. R. C.* respondit 12 sept. anno 1857 *negative*.

h. An in Ecclesia tantummodo benedicta altare possit consecrari, quin prius ipsa Ecclesia consecratur? *S. R. C.* 12 sept. anno 1857, respondit: *affirmative*.

**Altare privilegiatum.** — An privilegium maneat, non obstante quod Altare sub eadem invocatione de novo ædificatum fuerit in alio quidem loco, sed in eadem Ecclesia? *S. I. C.* 15 sept. 1723 respondit *affirmative*.

An pro Altaris privilegio sufficiat ecclesias, cappellas et oratoria publica esse benedicta, vel necessario debeant esse consecrata? *Sufficit quod sint benedicta:* 17 apr. 1752. *S. C. I.*

An ecclesie, cappellæ, et oratoria publica nondum benedicta capacia sint indulgentiis? An eandem capacitatem habeant cappellæ et oratoria privata? Ad utrumque *affirmative, sed de stylo non concedi.* *S. C. I.* 20 mart. 1747.

Per indulgentiam altaris privilegiati si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est indulgentia plenaria quæ animam statim liberat ab omnibus purgatorii pœnis. Si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia cujus mensura divinæ

misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet. *S. C. I.* 28 jul. 1840.

Sacerdos qui Missam celebrat, v. g. pro defuncto eique applicat indulgentiam plenariam altaris privilegiati, potest etiam eodem die vi communionis in Missa peractæ lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad eam lucrandam præscribatur communio. *S. C. I.* 10 maii 1844.

Qui diebus permissis non celebravit in paramentis nigri coloris in altari privilegiato ad acquirendam indulgentiam plenariam, idque fecit bona fide, ad quid tenetur? *Debet lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis quibus Missæ fructum applicuit toties quoties diebus non impeditis usus non est indumentis nigri coloris.* *S. C. I.* 22 feb. 1847.

An quando requiritur Missa pro indulgentia lucranda, Missa possit offerri pro uno, et indulgentia altaris privilegiati applicari pro altero? *R.* Si indultum dicat *qui Missam pro defuncto in tali altari dixerit, liberat animam, etc.*, tunc sacrificium et indulgentia non possunt divi? sed utrumque pro eo defuncto est applicandum. Pariter si fundator aut stipem erogans imponat onus celebrandi in altari privilegiato; per impositionem talis oneris censetur etiam voluisse applicationem indulgentiæ. Si autem in indulto omissum fuerit, etc., *pro defuncto;* sed tantum datum ordinario modo pro altaribus privilegiatis, tunc dividi potest indulgentia, scilicet offerri sacrificium pro uno et applicari indulgentia pro altero; est cum sacerdos onus habet celebrandi, sed non in altari privilegiato. Verum de indulgentia nequit stipem percipere, quod simoniacum esset. *S. C. I.* 31 jan. 1848 ex doctissimo Cavallieri.

Sacerdos accepto stipendio pro celebrando in altari privilegiato, si habeat privilegium personale altaris privilegiati, potest hac ratione celebrare etiam in altari per se non privilegiato. *S. C. I.* 16 feb. 1852.

Une messe célébrée à un autel privilégié est privilégiée aussi quand même ni celui qui offre l'aumône ni le prêtre n'ont l'intention d'appliquer le privilège. *S. C. I.* 12 mart. 1855.

**791. Anniversaria.** — a. An anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, si contingant transferri ultra aliquas octavas privilegiatas, gaudeant adhuc ut possint celebrari in duplici majori? *Negative:* *S. R. C.* 5 dec. 1701.

b. Anniversaria quæ celebrantur a Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, etc., pro omnibus in genere canonicis, confratribus, etc., defunctis, possuntne celebrari, si in illis diebus occurrat festum duplex? *Negative juxta decreta præsertim in Corduben.* 5 dec. 1735; *S. R. C.* 12 nov. anno 1831.



Anniversarium regis, principis nequit celebrari iis diebus quibus non licent Missæ de requiem, S. R. C. 20 nov. 1677.

c. An in anniversario translato ob festum de præcepto variari debeat Oratio, in qua vitatur veritas verborum, seu potius omittere sufficiat illa verba: *Cujus anniversarium depositionis diem commemoramus?* — R. recitandam orationem prout in Missali. S. R. C. 4 maii 1686 (V. alia decreta V. Missa, *Officium defuncti*).

In festo anniversario dedicationis propriæ ecclesiæ potest celebrari Missa de requiem cum cantu, præsentem cadavere. S. R. C. 9 apr. 1808; 7 maii 1855.

1. Quam a testatore legatur anniversarium vel anniversarium solemne per hoc *Anniversarii vel Anniversarii solemnis* intelligendum sit onus missæ solemnis dumtaxat; an officium etiam defunctorum cum tribus Nocturnis et Laudibus si per testamentum expressum non habentur; 2. utrum quando a testatore simpliciter legatur Officium, intelligendum sit totum officium defunctorum, id est Vesperas et tria Nocturna cum Laudibus, an potius unum dumtaxat Nocturnum conveniens diei, in quem incidit anniversarium una pariter cum Laudibus? S. R. C. 21 jul. 1855 respondit: ad 1. *affirmative ad primam partem; negative ad secundam.* Ad 2. *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

1. An anniversaria pro defunctis ad instantiam vivorum, si cadant in diem impeditam transferri possint? 2. quatenus negative, an dies anniversaria computari possint a die dispositionis, si ab obitu sit impedita? 3. an anniversarium computari debeat a die ipsa obitus vel a sequenti, si mors sequatur post occasum solis vel ante mediam noctem? S. R. C. 4 jul. 1855 respondit: ad 1. *transferri debere ad diem non impeditum festo duplici.* Ad 2. *negative juxta decretum in Curiens.* 16 jun. 1700. Ad 3. *posse computari a die ipsa obitus, vel a sequenti juxta diversam ecclesiarum consuetudinem.*

d. Anniversaria adimplenda non sunt infra octavas privilegiatas. S. R. C. 2 sept. 1741.

**792. Aqua lustralis.** — In ultimo majoris Hebdomadæ triduo removendane est a vasis Ecclesiæ aqua benedicta? *Affirmative, et retinenda consuetudo illam amovendi.* S. R. C. Marsorum; 12 nov. 1851. — Addit Collectio Gardelliana; hæc aquæ remotio conformis aliquo modo est mysteriis quæ Ecclesia his diebus in fidelium mentes revocat. Attamen aqua benedicta, in alio loco præterquam in vasis seu aquarii per Ecclesiam, asservanda est pro incensu et ignis benedictione quæ fit hisce diebus; item ad aspergendum infirmum, cui SS. Viaticum et Extrema Unctio hoc triduo ministretur; item ad aspergenda defunctorum cadavera.

**793. Benedictio.** — a. Quand on présente à bénir un objet pour lequel il n'existe point dans le Rituel romain de bénédiction particulière, peut-on se servir de la formule qui se trouve au supplément du Rituel: *Deus cujus verbo sanctificantur omnia?* S. C. R. respondit: *negative*; anno 1851.

b. Ad benedictionem fontis in Oratione et Præfatione manus teneantur junctæ. S. R. C. 25 sept. 1806.

Benedictio fontis faciendæ est etiam in vigilia Pentecostes, et quævis contraria consuetudo declaratur abusus. S. R. C. 7 dec. 1844. — Consuetudo benedicendi aquam baptismalem extra vas baptisterii, retineri potest, modo antequam ponatur Chrisma, mittatur aqua in suum fontem. S. R. C. 7 apr. 1852.

c. Sacra Pyxis in benedictione quæ cum ipsa datur, debet cooperiri extremitatibus veli humeralis. S. R. C. 25 febr. 1859.

In benedictione cum S. Pyxide potest omitti thurificatio, et est conformior Ecclesiæ praxi: non tamen cum impertitur benedictio cum Ostensorio. S. R. C. 11 sept. 1847. Utrum autem thuriferarius eo ipso tempore quo datur benedictio, debeat vel non incensare Sacramentum, servari potest utrumque. S. R. C. 16 martii 1647.

d. Benedictiones mulierum post partum (et fontis Baptismalis) fieri debent a Parochis. S. R. C. 10 dec. 1700. — Ad benedictionem post partum jus tantummodo habent mulieres quæ ex legitimo matrimonio pepererunt. S. R. C. 18 jun. 1859<sup>1</sup>. — Quid si proles mortua sit sine baptismo? estne mutanda Oratio Ritualis, cum tunc mulieri benedicendæ non conveniat? S. R. C. 12 sept. 1857 respondit: *Servandum omnino Rituale Romanum.*

e. In Rituali benedictio novæ crucis ponitur inter reservatas ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendas. Decreto autem 12 jul. 1704 ad 2 declaratur, *crucis altarium et processionum quæ non sunt benedictæ de præcepto, posse benedici privatim a simplici sacerdote*: queritur ergo, quid intelligendum sit per novas crucis

<sup>1</sup> Commendandæ mulieres christianæ, quæ post partum sive ex reverentia erga Ecclesiam ac divina mysteria, quæ in ipsa peraguntur, sive exemplo B. V. quæ ex humilitate legi purificationis se subiecit, cum non esset obnoxia, sive ad gratias Deo agendas pro incolunitate, ad tempus aliquod ab Ecclesiæ ingressu se abstinēt, nec in eam intrant, nisi a Parocho petita benedictione. — F. Innocentius III, *Epist. relata in C. unico de Purific.*, p. part. I. III, *Decret.*, t. XLVII. — S. Carolus, *Concil. Prov.*, I, p. 2. Laudabilis hæc consuetudo perantiqua est: imo ab ipsa veteri lege ipsam oriri satis patet ex c. XII *Levitici*. Sed tunc erat in præcepto; hodie autem in laudabili usu. V. Catalanus, *Rituale Romanum Comment. exoriatum*. — Barrasaldus, *Ad Rituale Romanum Commentarium*.

quarum benedictio est episcopis reservata? An simplex presbyter possit benedicere cruces usui privato, v. g., ut ponantur in domibus fidelium, destinatas, et in hoc casu adhibere formulam benedictionis novæ crucis a Rituali traditam? S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: quoad primam partem, intelligendas cruces cœmeteriorum aliasque publice exponendas. Ad secundam partem, affirmative. — Cruces altarium seu processionum non sunt benedicendæ de præcepto (ideo episcopo non reservatur). S. R. C. 12 jul. 1704 ad 1.

An in benedictionibus pro quibus Rituale non dat formulam, v. g., in benedictionibus seminum terræ mandandorum, efformando signum Crucis super rem benedicendam expediat dicere: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen?* atque adhiberi debeat cereus accensus, et res aspergenda sit aqua benedicta? S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: *Producendum signum crucis super re benedicenda cum formula: In nomine Patris, etc.; deinde rem ipsam absque cereo cum aqua benedicta aspergendam.*

f. Utrum liber, Collectio sive apparatus absolutionum, benedictionum, conjurationum, etc., auctore Bernardo Sannig, sit prohibitus vigore decreti seu regulæ Indicis? Et quid de aliis libris benedictionum habentibus quidem aliquam approbationem, sed non illam istius Congregationis? *Illi soli libri adhibendi et in illis tantum benedictionibus quæ Rituali Romano sunt conformes.* Ita S. R. C. 7 apr. 1832.

g. Benedictio cum SS. Sacramento non est danda in janua, non obstante consuetudine. S. R. C. 9 julii, anno 1687<sup>1</sup>.

Dum datur Benedictio cum SS. Sacramento, Celebrans nihil dicere debet, nihilque vocibus modulari a cantoribus ad præscriptum Ritualis et Cærimonialis, non obstante quacumque contraria consuetudine. S. R. C. die 9 febr. anno 1662.

In benedictione Sanctissimi Sacramenti ante orationem dici non debet *Dominus vobiscum.* S. R. C. die 15 jan. anno 1665.

h. An Benedictio in articulo mortis impertienda pueris, qui defectu ætatis primam Communionem nondum susceperunt? S. R. C. *Affirmative*; 16 dec. 1826.

i. En formula benedictionis viæ ferreæ et curruum a S. R. C. approbata:

ŷ. *Adjutorium nostrum in nomine Domini. — R. Qui fecit cælum et terram.*

ŷ. *Dominus vobiscum. — R. Et cum spiritu tuo.*

<sup>1</sup> Si aliquod Festum contingat feria IV majoris hebdomadæ, potest dari Benedictio cum Sanctissimo, ante Completorium tamen; non autem postea, quia postea jam inceptum est Officium tenebrarum.

Oremus. *Omnipotens sempiternæ Deus, qui omnia elementa ad tuam gloriam, utilitatemque hominum condidisti; dignare quesumus hanc viam ferream ejusque instrumenta bene dicere, et benigna semper tua providentia tueri; et dum famulî tui velociter properant in via, in lege tua ambulantes, et viam mandatorum tuorum currentes, ad cœlestem patriam feliciter pervenire voleant. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.*

Oremus. *Propitiare Domine Deus supplicationibus nostris, et bene dic currus istos dextera tua sancta; adjuge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes qui in eis vehentur, liberent et custodiant semper a periculis universis; et quemadmodum viro Æthiopi super currum suum sedenti et sacra eloquia legenti, per Apostolum tuum fidem et gratiam contulisti; ita famulis tuis viam salutis ostende, qui tua gratia adjuti bonisque operibus jugiter intenti post omnes viæ et vitæ hujus varietates æterna gaudia consequi mercantur. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen. — Deinde Sacerdos aspergat viam et currus aqua benedicta.*

**Benedictio in articulo mortis.** — 1. Benedictio in articulo mortis cum applicatione indulgentiæ plenariæ potestne, si sit periculum in mora, concedi tum valide tum licite iis qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo sacramentis relecti vel penitentiæ vel eucharistiæ vel extremæ unctionis, vel nullo eorum, subitoque vergunt in interitum? 2. Benedictio supradicta potestne bis aut amplius in eodem morbo qui insperate protrahitur, impertiri, etiamsi non convaluerit ægrotus? 3. Invocatio saltem mentalis de qua fit mentio in Brevibus ad episcopos de hac benedictione missis, præscribitur, quamdiu ægrotus suæ mentis est compos, ut conditio sine qua non, ad indulgentiam lucrandam? 4. Episcopus ad dictam benedictionem delegatus cum facultate subdelegandi, primo debetne paucos subdelegare sacerdotes ut magis sit illius desiderium et reverentia; secundo potestne omnes suæ diocesis subdelegare confessarios, ut nemo tanta privetur gratia; tertio potestne subdelegare omnes directe et speciatim parochos sive plurimos sacerdotes in dignitate constitutos, et indirecte et confuse omnes confessarios hisce verbis: *Dilecto nobis in Christo, etc., te delegimus et elegimus et deputamus quatenus valeas, etc.; insuper quemcumque confessarium a te ad tui libitum semel vel pluries et quandocumque opus fuerit, eligendum, pariter eligimus et deputamus, etc.,* hic subdelegandi modus est validus?

S. C. I. respondit ad 1. affirmative ad formam Bullæ Benedicti XIV; ad 2. semel in eodem statu morbi, etsi diuturno; ad 3. affirmative; ad 4. affirmative ad primam partem; negative ad secundam; affirmative ad tertiam quoad parochos speciatim ruri

degentes. Ita 20 sept. 1775; iterum 24 sept. 1858; et 12 mart. 1855.

« On a demandé : 1° si les prêtres qui ont reçu de Rome les pouvoirs par exemple pour l'autel privilégié, pour ériger un certain nombre de chemins de croix, pour indulgencier des croix, chapelets et médailles, ont le droit d'en faire usage sans le visa de l'ordinaire; 2° Quelques curés, en appliquant l'indulgence *in articulo mortis*, ne font pas réciter le *Confiteor*, sous prétexte qu'il a déjà été dit pour le Saint-Viatique ou l'Extrême-Onction, peuvent-ils agir ainsi? 3° Quand on donne en même temps aux malades les deux sacrements et l'indulgence, faut-il dire trois fois le *Confiteor*? 4° Un malade peut-il recevoir l'indulgence *in articulo mortis* de plusieurs prêtres qui ont le pouvoir de la donner? 5° Si en donnant cette indulgence un prêtre (n'ayant pas de livre) manquait d'employer la formule prescrite par le Pape, l'indulgence serait-elle valide? » — S. C. I. 5 febr. 1841, répondit ad 1, *negative* quoad erectionem Viæ crucis: *affirmative* relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in concessione. Ad 2, *negative* juxta praxim et rubricas, nisi necessitas urgeat. Ad 3, *affirmative* secundum praxim et Rubricas. Ad 4, *negative* in eodem articulo mortis; ad 5 *negative*, quia formula non est tantum directiva, sed præceptiva<sup>1</sup>.

**794. Bona Ecclesiastica.** — a. « N. N. Confessarius Diœcesis Mediolanensis videns viros pios æque ac doctos in diversam abire sententiam circa licitam retentionem Bonorum ecclesiasticorum, quæ sub fine præteriti sæculi ac sub initio præsentis a Gubernio laico usurpata fuerunt ac postmodum alienata (sunt enim qui docent, exceptis iis bonis quæ a gubernio laico post Concordatum italicum occupata fuere, cetera posse tuta conscientia retineri; et sunt qui varias afferunt di-

<sup>1</sup> Cum in nostra sententia, quæ etiam communis est, fructus Indulgentiæ in articulo mortis non obtineatur, nisi casu quo mors sequatur, ideo putamus benedictionem Papalem rite collatam inutiliter repeti: eodem durante morbo: — 2. si infirmus non erat in gratia, cum ei benedictio Papalis tributa est, erit repetenda, ut habeat suum effectum. Item repetenda videtur, saltem ad majorem securitatem, si infirmus eam receperit in gratia, sed postea lapsus sit in mortale: verum id caute fiat, ne adstantes si qui sunt, videntes illam renovari, de peccato infirmi suspicentur; — 3. si infirmus ob distantiam frequenter visitari nequit, usus est ut statim post Extremam Uctionem Papali benedictione muniatur. Secluso hoc casu, melius est, si expectetur donec infirmus sit morti proximior, ut sic periculum non incurrat fructum Indulgentiæ suspensum amittendi. Non tamen expectanda est agonia vel delirium; si enim adhuc est integer sensibus, poterit suis actibus infirmus efficacius beneficio illo frui. *Bouvier, Traité des Indulgences* ubi plura ad rem.

stinctiones: adeo ut alii omnem hujusmodi acquisitionem illegitimam, nec adhuc in ullo Concordato sancitam tradant): humiliter quaerit, *utrum possint tuta conscientia retineri*: 1. *Bona ecclesiastica quæ a Gubernio laico in Longobardia usurpata fuere et alienata, ante primam Gallorum invasionem factam anno 1796*; 2. *Bona ecclesiastica, quæ antedictam invasionem occupata quidem, sed nondum alienata, in potestatem Gubernii Gallici devenerunt, ac deinde alienata ante vel post Concordatum italicum*; 3. *Bona ecclesiastica, quæ a Gubernio gallico ante italicum Concordatum anni 1805 usurpata fuere, ac deinceps ante vel post ipsum Concordatum alienata*; 4. *Bona ecclesiastica post ipsum italicum Concordatum de novo usurpata?*

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, Oratori respondet: *Alienationes bonorum Ecclesiasticorum in ditone vulgo Regno italico a Gallico Gubernio factas, Apostolica postmodum Auctoritate sanatas fuisse; ac propterea ipsa sacra Pœnitentiaria declarat licere iis, qui bona eadem acquisiverint (modo illarum alienatio fuerit omnino consentanea legibus, quæ obtinebant, quo tempore alienatio ipsa perfecta est), tanquam propria et in suum dominium ac potestatem translata habere, deque iis libere disponere. Verum sacra eadem Pœnitentiaria ipsos hujusmodi Bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet ut, pro ea pietate ac Religione qua catholicum quemque flagrare decet, pia onera, si quæ Bonis illis inhærebant, adimplere non negligant. In reliquis autem recurrendum est in casibus particularibus. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, die 7 julii 1845.*

b. « In rescriptis S. Pœnitentiariæ, quæ referuntur ad bona Ecclesiastica, vertente sæculo XVIII et ineunte sæculo XIX, a Gubernio laico in alta Italia usurpata, mentio plerumque fit cujusdam sanationis, quæ Apostolica auctoritate facta est circa illegitimam eorumdem possessionem. Ad dirimendas controversias de facili enascentes quaeritur: 1. *quo præciso tempore sanatio hæc a Sede Apostolica benigne concessa sit? utrum unica tantum sanatio interfuerit (ea scilicet, quæ in Concordato cum Republica Cisalpina exstat); an aliqua posterior sub regno Italico?* 2. *utrum ea sanatio sese extendat tantum ad bona, quæ tunc temporis jam divendita privatis fuerant; an etiam ad ea bona, quæ occupata quidem tunc temporis jam erant, sed postea sunt divendita, vel forte modo et in posterum dividentur?* 3. *utrum hæc sanatio referatur etiam ad bona Ecclesiastica ante invasionem Gallorum usurpata et alienata?*

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, Venerabili in Christo Patri Episc. Mantuæ respondet: *Alienationes bonorum Ecclesiæ in*

ditione vulgo Regno Italico, a Gallico gubernio factas ante Concordatum, 16 sept. 1805, Apostolica postmodum auctoritate sanatas fuisse; ac propterea S. Pœnitentiaria, declarat licere iis, qui bona eadem acquisiverint, modo illorum alienatio fuerit omnino consentanea legibus, quæ obtinebant quo tempore alienatio ipsa perfecta est, tanquam propriam et in suum dominium ac potestatem translata retinere, deque iis libere disponere. Verum eadem S. Pœnitentiaria ipsos huiusmodi Bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet, ut, pro ea pietate ac Religione, qua catholicum quemque flagrare decet, pia onera si quæ Bonis illis inhærebant, adimplere non negligant. In reliquis autem recurrat in casibus particularibus indicando tempus et modum venditionis et acquisitionis, necnon valorem Bonorum, de quibus agitur, et pia onera ex testatorum dispositionibus iisdem bonis inhærentia: 17 juli 1847.

c. Anno 1848 20 mart. respondit S. Pœnitentiaria episcopo Bouvier: « S. Pœnitentiaria de expressa apostolica auctoritate consulenti oratori declarat bona ecclesiastica a gubernio gallico occupata ante conventionem initam anno 1801 inter S. Sedem et Gubernium gallicum, in plena acquirentium proprietate esse adeo ut ea retinere, iis gaudere atque alienare etiam illa tuto ac libere possint, in foro tum interno tum externo, dummodo tamen acquisitio facta fuerit secundum leges tunc vigentes. Hortatur tamen acquirentes istos, ut pro sua pietate ac religione satisfacere velint piis missarum, eleemosynarum aliarumque rerum similium oneribus, quæ bonis illis olim infixæ erant. Sin autem bona ista ecclesiastica occupata fuerint post prædictam Conventionem, declarat eadem S. Pœnitentiaria acquirentes, si ad S. Sedem pro conscientia suæ remedio recurrent, eorumdem bonorum retinendorum facultatem non obtenturos, nisi conditionibus istis: — 1. ut ea retineant ad nutum Ecclesiæ; 2. ut satisfaciant piis oneribus quæ iisdem bonis fortasse infixæ sint; 3. tandem ut hæredes suos moneant de hisce ipsis obligationibus. » (V. *Analecta juris pontificii*, Romæ: anno 1860, pag. 121.)

d. *Alia responsio*: « B. P. Titius diæcesis Cameracensis devote exponit quod via hæreditatis acquisivit et actu possidet bona immobilia non ad ecclesiam, sed pauperes ante tempus perturbationis gallicanæ pertinentia, sed quæ a gubernio gallicano tempore præfate perturbationis occupata et ab eodem gubernio juxta leges existentes alienata fuere. Nunc pro suæ conscientia quiete quarit ad quid tenetur: 1. in hypothesis quod præfata bona fuerint alienata ante Concordatum 1801; 2. in hypothesis quod fuerint alienata post Concordatum illud. — S. Pœnitentiaria 2. jan. 1858 respondit: *Ad 1 declarando licere*

ipsi bona de quibus in precibus, dummodo ante Concordatum anni 1801 occupata fuerint et illorum alienatio omnino consentanea fuerit legibus civilibus quæ obtinebant quo tempore alienatio ipsa perfecta est, tanquam propria et in suum dominium et potestatem translata, retinere deque iis libere disponere. Verum S. Pœnitentiaria eundem præfatum oratorem vehementer obsecrat, ut pro ea pietate ac religione qua catholicum hominem flagrare decet, pia onera, si qua bonis illis inhærebant, implere non negligat. Ad 2, quatenus vero bona præfata occupata fuerint post idem Concordatum, concedit quidem possessori eorumdem ut bona ipsa de quibus agitur, retinere possit, his adjectis conditionibus: ut paratus sit mandatis Sedis Apostolicæ super his bonis omnino parere; et impleat onera si qua bonis illis inhærebant, atque de his obligationibus moneat hæredes ad quos bona illa perveniunt.

e. Ceterum ut hæc gravissima quæstio (de qua agunt Bouvier, De contractibus, p. 2, c. II; Talento, De just. et jure, p. 1, c. II; Lyonnet, De justitia, c. ult.; Affre, De l'administration temporelle des paroisses; sed fusius Carriere, De just. et jure, n. 128, etc.) rite intelligatur, et inde practica deducantur consecratæ, quædam prænotanda. Famosa Constitutione 22 aug. 1795, tit. XIV, art. 354 gallicana ecclesia suis bonis sacrilege spoliata fuit et hæc bona magna ex parte fuerunt privatis vendita. Pius VII ex illo ingenti quo exardesceret desiderio Gallie ad unitatem S. Sedis revocandæ, Concordatum iniit cum gubernio gallicano 15 jul. 1801, confirmatum per Bullam Ecclesiæ Christi, 18 kal. sept. 1801, et in Gallia per cardinalem legatum notificatum 9 apr. 1802. In eo porro de plenitudine potestatis Pontifex art. XIII declarat pro bono pacis, eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a se, neque a romanis Pontificibus successoribus suis; ac consequenter proprietates eorum bonorum, reditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.

Sed post annum 1802 gallicana respublica Italiam ex parte occupavit, ejusque ecclesiastica bona usurpavit etiam privatis ea vendendo. Sed iterum Pius VII pro bono pacis ac conscientiarum tranquillitate, nova iniit conventionem 16 sept. 1805, extendit ad hanc quoque bonorum alienationem articulum XIII Concordati anni 1801 (V. Cappelletti, *Storia del cristianesimo dal 1720 al 1846*). — Quid tamen? Napoleo fidem non tenuit; sed post annum 1805 ceteras Italiae provincias ac regna iniquiter occupando, Ecclesiæ bona sacrilegus usurpavit, vendidit, distraxit. Verum, usurpatore tandem, favente celo, ejecto, ac reddita omnibus pace, legitimi Principes in eo toti fuerunt, ut conventiones iniirent cum S. Sede, quibus omnium Ecclesiæ bonorum

alienationes rite sanarentur. Sic, v. g., pro Belgio (ad quod jam extendatur Concordatum an. 1801) habetur etiam Breve *Epistolam* Gregorii XVI, 16 sept. 1835, ubi primum illud Concordatum seu conventio ampliatur ad alia quælibet ex occupatis ut supra bonis, quæ sive post conventionem illam alienata a gubernio sint, sive adhuc apud gubernium ipsum remaneant. Quæ ampliatio ideo forte necessaria fuit, eo quod non pauca ex illis bonis quæ in Belgio erant reposita, occupata fuissent post conventionem. Pro Regno utriusque Siciliae habetur Conventio, *In supremo* 7 mart. 1819; et sic de ceteris. Quoad Sardiniam tandem Ditionem habemus pro Nicænsi Comitatu et Ducatu Sabaudia tunc Gallia unitis Concordatum 1801; pro Pedemontio et Genuensi Ducatu Breve *Datis ad nos* 20 dec. 1816; tandem pro toto Sardinia Regno Bulla *Gravissimæ* Leonis XII, 14 maii 1828.

f. Ex hisce omnibus plura deducuntur: — 1. supradictæ sanationes non complectuntur bona quæ non fuerunt a gubernio tunc occupata; sed ejus manus effugerunt, quia vel apud privatos, v. g., eorum bonorum conductores, remanserunt; vel a privatis eorum tantum vi usurpata fuerunt. Non ea certe condonavit Pontifex; et ideo vel pro illis recurrendum ad S. Sedem, vel tribuenda Ecclesie cum suis fructibus; — 2. prædictæ condonationes non complectuntur neque bona quæ fuerunt a gubernio occupata post initas Conventiones cum S. Sede, ut patet; neque bona, quæ in initis Conventionibus expresse gubernium promisit tradere Ecclesie, si postea tradita non fuerint; cum hoc ideo cognita sint esse de Ecclesie jure; — 3. supra inita Concordata respiciunt bona, quorum alienatio tunc consummata fuerat, adeo ut omnium Ecclesie honorum uti confraternitatum, monasteriorum, beneficiorum, legatorum, etc., quæ tempore publicæ perturbationis a Gubernio sacrilege usurpata sunt, et invalide alienata (ad quascumque tandem manus ea Ecclesiastica bona devenerint), summi Pontifices de plenitudine potestatis venditionem confirmaverint etiam pro foro interno ad bonum pacis ac fidelium tranquillitatem; modo tamen illorum acquisitio facta sit juxta leges tunc vigentes. Quod vero pertinet ad onera ipsis bonis adnexa, utrum teneantur acquirentes ad ea adimplenda, distinguendum est; nam hæc onera triplicis generis. Vel respiciunt onera spiritualia, v. g. fundationes Missarum, eleemosynarum elargitiones; et quoad hæc bonorum possessores ex S. Penitentiaria tantum sunt hortandi. Vel respiciunt onera temporalia erga Ecclesiam, v. g., census alicui ecclesie vel religiose communitati debitas; et quoad hæc, Pontifex bona condonando censetur etiam condonasse talia onera, quæ erant veluti illorum pars aut saltem accessorium, et sic pluries eadem Penitentiaria respondit. Vel respiciunt onera temporalia erga privatos, et tunc pontifex nec potuit nec voluit

sancire spoliationem jurium, quæ tertiis competere poterant; et sic oraliter respondisse fertur Pius VII; — 4. advertendum est, hanc Pontificis convalidationem eos qui jam ea bona usurparunt, non liberasse ab ecclesiastica censura. Unde adhuc erant absolvendi; attamen Leo XII Bulla *Gravissimæ* pro Regno Pedemontano omnes sive laicos, sive Ecclesiasticos absolvit a quibuscumque censuris et penis, atque etiam ab irregularitate exinde forsitan ab Ecclesiasticis viris incursa hac de causa.

g. Tota quæstio est de bonis, quæ tempore initarum Conventionum erant adhuc penes gubernium, et post illas fuerunt alienata; dubitatur an ea fideles potuerint licite et valide emere, cum Concordata supradicta non sanent nisi venditiones jam tunc consummatas? Sunt qui negant attento sensu obvio verborum, quia in illis Conventionibus semper agitur de iis qui ea bona jam acquisierunt. Attamen hodie alii certant pro validitate; et certo nimis clara sunt verba Pii VII in suo Brevis 20 oct. 1821 ad episcopum Pictaviensem, ubi respondit hac de re interrogatus: *Omnem dubitationem tollunt nostra quæ pluribus de eo argumento consultationibus dedimus responsa: declaratum enim fuit haud semel ut ex iis bonis quæ a gubernio quod tunc dominabatur occupata fuerunt ante memoratam conventionem atque post eam sint vendita, ad legum præscripta, quæ per id temporis obtinuerunt, possint emptores eadem tamquam propria et in suum jus ac potestatem translata retinere, ac de iis libere disponere. Hortantur vero iidem ac vehementer rogantur ut pro ea pietate ac religione, qua catholicum hominem flagrare decet, pia onera si quæ bonis illis inhærent, implere non negligant.* Nil sane expressius, illam cessionem S. Pontificis respexisse etiam bona quæ a gubernio antea fuerunt occupata, licet nondum alienata, adeo ut potuerit et possit gubernium ea retinere vel privatis vendere, concludunt Legerot, Bouvier et Lyonnet. Unde si quando de his bonis fiat ad S. Sedem recursus, id est potius vel ad majorem timoratorum cautelam, vel ad sanandum si quid in iis occupationibus desit, vel ut novis surgentibus difficultatibus in ministrorum dotatione, in cultus restoratione, etc., fiat finis. — Quod maxime valet pro Regno Pedemontano, ex Bulla *Gravissimæ*, ubi omnia confirmata, ordinata ac definita fuerunt quæ materiam hanc spectant: *Præterea quoque* (ait Pontifex) *omissiones tum missarum tum aliorum piorum operum quibus obnoxia erant ecclesiastica bona sive ab Œconomatu sive a publico Erario administrata ac retenta, sive ab alterutro tanquam ab omni onere libera et immunita jam dimissa vel dimittenda apostolicæ potestatis plenitudine remittimus et condonamus, suppletentes hujusmodi defectus de thesauro Ecclesie. Ut vero in posterum aliquo*

pacto hisce missarum oneribus satisfiat, propositum biscentarum Cappellaniarum erectionem et designatam earundem Cappellaniarum divisionem quarum quælibet annuo ter centum librarum redditu et quinquaginta missarum onere consistat, probamus et commendamus. Earundem vero Cappellaniarum numerus augetur his adhibitis mediis quæ indicantur; atque singulæ ex Cappellaniæ pauperibus ad sacros Ordines promovendis clericis ab episcopis libere conferendæ erunt, etc.

**795. Breviaria, Missalia, Horæ Diurnæ.** — NOVARIEN. Emin. et Reverend. Domine Observantissime.

a. Sacrorum Rituum Congregationi supplex exhibitus fuit Libellus pro parte Sacerdotis Joseph De Vecchi Cæremoniarii istius Cathedralis Novariensis et Rectoris Kalendarii Diocesis, qui advertens ab anno 1788 ad hanc usque diem *Breviaria, Horas Diurnas, Missalia, Officia parva Beatæ Mariæ Virginis, Officia Hebdomadæ majoris* quæ denuo prælo mandantur, non continere Ordinarium attestations, quæ declaratur, hæc exemplaria concordare cum his, quæ hic Romæ sunt impressa ad tramites Bullarum sancti Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, quæ in fronte Breviarii Romani reperiuntur, postulabat declarari, utrum etiam nunc servari debeant recensite Constitutiones Pontificiæ. Et an transgressores pœnas inibi inflictas incurrant, præsertim ex eo, quod in præsentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria præ oculis in cusionem habeantur, eo vel magis, quod maxime torquerentur conscientiæ tum eorum, qui lucrum ex venditione librorum liturgicorum percipiunt; tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce attestationsibus muniti: proptereaque cupiebat demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum librorum usum sibi permittere valeret.

Sacra vero Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum die inferius posita coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis accuratèque consideratis, Eminentie Vestre scribendum esse censuit ac declarari: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere; et ab usum non esse tolerandum.* Hæc ejusdem sacre Congregationis mandata, libentissimo animo dum exequor, Eminentie Vestre manus humillime deosculor. Romæ 7 apr. 1852. — Eminent. Morozzo Episcopo Novariensi.

*Decretum Generale.* Hujusmodi declarationi minimè acquiescentes qui primitus supplicarunt, et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum; iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, quin inflicta pœnas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera Ordinaria Congregatione ad Vaticanum

pariter sub die 16 martii 1855 coacta Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis præpositi satius duxerunt super re judicium differre. — Coadunata demum apud Vaticanas *Edes* juxta morem eadem SS. Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque jam tertio audita relatione a me infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum et decernendum censuit: *Detur Generale Decretum juxta Mentem.* Mens est, ut Ordinarii locorum pro suo munere invigilent ut denuo non cudantur supradicti Liturgici libri sine attestations a Pontificiis Constitutionibus præscripta, et quoad illos qui hujusmodi attestations destituuntur et ab anno præsertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod Exemplar ex supradictis examini probatæ personæ ecclesiasticæ subjiciant, quæ illud conferat cum iis, qui in urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis Contedini ac Missali anno 1825 prælo de Romanis cusi, in quibus nonnulla menda irrepererunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum prædictis inveniantur suo Clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia, etc., illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. *Atque ita declaravit et servari mandavit,* die 26 apr. 1854 (Gardell. n. 4581 et 4544).

« En France, par un abus immémorial, les fidèles ont des traductions en langue vulgaire non-seulement de la Sainte Écriture et spécialement du Nouveau Testament, mais ils ont encore les Messes et l'Office entier en latin et en français, même l'Ordinaire de la Messe; on ne se préoccupe guère, avant d'imprimer ces livres, de se munir de l'approbation épiscopale, et aujourd'hui il n'y a peut-être pas en France un Rituel romain, ou une Bible, qui soit revêtu de l'approbation canonique exigée par le Concile de Trente. On demande, les choses étant ainsi, ce qu'il faut tolérer en cela, et ce qu'il faut réformer? » S. R. C. respondit 1851, spectare ad Episcopum (ut nempe provideat juxta Ecclesiam mentem. *Armonia*, n. 72 et 86, anno 1851).

e. In Brixisiensi 27 febr. 1847 quæsitum fuit: 1. an Breviariis Missalibus, etc., memoratis in Decreto an. 1854, debita attestations destitutis, uti quis possit sine peccato et incurrendæ excommunicationis periculo? 2. in casu negativo an excusentur saltem ii de Clero, qui iis libris utuntur, quia approbatis conformes eos arbitrentur, vel quia communiter adhibentur quocumque secluso metu: 3. an idem dicendum de Missalibus *de requiem*? — Responsum fuit: *Episcopo Brixienti, ut ad tramites Decreti exarati 26 apr. 1854 omnino provideat.*

**798. Canonicus.** — a. Canonicus episcopus titularis absteineat a celebratione missarum et vesperarum de turno et subroget alium. In solemnioribus festis vero de licentia Ordinarii celebrans uti debet fal-

distorio et indumentis pontificalibus. Est thurificandus post canonicos throno assistentes; pacem recipit primus a ministro parato qui illum choro distribuit. Præcedit omnes etiam in canonicatu antiquiores et dignitates, idque ubique et in choro et extra. *S. R. C.* 10 apr. 1728; 10 feb. 1735; 1 dec. 1657.

Episcopus suffraganeus titularis et simul canonicus tenetur interesse choro in habitu episcopali, non vero canonicali, eodemque habitu ingreditur Capitulum. *S. R. C.* 24 nov. 1705.

b. An teneantur Canonici Cappam deponere tam intra quam extra Cathedralē, dum Verbum Dei prædicant, vel dum Officium Sacerdotis assistentis in Missa novi celebrantis, aliasque quascumque functiones exercent? — R. Negative in propria Ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus, excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum superpelliceo et stola. Affirmative extra propriam Ecclesiam. Ita pluries *S. C. C.*, et 17 sept. 1822, confirmante Pio VII.

Canonici Cathedralis concionaturus in actu recipiendi benedictionem ab episcopo non tenetur genuflectere, sed tantum se profunde inclinare. *S. R. C.* 3 aug. 1737.

Dignitatibus et Canonici Cathedralis Ecclesiæ convenit distinctio tum quoad qualitatem paramentorum, tum quoad locum se parandi pro Missis respectu sacerdotum inferioris ordinis. *S. R. C.* 20 mart. 1706.

Decret. generale 31 maii 1817: *Dignitatibus et Canonici etiam si gaudeant indulto deferendi cappam et rocchetto tam in propria quam in alienis ecclesiis; huiusmodi tamen aliorumque canonicatum insignium usum extra propriam ecclesiam licitum esse duntaxat, quando capitulariter incedunt, vel assistunt et peragunt sacras functiones; non autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur (Rocchetto est vestis episcopalis ex privilegio concessa inferioribus ecclesiasticis; non benedicuntur, sicut nec cappa; est vel a gallico rochet, vel a græca voce quæ vestiarium significat).*

An toleranda sit consuetudo Canonicorum aliorumque in choro presentium nunquam cooperiendi caput dum divina Officia peragunt? *S. R. C.* 16 apr. 1861 respondit: *Affirmative ab iis qui sacris paramentis non sunt induti.*

c. An Canonicus assistens Choro, sed non decantans Canonicas preces, peccet mortaliter et teneatur restituere fructus omissioni respondentes? *Canonicum in causa juxta alia decreta obligationi non satisfacere*: 22 maii 1841, *S. R. C.*

Si justa causa intercedat, possunt Canonici extra Chorum, in aliqua Cappella vel alio loco honesto, in ipsa Ecclesia, Officia celebrare *S. C. C.* 18 nov. 1645.

d. Aliud est psallere in Choro, aliud canere alta voce; ad postremum sunt Canonici hortandi, non cogendi ab Episcopo; ad primum tenentur. *S. R. C.* 5 nov. 1602.

An ferendus sit usus in Archidiocesi Senensi existens omittendi in Choro partes illas tum divini officii tum missæ, quas organi sonus supplet, respondit 22 jul. 1848: *Submissa voce dicenda quæ omittuntur ob sonitum organi; quando non pulsatur, integre esse cantanda.*

e. Valet statutum seu consuetudo, quod noviter receptus canonicus aliquid solvat pro planetis et aliis suppellectibus sacris Sacristiæ; est in cultus divini favorem. Item quod noviter provisos anlequam participet de massa communi per aliquod temporis gratis inserviat ecclesiæ. Ita Monacelli ex *S. C. C.* — Non tamen tenet consuetudo, quod canonici sive alii presbyteri de ecclesia prandium habere debeant. *S. C. Episcoporum* 17 mart. 1692. Esset contra Tridentinum, sess. 24. c. xiv; et Bulla *Durum nimis* S. Pii V.

f. Canonici causa pestis absentibus debentur quotidianæ distributiones, si pestis grassetur et illi Canonici soliti sint inservire. At quando dicatur pestis grassari (in dubio) iudicio episcopi relinquitur. *S. C. C.* 9 nov. 1650.

g. An Canonici Ecclesiæ Cathedralis assistentibus episcopo pontificalia exercenti vel in suo palatio vel in aliis ecclesiis suæ diocesis debeantur anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentēs; et quatenus negative, an sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti ex gratia in casu? *R.* 6 feb. 1754 *S. C. C.*: *ad utrumque negative.*

h. Absens a Choro lucratur etiam distributiones, si senio confectus (*S. C. C.* penes Fagnanum); si cæcus (*S. C. C.* 29 jan. 1661); non vero si surdus (12 martii 1619).

i. Necessaria non est licentia Episcopi, ut trium mensium spatio a Choro abesse possint Canonici, si in Diocesi manent; secus si extra Diocesim. Sed Episcopus non debet licentiam absque causa negare. *S. C. C.* 9 maii 1626.

Ad constituendam absentiam trium mensium necesse non est, ut dies sint continui, sed sufficit ut sint interpolati. *S. C. C.* 10 maii 1575.

Tres menses vacationis permitti incidere non debent in Natale Domini, in Pascha, vel in similes magnas solemnitates earumque Octavas, scilicet Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi: neque in Adventu aut Quadragesima. Neque ultra tertiam partem Capituli abesse possunt. *S. C. C.* 12 julii 1631.

j. An præcedentia debeat Capitulo Cathedralis assistenti episcopo in aliqua Ecclesia Collegiata suæ Diocesis, quando episcopus intervenit solemniter divinis; aut Capitulo et Clero ejusdem Ecclesiæ Collegiata? S. R. C. 27 mart. 1659 respondit: *Præcedentiam debere in casu proposito Capitulo Cathedralis supra Capitulum, Clerum et quoscunque alios sacerdotes Ecclesiarum inferiorum.*

Capitulum Cathedralis Regiens. supplicavit declarari ipsi soli competere in processionibus incedere cum Vestibus Sacris (planeta, pluviali, etc.), et non aliis Ecclesiarum Collegiatarum. S. R. C. 20 apr. 1641 respondit: *Soli Capitulo Cathedralis licere incedere cum vestibus sacris.*

An liceat Canonicis Collegiatarum, parochis et presbyteris simplicibus incedere paratis in processionibus (præsertim in solemnitate Corporis Christi) cum pluvialibus et casulis, ut solent Canonici Cathedralis? S. R. C. 4 mart. 1686 respondit: *In concursu cum Cathedrali non licere.*

Canonici Cathedralis sunt membra, quæ simul cum episcopo tanquam capite constituunt unum corpus (c. *Novit, de his quæ sunt a Præl.* etc.); quemadmodum enim membra recipiunt influxum a capite, ita ipsa inserviunt in ejus functionibus; et ideo etiam canonici uti membra debent in propriis functionibus inservire Episcopo, qui non debet ab extraneis extra proprium corpus emendicare servitium; sed a propriis membris debet recipere gloriam et splendorem. Ita declaravit S. R. C. in *Calaguritana* 1 jul. 1601; in *Bononiensi* 20 apr. 1602; in *Brundisina* 15 jul. 1617, etc. V. Pignatelli, *Consultationum Canonicarum*, t. V; consult. 85. — Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., vº Canonici Assistentia.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiata, etiam intra eandem Collegiata, non obstante consuetudine. S. R. C. 19 aug. 1619.

Canonici Cathedralis interessentes concionibus, præsertim quadragesimæ, debent esse induti habitu canonicali, dum sedent in propriis stallis. S. R. C. 31 martii 1705.

k. Licet Episcopo Canonicos Cathedralis compellere, ut sibi inservant quoties in cathedrali, vel in civitate et suburbis pontificale munus exercet; modo tamen si sit extra Cathedralē Ecclesiam, hæc non fraudetur debito cultu et servitio. Accedens vero ad Ecclesias, in quibus aliæ sunt dignitates et canonici, sciatur Episcopus canonicos Cathedralis omnino præcedere canonicos et dignitates Collegiata. Ita S. R. C. quod decretum confirmatum fuit a Clemente VIII, 15 junii 1592.

Canonici prædicti tenentur capitulariter assistere Episcopo Ordinationes peragenti solemniter in cantu inter divina Officia. Si vero fiant

privatim, tres tantum inserviant. S. R. C. 7 dec. 1658. — Item tenentur assistere Episcopo concionati pontificaliter cum pluviali et mitra et baculo. S. R. C. 3 dec. 1701. — Non possunt cogi ad inserviendum Episcopo in missis privatis, si non sit consuetudo. V. *Gardellini*, n. 1727. — Remuentes, quando tenentur, sunt plectendi aliis poenis, ultra amissionem distributionum. *Gardellini*, n. 1447.

Quando Episcopus ad Cathedralē pontificaliter accedit, aspersionum a prima Capituli dignitate est porrigendum cum osculo aspersionis et manus. Sed si accedit ad aliam Ecclesiam, assistente Cathedrali Capitulo, aspersionum est dandum a dignitate seu superiore illius Ecclesiæ. S. R. C. 25 mart. 1592, confirmante Clemente VIII.

An pileolo uti possint Canonici assistentes episcopo in functionibus ecclesiasticis tam in altari, quam in cathedra episcopali? *Negative ad primam partem; affirmative quoad secundam, dummodo non ministrent.* S. R. C. 20 apr. 1822.

1. An pileolum retinere possint in choro et solio assistentes, dum descendunt ad circulum ad *Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei?*  
2. An canonici utcumque episcopo ministrantes in sacris functionibus, debeant semper id præstare, capite detecto et absque pileolo? 3. An iidem canonici episcopo ministrantes, dum sacrum peragunt, saltem possint retinere pileolum usque ad consecrationem, illudque resumere sumptione peracta? *Ad 1, negative in omnibus; ad 2, semper sine pileolo; ad 3, in sacris functionibus nunquam pileolo uti posse;* S. R. C. 14 jun. 1845.

l. Q. 1. An indulgentia sit jubilatio canonicis et beneficiatis qui spatio 40 annorum Ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indulgentiis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis vel ex causa studiorum, vel pro suæ Ecclesiæ servitio vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt indulta absendi pro diebus et horis vel indulta simpliciter et absolute absendi ab Ecclesia, durante officio ipsis commisso? — 2. an indulgentia sit jubilatio illis qui inservierunt spatio annorum 40, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tanquam Canonici in ambabus, aut tanquam beneficiati in una et canonici in alia, Necnon: illis qui in una et eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tanquam beneficiati, partim tanquam canonici, vel partim tanquam coadjutores et partim tanquam principales et titulares (*intellige de beneficiatis residentariis*); — 3. an indulgentia sit jubilatio illis qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum qui remanent addicti Ecclesiæ servitio; et quis sit parvus numerus inservientium in casu, et ad effectum de quo agitur? — 4. an non obstante jubilatiōis indulto, jubilatus cogi possit ad inserviendum si divinus cultus detrimentum



patiatur? — 5. an, non obstante jubilationis indulto, jubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum?

S. C. C. dec. 1718 respondit: Ad 1, affirmative quoad absentes causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis, vel pro Ecclesie servitio vel cum indultis absendi pro diebus et horis. Negative autem quoad absentes ex causa studiorum et quoad habentes indulta absendi absolute, durante officio. — Ad 2, negative ad primam partem; affirmative ad secundam. — Ad 3, dabitur resolutio in casibus particularibus. — Ad 4, affirmative. — Ad 5, negative juxta Decreta.

Q. 2. An debeatur jubilato portio emolumentorum provenientium ex anniversariis fixis? 2. an debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus, et anniversariis incertis et extraordinariis? 3. etiam in casu quo a testatore dispositum reperitur nihil lucrari debere omnibus qui non sunt presentes? 4. an dictus canonicus teneatur interesse capitulis et congregationibus quae habentur pro tractandis negotiis Ecclesiae et capituli? — S. C. C. 10 jun. et 30 sept. 1684 respondit ad 1, affirmative; ad 2, 3 et 4 negative. (Notandum cum Scarfantonio; indultum jubilationis obtentum a canonico coadjuto, non suffragatur coadjutori, cum iste alia ratione teneatur choro et aliis functionibus interesse. It. vid. Benedictus XIV, Notificatione CVII, n. 64; et De Syn. Dioc., l. VIII. — Bouix, De Capitulo. — Ferraris, Bibliotheca, etc., v<sup>o</sup> Canonici et Anniversaria. — Analecta juris pontificii, an. 1857.)

S. C. C. in Novariensi 29 nov. 1681 et in Perusino 17 jul. 1688 declaravit canonico jubilato deberi etiam quae proveniunt ex emolumentis processionum et anniversariorum et aliorum, dummodo testatorum voluntas non obstet.

Post continuum et laudabile servitium annorum 40 in Ecclesia Metropolitana Senensi Fabius Ballatus consuetum jubilationis indultum obtinuit, et jam septem anni elapsi sunt ex quo fruitur praedicto indulto; cumque idem modo obtinuerit Dignitatem Decanatus in eadem Ecclesia, et supplicaverit huic sacrae Congregationi pro continuatione praedicti indulti jubilationis, scriptum fuit Archiepiscopo pro informatione et voto. Archiepiscopus fuit in sensu quod erat annuendum petitis et eo fortius, quia Oratoris merita et praestitum antecedenter continuum et laudabile servitium plene suadent ipsum, quandiu poterit, non defuturum officio suo, in solemnioribus in quibus Decani praesentia maxime desideratur.

Super hoc articulo adest resolutio hujus S. C. 22 nov. 1691 in Fulginat.: Joann. Bapt. De Justis attento servitio 40 annorum et ultra uti Canonicus et decanus Eccl. Cathedralis praestito, jubila-

tionem obtinuit, nuper autem collato sibi a Sanctissimo Prioratu ejusdem Cathedralis, supplicat vel sibi novam jubilationem concedi, vel potius declarari eandem sibi prodesse jubilationem respectu prioratus. Audita relatione Episcopi Fulginat. et attento quadragenario exercitio ei ultra laudabiliter et continuo praestito in eadem Cathedrali, censuit oratorem nova jubilatione non indigere, sed jam obtentam sub die 18 dec. 1688 eidem suffragari, etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper provisus, in omnibus et per omnia servata forma ejusdem indulti. Quam resolutionem laudat et sequitur modernus Scarfantonius in animadversionibus ad Cecoperii, t. I, l. II, tit. 6, n. 20.

His positis dignabuntur EE. VV. decernere: An indultum jubilationis concessum Fabio Ballato olim canonico Ecclesiae Metropolitanae Senensis eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia dignitatem Decanatus in casu, etc. Respondit S. C. C. 16 martii 1726: Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat.

797. Cantus. — a. An Cappellani de Massa debeant possidere cantum firmum, ita ut eligi non debeant, neque possint imperiti hujusmodi cantus? — Affirmative, et in posterum examinentur a deputandis per Ordinarium.

An sit facienda reformatio Cappellanorum nunc existentium, qui carent peritia cantus firmi? R. Lectum: S. R. C. 15 dec. 1660 in Januen.

b. An conveniat inter Missarum solemnias canere Laudes idiomate sermone compositas? S. R. C. respondit: Non convenire, imo omnino prohiberi mandavit; 21 martii 1639.

c. An conveniat cantare aliquas cantiones vulgari sermone, non tamen profanas, in festivitate SS. Sacramenti? S. R. C. respondit: Non convenire; 21 martii anno 1609.

An in benedictione populo impertienda cum Augustissimo Sacramento permitti possit cantus alicujus versiculi, vernacula lingua concepti, ante vel post benedictionem? S. R. C. respondit: Permitti posse post benedictionem; 3 augusti anno 1839 (et talis revera est ferme ubique usus, ut nempe post benedictionem, nondum reposito Sacramento, canatur: *Je vous adore*. Romae et alibi recitantur laudes, *Dieu soit béni*, etc. Pro hisce autem laudibus a Pio Papa IX conceditur indulgentia unius anni pro qualibet vice, et plenaria una vice in mense).

d. An ad verba Invitatorii *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, ac verba Symboli *Et incarnatus est*, et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a cantoribus ad ambonem aut Chorum legentibus dum ea proferuntur actualiter, et alii genuflectunt,

vel post finitum versum qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc non cantantium levationem? *Serventur Rubricæ Missalis, Breviarii et Cæremonialis Episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, hæc fiat dum verba quæ cantantur genuflexionem exquirunt. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.* S. R. C. 8 martii 1758.

e. Cantores non possunt in Choro incipere Introitum Missæ priusquam Sacerdos celebraturus ad Altare pervenerit. S. R. C. 14 apr. 1755.

**798. Cappellanus.** — a. Si capitale pro Missis otiosum et infructiferum remaneat absque culpa Ecclesiæ vel Cappellani: puta, si capitale in censu consisteret (qui fuit restitutus), donec capitale fuerit versum in bona frugifera, Ecclesia vel Cappellanus non tenebitur ad Missas. Item, pereunte capitali Cappellaniæ, cessare quoque debet Missæ celebrandæ obligatio. S. C. C. 7 jan. 1687.

b. Cappellanus non tenetur per seipsum celebrare, nisi id cautum sit in fundatione. Non tenetur, si in fundatione dicatur tantum: *Ut Missæ celebrentur ab eo Cappellano qui fuerit electus, vel hæres teneatur eligere Cappellanum, qui in qualibet hebdomada celebret Missas quatuor.* Ita S. C. C. jan. 1669; 18 martii 1684.

c. Ratione honestatis, et causa devotionis Cappellanus qui tenetur per se quotidie celebrare, potest semel in hebdomada per alium celebrare. S. C. C. 10 martii 1625. — Quoties autem hic possit in anno a celebratione abstinere, quin teneatur per alium celebrare, S. C. C. distulit resolutionem (unde consulendi probati Auctores). S. C. C. 18 sept. 1683. — Sed quid si Cappellanus onus habeat celebrandi quotidie, et si non celebret, solvat duos julios pro Missa non celebrata, poterit ex supradictis causis aliquando vacare? *Non posse:* S. C. C. respondit, 17 sept. 1665.

**799. Color Paramentorum**<sup>1</sup>. — « C'est la couleur principale du fond de l'étoffe qui détermine la couleur de l'ornement, et non celle des broderies, des dessins, des fleurs et autres embellissements dont le nombre, quel qu'il soit, ne saurait produire une différence essentielle. Ainsi, par exemple, une chasuble dont le fond blanc est richement orné de rouge ne pourra servir que comme ornement de la première de ces couleurs, et jamais de la seconde. Lorsque le fond même d'un ornement est formé de couleurs variées, il faut le regarder comme étant de la couleur qui domine; et, si les couleurs sont également partagées, on ne pourra en tolérer l'usage que dans les églises

<sup>1</sup> V. *F. Amico Cattolico*, Milano, 1845, vol. VIII et seqq., art. Del Simbolismo dei colori nei monumenti cristiani e nei riti della Chiesa.

pauvres où l'on a peine à faire face aux dépenses nécessaires pour le mobilier, surtout pour les objets nécessaires au Saint Sacrifice. » — (Post colorum diversitatem introductam Rubricistæ putant, extra casum necessitatis non licere uti veste in Sacratio, quæ participet de singulis coloribus ita, ut in neutro illorum determinationem sumere particularem possit. Ast si unus ex ipsis prævaleat cæteris, vestis reputanda est coloris qui prævalet, et tunc ut talis adhibenda.)

« Si les vêpres ne sont pas tout entières du même office, on prendra la couleur en rapport avec l'office dont on dit le capitule. Si l'office et la messe ne sont pas de la même fête, le parement de l'autel aura la couleur conforme à l'office, et les ornements du prêtre seront conformes à la messe. Ces différences se rencontrent ordinairement à la 5<sup>e</sup> férie des Rogations, dans les Vigiles et dans les Octaves. Pour la messe solennelle, il convient que le dais de l'autel soit de la même couleur que les ornements du prêtre

« On demande si le tissu d'or peut servir pour toutes les autres couleurs? — Quarti répond affirmativement, et dit que l'or a une clarté qui le fait ressembler au blanc, et un feu qui le rapproche du rouge. Il en conclut que l'or peut remplacer toutes les autres couleurs, excepté le violet et le noir<sup>1</sup>. » Intellige paramenta aurea; non vero paramenta coloris tantum aurei, seu coloris flavi quæ non sufficiunt: hinc ad quæsit. : *An sacra paramenta coloris aurei inservire possint pro coloribus albo, viridi et rubro?* S. R. C. 29 mart. 1851 respondit *negative*.

An liceat ubique terrarum in fimbriis et manicis Albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fondum rubrum mittere; vel an sit privilegium Italiæ, Hispaniæ, etc.? R. *negative*. 17 aug. 1835. S. R. C.

An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento? — *Negative*; 11 sept. 1847, S. R. C.

Stola pro administranda SS. Eucharistia populo extra Missam, debet esse coloris Officii diei convenientis ex Rituali. S. R. C. martii 1856.

— Eaque jam erat fere ubique praxis, ait Catalani, si Mediolanensem excipias Ecclesiam, in qua ex D. Carolo Sacerdos utebatur Stola alba si ritus romanus; rubra vero, si ritus ambrosianus.

Stola et Pluviale pro administrando Viatico et benedictione SS. Sacramenti in Ecclesia Romani ritus sint albi coloris ex R. Rituali.

1. An paramenta coloris flavi valeant pro quocumque colore, nigro excepto? 2. num paramenta confecta ex serico et aliis coloribus, flori-

<sup>1</sup> V. Dielich, *Dizionario liturgico*. — P. Vincentius a Massa, *Institutiones liturgicæ*. — Morozzo, *Delle sacre cerimonie*. — Romsée, *Opera liturgica*, etc., etc.

busque intertexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et prædominans, usurpari valeant mixtim saltem pro albo, rubro et viridi? 5. num Planeta, Stola et manipula possint confici ex tela lineâ vel gossypio vulgo *percale*, coloribus præcipuis tincta aut depicta? S. R. C. 25 sept. 1858 respondit: *ad 1 negative; ad 2 negative; ad 3 serventur Rubricæ et usus omnium Ecclesiarum, quæ hujusmodi Casulas non admittunt.*

In Missis votivis B. V. adhibendus color albus. S. R. C. 31 aug. 1859.

Si ob Ecclesiæ paupertatem paramenta distincta haberi nequeant, recurrendum Episcopo pro facultate utendi planetis plurium colorum. S. R. C. 23 maii 1846.

**800. Confraternitas.** — *a.* In erectione confraternitatum vel novarum Ecclesiarum debet semper apponi clausula: *Sine præjudicio jurium Parochialium*; quia jura Parochi illusa servanda sunt, et ideo non aliter, quam sub ista conditione societates hujusmodi, vel novæ Ecclesiæ erigendæ sunt. S. C. *Episcoporum, in Cajetana*; 12 dec. anno 1631.

*b.* Confraternitates in eorum Oratoriis possunt retinere sedem confessionalem, de licentia tamen Episcopi. *In Papien.* 9 martii 1711, S. C. C.

*c.* Ordinarius seu Episcopus potest per se ipsum, vel per suum delegatum intervenire et assistere congregationibus confraternitatum et electionibus officialium, modo non faciat novitates. S. C. C. *in Novariensi*; 16 apr. 1692.

*d.* 1. An liceat Confratribus celebrare seu canere facere Missas in festivitibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore seu Cappellano Confraternitatis, private ad Parochum et absque ulla ejus dependentia? 2. an ibidem possint exponi facere Venerabile in singulis quartis Dominicis cujuslibet mensis et populo benedicere, absque licentia et dependentia dicti Parochi? — S. R. C. 9 martii 1711, respondit: *ad 1 affirmative; ad 2 licere de licentia Episcopi.*

*e.* Diversæ confraternitates ex speciali S. Sedis facultate ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectæ; nomina confratrum et consoriorum in particularibus registris inscribuntur, sed ad directorem archiconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquaque fraternitate eliguntur. Hinc *quæritur* 1. an aliqua determinata formula necessaria sit sub pœna nullitatis? 2. an necesse sit sub eadem pœna, ut administratores eligantur? 3. an Episcopus designare possit directorem uniuscujusque confraternitatis sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectæ? 4. an director ab Episcopo

sic designatus, eo ipso Rosaria cum applicatione Indulgentiarum, et Scapularia benedicere, ac imponere possit?

S. R. C. respondendum esse duxit: *Ad 1, negative, quia formula præscribitur tantum pro erectione sodalitatum a Regularibus peragenda. Ad 2, negative, quia administratorum electio erit tantum ad bonum sodalitatum regimen; minime vero ad validitatem erectionis necessaria. Ad 3, affirmative. Ad 4, negative, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradenda pro Rosariorum, Coronarum, seu Scapularium benedictione. Die 18 novembris 1842.*

**801. Consecratio seu Dedicatio Ecclesiæ.** — *a.* S. R. Congregationi proposita fuerunt sequentia dubia<sup>1</sup>: — 1. an jejunium in Pontificali Romano præscriptum iis, a quibus consecratur Ecclesia, sitne strictæ obligationis, seu tantum de consilio? — 2. an sit locale tantum, an personale; seu locale, et personale simul? — 3. an si Ecclesia consecratur die feriali, si festum observandum in populo tali die cum obligatione in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus, et audiendi Sacrum? — 4. an in loco consecranda Ecclesiæ officium de communi Dedicacionis Ecclesiæ sit celebrandum a primis Vesperis die præcedenti recitandis inclusive, seu potius duntaxat inchoandus finita scilicet in Vesperis subsequentibus? — 5. an eo casu de feria, vel de festo occurrente Vesperæ, Matutinum, ac aliæ Horæ præcedentes Consecrationem Ecclesiæ recitandæ sint? — 6. si Officium a primis Vesperis die præcedente Consecrationem celebrandum sit de communi Dedicacionis Ecclesiæ, quæritur: an Pastor, aut alius Sacerdos ruri, deficientibus aliis Ecclesiæ, in ipsa Ecclesia consecranda summo mane celebrans pro populi commoditate die Consecrationis peragenda Missam de Consecratione Ecclesiæ celebrare valeat et teneatur? — 7. Si nec valeat nec teneatur, an Missam de festo alias occurrente, aut de Dominica, et quo ritu celebrari debeat?

Et S. eadem Congregatio, audito prius voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris typis vulgato, ad relationem Emin. et Rev. Domini Cardinalis Archinto Ponentis rescribendum censuit: *Ad 1, Jejunium in Pontificali Romano præscriptum esse strictæ obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die præcedente Consecrationi ad formam Rubricæ Pontificalis. Ad 2, negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam. Ad 3, negative. Ad 4, negative quoad primam partem, affirmative quoad*

<sup>1</sup> De Ecclesiæ dedicatione ejusque significatione vid. Bellarminus, *De Ecclesia*. — Bona, *Rerum liturgicarum* l. I, c. xxiv. — Catalani, *Pontif. Rom.* — D. Thomas, Gaume, etc.

*secundam.* Ad 5, *Vesperas, Matutinum, Laudes, et Horas consecrationem præcedentes recitandas esse vel de feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario.* Ad 6, *negative juxta modum. Et modus est, ut ubi nulla alia sit Ecclesia, vel Cappella, Parochus aut Sacerdos celebret post peractam Consecrationem; sin minus ea die se absteineat a Missæ celebratione, et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum.* Ad 7, *Missam non esse celebrandam de Dedicatione Ecclesiæ, sed de feria, vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. Die 19 julii 1780. Gardell. n. 1251.

*b.* Vigiliæ pro Dedicatione Ecclesiæ sunt faciendæ juxta Pontificale, id est celebrentur cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi sine nomine expresso; cum non sint partes Officii. Officium Dedicationis Ecclesiæ, non Altaris solum, inchoandum est, peracta consecratione, ab Hora Minori Tertia. S. R. C. 7 dec. 1844; et 14 junii 1845.

*c.* A Decretis omnino prohibetur in beatorum honorem Ecclesias, vel Altaria dicere. *In Vercellensi* S. R. C. 11 apr. 1840.

*d.* Officium Dedicationis Ecclesiæ dirute non amplius celebrandum; 15 sept. 1815. Oratorium domesticum non debet benedici: in mense martii 1820, S. R. C.

**802. Ecclesia.** — *a.* Ecclesia consecrata, quæ militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, an censenda profanata, et ideo reconcilianda? *Affirmative ad cautelam:* S. R. C. 27 febr. 1847.

Per celebrationem Missæ in Ecclesia polluta non potest dici ipsa Ecclesia reconciliata: 19 aug. 1634, S. R. C.

Ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente jurisdictionem, dicitur bene reconciliata. S. R. C. 19 aug. 1634.

*b.* Si reparanda est Ecclesia, primo loco debent expendi reditus pro fabrica adsignati, antequam compellantur particulares: quod si Ecclesia reditus proprios pro fabrica non habeat, tenentur Rector et beneficiati pro rata redituum. S. C. E. 14 januarii, anno 1605.

*c.* Nequit dormitorium haberi super Cappellam, in qua Missa celebratur; S. R. C. 11 maii 1641.

*d.* In sacello de jure patronatus possunt apponi memoriæ virorum illustrium illius familia; S. R. C. 2 mart. 1641.

Altaria juris patronatus sine dote, paramentis et aliis necessariis, statuto brevi tempore dotentur, ornenturque a patronis; alioquin jure suo priventur, aut demoliantur; S. R. C. 16 jan. anno 1604.

*e.* Quoad fenestram in ipsis parietibus Ecclesiæ, ex qua prospici

possit in Ecclesiam, indulgendum Patrono; Parocho licet. S. C. C. in *Urbinat.* 10 mart. anno 1665.

*f.* Si a sancta Sede indultum locale Altaris privilegiati concedatur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello nec in rescripto de qualitate Altaris, sitne fixum vel portatile: an Altare censeri possit privilegiatum, etiamsi sit portatile? — *Resp.* S. C. C. *negative;* anno 1841.

*g.* An indulgentiam, quæ conceditur pro preregrinantibus ad aliquam insignem ecclesiam, consequi vleant incolæ oppidi ejusdem ecclesiæ? S. C. I. respondit *negative.*

An cesset indulgentia SS. Rosarii vel aliæ indulgentiæ, si nova ædificetur ecclesia fere in loco ubi vetus existebat. Quid si ædificetur in alio loco, cessante tunc indulgentiæ? S. C. I. 9 aug. 1845 respondit *ad 1, negative; ad 2, affirmative.*

**803. Expositio Eucharistiæ.** — *a.* An retineri possit pallium coloris rubri in Altari, in quo exponitur SS. Sacramentum, dominica Pentecostes, et duabus sequentibus feriis? *Obstant Decreta:* S. R. C. 19 dec. 1829.

*b.* Nequit illuminari Hostia a parte postica Ostensorii; S. R. C. 31 mart. anno 1821.

*c.* Toleranda consuetudo, si adsit, recitandi preces pro defunctis in expositione SS. Sacramenti: 16 decemb. 1828, S. R. C.

Si quandoque privata ex causa SS. Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur: sed Pixide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alienjus Sacerdotis stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in Ecclesiis Regularium servari mandamus. Ita S. C. *Episc. et Regular.* die 9 dec. 1820.

*d.* Super altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, crux de more collocari debet, cum imagine Crucifixi apposta: 14 martii 1707, S. R. C. <sup>1</sup>.

Conveniens est, ut omnes presentes, durante Officio, starent semper capite detecto et nunquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omissant saltem in signum reverentiæ detecto capite, existente SS. Sacramento super altari, divinis officiis assistere. *Cærimoniale Episc.*

Quando Eucharistiæ Sacramentum publice discooperatum exponitur, omnes ante illud transeuntes cujuscumque conditionis et ordinis, seu

<sup>1</sup> Cum autem hoc decretum non sit receptum, subdit Benedictus XIV: *Quælibet Ecclesia vel Diæcesis suam retineat consuetudinem.* De expositione 40 horarum vid. inter ceteros *Manuale Decretorum.* Romæ, c. xi.

ad illud accedentes seu ab illo recedentes, ntroque genu flectere debent. *S. R. C. 16 aug. 1651.*

Sacerdos Missam celebraturus, ante Eucharistiam expositam transiens, illam flexis genibus apertoque capite adoret; caput tamen dum se erigit, cooperiat. *S. R. C. 24 jul. 1658.*

Missam in altari ubi est expositum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare præsertim si in Ecclesia adsunt alia altaria, in quibus celebrari possit. *S. R. C. 19 aug. 1650.* At Missa cantatur pro eo exponendo. *S. R. C. 1671.*

1. An sacerdos possit vel debeat osculari stolam dum eam assumit ad deponendum e throno SS. Sacramentum pro benedictione imperfienda, illudque reponendum in Ciborio post benedictionem ipsam? 2. An in Missa expositionis SS. Sacramenti pro oratione 40 horarum, velo cooperiendum sit Ostensorium cum SS. Sacramento postquam celebrans sumpsit Sanguinem, ut sic cooperitum seu velatum permaneat super Mensa Altaris ad finem usque missæ? *S. R. C. in Bugell. 29 mart. 1851* respondit: ad 1, *servandam consuetudinem*; ad 2, *negative, seu super mensa remanere debet nullo opposito velo.*

Sanctorum Reliquiæ in altari, in quo et ipsum Sacramentum est expositum, non sunt collocandæ; *sept. 1741, S. R. C.* Hoc plures intelligunt de quacumque expositione publica, quando Sacramentum extrahitur ad populum benedicendum; et revera decretum generatim loquitur<sup>1</sup>. Alii tamen explicant potius de solemnibus tantum expositione ad aliquod tempus. In tota Novariensi Diocesi ab immemorabili omnibus festis diebus exponitur venerabile sacramentum pro benedictione, et quidem in throno ut omnibus pateat et præscriptum est; porro in festis solemnibus Reliquiæ Sanctorum expositæ jam sunt.

e. Exposito SS. Sacramento, illa tantum omitti debent oscula, quæ specialiter Sacramentum expositum duntaxat respiciant; non illa quæ ad ritum Missæ solennis proprie pertinent. *S. R. C. 12 aug. 1854.*

Acolythi in vespere coram SS. Sacramento accedentes ad altare, ut accipiant sua candelabra vel ea referant, debent unicum genu flectere. *S. R. C. 12 aug. 1854.*

f. Licet etiam ex praxi Ecclesiarum Urbis sacerdoti accipere Ostensorium per manus Diaconi istud ab altari acceptum porrigentis, ut po-

<sup>1</sup> Instructio Clementis XI de expositione 40 horarum habet § 4: « Il ne faut point mettre sur l'autel de reliques des saints ni leurs statues (on ne veut pas exclure ici les anges adoreurs qui supportent des flambeaux); encore moins y posera-t-on des figures représentant les âmes du purgatoire; ce qui est défendu pour toutes les expositions particulières, même celles que l'on fait pour prier en faveur de ces âmes. » — V. Gavaleri, *Commenta*; et Gardellini, *Devota*, v, vi; in hac Instrukione.

pulo benedictio impertiatur; et post benedictionem Ostensorium remittere Diacono qui super altare deponet. *S. R. C. 12 aug. 1854.*

g. Missæ private diebus, qui juxta generales Rubricas Missas votivas privatas excludunt, dicantur de Festo, de quo factum est officium cum Commemoratione SS. Sacramenti post omnes alias commemoraciones de præcepto, etiam post illam ad libitum; sine *Credo*, nisi Missæ qualitas id postulet. *Rubrica.*

In Duplicibus 1 et 2 classis non est facienda in Missis privatis commemoratio de Sacramento. *S. R. C. 2 sept. 1741.* Nomine Festorum 1 et 2 classis non veniunt Dominicæ Adventus, nec quæ intercedunt a Dominica Septuagesima usque ad dominicam Passionis inclusive, et etiam Dominica in Albis: quæ Dominicæ cum non respuant commemoraciones currentes et de mandato, nec respuere debent illam SS. Sacramenti. In quibus ergo Dominicis fieri potest commemoratio Sacramenti; sicut etiam infra Octavam Epiphaniæ et in feria 4, 5, 6 et Sabbato infra Octavas Paschæ et Pentecostes; item feria 4 Cinerum, et 2, 3 et 4 majoris hebdomadæ. Non tamen in Dominica Palmarum et vigiliis Nativitatis Domini, ac Pentecostes, eo quod tales Missæ donatæ sint privilegio unice Orationis. *Manuale Decretor.*

h. In Missis votivis privatis SS. Sacramenti, quæ in diebus concessis, durante expositione 40 horarum, celebrantur, non dicatur neque *Gloria* neque *Credo*. In quibus Missis 1. oratio erit propria de Sacramento; 2. de officio diei currentis; 3. quæ aliunde dicenda foret secundo loco ratione temporis currentis in missa de officio. Videlicet ab octava Epiphaniæ ad Purificationem *Deus qui salutis*; a Purificatione ad feriam quartam Cinerum *A cunctis*; a 4. Cinerum ad Domin. Passionis exclusive si factum sit Officium de feria, erit etiam *A cunctis*; si vero de aliquo sancto, tunc tertia oratio erit de feria; et sic de cætero per annum, modo de præcepto non sit facienda alia Commemoratio, v. g., festi simplicis. Præfatio *de Nativitate*; in fine *Benedicamus Domino*; et Evangelium S. Joannis *In principio*. Color albus. *S. R. C. 4 apr. 1705 et Rubrica.*

In Missis privatis, quæ triduo orationis 40 horarum, sed prævia expositionis celebrantur, an facienda commemoratio Sacramenti? Die 27 aug. 1856 expositum fuit: *S. R. C.* « In quibusdam ecclesiis occasione 40 Horarum suspenditur Oratio a vespere usque ad unam vel duas horas post solis ortum sequentis diei, ne nocturno tempore scandala oriantur; quaeritur utrum ab aurora usque ad Eucharistiæ expositionem in Missis dici possit Collecta de Sacramento; vel solum tempore expositionis, hoc est per unicum spatium quadraginta Horarum interruptum? » *R. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* — Imo tunc (ex Pio Martinucci Cærimon. Pontificio) nondum

facta expositione, Missæ de Requie, diebus permissis, dici possunt, si modicus præsertim sit audientium numerus.

i. Durante expositione Sacramenti occasione 40 horarum, regulariter celebrari nequit Missa privata de Requie; neque cantanda Missa defunctorum pro adimplenda mente testatoris sive anniversario faciendi; S. R. C. 2 dec. 1684. Cum dicat *regulariter* videtur quod possit, si expositio sit in animarum suffragium, modo Missa non celebretur ubi expositum est SS. Sacramentum. *Pius Martinucci.*

j. An tempore 40 horarum in Cathedralibus vel Collegiatis debeat semper assistere aliquis Sacerdos vel Clericus cum superpelliceo? R. *Hoc maxime decere et Episcopus in hoc quam maxime incumbat;* 10 dec. 1701. S. C. R.

k. An Instructio pro oratione 40 Horarum Romæ jussu Clementis XI edita, etiam extra Urbem servari possit et debeat? R. *Prædictam Instructionem extra Urbem non obligare; laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statutum sit.* S. R. C. 12 jul. 1749.

l. Clerico tum seculari quam regulari, monialibus atque confratribus SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere, nisi cum speciali Ordinarii licentia non licere, et inobedientes penis et censuris coercendos, respondit S. R. C. 18 dec. 1647; 8 jun. 1669; 7 jun. 1681, etc.

**804. Extrema Unctio.** — a. Q. 1. An Extrema Unctio cum stola super vestem communem absque cotta administrari possit? 2. an Sacerdos curam animarum exercens pro sua commoditate apud se in domo sua retinere possit Oleum Infirmorum, saltem attentata consuetudine? — R. Ad 1, *negative ut ad proximum;* ad 2, *negative et servetur Rituale R. excepto tamen casu magnæ distantie ab Ecclesia, quo in casu omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam.* S. R. C. 16 dec. 1828. Gard. n. 4474.

b. An in versiculis et responsionibus, qui in administratione Extremæ Unctionis post unctiones factas dicuntur et in tribus Orationibus quæ sequuntur, facienda sit variatio generis quando recitantur pro muliere, dicendo, v. g., *salvam fac ancillam tuam;* et similiter de aliis, sicuti variatio indicatur in Rituali in benedictione in articulo mortis, et a Pontificali in confirmatione unius? Item an in Litanis brevibus in commendatione animæ, quando preces recitantur pro muliere, variandum sit genus, et etiam numerus cum recitantur pro pluribus. Et an in Orationibus et Precibus ejusdem Commendationis similiter fieri debeat variatio ubi sensus eam exposcit? *Affirmative;* S. R. C. 12 aug. 1854.

c. Dubium propositum fuit a R. D. D. Episcopo Veronensi. *Utrum deficiente Oleo Infirmorum, liceat administrare sub conditione Sa-*

*cramentum Extremæ Unctionis oleo a simplici Sacerdote benedicto saltem in casu extremæ necessitatis, ut cum moribundus sensibus destitutus nullum doloris signum ante dedit, neque præbet?* — Semper responsum fuit: *Negative;* ita C. S. Officii 15 jan. 1611 coram Paulo V; 14 sept. 1842 coram Gregorio XVI; 12 jan. 1850 coram Pio IX.

**805. Festa.** — a. Patroni cujusvis provinciæ, aut cujusvis loci an sint de præcepto?

Cum nonnulli ex Parochis intra fines Ducatus et Diocesis Cameriniensis unum duntaxat principem Patronum in unoquoque loco sub utroque præcepto venerandum colendumque contenderent, scilicet sanctum Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cujusque loci patronis principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro populo, prout per plures annos egerant, petitum propterea fuit in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum pro declaratione: *An festum utriusque principis patroni Status, scilicet Camerinensis, et uniuscujusque loci, celebrandum foret sub utroque præcepto? Et num Parochi omnes in præfatis festis tenerentur applicatione Missæ pro populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? ut in supplici libello sequentis tenoris:*

« Eminentissimes et Révérendissimes Seigneurs, l'État de Camerino, qui forme une province entièrement séparée de l'Ombrie et du Picenum, vénère comme son patron principal saint Venant, martyr; il en célèbre la fête sous le rite double de première classe avec octave, et elle est chômée. Presque toutes les paroisses de cet État ont leur protecteur principal canoniquement choisi, approuvé par la Congrégation des Rites, et porté sur le Calendrier du diocèse de Camerino du rite double de première classe avec octave, et de fait on en célèbre ainsi partout la solennité<sup>1</sup>.

« Il conste par la Constitution *Universa* d'Urbain VIII et l'avis d'un grand nombre de canonistes comme Ferraris, Merati, la Théologie de Salamanque, etc., que l'une et l'autre fête, celle du patron de la province et celle du patron du lieu, sont de précepte quant à la messe et à l'abstention des œuvres serviles<sup>2</sup>. Quelques curés, se persuadant que la fête seule du patron de la province est de précepte, se dispensent pour

<sup>1</sup> Nomine loci non intelligitur pagus vel parocchia; sed locus ex Gavanto accipitur pro multitudine cleri et populi, sive pro multis cleris et populis in uno loco, puta civitate, Diocesi per diversas Ecclesias constitutis; ita ut si in eo multæ adsint Ecclesiæ vel provinciæ, unus idemque sit principalis patronus. — V. *Analecta juris pontificii;* anno 1854, ubi plura de patrono.

<sup>2</sup> Pro tota Diocesi Novariensi unus tantum habetur patronus de præcepto

la seconde solennité d'appliquer la messe *pro populo* et permettent de travailler. On demande, pour en finir avec ces divergences, si l'une et l'autre fête sont de précepte et si les curés peuvent continuer ainsi ou doivent obtenir l'absolution pour les messes *pro populo* qu'ils ont omises.

Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Emin. et Rever. D. Card. de Somalia eidem Congregationi præfecti ac relatoris, habita prius informatione de præmissis per Rever. Vicarium Capitularem Camerinen. scripto pandita, respondit: *Servandum esse de præcepto utrumque festum et Parochos teneri ad applicationem Missæ pro populo, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo*: die 22 martii 1817. — *Facta autem per me infrascriptum Secretarium de præmissis SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua S. C. sensum approbavit et confirmavit, atque in posterum servari mandavit, annuitque pro absolute quoad præteritum*: 25 martii 1817 in Camerin. Gardell. n. 4582.

b. Si Patronus sit solius Parochiæ, non erit Festum de præcepto servandum, et Officium primæ classis cum Octava recitandum solummodo erit a Sacerdotibus servitio Parochiæ addictis (S. R. C. 15 sept. 1742<sup>1</sup>). De Patrono seu Titulari Ecclesiæ debet fieri Officium ritu duplici primæ Classis cum octava a Clero ipsi adscripto, etiamsi Ecclesia non fuerit consecrata. S. R. C. 21 martii anno 1711.

c. An Festum Titularis Cappellarum publicarum et Oratoriorum quæ existunt in ædibus Episcopalis, Seminariis, Hospitalibus, domibus regularium, domibusque privatis celebrari debeant sub ritu duplici primæ classis cum Credo et Octava? *Negative*: 12 nov. 1831, S. R. C.

d. In occurrentia Festorum ejusdem ritus primum locum habebit Officium Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis seu Religionis, tertium Diæcesis, quartum Nationis, quintum vero Ecclesiæ universalis: S. R. C. 25 junii anno 1756 in Einsildem<sup>2</sup>.

e. An Communitas possit indicare Festa de præcepto, quæ nec de consuetudine servantur, nec ab Ecclesia Romana præscribuntur, exigendo multam contra inobedientes? — S. R. C. respondit *non posse*: 5 junii anno 1650. Gardell. n. 715.

colendus, nempe D. Gaudentius: quo igitur die a Parochis Missa pro populo est applicanda.

<sup>1</sup> Unde eo die nulla obligatio applicandi Missam pro populo; quia si festum a populo servatur, id est ex devotione, non ex præcepto.

<sup>2</sup> Occurrente aliqua in Parœcia solennitate Parochus curet, ut rite fiat Officiorum translatio, ut unumquodque Officium suum locum habeat, prout Rubricæ præscribunt; neque enim potest rem tanti momenti perfunctorie agere.

Votum celebrandi nonnulla Festa de præcepto cum vigilia et procesione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi votentes. S. R. C. 19 nov. anno 1650 in Hipporegien. Gardell. n. 1474.

Festa quæ ex immemorabili consuetudine celebrantur, possunt continuari, si de Sanctis sint in Martyrologio Romano descriptis: sin minus nequeunt. Ita S. R. C. 7 maii 1746 in Versavien. Gardell. n. 4052.

Festum de præcepto non est introducendum; sed si populus voluerit illud celebrare abstinendo a servilibus, permittendum est; sed absque pœnarum incursu. S. R. C. 11 maii 1638 in Hortana. Gardell. n. 905.

f. Solemnitas Festi fit die quo cadit, licet transferatur Officium. S. R. C. 15 sept. 1668 in Januen. Gardell. n. 2500.

Si occurrat transferri Festum SS. Apost. Philippi et Jacobi ad tempus non Paschale, quæ Missa celebranda? S. R. C. re mature discussa, censuit, *celebrandum esse prout jacet in Missali; demptis tamen in omnibus partibus alleluia ratione temporis paschalis in ea Missa appositis*: 22 junii 1705<sup>4</sup>.

g. Quum ex Pontificio Indulto quædam Festa in Gallia celebranda sint dominica proxime occurrente, quæritur: 1. quæ sit hæc Dominica proxime occurrens? 2. an translatis supradictis festis, translata intelligatur sollemnitatis tantum, an potius una cum sollemnitate tota etiam octava translata censeatur pro Officiis in Choro: — Ad 1. *Dominica proxime occurrens est Dominica, quæ Festum subsequitur*. Ad 2. *negative ad primam partem; affirmative ad secundam*. S. R. C. 17 julii 1850.

h. Non possunt locorum Ordinarii sive sæculares sive regulares addere Calendariis etiam propriis Sanctorum officia nisi ea duntaxat quæ R. Breviarii rubricis, vel sacræ R. Congregationis, vel Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Quod decretum jussu Urbani VIII editum comprehendit etiam Breviaria tolerata a Pio V, excedentia videlicet 200 annos. S. R. C. 28 oct. 1628.

Quando a Sede Apostolica novum aliquod Officium Ecclesiæ universalis conceditur sub præcepto, certum est Ecclesias omnes, etiam eas quæ Breviario proprio legitime utuntur, ad hujusmodi Officium astringi. Benedictus XIV, *De Beatific. et Canonizal.* SS. I. IV, p. 2, c. vi (V. Bouix, *De jure liturgico*, p. IV, c. II).

i. Si Breviarium et Missale proprium non erat 200 annis antiquius,

<sup>4</sup> Ita Decretum generale S. R. C. Et simul mutantur *Epist., Grad. et Offertorium*, quæ leguntur ex Miss. votiv. SS. Petri et Pauli, ut res ipsa loquitar, et prout legitur in Missalibus Romæ editis, et notat Collectio Gardelliana in Indice Decretorum.

superveniente Piano decreto, debuit derelinqui; si erat, non debuit, sed tantum potuit. At in utroque casu non licet ad alium ritum, quam ad romanum migrare; ita Pius V; et S. R. C. in *Cenomanensi*, 10 jan. anno 1852; neque valet præscriptio, aut consuetudo contraria.

**806. Funera.** — a. Parochi debent vocare ad funera Clericos destinatos ab hæredibus, non alios, S. R. C. in *Laudensi*, 29 aug. anno 1601. Nulla confraternitas impediri debet, ne accedat ad funera modo sine jurium parochialium præjudicio. S. C. E. in *Camerinensi*, 20 aug. 1616.

Hæredes defunctorum possunt vocare numerum Sacerdotum sibi benevisum (S. C. E. maii 1617 in *Cassin.*). Quoties electio fit a Parocho, Clerici Ecclesiæ debent externis præferri. S. C. E. 25 aprilis 1699.

b. Cadavera in quacumque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam; de nocte vero non nisi de licentia Ordinarii. S. C. C. 15 martii anno 1704.

Funus comitantes non permittantur expectare per viam, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine, quod non adesset Clerus, sed solus Parochus. S. C. R. in *Thelesina*, 28 apr. anno 1651.

Sepultura non debet retardari sub quovis prætextu compositionis quartæ funeralis. S. C. E. in *Cassinensi*, 5 maii anno 1616.

c. In depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in iudicium*, etc., quando est mulier aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua*, aut *servis tuis* absque S. Rubricæ læsione; et servandum est Rituale. — S. R. C. 31 aug. 1697.

Rituale habet: *Si officium fuerit pro pluribus defunctis oratio et versus dicantur in plurali numero, si fuerit mulier in genere femineo*; an hoc applicari debeat orationi *Absolute* quæ in exequiis dicitur ad finem Laudum? vel an invariabilis sit? Insuper an oratio *Deus cui proprium est* recitanda ante antiphonam *in paradysum*, invariabilis sit, etsi dicatur pro femina? S. R. C. respondit 12 aug. 1854: *Variandum esse semper, excepta oratione* Non intres.

d. An Sacerdos qui juxta Rituale superpelliceo et stola indutus præfuit elationi corporis, debeat retinere stolam dum præest Matatino et Laudibus quæ immediate sequuntur? *Licere*; ita S. C. R. 12 aug. 1854.

e. In Exequiis Sacerdotum canenda sunt in absolutione responsoria et preces juxta Rituale. — S. R. C. 25 maii 1846.

**807. Hymnus.** — a. Petiit Fr. Bernardinus de Ronghe Ordin. S. Franc. quod S. R. C. immutare dignaretur conclusionem Hymni

*Vexilla regis* et aliorum, qui recitantur a Dominica Passionis usque ad feriam V in Cæna Domini, dicendo *Deo Patri sit gloria, et Filio qui a mortuis, etc.*, et in Responsorio brevi ad Primam loco *Qui sedes ad dexteram, Qui passus es pro nobis*. Respondit *Lectum*: S. R. C. 21 jan. 1662.

An si infra octavam alicujus Festi quod habet conclusionem Hymnorum propriam, occurrat festum quod excludat commemorationem octavæ, continuanda nihilominus sit prædicta conclusio? — *Affirmative*: 29 nov. 1755, S. R. C.

b. Sunt multi Hymni, qui habent conclusionem propriam; conclusio ista semperne adhibenda est etiam in Completorio? — *Negative, sed tantum in Festis Domini, et B. M. Virginis*: S. R. C. 12 nov. 1851.

c. Cum in Rubrica Breviarii tit. 2º de Hymnis, n. 4 manentur, ut in conclusionibus Hymnorum infra octavas ibi notatas dicatur *Jesu, tibi sit gloria*, etc.: etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra octavas prædictas celebrantur, nec aliud propterea excipitur; quæritur, an in Vesperis Sabbati et in Officio Dominicæ infra octavas sit dicendum *Jesu, tibi sit gloria*. — R. *Affirmative, dummodo Hymni sint ejusdem metri*: S. R. C. 23 aug. 1704.

Varia sunt Officia, quæ Hymnos proprios habent. Si quis Hymnus neque in Vesperis neque in Laudibus potest recitari, potestne aut debet uniri Hymno Nocturni, ut sit in festo S. Martine, hoc ut omnes Hymni recitentur? — *Affirmative, si Hymni sint historici; secus negative*. S. R. C. 12 nov. 1851.

d. An in primo anni die Hymnus *Veni Creator*, qui cantatur in Ecclesiis ad invocandum Sanctum Divinum Spiritum, debeat habere pro conclusione: *Jesu, tibi sit gloria*, ratione Octavæ Nativitatis: vel ista *Deo Patri... ejusque soli Filio*? — R. 7 apr. 1852: concludendus cum stropa: *Deo Patri... ejusque soli Filio, etc.* S. R. C.

Hymnus *Veni Creator* extra tempus Paschale semper etiam infra octavam Nativitatis, concluditur cum clausula quasi sibi propria *Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio, etc.*, ut in Hymno Primæ. S. R. C. 28 julii anno 1852.

Ultima stropa Hymni *Veni Creator Spiritus* estne varianda quando dicitur extra tempus Paschale et Pentecosten? — R. *Juxta alias decreta, varianda pro temporum varietate*: S. R. C. 5 aug. 1859<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Nota: *Pro temporum*, non *pro Officii varietate*: unde pro hoc Hymno duæ tantum designantur conclusiones: pro tempore Paschali et Pentecosten *Deo Patri sit gloria, Et Filio qui a mortuis*. Pro aliis temporibus, quodcumque currat Officium, conclusio erit *Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu Paraclito, Nunc et per omne sæculum. Amen*.



e. Extra casum Processionis in Hymno *Te Deum* sufficit versus: *Benedicamus Patrem*, etc., *Benedictus est*, etc., *Domine exaudi*, etc., cum unica Oratione *Deus cuius*, etc. In processionibus vero suae preces cum tribus orationibus e Rituali praescriptae dicantur. S. R. C. 11 sept. 1847.

**808. Imago.** — a. Imago B. M. V. in supplicationibus delata thurificanda est duplici tantum ductu. S. R. C. die 28 1789.

Sacra imago seu statua B. M. V. non est deferenda sub Baldachino. S. R. C. die 22 aug. 1744, et die 23 sept. 1820 in una *Novariensi*.

b. In aliquibus multisque Altaribus Deo, B. Virgini aut alicui Sancto dicatis apponi solet vel stabiliter, vel occasione festorum imago alterius Sancti; quaeritur 1, an visitantes hujusmodi Altare lucrari possint Indulgentias concessas visitantibus Altaria postremi hujus Sancti; 2, an ratione harum imaginum in eorum festis possit dici *Credo* in Missa? 3, an in eorum festis celebrari queat Missa de his Sanctis, etsi in Calendario Diocesano non sint descripti, sed considerentur ut simplices? — Ad 1, *Si Altaria sint consecrata, negative; secus affirmative dummodo fiat de licentia Ordinarii*. Ad 2 et 3 *negative*. 12 nov. 1851. S. R. C.

c. Sabbato Passionis a Vesperis debent velari imagines et cruces, etiamsi occurrat festum Titularis vel Patroni Ecclesiae. S. R. C. 16 nov. 1649, et 12 nov. 1851.

d. Imagines Beatorum pingi ornarique possunt laureolis, radiis et splendoribus; non autem diademate juxta Decr. S. R. C. 19 febr. 1658 ab Alexandro VII confirmatum, et a Benedicto XIV renovatum, 6 sept. 1744.

**809. Indulgentia.** — a. In una Valentin. *proposito dubio*: an visitantes Ecclesias Ordinis S. Francisci die 2<sup>a</sup> augusti lucrentur Indulgentiam plenariam toties (eodem die) quoties in eas ingrediuntur, ut parumper ibi orent? Et an requiratur, ut Communio fiat in eadem Ecclesia? — S. R. Ind. sub die 22 febr. 1847 respondit: *affirmative ad primam partem; negative ad secundam*. Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulg. 8 julii 1850. Et haec Indulgentia potest applicari defunctis: Gregorius XV, *Brevi Alias*, 12 jan. 1678<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Quoad imagines, depictas tabulas, et eorum benedictiones plura apud S. Carolum, in *Concil. Provincialibus*; apud Catalani, *Comment. in Pontifice. Roman.*; et apud Quarti, *De Benedictionibus*. — V. *Défense des faits bibliques contre les erreurs de la peinture*. Paris, 1857.

<sup>2</sup> De hac indulgentia vid. *Martyrologium Roman.* append. martyrolog. Cappucinatorum 4 Aug. — P. Sabinus, *In luce morali*, p. 2, tr. LXV. — Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. xviii. — Ferraris, *Bibliot. Canon.* v<sup>o</sup> *Indulgentia*, art. 5, n. 50. — P. Waldingus, *Annales*, etc. — *Cenno*

b. Lorsque Pie VII passa à Turin, en 1815, la Congrégation de S. Philippe de Néri lui demanda de jouir des indulgences, privilèges, etc., dont elle jouissait avant sa suppression, le pape répondit que ces privilèges n'avaient pas cessé, parce que, dit-il, vous avez été *opprimés* mais non *supprimés*, la suppression n'ayant pas été légalement opérée. Aujourd'hui la même Congrégation, pour sa plus grande tranquillité, supplie Votre Sainteté de vouloir exprimer sa volonté à ce sujet. — S. C. I. répondit: *Nulla Indulgentiarum seu privilegiorum nova concessione ob allatam in ipsis praecibus rationem indigere*: 26 aug. 1840.

c. Utrum quis frui possit obtentis Indulgentiis seu gratiis absque licentia, habilitatione, recognitione Ordinarii sui? *Affirmative, videlicet quoad usum et fruiionem; sed private tantum iisdem uti gratiis, modo in nullius gravamen cedant, aut scandalum occasionem praebent, et modo orator eas facultates sine licentia... typis mandare non praesumat*. S. C. I. 12 dec. 1840.

d. Sanctitas Sua benigne declaravit: *Per Confessionem et Communionem die Paschatis peractam, et Indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam lucrari, et satis praeccepto Paschali fieri*. S. I. C. 12 martii 1847.

*Decretum Urbis et Orbis*. Cum non pauci ad S. Congregationem indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositam supplices libelli porrecti fuerint, praesertim e Gallia, ob Confessariorum inopiam, pro obtinenda facultate sacramentalem confessionem peragendi per plures dies ante eucharisticam communionem ad indulgentias acquirendas praescriptam, nec non ut explicetur, an ad easdem lucrandas liceat sacra Synaxi refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessae. Eadem S. C. habita in Palatio Quirinali sub die 5 apr. prox. praet. auditis Consultorum votis, omnibusque mature perpensis, censuit licere ad praefatum effectum Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis. Quo vero ad petitam explicationem respondendum censuit: *Firma remanente dec. 9 dec. 1765 pro iis fidelibus qui ad confessionem saltem semet in hebdomada accedunt, pro ceteris autem, in locis in quibus ob inopiam confessoriorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramenti expiari, postulantiis communicetur dictum Decret. et facto verbo coram Sanctiss., extendatur ad omnes utriusque sexus Christi fideles, unde confessio peracta infra hebdomadam ante festi-*

*storico sopra la celebre Indulgenza della Porziuncula della volgarmente. Il perdón d'Assisi, concessa alle chiese dell'Ordine Francescano*. Milano, typ. Arvedi, 1851. Haec Indulgentia in Basilica Portiunculæ non suspenditur anno Jubilei; in aliis vero Ecclesiis Franciscani Ordinis eo anno suspenditur tantum pro vivis.

vitatem suffragari possit ad indulgentiam lucranda, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commisisse constet sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam Jubilæi concessas, ut in cit. Decr. 9 dec. 1765. — 12 jun. anno 1822<sup>1</sup>.

Per decretum S. Congregationis Indulgentiarum datum die 12 junii 1822, conceditur Confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad Indulgentiam lucranda: hinc quaeritur: 1. an verba *infra hebdomadam*, significant octo dies tantum, quæ festivitatem immediate præcedunt; an vero hebdomadam illam totam et integram, quæ ante festum decurrit, ita ut, ex. g., Confessio facta die dominica suffragetur ad lucranda Indulgentiam die sabbati hebdomadæ sequentis, in quam diem festum incideret, tamen tunc 15 dies inter Confessionem et festivitatem intercessissent? 2. an Confessio octavo die ante festivitatem peracta, vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucranda; an vero per hanc Confessionem aliæ etiam lucriferi possint Indulgentiæ quæ infra prædictum tempus occurrunt, et ad quas lucrandas sacramentalis Confessio ceteroquin requiretur? 3. an cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur Indulgentia, Confessio tamquam conditio sine qua non præscribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio pœnitentibus detur ad Indulgentiam lucranda? — Ad *Dubium primum* affirmative quoad 1<sup>m</sup> partem; negative quoad 2<sup>m</sup>. Ad *secundum Dubium*: negative quoad 1<sup>m</sup> partem; affirmative quoad 2<sup>m</sup>. Ad *Dubium tertium*: negative. Die 15 decemb. 1841.

e. Cum in Brevibus indulgentiarum dicitur *præsentibus ad septennium duraturis*, septennium est computandum a die datæ, non publicationis. S. C. I. 18 maii 1771.

An liceat vertere in alia lingua preces cum indulgentiis, quin indulgentiæ amittantur? Si fidelis sit versio, affirmative. S. C. I. 14 maii 1858.

Titius suum habet domicilium prope plateam ubi quibusdam solemnioribus diebus coadunatur populus pro Papali benedictione accipienda, quam episcopus tribuit. Idem Titius per fenestras suæ domi quæ plateam respiciunt, accipit benedictionem simul cum familia et aliis extraneis. An eam lucretur, vel debeat in plateam descendere? S. C. I. 7 jan. 1859 respondit; Titius, ejus familia et omnes eo conve-

<sup>1</sup> Quando enuntiat indulgentia plenaria quotidiana atque perpetua pro visitantibus aliquam determinatam ecclesiam, et sub datis conditionibus, sensus est, quod quilibet possit illam lucrari die quo vult, sed semel tantum in anno. Ita ex litterarum concessione.

nientes vere præsentibus censentur, habita ratione localitatis ipsius et præsentia.

Quaeritur 1. an coronæ indulgentias amittant, si alicui donentur; 2. an post mortem domini, alter acquirat dominium eorum, nempe indulgentiarum; 3. quid si rumpatur coronarum filum sive voluntarie ut catenis neantur; sive involuntarie et fortuito; 4. quid si globuli quatuor vel quinque deperdantur; 5. si amico commodentur sive ad coronam simpliciter recitanda, sive ad indulgentias lucrandas? — S. C. I. 10 jan. 1859 respondit: ad 1, *affirmative*, quoties non dentur immediate vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi. Ad 2, *negative*, quia indulgentiæ non transeunt personas prioris domini. Ad 3, *negative*, quia coronæ eadem perseverant quoad formam. Ad 4, *negative* ex allata ratione. Ad 5, *negative in primo casu; affirmative in secundo*; ut enim pereant indulgentiæ coronis aliisque rebus mobilibus affixæ requiritur finis dandi vel præstandi pro communicatione indulgentiarum.

Quando Pontifex indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles tamen indulgentiam in variis diocesis lucrari possint, requiritur ut illa a locorum Ordinariis promulgetur? An sufficit ut certi sint illam a S. Pontifice fuisse concessam? S. C. I. 1 jul. 1859 respondit: *Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam*.

Utrum Archiepiscopi ratione dignitatis impertiri possint fidelibus octoginta dies de indulgentia; cum Pontificale romanum quadraginta tantum dierum indulgentiam præscribat? S. C. I. respondit 22 feb. 1847: *Servandum esse Pontificale romanum*.

f. Decretum, mandante Pio PP. IX: 15 martii 1852: « Cum ad Indulgentias acquirendas sæpe contingat, ut inter præscriptas conditiones, vocales quoque preces injungantur, postulante Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Jacobo Aloysio Brignole Pii Instituti Surdorum ac Mutorum in Urbe protectore, cum etiam plures Moderatores horum Institutuum id ipsum enixe postulaverint, propositum fuit dubium huic sacre Congregationis Indulgentiarum: *An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentia, qua detinentur preces recitandi pro Indulgentiis acquirendis injunctas?* » Re mature discussa tum prius ab uno ex præfate Congregationis Consultoribus, tum demum ab Eminentissimis Patribus in comitiis generalibus apud Vaticanas Edes die 17 februarii hujus anni habitis, ipsi Eminentissimi Patres ejusdem Consultoris Voto adherentes, responderunt: « Supplicandum Sanctissimo pro generali Decreto ab hac sacra Congregatione evulgando atque Apostolica Auctoritate firmando, cujus vi statuendum: Quod si inter opera pro lucranda Indulgentia præscripta sit

visitatio alicujus Ecclesie, Surdo-Muti Ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus. Quod si inter opera sint publicæ preces, Surdo-Muti possint lucrari Indulgentias iis adnexas corpore quidem conjuncti ceteris fidelibus in eo orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus; proprii Mutorum et Surdorum Confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. » Facta itaque de præfatis omnibus Sanctissimo D. N. Pio PP. IX per me infrascriptum S. Congregationi Indulgentiarum Cardinalem Præfectum relatione in Audientia die 15 martii currentis anni, Sanctitas Sua non modo prædictum Votum approbavit, verum etiam hujusmodi Gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale Decretum publicari mandavit. — Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ. Card. Asquinius Præf.

g. Decretum, mandante eodem Summo Pontifice... anno 1852: « Un décret *urbis et orbis*, publié au nom de S. S. par le Cardinal Asquini, préfet de la Congrégation des indulgences, ordonne que toutes les indulgences qui ont été ou seront concédées à des fêtes, ou qui par ces fêtes ont été ou seront concédées à des églises ou à des oratoires publics, soit à des prières, neuvaines, prières de sept jours ou triduo avant ou après les fêtes susdites ou pendant leur octave, se trouvent transférées au jour où la célébration de ces fêtes sera elle-même transférée. » (Non autem, si transferatur festum unice quoque recitationem Officii, 16 sept. 1741.)

h. Quando ad Indulgentiam est præscripta Confessio, uti conditio, non requiritur, ut pœnitens recipiat absolutionem. S. C. I. 15 dec. 1841. Casus esse potest, si quis in venialibus recidivus, non obtineat a prudenti Confessario absolutionem.

i. Utrum annuli aurei vel argentei, decem nodis circumdati, quibus utuntur quadam piæ personæ ad Rosarium recitandum, benedici possint cum appositis Indulgentiis? Respondit Em. Card. Castracane Pœnitentiarius major de mandato Sanctitatis Sux Gregorii XVI, *negative* (*Ami de la Religion*, 27 aug. 1856).

Pro scapularibus benedicendis et imponendis fidelibus requiritur color taneus vel alter consimilis. S. C. I. 12 feb. 1840.

Habens facultatem imponendi scapulare, potest sibi imponere? *Affirmative* quatenus hæc facultas habetur indiscriminatim, minime vero taxative, v. g. pro aliqua monialium communitate tantum, etc. S. C. I. 7 mart. 1840.

An scapularia sint immediate super corpus deferenda, ut illud phy-

sice tangant; vel super vestes retineri possint? *Sufficit super vestes*; S. C. I. 26 jul. 1855.

Litanie Sanctissimi Nominis *Jesu* suntne approbatæ, Indulgentiisque dotatæ? *Negative in omnibus*. Ita S. C. Ind. 7 sept. 1850<sup>1</sup>.

j. Episcopus N<sup>us</sup> Gallie postulavit: 1. an corona dicta *S. Birgittæ* necessario constare debeat sex decadibus; 2. an in singulis decadibus præter decem *Ave Maria* et *Pater* dicendus sit *Credo*. Ratio dubitandi est, quod ex una parte id satis aperte innuatur in libro, *Raccolta di pie opere ed Indulgenze*, etc.; et quod si id non requiratur, corona *S. Birgittæ* nonnisi nomine differt a simplici corona. Ex altera parte hæc opinio est usque nunc saltem in Gallia inaudita, et ex eodem libro supracitato, ad lucrandas Indulgentias sufficit recitare quinque decades sicut in simplici Rosario.

S. C. Indulgentiarum 15 jan. 1859 respondit: ad 1, *affirmative*; ad 2, *affirmative*, si recitetur strictè loquendo corona *S. Birgittæ*, de qua ipsamet auctrix fuit, in memoriam (uti fertur) sexaginta trium annorum *B. M. Virginis*; *negative* vero, si cum prædicta corona recitentur quinque vel quindecim decades Rosarii, seu simplici et communis coronæ. — Ex responsionibus autem patet realiter coronam *S. Birgittæ* a simplici et communi corona differre, non tantum solo nomine, ut supra putatur in dubiis, nam ipsa quinque vel quindecim decadibus, ista sex decadibus tantum constare debet: et si simplici coronæ seu Rosario sæpe adnectantur Indulgentiæ *S. Birgittæ* nuncupatæ, hoc nonnisi auctoritate Apostolica indulgetur. Differt quia una in memoriam componitur *B. V. Mariæ* annorum; altera mysteria Nativitatis, Passionis et Gloriæ Christi complectitur. Differt pro Indulgentiarum varietate, coronam scilicet divæ *Birgittæ* quamplurimum Indulgentiarum *Leo X* et *Clemens XI* concessione ditarunt, ac *Benedictus XIV* eas confirmavit et auxit pro recitantibus vel secum ipsum ferentibus; Rosarium vero seu simplex corona a *Benedicto XIII* nonnullis Indulgentiis pro ejusdem recitatione solum donata est. Differt etiam pro diversitate benedictionis: una nempe a superiore *S. Salvatoris* seu *S. Birgittæ*; altera a Patribus Ordinum Prædicatorum est ordinarie benedicenda.

k. Quæsitum fuit: 1. qui obtinet facultatem benedicendi cruces,

<sup>1</sup> Idem dicendum de Litanis *SS. Cordis Jesu* et *B. M. Virginis*, septem Dolorum et hujusmodi; in Decretis enim de libris prohibitis § 4 prohibentur: *Litanie omnes præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus et Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent*. Unde esto quod permittantur in libris devotionis a privatis privatim usurpari uti ceteræ orationes, quæ quotidie a piis viris efficiuntur; id tamen non liceret in sacra liturgia, nec publice.

numismata et coronas precatorias cum applicatione Indulgentiarum, potestne ea facultate uti legitime coram publico, v. g., in Ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus, si in Indulto facultatis sit clausula *privatim*? 2. quando in Indulto est clausula *in forma Ecclesie consueta*, sufficit signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione verborum formulæ benedictionis et sine aspersione aquæ benedictæ? — Resp. S. I. C. 8 junii 1845: ad 1, *negative*; ad 2, *affirmative*.

1. Indulgentia comitatur Crucifixum: unde hic potest de una in aliam crucem collocari sine Indulgentiæ præjudicio. Ita S. C. Ind. 11 apr. 1840.

Quær. 1. An eodem die lucrari possint plures indulgentiæ plenariæ, quando pro unaquaque præscripta est perceptio divinæ Eucharistiæ? 2. an possit per preces jam obligatorias, v. g., per Horas canonicas satisfieri precibus præscriptis ad indulgentiam plenariam? 3. an sufficiat quinque *Pater* et *Ave* quæ recitari solent ad adimplendum Pontificis intentionem, quando præscriptum est, ut visitetur ecclesia vel altare; ibique fundantur preces, uti, v. g., pro lucranda plenaria indulgentia præscriptum est associatis Operi propagationis fidei? 4. an in facultate a S. Sede concessa benedicendi pro numero mille cruces, crucifixos, numismata, etc., illud mille sit intelligendum de mille crucibus, de mille crucifixis, de mille numismatibus, etc.? 5. An vir idem possit aggregari multis sodalitatibus, v. g., Rosario, B. V. de Carmelo, SS. Cordis Jesu, etc.? 6. An quando possessor Coronæ Domini vel Crucis, cui applicatæ sunt indulgentiæ Viæ Crucis, preces præscriptas recitat una cum aliis qui sibi non habent sive coronam sive crucem tali privilegio ditam, possint adstantes et simul recitantes, easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronæ seu crucis? S. C. I. 29 maii 1841 respondit: ad 1, *affirmative*, *servatis tamen respective aliis appositis conditionibus*. Ad 2, *negative*. Ad 3, *preces requisitæ in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Papæ intentionem sunt ad utriusqueque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur*. Ad 4, *negative, sed mille in totum*. Ad 5, *affirmative*. Ad 6, *negative absque speciali facultate*.

An Sacerdos celebrans pro accepta eleemosyna, possit per communionem in ipsa missa lucrari indulgentiam vel sibi vel defunctis applicandam, si ad eam præscribatur communio? S. C. I. 10 maii 1844 respondit *affirmative*.

Quando ad indulgentias lucrandas præscribitur oratio pro fine determinato, v. g., pro hæreseon extirpatione, pro principum pace, etc., an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus? S. C. I. 12 jul. 1847 respondit *negative*.

An quædam speciales preces quotidianæ sint necessario recitandæ ad obtinendas indulgentias, quæ a Papa sunt concessæ sodalibus Congregationum B. M. V. rite institutarum in seminariis, collegiis, etc., romanæ congregationi consociatarum? S. C. I. 31 jan. 1848 respondit: *Ubi nullæ sunt præscriptæ preces quotidianæ ad effectum indulgentiarum, non tenentur fideles ad aliquas determinatas recitandas*.

1. An Tertiarii sæculares, seu in propria domo viventes, gaudeant omnibus indulgentiis, peccatorum remissionibus, etc., quibus potiuntur Fratres Ordinis Minor. S. Francisci vigore *communicationis*; 2. an sub hac generali *communicatione* veniat quoque privilegium indulgentiæ *Portiunculæ* die secunda augusti; 3. in casu affirmativo an præfata gaudeant earundem etiam ecclesie, oratoria, cappellæ in ecclesiis licet parochialibus existentes, seu inter eas comprehensæ pro omnibus Christi fidelibus? S. C. I. 14 apr. 1857 respondit: *Ad 1, affirmative; ad 2, affirmative; ad 3, negative*.

Quær. 1. An privilegium Clementis XIII quod eos qui assolent confiteri semel saltem in hebdomada possint lucrari indulgentias plenarias infra hebdomadam occurrentes, cum sola communione, quamvis in Brevis apostolico confessio præscripta sit, valeat et extendatur etiam pro lucranda indulgentia vulgo de Portiuncula die 2 augusti? 2. utrum præfatum privilegium suffragatur etiam illis qui non assolent confiteri semel saltem in hebdomada, sed rarius; attamen confessi sunt intra hebdomadam ante festivitatem cui est adnexa indulgentia? 3. utrum confessio hebdomadalis valeat etiam pro lucranda indulgentia in forma jubilei et extendatur decretum Clementis XIII Veronæ; id est qui sæpius assolent confiteri possint lucrari indulgentiam etiamsi confessio non sit hebdomadalis? — S. C. I. 12 mart. 1855 respondit: *Ad 1, affirmative; ad 2, negative; ad 3, negative ad primam partem; non expedire ad secundam*.

An ad lucrandas indulgentias scapularis necesse sit, ut una pars ab humeris, altera a pectore pendeat; an vero sit sufficiens ipsum deferre absque distinctione circa modum? S. C. I. 12 feb. 1840 respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam*.

**SIO. Missa.** — a. An fieri debeat inclinatio capitis cum pronuntiatum nomen SS. Trinitatis, ut fit cum pronuntiatum nomen *Jesus*? — *Congruere, ut fert prævis universalis, præsertim Urbis*: S. R. C. 7 sept. 1816.

b. In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quæratur, quæ Missa legenda in processione S. Marci et Rogationum, præsertim si occurrat Officium duplex? — *Si fiat processio, legenda est Missa Rogationum; secus, de festo cum commemoratione earundem*. S. R. C. 12 nov. 1851.

Qui celebrat Missam in Ecclesia Regularium, aut Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam dicat de Festo, sed cum Missali Romano S. R. C. 9 juli 1668.

c. Deficiente Subdiacono pro Missa solemnè, data necessitate, potest permitti, ut substituatur Clericus saltem tonsura insignitus, ut inserviat Missæ solemnè, sed paratus absque manipulo. S. R. C. 5 juli 1698; et 22 jul. 1848.

An liceat adhibere in Missa Hostiam in qua non appareat imago Jesu C. Crucifixi? Respondit S. R. C. 26 apr. 1834: *Servetur consuetudo.*

An sacerdos qui a fidelibus eleemosynam accipit pro celebranda missa in honorem alicujus Sancti vel mysterii, dum ritus non permittit celebrationem missæ votivæ, possit saltem missæ occurrenti addere commemorationem Sancti vel Mysterii? S. R. C. die 7 sept. 1850 respondit: *Non licere.*

Feria tertia et quarta majoris hebdomadæ canitur Passio a duobus, sed vocem Christi dat ab altari celebrans. S. R. C. 10 jan. 1852 respondit *permitti posse defectu ministrorum.*

Utrum stola latior qua utitur diaconus dum tempore Adventus et Quadragesimæ deponit Planetam plicatam, debeat habere intextas tres cruces, sicuti habentur in stola communi? S. R. C. respondit 25 sept. anno 1852 *negative.*

d. Una est Auctorum omnium sententia culpæ mortalis reos esse qui cum ornato Sacerdotali notabiliter immundo, et lacero Missam celebrant, nulla admissa necessitatis causa. Ex *Decr. Pii VI*, 25 dec. 1775.

e. Celebraturus ad Altare quod habet plures gradus non debet necessario descendere usque ad planitiem; satis est, ut ad pradellam descendat: 16 jun. 1665.

f. S. R. C. interrogata, an cæcutientes privilegium habentes Missam votivam dicendi B. M. V., possint in die Nativitatis Domini N. J. C. tres Missas votivas B. M. V. celebrare, respondit *negative*: 11 apr. 1840.

g. Q. 1. Utrum Sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriæ vel cujuscumque Sancti, etsi non semiduplex vel duplex? 2. Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in singulis hebdomadis, debeat cum paramentis nigro colore celebrare, diebus non impeditis ut possit Indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari? 3. Utrum qui celebrat in Altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut privilegii Indulgentiam consequatur?

4. Utrum ad lucrandam Indulgentiam plenariam orationi *O bone et piissime Jesu* concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione summi Pontificis? 5. Utrum ad Indulgentias applicabiles crucibus, rosariis, etc., alius ritus sit necessarius præterquam signum crucis a Sacerdote qui hanc facultatem accepit, factum? 6. Utrum Indulgentia concessa cadat solum in Christo ex ære, ligno vel alia quoque materia facta, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam ipsi collatam? — S. C. Ind. 2 apr. 1840 respondit ad 1, *affirmative*; ad 2, *affirmative*; ad 3, *ut in secundo*; ad 4, *negative*; ad 5, *negative*; ad 6, *affirmative.*

h. Celebraturus post aspersionem aquæ benedictæ die Dominica potest in medio altaris ante gradus se spoliare pluviali, et induere casulam in eodem loco, immediate celebraturus, etiam Episcopo assistente, dummodo casulam non accipiat de altari. S. C. R. in *Burgi S. Sepul.* 4 apr. 1699.

i. In Missis privatis nemini licet, præterquam solis Episcopis, adhibere Sacerdotem vel clericum ministrantem, qui missali assistat, calicem tegat et detegat, in illum vinum et aquam infundat, aliaque periciat quæ non nisi a Diacono solemniter ministrante jure exercentur. Sed omnes (præter Episcopos) debent calicem ad Altare deferre, illum detegere et cooperire in Missa privata, ad Sacrarium referre, missale aperire et claudere, et reliqua. S. R. C. die 18 aug. 1629 (15 jan. 1631), (26 jan. 1658), (15 junii 1671), (20 juli 1686), (29 juli 1720), (31 maii 1817).

An in missa privata quando minister non est superpelliceo indutus deceat eum, lecto Offertorio a celebrante, ad altare ascendere, accipere et plicare velum calicis; vel hic ritus reservari debeat ministris superpelliceo indutis; vel etiam celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere? S. R. C. 12 aug. anno 1854 respondit, *servandam esse consuetudinem.*

j. An minister debeat genuflectere quando recedit e loco suo, ut adeat credentiam ad accipiendas ampullas; vel facere tantum inclinationem eo quod non recedat e medio altaris; vel nullam facere in hoc casu reverentiam? S. R. C. 12 aug. 1854 respondit, *in transitu tantum ante medium altaris in casu genuflectendum vel inclinandum* (id est prout adest vel non SS. Sacramentum).

k. Sacerdos non antea incipiat *Te igitur*, in principio Canonis, quam fuerit profunde inclinatus. S. R. C. 7 sept. 1816.

An etiam Sacerdos dicere debeat (submisso) in Missa solemnè *Ite Missa est, Benedicamus Domino, et Requiescant in pace*, vel dicantur tantum a Diacono? — Quoad *Ite Missa est*, *negative* (non est

dicendum); quoad *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace* affirmative. S. R. C. 7 sept. 1816.

l. Acolytus aut alius accendens cereos ante Missam aut ante aliam functionem, incipere debet a cereis quæ sunt a parte Evangelii, quippe nobiliori. S. C. R. 12 aug. 1854.

An in Missa coram Episcopo cantata diaconus cessare debeat ab oculis manus celebrantis a rubrica præscriptis? S. R. C. 12 sept. 1857 respondit: *Servetur Cæremontale episcoporum* (ubi dicitur omnes præminentia actus conveniri soli episcopo).

An Sacerdos Missam celebraturus, transiens ante Altare, ubi fit populi Communio, debeat permanere genuflexus, donec et quousque terminetur Communio? S. R. C. respondit *negative*, 5 julii 1598.

m. In elevatione SS. Sacramenti in Missis solemnibus cani potest *Tantum ergo*, vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria. S. R. C. 14 apr. 1755.

n. Missa votiva de B. M. V. cum *Gloria et Credo*, sed sine Officio, potest celebrari in aliqua die ob publicam causam, et ob rationem concursus. S. R. C. in *Claramontana*: 8 junii, apud Merati, n. 528.

Missa votiva solemnibus de B. M. V. potest celebrari in die Dominica ratione concursus populi. S. R. C. 20 nov. 1662 apud Merati, n. 597. Excipe tamen Dominicam privilegiatam, vel si sit duplex 1 vel 2 classis (Sed vide dicenda *De Sacrificio Missæ*, de missis votivis).

o. *Communicantes* in die et octava Pentecostes legi debet prout in antiquis Missalibus ab Urbano VIII recognitis, et retinenda lectio *innumeris linguis*: non altera *igneis linguis*. S. R. C. 13 martii 1804.

p. Amictus, albæ, mappulæ, si quæ ex gossipio habentur, adhibere interea possunt usquedum consummantur; sed cum renovandæ sunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe. Sed corporalia, pallæ, purificatoria post lapsum unius mensis a publicatione hujus decreti linea omnino sint, vel ex cannabe. Decr. Gener. 19 maii 1819. Casulæ non comprehenduntur hoc Decreto; S. R. C. 25 maii 1855.

Ad *quæsitum*: an amictus, albæ et tobaleæ, necnon pallæ et corporalia confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant *mousseline*, responsum fuit, lectum; S. R. C.

q. An quando Missa solemniter canitur, sed sine diacono et subdiacono thurificari possit altare, ut fit quando ministri adsunt? — *Negative*. S. R. C. 18 dec. 1779.

r. Cum post Offertorium... celebrans incipit thurificare Crucem, inchoet verba *Dirigatur Domine*, et prosequatur in incensatione Reliquiarum Altaris, adeo ut eodem tempore finiantur verba et incensatio. Cæremont. Episc. l. I, c. xxiii. Rubr. Miss. t. VII.

An in Choro Ecclesiæ Cathedralis post thurificationem cappellanorum qui extant in una parte, thurificandi sint etiam Clerici ejusdem partis, et postea cappellani reliqui stantes in parte opposita; tandem reliqui Clerici ejusdem oppositæ partis? S. R. C. 25 sept. 1852 resp. *ante thurificandos omnes cappellanos*.

In impositione thuris verba *Ab illo benedicaris* dicantur, dum ponitur incensum; signum crucis efformetur post redditum cochlear. S. R. C. 18 dec. 1779.

s. Tam in principio Missæ, quam post communionem calicem velare debent totum in parte anteriori. S. R. C. 12 jan. 1669.

t. Potest Sacerdos addere in Missa nomen S. Joseph sponsi B. V. in oratione *A cunctis*; et hoc ante nomina SS. Petri et Pauli: 17 sept. 1815. S. R. C.

u. Sacerdos pergens ad celebrandum et Calicem manu sinistra tenens, potest accipere aquam benedictam et se signare si commode fieri potest; sin minus, se absteineat: 27 martii 1779, S. R. C.

v. An sacerdos in Missa privata sacris indutus paramentis possit cineres distribuere et Sanctorum reliquias deosculandas præbere, ut mos est in Veronensi civitate, expleta Missa? Et quatenus affirmative, an possit sibi imponere cineres prius imponere genuflexus coram altare nihil dicens? S. R. C. in Veronensi, 16 mart. 1852 respondit: *affirmative ad primam partem; negative ad secundam*.

x. An in Missa solemnibus permitti possint duo Missalia, unum in cornu epistolæ, aliud in cornu Evangelii? S. R. C. in *Tudent* 7 sept. 1816 respondit *negative*.

y. An in Feria 6 in Parasceve particula sit immittenda in Calice cum tribus signis consuetis? S. R. C. censuit *esse immittendam sine prædictis crucis signis*; 7 aug. 1627; Urbis.

z. Quatuor candelæ et duo ministri cum cotta neque vicariis, licet protonotariis, conveniunt in Missis privatis seu lectis, sed tantum episcopis, et abbatibus usum Pontificalium habentibus; *ita* S. R. C. 7 aug. 1627. Excipe Missam parochoialem aut communitatis, quæ celebratur loco solemnibus; *ex eadem* S. R. C. 12 sept. 1857.

aa. Moniales S. Agathæ declarari petierunt, an feria v in Cæna Domini in eadem Ecclesia ultra Missam ordinariam liceat alteram lectam celebrare. S. R. C. 19 dec. 1654 respondit *non licere*.

bb. In Ecclesiis in quibus non asservatur SS. Sacramentum, non licet celebrare Missam feria v in Cæna Domini, et in Sepulcro idem Augustissimum Sacramentum asservari. S. R. C. 14 junii 1659.

An Parochi in Ecclesiis alienas convenientes aut non convenientes possint (attenta consuetudine immemorabili aut saltem antiqua) Sacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu aut sine cantu in propria Eccle-

sia, prætermissis benedictionibus ignis, cerei, prophetiis aliisque ritibus ipsa die præscriptis; aut non obstante eadem consuetudine idem Sacrum omittre teneantur? Et quatenus negative quoad secundam partem, sub qua pœna statuenda contra Parochos aliosque Sacerdotes? — S. R. C. 12 apr. 1755 respondit: *Congruit, ut Missæ in Sabbato Sancto celebrandæ ignis et cerei benedictio præcedat; ante Missam, prophetiæ omitti non debent, et Episcopus Parochos ad ignis et cerei benedictionem faciendam aliqua pœna adigere poterit.*

« Un Édît de l'Ém. Cardinal Vicair, en date du 2 avril 1852, rappelle que, conformément aux décrets rendus à diverses reprises par la S. Congrégation des Rites, il est défendu à tous les prêtres de célébrer leurs Messes basses le jeudi, vendredi et samedi saints, tant dans les oratoires particuliers que dans les églises publiques. Quant à celles où se font les fonctions de la semaine sainte, on ne doit y célébrer que la Messe conventuelle, après laquelle on place le S. Sacrement dans une chapelle ou sur un autel préparé à cet effet; c'est ce qu'on nomme vulgairement le *Sépulchre*. » (*Correspondance de Rome*, n. 96.) *Vide infra decreta generalia.*

cc. An Sacerdos in Missa, postquam se communicavit, priusquam communionem adstantibus distribuat, possit sermonem ad populum habere (vulgo *exhortation*)? S. R. C. respondit: *Affirmative, ab altari, et de consensu Ordinarii*; ita 12 sept. 1857.

dd. In plerisque Missalibus Graduale in festo Dolorum B. M. V. legitur: *Hoc crucis fert supplicium vitæ factus homo*; in aliquibus autem... *Auctor vitæ*, etc. Quænam lectio retinenda? S. R. C. respondit 12 sept. anno 1857: *Retinendam esse lectionem: hoc crucis fert supplicium auctor vitæ factus homo.*

ee. Quæritur: 1. Episcopi tenentur ad applicationem Missæ pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio? 2. Vicarii Capitulares tenentur ad hanc applicationem, Sede Vacante? Ad 1, *post adeptam possessionem*. Ad 2, *Negative*. Ita S. R. C. 12 nov. 1851. Card. n. 4520. — Et S. Congr. de Propaganda anno 1805 respondit: *Neque vicarios generales neque coadjutores vicarii apostolici, uti nec ipsum vicarium apostolicum, ulla teneri obligatione applicandi Missam pro populo, cui prædictis titulis præsent; sed ex caritate tantum id dicere.*

ff. 1. An celebrante solemniter prima vice novo Sacerdote, presbyter assistens possit aspergere populum in Dominica et dein ad Sacristiam accedere, et sacerdotem ipsum ad altare adducere cum ministris? 2. an subtus pluviale assistens possit stolam gestare et cum patena ministrare, si Eucharistia distribuatur? 3. an ipse assistens possit loco Diaconi celebrantem incensare? — R. Ad 1, *negative in omnibus*;

ad 2, *spectare ad Diaconum utrumque*; ad 3, *negative*. S. R. C. 11 maii 1857.

gg. In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt prælati, ad Confessionem cum suo Psalmo. — In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, quæ jejunantur, ac in Missis defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dicto per Celebrantem *Sanctus*, usque ad *Pax Domini*, et ad Orationes post Communionem, et super populum, excepta Vigilia Paschæ, et Pentecostes, ac Nativitatis Domini et Quatuor Temporum Pentecostes. — Et similiter ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum. *Rubrica Missalis Romani*, n. 17.

hh. In Oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica Missæ celebratio, die Natalis Domini fas est tres Missas ab eodem Sacerdote celebrari. S. R. C. (Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. III, c. iv, § 8).

ii. *Rubrica Missalis tit. 8* postquam numero ix dixit, quod subdiaconus ante medium altaris sustinere debeat patenam, n. 2 præscribit, ut ad *Sanctus* accedere debeat ad altare cum diacono ad dicendum *Sanctus*, etc. An tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus subdiaconus non accedit? Resp. S. R. C. in un. Marsor. 12 nov. 1851: *Servetur cujusque loci consuetudo.*

jj. Missæ privata celebrandæ non sunt in altari majori, dum in choro dicuntur Horæ: neque in altaribus, quæ sunt e conspectu chori. S. R. C. 2 maii 1620.

kk. Hebdomadarius in choro intonare non potest initium Horæ sequentis, priusquam Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit. S. R. C. 14 apr. 1755.

ll. Usus Missalis et Breviarii romani semel introductus in aliqua Diœcesi, vel Ecclesia, mutari amplius non potest. S. R. C. 15 mart. 1608.

Diebus solemnioribus licetne Missæ conventuali sine cantu et in prima Missæ novi presbyteri immiscere Organa et adhibere fanalia ad elevationem Sacramenti? S. R. C. 7 maii 1855 respondit *consuetudinem servari posse*.

Quando contingit celebrare Missam solemnem in Altari laterali, estne chorus post altare majus incensandus? S. R. C. 7 maii 1855 respondit: *Affirmative, quia chorus interveniendo sacerdoti respondet, et ideo etiam ad osculum pacis admittendus.*

An Sede episcopali vacante in episcopali sacello quilibet sacerdos Missam celebrare possit? S. R. C. 8 apr. 1854 respondit *affirmative*.

Si Sacristia stet post altare et ministri accedere possint ad altare tam ex una quam ex altera parte, ex qua parte exire et redire debent?

S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: *A Sacristia e sinistra egredientem, a dextra ad illam accedendum.*

An episcopus tolerare possit quod canonici Missam solemnem cum diacono et subdiacono aliquando cantent, nulla adhibita incensatione, et saepe saepius id faciant in Missis *de requie* cantatis cum assistentia diaconi et subdiaconi, qui semper canonici sunt? S. R. C. in *Salut.* respondit 29 nov. 1856 *negative.*

**Missae in alienis Ecclesiis.**

811. a. Missa concordare debet cum Officio quod quisque recitavit, modo cum colore Ecclesiae in qua celebrat, aptetur. In Oratorio autem privato Missa semper concordare debet cum Officio celebrantis. S. R. C. 12 nov. 1851 in *Marsor.*

b. Sacerdotes confluentes ad Ecclesias Confraternitatum in festis patronorum et titularum earundem, non possunt in Missa addere *Credo* et unicam dicere orationem. S. R. C. 23 sept. 1857, in *Mutinen.*

c. Sacerdos celebrans in aliena ecclesia quoad *Credo* poterit se conformare cum suo Officio, dummodo illud non sit praescriptum ratione Corporis vel Reliquiae. Debet vero, si celebret de Officio Ecclesiae, illud addere, quando in hac recitandum sit. S. R. C. 11 apr. 1840 in *Barchinon.*

d. Cum Missae de beatis celebrari possint tantum in iis Ecclesiis pro quibus concessum est Officium ipsorum, hinc Sacerdotes recitantes Officium de beatis, sed celebrantes in Ecclesiis ubi fit de Sancto, non possunt dicere Missam officii proprii, sed tenentur se uniformare Ecclesiae in qua celebrant. S. R. C. 7 die sept. anno 1816 in *Tuden.*

e. Cappellanus Monialium ab ipsis institutus et ad earum commodum celebrans, potest celebrare Missam juxta ritum Officii earundem Monialium, modo in illarum ecclesia celebret et utatur Missali Romano. Sacerdotes autem alii confluentes ad earundem Monialium Ecclesias devotionis gratia, non possunt celebrare Missas de beatis ipsarum monasterii concessas; sed debent se conformare proprio Officio, quatenus color paramentorum Ecclesiae Monialium in qua celebratur festum, sit idem cum proprio; secus alibi celebrandum. S. R. C. 11 jun. 1701. *Venetiis.*

f. Sacerdotes, qui recitant Officium de festo duplici confluentes ad ecclesias sive regularium sive aliorum, ubi dicitur Officium de festo semiduplici, non possunt dicere Missas privatas defunctorum. S. R. C. 7 maii 1746 in *Varsav.* — Nec missam votivam; S. R. C. 7 sept. anno 1816 in *Tuden.*

g. Sacerdotes etiam regulares recitantes Officium duplex debent se uniformare Ecclesiae ubi celebrant quando ibi festum celebratur cum solemnitate et concursu populi. In aliis vero diebus possunt se uniformare, sed non tenentur; nisi quando color fuerit dissimilis, quia non licet celebrare, v. g., de S. Confessore cum colore rubro, neque de Martyre cum colore albo (hoc ponitur ad exemplum ut patet illo, v. g.; ideo quod dicitur de Confessore, idem valet de Virgine, etc.). S. R. C. 11 jun. 1701 in *Tert. Ord. S. Franc.*; 7 maii 1746 in *Varsav.*; 7 sept. 1816 in *Tuden.*

**Declarationes plures quoad Missas Defunctorum.**

812. a. In variis Diocesis Belgii juxta doctrinam in seminariis traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per Rubricas licet Missas *de requiem* et votivas celebrare, Sacerdotes Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno vel pluribus defunctis aut votivam in honorem alicujus mysterii vel Sancti habentes, celebrent conformes officio quod illa die recitarunt ad satisfaciendum susceptae obligationi, dummodo fideles expresse non rogaverint dici Missas *de requiem* vel votivas... An praefati Sacerdotes satisfaciant suae obligationi? et quatenus negative, ut dignentur Emm. Patres condonationem impertiri pro Missis tali modo excneratis. — S. R. C. respondit: *Affirmative quoad Missas pro defunctis juxta generale Decretum 5 aug. 1662; in reliquis negative, et quoad praeteritum unusquisque consulat conscientiae suae.* S. R. C. 12 sept. 1840.

Decretum generale habet: ... *Si ex benefactorum praescripto Missae hujusmodi celebrandae (nempe privatae de requiem) incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorum benefactorum, curentque Ecclesiarum rectores, sacristiae alique ad quos pertinet, ut hujusmodi Decretum inviolate servetur... In eos autem qui contra facere ausi fuerint, vel promissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tum saeculares tum regulares pro modo culpae animadvertant.* — Et facta SS. relatione, Sanctitas Sua annuit, et cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac benefactorum menti impleri voluit. Die 5 aug. 1662.

b. Rubrica silet circa Orationes dicendas in Missa quotidiana pro defunctis. Auctores vero cum Cavalerio sustinent *primam* dicendam esse pro quibus applicatur; *secundam* ad libitum; *tertiam Fidelium*, asserentes tres Orationes in missa positas valere tantum pro missa



conventuali singulis mensibus canenda in Cathedralibus et Collegiatis. Attamen Sacerdotes generaliter semper easdem recitant orationes, nulla habita ratione pro quo applicant. Hinc quaeritur 1. quæ Orationes in missa quotidiana pro defunctis dicendæ sint a Sacerdote? 2. an in Officiis seu in suffragiis, quæ passim celebrantur apud confraternitates laicorum intra annum pro uno vel pluribus defunctis cum missa cantata et exequiis atque peculiari missarum privatarum numero, unica tantum oratio cum sequentia dicenda sit a sacerdotibus confluentibus, et quæ in casu dicendæ? 3. si officium sit pro defuncto sacerdote, qualis missa et quæ Orationes? 4. an in exequiis quæ fiunt sine tumulo, vel tantum cum tapete in terram strato, sacerdos debeat eas ab altari facere cum aspersione et incensatione; vel potius procedere ad tapete, illudque circumire? 5. an dictæ exequiæ debeant fieri immediate post orationem *Postcommunio*, vel potius post Evangelium S. Joannis?

S. R. C. die 25 sept. 1857 in Mutin. respondit: quoad 1. *servetur rubricæ dispositio et detur decretum in Aqen. 2 sept. 1741* (en decretum; in missis quotidianis quæ pro defunctis celebrantur, possunt quidem plures dici Orationes quam tres; sed curandum ut sint numero impares, et aliquando pro illa *Deus veniæ*, impune subrogatur alia, v. g., pro patre, pro matre, etc., dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium*). Quoad 2. *posse recitari unicam Orationem juxta rubricas cum sequentia*. Quoad 3. *detur decretum in una Ordinis Carmelit. Excalc. Provinciæ Poloniæ 29 jan. 1752* (en decretum: in die obitus vel depositionis vel anniversario defuncti sacerdotis una vel altera missa, id est tam *prima* quæ est pro episcopo adsignata et dicitur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, vel *secunda*, quæ venit postea, et est in die obitus, dummodo Oratio pro eo adsignanda, *Deus qui inter apostolicos sacerdotes*, etc., omnino adhibeatur). Quoad 4. *servetur Cæremoniale episcoporum*, I. II, c. xxxvii (ubi dicitur quod exequiæ fiunt ab altari, non circumueundo tapete). Quoad 5. *absolutionem faciendam esse finita missa juxta rubricas Missalis*, c. xiii, n. 4.

c. In iis Orationibus pro defunctis in quibus non adest littera N. in Breviario aut in Missali non licet adicere nomen defuncti neque in Officio, multo minus in missa; item neque in absolutionibus; neque contraria suffragatur consuetudo etiam immemorabilis. *Decretum S. R. C. 7 apr. 1852 in Viglevanensi* 4.

<sup>4</sup> In morte Regis vel Reginæ ad litteram N. usus est, ut non tantum Baptisti nomen, sed ipsa qualitas *regis* vel *reginæ* proferatur, uti fit in Orationibus, quæ pro ipsis recitantur, dum adhuc vivunt. — Quoad orationes quæ fiunt pro Rege sive in Missa sive in benedictionibus, *vid. l'Armonia*, anno 1856, n. 195 et 197.

d. An in die sabbati Sancti post Missam solemnem de die liceat celebrare Missam solemnem *de requiem*, præsentem cadavere? — *Negative*. S. R. C. 16 apr. 1851.

e. Missæ cantatæ mortuorum infra Octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsentem cadavere. S. R. C. 12 sept. 1691.

Tandem quoad Missas mortuorum non abs re erit sub uno veluti oculo ponere quæ leguntur in Diario, *Amico Cattolico*, v. X, p. 311.

#### Des jours où l'on peut célébrer les Messes des Morts.

**813.** *Suivant le rit ambrosien.* On peut dire les messes *privées* des morts tous les jours, excepté: les dimanches, les fêtes de Notre-Seigneur et leurs octaves; les fêtes de la sainte Vierge et des saints de rit solennel, les vigiles de Noël, de l'Épiphanie et de la Pentecôte, les fêtes de l'Avent privilégiées et *exceptées*; le samedi de la Tradition du Symbole, la Semaine sainte tout entière, les trois jours des Rogations. Tout ceci est prescrit par les rubriques du Missel et les règles du Calendrier ambrosien.

*Suivant le rit romain.* On peut dire les messes *privées* des morts tous les jours, excepté: les dimanches et les fêtes de rit double de Notre-Seigneur, de la sainte Vierge et des saints: telle est la rubrique générale du Missel. Ces messes sont encore défendues pendant les octaves de Noël, de l'Épiphanie, de Pâques de la Pentecôte, de la fête du Saint-Sacrement, la Semaine sainte tout entière, le mercredi des Cendres et la veille de Noël et de la Pentecôte. *Ainsi l'a décidé plusieurs fois la S. Congrégation des Rites.*

#### On peut chanter les Messes solennelles des Morts aux jours suivants :

**814. 1.** Le jour de la mort ou de la déposition, quoique le corps ne soit pas présent, et que ce soit une fête de saint de rit solennel (au romain, de rit double), mais non de précepte. — Décret de la S. Congrégation des Rites, du 19 septembre 1654, dans Gardellini, n. 1585. — Si le corps est présent, on peut toujours chanter la messe, même aux jours de fête de précepte, et à certains jours où l'office est de première classe, comme le lundi et le mardi de Pâques, le lundi et le mardi de la Pentecôte. Il n'y a d'excepté que les solennités principales qui sont: Noël, l'Épiphanie, les trois jours avant Pâques, l'Ascension, la Pentecôte, la fête du Saint-Sacrement, l'Assomption de la

sainte Vierge, la Nativité de saint Jean-Baptiste, la fête des saints apôtres Pierre et Paul et la Toussaint. — *S. C. des Rites*, 21 mars 1744, n. 4004.

Il est en outre défendu de chanter des messes de mort aux solennités de premier ordre, à la fête du saint patron, et à la fête de la Dédicace de l'église principale du lieu. Pour la fête du saint patron, s'il est patron du diocèse, la prohibition s'étend au diocèse entier; s'il n'est patron que d'un bourg ou d'un village, elle ne comprend que ce village. De même, si l'on fête seulement l'anniversaire de la consécration d'une église particulière, la défense n'atteint que cette église.

Toute messe de mort est défendue encore dans l'église où le Saint-Sacrement est exposé, soit pour les Quarante Heures, soit pour une nécessité publique, soit pour quelque autre motif, et cela tout le temps de l'exposition. — Cette décision se trouve dans la collection des Décrets de la *S. C.* et dans l'*Instruction de Clément*, dans Cavalieri. — Enfin, le dimanche ou les autres jours de fête de précepte, il est interdit de chanter une messe de mort, même le corps présent, dans toutes les paroisses où il n'y a qu'une seule messe. *S. C. R.* 26 janv. 1795.

Toutes ces règles, comprises sous le n. 1, s'appliquent également au rit ambrosien et au rit romain.

2. Toutes les fois que le corps n'est pas encore inhumé, mais religieusement gardé dans un lieu voisin de l'église (ce qui peut arriver pour diverses raisons), et que, pour cela même, on n'a pas célébré encore la messe solennelle, mais qu'on a placé dans l'église un catafalque où l'on reconnaisse à quelques signes particuliers (s'il est possible) qu'il ne s'agit pas d'un anniversaire, on pourra chanter la messe *in die depositionis*, pourvu que ce ne soit pas un jour d'office solennel (au romain du rit double de 2<sup>e</sup> classe) ou une fête de précepte. Dans ce cas la messe de mort se chanterait le jour suivant. *S. C. R.* 19 septembre 1816.

5. Le troisième, le septième et le trentième jour après le décès, qu'on comptera ou du jour même de la mort ou de celui de la sépulture, suivant l'usage des lieux, on peut célébrer une messe solennelle de mort, pourvu que ce ne soit pas un jour d'office de première ou de deuxième classe, une fête de précepte ou une octave (un jour privilégié d'après le rit romain). *S. C. R.* 25 août 1776 et 2 août 1783.

4. Quand un chapitre ou un curé apprend qu'un des membres du chapitre ou un paroissien (*unus de gremio*) est mort dans un pays éloigné, il peut célébrer une messe dans l'église à laquelle appartenait le défunt, immédiatement après la réception de la nouvelle, pourvu que ce ne soit pas une fête de précepte ou un des jours exceptés au n° précédent. *S. C. R.* 4 mai 1686 et 27 mars 1779.

5. Pour les anniversaires que les dispositions d'un testateur fixent chaque année au jour de la mort, on peut célébrer une messe solennelle de mort, pourvu que ce ne soit pas fête de précepte, office de première ou deuxième classe, ou une des octaves susmentionnées. *S. C. R.* 4<sup>er</sup> décembre 1666 et 5 juillet 1698. — Toutes les fois qu'on ne pourra pas célébrer ces messes le jour même fixé par le testateur, on les célébrera le jour précédent ou le suivant si ce n'est point une fête de précepte, un jour d'office classé, ou un double majeur, au rit romain.

6. Dans les anniversaires que les fidèles font célébrer par dévotion pour les parents, les amis, les bienfaiteurs ou d'autres défunts, on pourra chanter pour eux la messe comme dans le cas précédent, même un jour d'office de saint solennel, au rit ambrosien, et double mineur ou romain, pourvu que ce soit réellement le jour anniversaire. On ne pourrait transférer la messe solennelle de mort à un autre jour solennel ou double; mais il faudrait attendre pour transférer l'anniversaire à un jour où les messes de mort sont permises. *S. C. R.* 19 juin 1700.

#### es jours où l'on doit célébrer les messes dites de REQUIEM.

815. 1. Dans les églises collégiales et autres églises où l'on célèbre tous les jours la messe conventuelle, on doit chanter la messe de *Requiem* toutes les premières fêtes du mois et la seconde fête de la semaine, à moins qu'elle ne soit privilégiée ou empêchée, d'après les rubriques du missel ambrosien et romain.

2. Le jour de la commémoration des morts toutes les messes, soit privées, soit solennelles, doivent être dites de *Requiem*, avec cette exception pour le rit romain, que là où l'on est tenu à chanter la messe tous les jours, on ne peut omettre la messe conventuelle après tierce, qui est de l'octave des saints ou du saint, double mineur. Ce jour-là on lit la première messe des défunts qui se trouve dans le Missel, quoique l'application en soit laissée au choix des prêtres, et, si l'on avait à célébrer les funérailles d'un mort, on pourrait chanter, le corps présent, la messe *In die obitus*, en sus de celle de tous les fidèles défunts. *S. C. R.* 14 avril 1646.

3. Quand on célèbre la messe à un autel privilégié pour toujours ou à temps, et qu'on doit, à raison d'une disposition testamentaire ou simplement pour satisfaire la dévotion des fidèles, appliquer l'intention à un ou plusieurs défunts, il faut dire la messe de *Requiem* pour gagner l'indulgence. Si, d'après les rubriques, on ne peut ce jour-là dire la messe des morts, il faut célébrer la messe du jour, et on gagne

néanmoins l'indulgence comme si on eût dit une messe de *Requiem*. S. C. R. 10 juillet 1848, n. 4962.

4. Si l'autel n'est pas privilégié et que le prêtre soit tenu, en vertu d'une fondation ou de l'honoraire qu'il a reçu, d'appliquer la messe aux défunts, il doit dire une messe des morts quand les rubriques le permettent, sinon il ne satisferait pas à son obligation. S. C. R. 3 mars 1761.

**816. Moniales.** — a. Nonnullæ cappellæ monialium has habent conditiones simul junctas (agitur tantum de cappella præcipua domus religiosæ): non est consecrata sed tantum benedicta; congregatio non est a. S. Sede adprobata; moniales non dicunt Officium canonicum, sed recitant in dicta cappella Officium B. V.; ibi asservatur SS. Sacramentum; presbyter illic ab episcopo adscriptus est ut cappellanus monialium, qui celebrat missam privatam quotidie et de sero diebus festis dat benedictionem cum SS.; audit confessiones monialium et aliorum; item conciones habet, et cappella patet omnibus fidelibus. De cætero tamen nunquam, aut non nisi ter vel quater in anno ibi cantatur missa aut celebrantur Vesperæ. Quæritur ergo an talis cappella his omnibus circumstantiis simul conjunctis habenda sit ut ecclesia, adeo ut ejus titulus sit vere Titularis in sensu rubricarum cujus officium a Cappellano recitari debeat sub ritu duplicis primæ classis cum Octava? Vel potius dicenda sit tantum cappella publica, aut Oratorium ubi juxta decretum diei 12 nov. 1831, ad 54, festum titularis sub tali ritu non debeat celebrari? — S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; cum cappellæ in dubio expressæ habendæ semper sunt ceu Oratoria.*

b. Ex jure irrevocabiler transfertur per solemnem professionem dominium dotis in monasterium; ita pluries S. R. C.; et Auth. *ingressi* cod. *de sacrosant. eccl.* Hoc tamen valet ubi vota solemnna emittuntur; tunc monialis semel professa e religione egrediens vel ad aliam transiens dotem nequit amplius repetere<sup>1</sup>.

Si vota non sint solemnna, dos restituenda est moniali etsi professa, si egrediatur, ex S. C. C. 1758. Excipe, nisi sint regulæ speciales illius monasterii; tunc iis standum est, quia pactum servari debet; nec ideo dos restituenda, ut rescripsit S. C. E. 10 jun. 1828<sup>2</sup>.

c. Non potest Ordinarius præfigere quantitatem dotis ita, ut moniales

<sup>1</sup> De dote V. Card. Petra, *Ad Constitut. xv Eugenii IV.* — Card. de Luca, *De Regularibus*, disc. 1, n. 150. — Rigantius, *Ad Reg. Cancell.* xxiii; Pignatelli, Passerini, etc.

<sup>2</sup> V. *Analecta juris pontificii*, an. 1858, pag. 498; et an. 1859, pag. 1554: *De la dot dans les Instituts de vœux simples.* — Gautrelet, *De la dot*, etc., t. 1, par. II.

non possint amplius recipere, si sponte solvatur. S. R. C. 5 nov. 1604.

d. Monialis novitiæ professio potest differri ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc non receperit. S. E. C. 51 maii 1597. Potest tamen admitti in professionem antequam solvatur dos. S. E. C. 14 feb. 1655.

e. Moniales debent recitare *Confiteor* absque ulla variatione, prout est in Breviario: 18 aug. 1629, S. R. C.

An in conclusione Capituli culparum possit ex consuetudine Abbatissa benedicere sorores dicens: *Sit nomen*, etc. et *Dominus nos benedicat et ab omni*, etc. ut in fine Primæ. Et an possit de sero illas aqua benedicere et aspergere repetens verba: *Benedictio Dei omnipotentis*, etc., *descendat super vos et maneat semper*? S. R. C. 7 sept. 1850 respondit *affirmative seu servetur consuetudo.*

An religiosus vel monialis gratis spiritualibus, indulgentiis videlicet olim a Papa familiæ concessis jus amittant? S. C. I. 17 jun. 1818 respondit *non amittere.*

**817. Negotiatio.** — S. Concilii Congregatio, referente Fagnano, in l. III *Decretal. de Cler. vel Mon. c. Multa*, declaravit (c. 1, n. 26, etc.):

a. *Licere Clericis agros beneficiorum, et patrimoniorum suorum colere absque reatu illicitæ negotiationis:*

*Posse pro ejusdem culturæ usu boves et alia animalia necessaria coemere illorumque sætus justo pretio atque honesta ratione vendere.*

b. *Posse pro sua et familiæ sustentatione eos, qui in propriis terris habent quercus et cast. aneas, sues emere, eosque alere et vendere; dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendis subius nihil sordidum, aut indecens ordini Clericali exerceant.*

c. *Licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum quod ex bombycibus proveniet, inter utrumque dividatur. Ac pariter eidem licere earundem arborum foliis utendo per seipsum absque officii sui detrimento, ac pro sua et familiæ sustentatione, arti sericæ operam dare; dummodo tamen in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, et quoad hoc Episcopi licentiam quæ gratis delur, obtineat.*

*Clericos pauperes ob suam suorumque necessitatem posse terras Ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis: bona vero laicorum non posse, nisi ex mera præcisa necessitate.*

d. *Posse retinere et locare boves, oves et alia animalia, quæ habent ex successione vel decimis necnon fructus illorum vendere.*

**818. Officium.** — a. *Quum duo vel plures Officium divinum recitant privatim, debentne ad Confiteor omittere verba vobis fratres*

et vos fratres, misereatur tui et misereatur vestri, sicut quando unus tantum illud recitat? Possunt, sed non debent : S. R. C. 12 n. 1851.

b. In Officio ritus duplicis minoris Lectiones primi Nocturni, etiamsi Breviarium indicet Lectiones proprias de Communi, legendæ sunt de Scriptura occurrente, nisi diversæ in Indulto *expresse* assignentur. S. R. C. 27 aug. 1859 in *Minoricensi* (Ut in Festo S. Raymundi et Stanislai Kostkæ, S. C. R. 29 mart. 1851).

c. An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in Nocte Nativitatis Domini a choro addictis? — S. R. C. respondit *negative* 12 nov. 1851 : sed sunt decantandæ. In *Pisana*.

d. Juxta Rubricam Breviarii et Decreta S. R. C. Antiphona finalis B. Mariæ V. præter tempus paschale, dici debet stando omnibus diebus dominicis infra annum a primis Vesperis sabbati usque ad occasum solis ipsius dominicæ. Queritur : 1. a qua hora sabbati incipiant primæ vesperæ tam in Quadragesima, quam in aliis temporibus? 2. an hic occasus solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum? 3. an a primis vespers sabbati usque ad occasum solis in Dominica semper standum sit, etiamsi non recitetur Officium Dominicæ, sed vel sabbati, vel feriæ secundæ? 4. utrum sit genuflectendum si post occasum solis Officium Dominicæ recitetur? — Resp. *Serventur Rubricæ; et ad 1, consulantur Theologi<sup>1</sup>; ad 2, affirmative; ad 3, affirmative; ad 4, negative* S. R. C. 12 nov. 1851.

An in Sabbatis quadragesimæ ad antiphonam B. M. Virginis in Vesperis ante meridiem celebratis sit standum, vel genuflectendum, ut docet Manuale eccles. ? S. R. C. 12 aug. 1854 respondit : *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam*.

Laudandus usus, quo in vespers solemnibus hebdomadarii thurificans altare, interim recitet cum ministris canticum *Magnificat*. — S. R. C. 12 aug. 1854.

e. In uno versu Psalmi : *Legem pone mihi ad Tertiam*, Breviaria Romæ et alibi edita satis communiter habent : *El loquebar in testimoniis tuis*. In aliquibus autem legitur et loquebar de testimoniis tuis, prout invenitur in Editione Vulgata Sacrorum Bibliorum; quænam le-

<sup>1</sup> Horo Vesperarum, ut communiter traditur, est illa quæ subsequitur horam nonam, quæ est media inter meridiem et occasum, estque diversa pro diversis temporibus; in æstate enim est hora quarta post meridiem, et in hieme non advenit nisi ad minus post duas horas cum quadrante a meridie. Liguori, *Op. Mor.* l. IV, n. 174. — In Quadragesima tamen erit ante meridiem hora præstabilita, hora nempe circiter undecima. Vid. *De Horis canonicis*, ubi de tempore recitationis.

gitima lectio? — S. R. C. 12 aug. 1854 respondit : *Juxta vetera et emendatiora Breviaria legendum* in testimoniis tuis.

f. Aliqui in recitatione Divini Officii tam in Choro, quam privatim signum crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt et se inclinant etiam in his locis, in quibus Rubrica nec Missalis, nec Cæremonialis id præscribit. Queritur ergo quando hæc omnia sint faciendum in publica, quam in privata Divini Officii recitatione? S. R. C. respondit *serventur Rubricæ; in Marsor.* 12 nov. 1851<sup>1</sup>.

Non est attendenda consuetudo concinendi preces feriales ad Vesperas et Laudes in diebus jejuniorum per depressionem vocis a *Fa ad Re*; sed utendum tono ac voce uniformi per simplicem *Fa*. S. R. C. 9 maii 1759.

g. Dum Vesperæ et Officia divina recitantur, exposito SS. Sacramento, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Episcopus, quam Canonici et omnes præsentés, durante Officio, starent semper capite detecto, et nunquam sederent. Quod si id ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ, detecto capite, existente SS. Sacramento super Altari, divinis Officiis assistere. *Cæremon. Episcoporum*.

h. In Commemorationibus communibus sive suffragiis Sanctorum, dum fit de aliquo Sancto principali cujus antiphonæ habent in fine *alleluia*, utrum debeant recitari cum *alleluia* in dictis Commemorationibus? — R. *Affirmative etiam in suffragiis per annum, quoties hujusmodi antiphona contineat verba quæ expriment gaudium, victoriam et similia; alias negative* : 29 nov. 1758, S. R. C.

Pro suffragio B. M. Virginis in Ecclesiis eidem dicatis sub titulo quocumque sive Assumptionis, Conceptionis, etc., sufficit consueta antiphona : *Sancta Maria*, etc. : 23 apr. 1695, S. R. C.

i. Aliqui Sacerdotes nulli adscripti Ecclesiæ, pro commemoratione

<sup>1</sup> Cum S. R. C. dicat servandas esse Rubricas in hac sua recenti declaratione, patet non amplius obtinere antea consuetudines quæ non sunt conformes ipsis Rubricis (ideo magis quia cum illas non reprobat, aperte respondere soleat, *servetur vel servari potest consuetudo*, ut habetur in aliis responsis datis in hac ipsa declaratione diei 12 nov. 1851; vel *congruere*, uti respondit 7 sept. 1846 quoad hebdomadarii, qui se signet ad verba *Indulgentiam, absolutionem*, etc.). Porro Cæremonialis habet, quod Episcopus se signet ad *Magnificat* et *Benedictus* in officio vivorum solemnium. Et legitur in Rubrica Breviarii, quod hebdomadarii sibi signat os ad *Domine labia mea aperies*, et signat se ad *Deus in adjutorium* in principio Horarum, atque ad *Adjutorium nostrum*. At nullum signum præscribitur in Rubricis, ad quas nos recentissime remittit S. Congregatio (consuetudine posthabita), ad *Converte nos, Nunc dimittis, Benedicat nos, Dominus det nobis*. etc.

qua præscribitur facienda de patrono vel titulari Ecclesiæ, commemorationem faciunt de patrono vel titulari Cathedralis; alii vero de patrono vel titulari Parochialis sub quo degunt; quænam praxis menti Rubricarum conformior? — *Facienda est commemoratio Patroni civitatis vel loci*: 12 sept. 1840, S. R. C.

j. An quoties in Divino Officio locum habent commemorationes communes seu suffragia Sanctorum, fieri debeat commemoratio de patrono loci, an de titulari Ecclesiæ, an de utroque? *Quum in Breviarii Romani rubricis tit. 35 habeatur quod facienda sit commemoratio de titulari vel patrono Ecclesiæ, liquido apparet nil faciendum de patrono loci*: 23 sept. 1848, S. R. C.

Dum dicenda sunt suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus vel pluribus patronis principalibus, facienda est commemoratio tantum de patrono principali. S. R. C. 2 nov. 1683<sup>1</sup>.

k. Quando fieri debent plures Commemorationes ejusdem Communis, tunc ad Vesperas primo accipienda est antiphona cum versu Laudum; si vero plures sint commemorationes Simplicium, tunc secunda commemoratio sumatur ex secundis Vesperis cum versu secundi nocturni; tertia vero commemoratio fiet desumendo antiphonam primam ex tertio nocturno cum versu ejusdem nocturni. — *Ad Laudes* si plures sint commemorationes ejusdem Communis, prima cum versu erit propria ex primis Vesperis; secunda fiet cum antiphona prima ex tertio nocturno et versu ejusdem nocturni; tertia autem commemoratio fiet desumendo antiphonam secundarum Vesperarum et versum secundi nocturni. S. R. C. in *Einsilden* 5 maii 1736. — Quando recitatur Officium de Confessore et Laudibus fieri debet commemoratio de infra octavam alterius Confessoris propriam non habentis, antiphona pro Laudibus sumenda est non ex primis, sed ex secundis Vesperis; et pro secundis Vesperis sumenda est de Laudibus; in utroque tamen casu cum versiculis de primis Vesperis. S. R. C. 18 dec. 1779. *Ord. Min. S. Francisc.*

l. Quando quis causa itineris vel studii vel aliis de causis extra patriam vel Diocesim versatur, debetne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiæ vel Beneficii vel etiam simpliciter Diœcesis, an vero Officium illius loci, in quo reperitur? *Beneficiati tenentur semper ad Officium propriæ Ecclesiæ; simplices vero Sacerdotes conformari possunt*

<sup>1</sup> An qui plures habent beneficiorum et ecclesiarum titulos, omnium teneantur in privata Horarum recitatione facere commemorationem, affirmat Gavantus; negat Guyetus qui probat decreto S. R. C. 2 apr. 1667, in quo habetur, *beneficiatos non teneri facere commemorationem de Sancto vel de Sanctis titularibus utriusque simplicis beneficii*. Ita habet Fornici, *Institutiones liturgicæ*.

*Officio loci, ubi morantur. Vagi consultius est, ut Diœcesis propriæ kalendario utantur; quia secus magna confusio Officiorum oriretur*: 12 nov. 1851, S. R. C.

Singulis annis dimidia pars cleri Diœcesani ad exercitia obeunda in Seminarium convenit, ibidemque in ecclesia Seminarii Officium divinum, non quidem modo aut ritu choralis, sed modo quasi privato recitant. Quum autem varii sint Titulares diversarum ecclesiarum, varia sunt etiam suffragia in semiduplicibus et infra dicenda. Imo aliquando nonnulli presbyteri habent Officium peculiare pro sua ecclesia recitandum, ob octavam festi Titularis nondum absolutam. Quæritur ergo utrum ad servandam piam consuetudinem officium una recitandi, liceat in hoc casu presbyteris omittere suffragium, aut etiam Officium suum ecclesiæ speciale, et se conformare Officio ecclesiæ seminarii, in quo recitant, vel Ecclesiæ cathedralis? — S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: *A Rev. Episcopo supplicandum SS. Domino Papæ pro apostolico assequendo indulto*.

Episcopus regularis debet recitare Officium suæ Diœcesis, non vero sui Ordinis. S. R. C. 11 jun. 1605.

m. An Clerus adscriptus alicui Ecclesiæ Parochiali, choro tamen illius non obligatus, nec gaudens beneficio, et Clerus sub eadem Parochia tantum degens et alteri Ecclesiæ non addictus, teneatur recitare particularia officia illius Parœciæ, id est Dedicacionis titularis, vel alicujus Sancti ob insignem ejus reliquiam, eo quod in illa Ecclesia Parochiali fuerit inducta consuetudo recitandi prædicta Officia a Sacerdotibus, et a Clericis adnotatis ante Bullam S. Pii V de Breviario Romano, editam anno 1568, ita ut si Officium juxta kalendarium suæ Diœcesis duntaxat celebrent, non adimpleant onus Horarum? — *R. Posse, sed non teneri, ideoque adimplere onus Horarum canonicarum se conformando in recitatione Officii kalendario Diœcesano*: 20 sept. 1806, S. R. C.

n. An in Officio parvo B. Virginis tempore Paschali addi debeat antiphonis et versiculis *alleluia*? — *Recitetur dictum Officium parvum, prout in Breviario Romano*: 28 martii 1626, S. R. C.

o. An in Officio tridui mortis Christi omnes, qui ceteroquin Cruci faciunt tantum profundam reverentiam, ut episcopi, canonici, celebrans, etc., debeant genuflectere? Vel utrum hæc genuflexionis regula locum habeat solummodo in die Parasceve post crucis adorationem? S. R. C. 12 sept. 1857 respondit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam*.

An in Officiis luctuosis hebdomadæ Sanctæ, et in Officiis mortuorum omitti debeant 1. salutatio chori a quocumque adveniente post inceptum officium, et opportuna resalutatio; 2. salutatio chori a celebrante

in accessu et recessu; 3. salutatio chori a celebrante a sede sua ad altare surgente; 4. salutatio chori a quocumque cantaturo lectionem, vel a subdiacono epistolam cantaturo? S. R. C. 12 sept. 1857 respondit: *Negative in omnibus, excepto Officio feriae sextae ab adoratione crucis usque ad nonam Sabbati sancti.*

p. S. Petri commemoratio pro suffragio uti Titularis vel Patroni sufficit illa communis cum S. Paulo. S. R. C. 16 oct. 1745.

Chorus universus ad Primam et Completorium debet replicare *Miserereatur et Confiteor*. S. R. C. 19 maii 1607.

q. Hebdomadarius signarine debet cum in Officio dicit: *Indulgentiam, absolutionem?* Congruere, ut fert praxis universalis praesertim urbis. S. R. C. 7 sept. 1816.

r. Preces feriales et antiphona finalis B. M. V. an etiam privatim flexis genibus sint recitandae? *In choro tantum juxta rubricas.* S. R. C. 12 nov. 1831.

#### Officia defunctorum.

819. a. In anniversario pro anima S. Pontificis supra castrum solioris apponi potest trivregnum simplex tantum; et dici non debet Invitatorium, si unum dumtaxat decantetur nocturnum. Dicenda autem prima missa cum Oratione: *Deus qui inter summos sacerdotes, etc.* S. R. C. 31 maii 1817, probante Pio VII.

b. Testator quotidianam Officii mortuorum publicam recitationem commisit; quid? Attenta hac dispositione ecclesiasticos nominatos teneri, omnibus diebus recitare. Exceptis triduo majoris hebdomadae et festis 1 et 2 classis; in his autem teneri facere ejus commemorationem in *memento* mortuorum. S. R. C. 22 jan. 1689.

Ubi ex dispositione testatoris singulis diebus canendum est in Ecclesia Responsorium pro defunctis potest quotidie decantari, exceptis festis 1 et 2 classis, et octavis privilegiatis et hebdomada mai; sed tunc ne pia testatorum voluntas fraudetur, responsorium recitabitur privatim in choro absolutis Horis canonicis; 8 jul. 1741, S. R. C.

c. S. R. C. interrogata an in duplicibus minoribus et majoribus liceat cantari Vigilia defunctorum ac etiam totum Officium, non quidem ex fundatione, sed ex sola piaque voluntate potentium, quin cantetur immediate post missam, vel si postulata cantetur, dicatur de festo vel die occurrente, respondit: *tolerari posse.* In Tuden. 25 maii 1846.

d. In exequiis parvulorum feria V. in Coena Domini, feria sexta et Sabbato Sancto ante Vesperas, potest omitti *Gloria Patri* in Psalmis, qui dicuntur pro conformitate temporis. S. R. C. 16 jan. 1677.

In exequiis defuncti Sacerdotis crux locetur ad caput defuncti inter feretrum et Altare. S. R. C. 15 sept. 1746. Pro Subdiaconis et Diaconis more laicorum.

e. Juxta Rituale, dum in Officio dicuntur Laudes, sacerdos cum ministris paratur ad celebrandam missam solemnem pro defuncto. Exinde oritur dubium de modo concludendi Laudes: 1. ubi sunt duo vel plures presbyteri, aliusne debet concludere Laudes dum celebrans qui Officium inchoavit paratur in sacristia? 2. ubi unicus est presbyter debetne iste relinquere Officium Laudum sine praeside et adire sacristiam ut paretur ad missam, et deinde opportuno tempore redire in Chorum, vel ante altare alba, cingulo et stola indutus ut concludat Laudes? — S. R. C. 12 aug. 1854 respondit: *Affirmative ad primam partem; quoad secundam debet concludere Laudes, et postea sacristiam petere, ut sese vestiat pro missa celebranda.*

f. An dicendum sit in fine absolutionis mortuorum *requiescat*, vel *requiescant*? S. R. C. respondit 22 jan. 1678: quando absolutio est pro uno defuncto in singulari; pro pluribus, in plurali. In missa vero semper *requiescant*.

g. In Officio Defunctorum, quando recitatur integrum, nunquam est omitendum Invitatorium *Venite exultemus, etc.* S. R. C. 9 maii 1759.

Duplicatio antiphonarum praeter diem commemorationis omnium defunctorum et diem depositionis defuncti, fiat in Officio defunctorum in die tertio, septimo et trigesimo, et in anniversario. S. R. C. martii 1758.

h. Post absolutionem super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, dicto *Requiescat*, subjungi debet: *anima ejus, etc.* In commemoratione vero omnium defunctorum nihil superaddendum. Ita S. R. C. 2 dec. 1684.

In exequiis Sacerdos circumiens feretrum per latus dexterum, seu tumulum (quod Graeci vocant *funus imaginarium*) ter hoc aspergit, in pede, medio et capite. Eodem modo incensat: incensum autem de more benedicunt. *Rituale Cavalieri, Gavantis, Catalanus.*

In exequiis solemnibus alicujus defuncti in trina aspersione et incensatione per quodlibet latus cadaveris vel tumuli seu coenotaphii, salius est si simplicitas in hoc effulgeat. In exequiis tamen non solemnibus,

Diebus, quibus prohibetur Missa *de requiem*, adhuc cum causa recitari poterit Officium defunctorum, exceptis solemnitatibus 1 et 2 classis; quia Missa potest suppleri applicando Missam de die; et Officium defunctorum nequit suppleri cum Officio de die. *Gavantis.* — Quietus excipit etiam dominicas aliaque festa de praeco. Cavalieri ulterius progreditur ex decretis S. R. C.

sive præsentè corpore, sive non, sufficit ut celebrans sine circuitione ter ducat aspersorium super feretrum vel tumulum, nempe in medio, a dextro et a sinistro. Ex *Manuali Ecclesiasticorum*, ubi authentica et plura habentur Decreta.

i. In exequiis, dum post Orationem celebrans dicit: *Requiem æternam*, facere debet manu dextra signum crucis super feretrum vel tumulum. Ex *Manuali cit.*

j. In absolutionibus ad tumulum, licet pro Sacerdote, quando cadaver non est præsens, crux collocanda est inter tumulum et fores Ecclesie, et celebrans inter Altare et tumulum. *Cæremoniale Episcoporum*, lib. II, c. XI, § 15<sup>4</sup>. — Ab illo autem qui missam celebravit, non ab alio sacerdote facienda est post missam absolutio ad feretrum: hoc jure gaudet tantum episcopus; S. R. C. 12 aug. 1854.

**820. Oratio, Collecta.** — a. Si in Missa præscribitur tertia Oratio ad libitum, et Episcopi jussu apponenda est aliqua specialis Oratio seu Collecta, non debet prætermitti quæ ad libitum; sed recitanda tertio loco aliqua Oratio ad libitum; et quarto loco quæ jussu Episcopi dici debet. S. R. C. aug. 1709. Si ex rubrica, præscripta sit oratio pro Ecclesia vel pro Papa et superior Orationem pro Papa præscripserit, semper dicenda est utraque, ita ut non possit satisfieri Rubricæ et præcepto superioris per unam orationem. S. R. C. 23 maii 1855.

b. Cum ex decreto 26 jan. 1795 in oratione *A cunctis* ad litteram N. sit nominandus patronus seu titularis Ecclesie, quæritur: 1. an sit patronus principalis loci in quo celebratur, et quid si plures sint principales patroni? 2. qui nominandus si patronus vel titularis jam sit nominatus in ipsa oratione, aut de eo sit celebrata Missa? *Ad 1, nominandus titularis Ecclesie; ad 2, si jam nominatus fuit, omittenda nova nominatio; 12 nov. 1851, S. C. R.*

c. 1. An in Ecclesiis Regularium aliisque Ecclesiis exemptis, recitanda sint collectæ ab Ordinario loci præscriptæ? 2. an liceat Clero earundem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id jusserit? *Ad 1, affirmative; ad 2, negative: 3 apr. 1821 decreto generali, S. R. C. 2.*

d. Collecta pro eligendo Episcopo continuari debet usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti. S. R. C. 10 dec. 1829.

e. In orationibus non sunt apponenda Sanctorum cognomina vel

<sup>1</sup> Cæremonialis Episc. non tollit laudabiles et immemorabiles consuetudines; S. R. C., 17 jun. 1606.

<sup>2</sup> Si tamen jam cessaverit causa seu consecutus est effectus, et Ordinarius non soleat hujusmodi mandata revocare, tunc potest proprio motu collecta emitti; ut notatur in libro *Manuale Decretorum*. Romæ, 1855.

patria; nomina vero Chrysostomi et Chrysologi sunt retinenda. *Decret. Generale* 8 mart. 1825. In Oratione S. Petri Cælestini et Johannis Gualberti, omittendum *Gualberti*, sed potest addi *Cælestinus*. S. R. C. 7 dec. 1844.

f. Oratio seu Collecta quæ præcipitur communiter pro re gravi, non dicitur in duplici I classis; in duplici vero II classis ad libitum celebrantis in missis privatis tantum; in conventuali et solemni omittenda. S. R. C. 23 maii 1835.

g. Il y a deux endroits dans la messe où l'Église prie pour l'Empereur, aux oraisons du vendredi-saint et à l'Exultet du samedi. Le saint empire n'existant plus, la congrégation des Rites a décidé (3 et 30 août 1859) qu'on devait omettre dans ces prières tout ce qui se rapporte à l'Empereur<sup>1</sup>.

h. In Missa solemni celebrata cum cantu ante SS. Sacramentum so-

<sup>1</sup> Oratio pro rege in Missa nequit apponi, nisi sit ab ecclesiastico superiore præscripta. Excipe nisi rubrica præscribat orationem *ad libitum*; tunc hæc potest utique esse pro rege, etc. In benedictione vero SS. Sacramenti potest procul dubio orari pro imperante, cum rubrica non determinet orationum numerum; nisi agatur de duplicibus primæ et secundæ classis. Imo in Sabaudie regno ab immemorabili hoc in usu est: alicubi tamen orationi non præmittitur versiculus *Domine, salvum fac*, etc.; quem quidem pro sua Diocesi episcopus Novariensis præscripsit (ut videre est in Calendario anni 1821), quoties impertitur benedictio cum SS. nec prohibet ritus. Quoad preces pro regibus vid. etiam *Armonia*, anno 1856, nn. 195, 197; ubi de privilegio recitandi in Canone nomen regis: quod quidem legitime obtinet in Hispania, in Austria et alibi; non tamen apud nos. — V. *Analecta juris pontificii*, ann. 1856. — Olim Missalia habentia in Canone *Pro Rege Nostro N.* erant suppressa. Sed hodie recte dicit Croix cum aliis recentioribus, in hoc non esse faciendum scrupulum ex consuetudine inducta: nempe Missalia suppressa non ideo sunt; attamen ea verba sunt a sacerdote omittenda, nisi sit obtentum a S. Sede privilegium. Ita S. C. R. pluries declaravit, ac ultimo die 20 mart. 1852, probante Pio IX.

Ex decreto apostolico, 10 sept., et declarat. pontif. 17 dec. 1857, pro omnibus Galliarum ecclesiis nomen imperatoris adjici debet:

« 1<sup>o</sup> In canone Missæ. *Et pro imperatore nostro N.*

« 2<sup>o</sup> In Missa solemni post communionem cantari debet versus: *Domine salvum fac*, etc., cum oratione.

« 3<sup>o</sup> Feria VI majoris hebdomadæ: *Oremus et pro gloriosissimo imperatore nostro N.*, etc., cum oratione.

« 4<sup>o</sup> In præconio paschali: *Necnon et gloriosissimo imperatore nostro N.*

« 5<sup>o</sup> In litaniiis Sanctorum, post versiculum: *Ut Regibus*, etc., addatur: *Ut imperatorem nostrum custodire digneris.*

« Et post: *Oremus pro pontifice nostro*, etc., addatur: *Oremus pro imperatore nostro N.* »

lemniter expositum in festo S. Cordis Jesu, omitti debet Commemoratio SS. Sacramenti: 6 sept. 1854, S. R. C.

i. Utrum in oratione super populum ad verba: *Humiliate capita*, etc. Sacerdos debeat se inclinare versus librum an versus Crucem? — *Servetur peculiaris Rubrica feriæ iv Cinerum nihil præscribens*: S. R. C. 16 martii anno 1835.

j. Missa cantata in expositione SS. Sacramenti erit votiva de Sacramento cum unica oratione (nisi occurrat aliqua Dominica vel feria, in qua sit facienda commemoratio), in duplicibus etiam majoribus. At in duplici primæ et secundæ classis, item in Dominica primæ et secundæ classis, Missa cantata erit de die, cum commemoratione Sanctissimi, sub unica conclusione tamen. Missæ vero privatae, si sit semiduplex, possunt esse votivæ de Sacramento cum præscriptis commemoracionibus sine *Gloria* et *Credo*; at si sit duplex, Missæ privatae erunt de die cum commemoratione Sanctissimi post omnes alias commemoraciones. Et in duplicibus (et Dominicis) primæ et secundæ classis, nulla fit commemoratio. S. R. C. 2 dec. 1684; 2 sept. 1741; et Rubrica Missalis.

k. An preces cum tribus Orationibus præscriptæ a Rituali R. post processionem pro gratiarum actione, recitari etiam debeant quando cantatur *Te Deum* sine processionem pro beneficio obtento vel conclusione exercitiorum vel post processionem SS. Corporis Christi; vel sufficiat unica Oratio *Deus cujus misericordiae*, omissis precibus et duabus orationibus? Et quatenus affirmative, an sufficiat oratio *Deus qui nobis sub Sacramento*, si fiat occasione expositionis SS. Sacramenti? — S. R. C. 11 sept. 1847 in Veronen. respondit: *Extrasacramentalium processionis sufficere versus Benedicamus Patrem... Benedictus est... Domine exaudi, cum unica oratione Deus cujus misericordiae.*

An Oratio *Deus qui nobis sub Sacramento*, etc., concludi debeat per verba *Qui vivis et regnas in sæcula*; seu *Qui vivis et regnas per omnia sæcula*, S. R. C. 29 mart. 1851 respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

l. Ut quisque sciat modum concludendi Orationes seu collectas tum in Missa tum in Officio, quidam sacerdos poeta sequentibus versibus omnes quotquot dari possunt, conclusiones edocuit (apud Ferraris, *Biblioth.*, etc., v<sup>o</sup> Oratio); nempe:

*Per Dominum* dicas, cum Patrem presbyter oras;  
Cum Christum memoras, *Per eundem* dicere debes;  
Cum Christo loqueris, *Qui vivis* dicere quæras;  
*Qui tecum*, si sit Collectæ finis in illo;  
Et si Spiritus almus, *Ejusdem* dicere debes.

821. **Prædicatio.** — a. Si Parochus est aptus ad declarandum Evangelium, compelli non potest ad aliud: et si universitas prætendit meliorem Prædicatorem, debet illum eligere cum Ordinarii approbatione, ac expensas subministrare. S. C. E. in *Firmana*; 15 junii anno 1590.

b. Non potest Parochus solitam eleemosynam prætere nec titulo paupertatis, quando per seipsum in sua Ecclesia, in qua prædicare solet, vellet conciones habere; quia hic proprium munus adimplet: nisi in casu, quo universitas vel nominator Parochum deputasset, aut sponte solvere vellet. S. C. E. 30 junii 1615.

c. In concione ante SS. Sacramentum expositum concionator stet detecto capite, licet Sacramentum sit velatum: 22 sept. 1857 in *Mutinen.*

d. Ob supremum Ordinem et dignitatem Episcopalem non convenit, ut Episcopus concionaturus ab Ordinario etiam Cardinali ante concionem Benedictionem petat: 28 apr. 1607 in *Neapolitana*, S. R. C.

Prædicante Episcopo, omnes alii concionatores sileant. Ita S. C. C. approbante *Urbano VIII*, 2 maii 1629. — Id non intelligitur respectu Parochorum, qui eadem die in Ecclesia Parochiali concionari possunt. S. R. C. 11 jan. 1631.

e. Ante concionem petenda benedictio a celebrante etsi non episcopo; si tamen adsit talis consuetudo; secus a solo episcopo juxta formam. S. R. C. 10 sept. 1796.

f. Quando in Missa solemnè Concionator post salutationem Angelicam salutatur Ministros Altaris seu facit reverentiam, non est incongruum, si ministri Altaris et ipse celebrans correspondeat salutationi concionatoris discooperiendo caput. S. R. C. 20 jan. 1686.

g. Tolerari non debet consuetudo sive corruptela, occasione concionum sedere in gradibus Altaris majoris terga vertendo Sanctissimo Sacramento, sit vel non sit expositum. S. R. C. die 20 sept. 1806.

822. **Processio.** — a. Parochus non potest sine licentia Episcopi processiones extraordinarias facere, nec sufficit licentia Vicarii Foranei. S. C. E. 12 jul. 1636.

b. An censi debeant Professores Seminarii unum et idem corpus efformare cum Clericis Seminarii in publicis processionibus? *Negative*, quia nullibi adest consuetudo: S. R. C. die 17 julii 1850. Gard. n. 4512.

c. Genuflexio utroque genu est facienda ab omnibus transeuntibus ante SS. Sacramentum, patenter expositum, etsi fuerit in pyxide. S. R. C. 7 maii 1746.

d. Presbyteri et Clerici Cathedralis omnes faciunt unum corpus cum



Canonicis, et sub una cruce debent incedere. *S. R. C.* 28 nov. 1609; et 29 mart. 1851.

*e.* Quo loco procedere debeat concentus musicus, dum sacris processioibus intervenit? *Assignetur locus ab Episcopo, verum ante utrumque Clerum* (sæcularem et regularem): 23 sept. 1857 in *Brundisina, S. R. C.*

*f.* In processioibus, in quibus deferuntur SS. Sacramentum, vel lignum Sanctæ Crucis, tam Clerus quam sæculares, detecto capite, incedere debent: in aliis vero processioibus, in quibus deferuntur Reliquiæ vel Statuæ Sanctorum, qui eas deferunt capite detecto, alii vero Clerici possunt incedere tecto capite cum bireto: 1 dec. 1657; et 25 sept. 1688, *S. R. C.*

*g.* Presbyter deferens reliquias incedit detecto capite; at Episcopus cum mitra: 22 jan. 1659, *S. R. C.*

*h.* In processioibus Candelarum, Palmarum et similibus, quæ fiunt per Ecclesiam sine SS. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiæ vel Calicis in Missa privata. Quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare ubi Missa celebratur, et deposito SS. Sacramento, progrediendum est. *S. R. C.* 1 martii 1681.

*i.* Ubi processio SS. Sacramenti in ejus festo die vel per octavam ea, qua decet solemnè pompa nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique Ecclesiæ aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua celebrata Missa cum commemoratione SS. Sacramenti juxta Rubricas solemnè illius processio peragi possit. *S. R. C.* 8 maii 1749.

*j.* Non alba, sed tantum superpelliceum adhibendum in processioibus, quando induuntur Planetæ, Dalmaticæ et Tunicellæ juxta Cæremoniale Episcoporum, lib. I, c. xv et xxxiii. *S. R. C.* in *Matheranensi* (et tunc amictus est vestiendus post superpelliceum, quia superpelliceum seu cotta tenet locum rocheti, quod induitur ante omnia).

*k.* In processioibus, in quibus deferuntur solemnè SS. Sacramentum, Thuriferarii cum thuribus incedere debent facie, non dorso, ad Sacramentum semiversa in incessu. *S. R. C.* 15 sept. 1742<sup>1</sup>.

Campanæ pulsantur ubi transit solemnè SS. Sacramentum. *S. R. C.* 10 mart. 1787.

*l.* Assistentes Celebranti, et Clerici, qui processiones dirigunt, non deferant biretum. *S. R. C.* 25 sept. 1857.

<sup>1</sup> In processione SS. Sacramenti nulla reverentia vel genuflexio fieri debet in transitu ante Altare, etsi sit Altare majus et in eo reconditum sit SS. Sacramentum. Tanto minus fieri potest reverentia ab incedentibus, ad invicem.

*m.* Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terræmotus, peste, fame et bello, quæritur utrum recitari debeant, et quo loco apponendæ? — *R. Affirmative, et ponendas esse post versum: a fulgure et tempestate.* *S. R. C.* 11 sept. 1847.

**823. Reliquiæ.** — *a.* Eliminandus abusus superimponendi Sanctorum reliquias piisque imagines Tabernaculo, quo Augustissimum Sacramentum asservatur; neque ante ostium tabernaculi, etsi sit Reliquia S. Crucis. *S. R. C.* 31 martii 1821; 6 sept. 1845; 12 martii 1856.

*b.* *S. C.* Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad dubium an praxis separandi Reliquias Sanctissimæ Crucis D. N. J. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata et sequenda? auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse statuit: *Affirmative.* Ita decretum 22 febr. 1847.

*c.* Insignes Reliquiæ sunt Corpus, Caput, Brachium, Crux, aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. *S. R. C.* 8 apr. 1628. Non esset os femoris. 12 ap. 1825.

*d.* Sanctorum Reliquiæ quando exponuntur, ultra lampadem debent continuo super Altare ardere duo saltem lumina (non tamen nocte); alias non exponantur. *S. R. C.* 22 jan. 1701 in *una Camaldulensium Montis Coronæ.*

An Sacerdos in Missa privata, finita Missa, sacris indutus paramentis possit cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas præbere, ut mos est in Veronensi Diœcesi, expleta Missa? — *Affirmative:* *S. R. C.* 16 martii 1855; non potest tamen sibi cineres imponere.

*e.* Una clavis Reliquiarum Sanctorum Patronorum concedi potest magistratui sæculari ejusdem civitatis. *S. R. C.* 8 maii 1604.

Ad benedictionem cum Reliquia vel insigni Imagine alicujus Sancti estne tam a Clero etiam parato, quam a populo genuflectendum? *S. C. R.* respondit 16 apr. 1855: *Consuetudinem servari posse.*

*f.* Sub Reliquia alicujus Sancti exposita publicæ venerationi inter candelabra, non debet adhiberi Palla, ut fit in pluribus Ecclesiis, die 7 ap. 1852, *S. R. C.*

*g.* In Benedictione cum Reliquia S. Crucis non licet canere: *Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater,* etc. *S. R. C.* 25 maii 1855.

*h.* Incensata cruce a celebrante et facta eidem profunda reverentia, incensantur Reliquiæ, sed absque ulla inclinatione, ratione Crucis præsentis; item est si incensanda sit aliqua Reliquia insignis in medio altaris posita. *Meratus, Gavantus.*

Reliquia Sanctissimæ Crucis non est incensanda a celebrante genuflexo. *S. R. C.* 15 sept. anno 1756.

Non est genuflectendum a Capitulo et Clero processionaliter trans-euntibus ante altare, in quo recondita est Reliquia SS. Crucis, S. R. C. 15 sept. anno 1736. Reliquia SS. Sanguinis Domini N. J. C. convenit cultus qui convenit Reliquiæ SS. Crucis; 22 sept. 1827.

Post expositionem Reliquiæ SS. Crucis, vel post ejus delationem in processione, benedicendus est populus cum ipsa. Si vero defertur Reliquia Sanctorum, potest cum ea populus benedici; non tamen necessario debet. S. R. C. 24 jun. 1685, et 15 sept. 1756.

i. Cum Rubrica Missalis præscribat, quod incensata Cruce, incensetur et Reliquia, seu imagines Sanctorum, quaeritur an imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum reliquias? Responsum fuit: *Non esse de necessitate insculptis Sanctorum imaginibus in Altari dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce, valeant illæ a celebrante thurificari.* S. R. C. 11 martii 1744.

j. Beatorum reliquiarum in processionibus non circumferantur. S. R. C. 27 sept. 1659. Tamen possunt in altari exponi.

**824. Residentia.** — a. Parochus tenetur residere in loco, ubi est Ecclesia et in domo Parochiali: quæ si non adsit, ædificetur, et interim habitet in aliqua domo sita in Parochia, quæ quoad fieri poterit, sit Ecclesiæ vicinior. S. C. E. die 11 martii 1579.

Parochus residere debet in loco, ubi sita est Ecclesia Parochialis, licet ei datus sit Coadjutor ratione infirmitatis. S. C. E. 15 aug. 1607.

b. Parochus, qui lumen oculorum amisit, tenetur nihilominus residere. Ita S. R. C. die 11 apr. 1620.

c. Qui plures habet substitutos in cura, non censetur liber ab onere residentia, et etiam administrandi per se Sacramenta. S. C. E. die 5 dec. 1614.

d. Cuilibet Parocho præsertim seni permittendus est Coadjutor, modo ipse quoque resideat. S. C. E. 31 martii 1604.

e. Parochus cogendus est habitare in domo Ecclesiæ. S. R. C. in *Fulgmatensi*, 29 nov. 1718; et 15 jan. 1720. Petente Præposito Piscien-si declarari, an possit compellere Parochos ad habitandum ædes conjunctas Ecclesiis parochialibus, S. Congregatio censuit posse compellere; si tamen aliquis casus occurrat, qui rationibus specialibus imitatur, rescribendum ad S. Congregationem Concilii. — *Iterum interrogata respondit*, 6 apr. 1606: Parochum teneri habitare in ædibus parochialibus, non tamen amittere fructus, si non habitet, modo in Parochia resideat: quod si ab Episcopo fuerit jussus et non habitet in domo Ecclesiæ parochialis, poterit muletari ab ipso Episcopo.

Parochus regularis tenetur habitare in domo Parochiali, non vero in monasterio distante a cura; cogique potest ab Episcopo, ut apud Ecclesiam Parochialem resideat. S. R. C. 5 apr. 1621.

f. Q. 1. an rectores ecclesiarum parochialium a civitate distantium per duo, tria aut quatuor milliaria circiter possint sine expressa Episcopi licentia abesse a suis ecclesiis, relicto ibidem substituto, et in civitate tam diurno quam nocturno tempore jugiter immorari, exceptis diebus festis, in quibus ad dictas ecclesias se conferunt, revertentes illico ad civitatem? 2. an parochi qui nocturno ceteroquin tempore resident apud suas ecclesias possint celebrata summo mane missa in dictis ecclesiis, se conferre ad civitatem et in ea diurno tempore totius vel majoris partis anni commorari, licet apud dictas ecclesias adsint eorum substituti? 3. an dicti parochi qui ceteroquin resident apud suas ecclesias possint nocturno tempore totius vel majoris partis anni, commorari in civitate, licet apud dictas ecclesias adsint illorum substituti? — S. R. C. 1 maii 1687 (et iterum etiam anno 1850) respondit: *Ad 1, ad 2, ad 3 negative.*

g. Ad quæsitum: *An Parochus villæ, in qua non est alius Sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine Episcopi licentia gratis ubique concedenda, abesse possit a Parochia per duos vel tres dies, nullo idoneo relicto Vicario?* Negative: S. R. C. 8 februarii 1747.

Ad quæsitum: *An saltem abesse possit a mane usque ad vespas, et quid si hoc semel in hebdomada evenit?* Responsum fuit: *Affirmative, dummodo non sit die festo, et nullus adsit infirmus, et raro id in anno contingat.* Ibidem.

Ad quæsitum: *An Parochi viciniores actu eaercentes curam animarum possint invicem se substituere?* Responsum fuit: *Negative, si id fiat sine licentia Ordinarii.* Ibidem, ut supra.

**825. Sepultura.** — a. Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum aliorumque de Clero debent sepieliri cum vestibus proprio Ordini congruentibus; an sufficiat ut cum his in Ecclesia exponantur? — *Servetur cujusque loci consuetudo.* Ita S. R. C. 12 nov. 1851.

b. In sepultura vel anniversario Sacerdotis dici potest tam prima Missa quæ est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium fidelium, quam secunda quæ est in die obitus seu depositionis dummodo Oratio pro eo designanda, *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*, omnino adhibeatur. S. R. C. 29 jan. 1752.

c. Quando Regularis defunctus sepeliri nequit in Conventu (obstante, v. g. lege civili) possunt regulares cadaver ad cœmeterium commune deferre cum stola et cruce conventus, absque parochi interventu, modo sit absque solempni pompa et recto tramite deferatur ad cœmeterium<sup>1</sup>. S. R. C. 24 jan. 1846.

<sup>1</sup> Hoc extendunt etiam ad moniales; *vid. Bouix, De jure Regularium, parte V<sup>a</sup>.*

Utrum in secundo Triduo majoris hebdomadæ in funere ducendo cerei sint accendendi? S. R. C. in Veron. 21 jul. 1853 respondit: *Detur decretum in Placentina diei 11 aug. 1756.* Hoc decretum habet: « Quær. an feria vi Parasceve, expleta hujus diei officiatura, solemnes exequiæ super cadaver cujusdam monialis expositum in ecclesia interiori libere celebrari possint a sacerdotibus in ecclesia exteriori, ut moris est decantantibus mortuale officium cum intortitiis accensis? R. *negative per totum triduum, et officium et preces recitentur privatim.* » Cavaleri contendit id prohibitum esse tota die ovis et veneris usque ad post meridiem Sabbati Sancti.

**826. Via Crucis<sup>1</sup>.** — a. In erectione Viæ Crucis, benedicendæ tantum sunt cruces, minimæ vero tabulæ, sive picturæ. S. I. C. 24 aug. anno 1842.

An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare et stationes percurrere, ut valida sit erectio? Respondetur: *Negative.* S. I. C. 1852.

b. Minime necessaria est facultas commutandi stationes seu cruces quoad locum, modo agatur de eadem Ecclesia, minimeque facultas necessaria est substituendi tabellas, modo tamen cruces superpositæ omnes vel in majori numero perseverent; secus nova erectio requiritur. S. I. C. 20 aug. 1844.

c. An Indulgentiæ in contemplatione Viæ Crucis, si cruces vel tabulæ tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem pictura exornandis, aliave causa, quamvis postea restituantur, cessent? *Negative; non cessant Indulgentiæ, nisi pereunte materia.* Ita S. I. C. 21 martii 1856.

d. In statione Viæ Crucis possunt substitui aliæ cruces, quæ ex ligno tantum esse debent, et in quibus tantum cadit benedictio (minime ergo in tabulis pictis seu imaginibus) absque Indulgentiarum cessatione, si tamen destructa seu substituta fuerit minor pars; secus nova canonica erectio requiritur. S. I. C. 14 junii 1845.

e. An quædam stationes, v. g. prima, decimaquarta, et singulæ

<sup>1</sup> Quod Viam Crucis, V. Minderer, *De Indulgentiis.* — Guillois, *Explication historique, dogmatique, morale, liturgique du Catéchisme*, etc., vol. IV, Paris. — Mons. Gaume, *Catéchisme de persévérance*, part. IV, lec. XLIX. — Afo, *Apologia della Via Crucis.* Parma, 1785. Notamus bene posse ipsam erigi in diversis Ecclesiis ejusdem oppidi; cum nulla lex id prohibeat, et præstet potius ut illa multiplicetur ad eam commodius agendam, pietatemque fovendam. V. *Analecta juris pontific.*, ann. 1858. — Facultas eam benedicendi est penes Franciscanos.

aliæ, si solæ recitentur, habeat unaqueque Indulgentiam plenariam? *Negative* respondit S. Indulgentiarum C. anno 1842.

f. Ad consequendas Indulgentias pro visitatione quatuordecim stationum Viæ Crucis, nihil aliud requiritur, quam divini Redemptoris passionem meditando, ex una ad aliam stationem se conferre, in quantum multitudo personarum prælaudatas stationes visitantium, vel capacitas loci, in quo eadem sunt erectæ, permittant. Ita res est ex Bulla *Inter plurima* Benedicti XIII, 5 martii 1726 confirmata ob aliam Bullam *Exponit nobis* Clementis XII, 16 jan. 1731; et Decreto S. C. Ind. 5 apr. 1751; et etiam Brevi Benedicti XIV, *Cum tanta* 30 aug. 1741. Hinc est quod *Adoramus te, Christe; Pater noster; Ave; Miserere nostri, Domine*, sit tantum laudabilis consuetudo a piis Christi fidelibus in exercitium visitationis stationum Viæ Crucis introducta. In quorum quidem, etc. Romæ 50 sept., 1837 *ex Congr. Indulg.*; et 26 feb. 1841.

g. Non est de necessitate præcepti, ut ad acquirendas Indulgentias incipiendum sit exercitium Viæ Crucis a cornu evangelii; hæc tamen est consuetudo ac praxis generalis, quæ piis est innixa congruentiæ rationibus. S. C. Ind. 15 martii 1857.

An qui exercitium Viæ Crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, v. g., ad audiendum Sacrum, ad sumendum eucharistiam, confessionem faciendum, etc., indulgentias lucretur si postea prosequatur. Vel an oporteat ab initio reassumere. S. I. C. 16 dec. 1760 resp. *affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam*; quia non interest moralis interruptio, neque fit diversio ad actus extraneos.

#### Decreta generalia circa Missas feria V, VI, et Sabbato Majoris Hebdomadæ.

**827. a. Decretum 1.** — Clementis XI decreto 15 martii 1712 prohibetur quodcumque solemne aut privatum Missæ sacrificium feria vi majoris hebdomadæ, licet Festum Annuntiationis B. V. contingat. Itemque Sanctitas Sua declarat hac interdictione quæ feriæ vi ratione facta est, haud permittere, ut feria v ac sabbato ejusdem hebdomadæ majoris Sacra privatim instituuntur, sed conventuale solummodo juxta ritum S. Ecclesiæ et plura decreta sacrorum Rituum Congregationis; idque non obstante consuetudine. *Vid.* Benedictus XIV *Notificatione* xxxviii. (Decreta S. Congreg. refert Gardellini sub nn. 1599 et 4160).

Attamen feria v potest Episcopus Regularibus concedere unam Mis-

sam lectam pro infirmis, qui nequeunt interesse solemniter. *Decr.* 27 martii 1775. Item conceditur regularibus, ut feria v a superiore possit legi una Missa in privato Oratorio: quod si desit, etiam in Ecclesia, sed januis clausis, ad hoc ut Communionem suis religiosis administret, si nempe apud ipsos non agantur functiones consuetae hebdomadae sanctae. *Decret.* 31 aug. 1859.

b. *Decretum* 2 a Pio VII approbatum, 31 julii 1821. Quæritur 1. an toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Parochiis præsertim ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam feria v in Cæna Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti ceteræ ecclesiasticæ functiones præscriptæ ob Clericorum defectum, vel potius abolenda? — 2. an Sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico sacello ratione ordinationis vel ab aliis Sacerdotibus si qui sint qui hujusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a Kyrie vel a Prophetiis? — 3. an ad eliminandos abusos, si qui irreperint, sit consulendum SS. pro revocatione cujuscumque Indulti celebrandi privatim eandem Missam, firma tamen remanente singulari privilegio aliquibus Ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis, concessio unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die?

Responsum fuit ad 1, affirmative, et ad mentem. Mens est, ut locorum Ordinarii quoad Paræcias in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones feriis V et VI, ac sabbato majoris hebdomadae peragi studeant, servata forma, etc. Quoad alias Paræcias quæ Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) feria V in Cæna Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali, vel matrice conventualis incipiat; — ad 2, quoad Episcopos ratione ordinationis servetur præscriptum Pontificalis et decretum S. R. C. 21 martii 1744, nempe Missa incipiatur a prophetiis. Quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine Introitu, post campanarum sonitum; — ad 3, affirmative juxta votum. Videlicet consulendum SS. pro revocatione cujuscumque indulti celebrandi privatim in Sabbato Sancto, firmo tamen singulari privilegio, etc., ut in dubio<sup>1</sup> (Gardell. n. 4453); S. R. C.

**Regula celebrandæ Missæ pro Sponso et Sponsa.**

828. a. — Missa pro Sponso atque Sponsa dici potest in dupli-

<sup>1</sup> Hoc privilegium pro hac singulari gratia in forma Brevis concessit Innocentius XII favore Ecclesiæ tituli S. Mariæ de los remedios Toletanæ Diocesis.

cibus sive majoribus, sive minoribus; nunquam vero in Dominicis, aliisque diebus festis de præcepto. In diebus vero Dominicis, aliisque diebus festis de præcepto, et duplicibus primæ et secundæ classis, dicitur Missa de Dominica, vel de festo cum commemoratione Missæ pro Sponso et Sponsa. S. R. C. 20 decembris 1785. Et hoc decretum Pius PP. VI confirmavit, et ubique executioni dandum esse præcepit die 7 januarii anno 1784.

Insuper R. C. die 28 februarii 1818 declaravit, Missam hanc esse votivam privatam; proindeque decrevit semper legendam esse sine Gloria, sine Credo cum tribus orationibus, et cum Benedicamus Domino in fine et ultimo Evangelio S. Joannis. Atque præfatum Decretum Pius Papa VII approbavit, confirmavit, mandavitque publici juris fieri: die 5 martii anno 1818.

b. Si Missa dicitur de Dominica, vel de Festo, etc., et fiat tantum commemoratio pro Sponso et Sponsa, hæc commemoratio non est facienda sub unica conclusione cum Oratione festi; sed sub altera conclusione: et fiat primo loco post alias a Rubrica præscriptas, sicque reliquis præstet, si quæ sint a Superiore imperata. S. R. C. 20 apr. anno 1822.

c. Missa pro Sponso et Sponsa dicitur cum tribus Orationibus: prima Oratio ejusdem Missæ votivæ propria; secunda Oratio de eo, de quo factum est officium; tertia vero, quæ aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de Officio. S. R. C. 28 febr. anno 1818. Hæc Missa pro Sponso et Sponsa dici nequit infra octavam Epiphaniæ, in Vigilia Pentecostes; neque infra octavam SS. Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar octavæ Epiphaniæ (ut in Novariensi Diocesi). S. R. C. 20 aprilis anno 1822. — Insuper ex hoc decreto neque commemoratio pro Sponso et Sponsa potest fieri in Dominicis vel feriis privilegiatis, uti esset in Dominica Palmarum, in Dominica quarta Adventus si occurrat in vigilia Nativitatis, in quibus omittenda est etiam vel ipsa Collecta imperata.

d. Color in Missa pro Sponso et Sponsa semper est albus. Si vero fiat tantum commemoratio pro Sponso et Sponsa, color erit vel de Dominica, de qua fit officium; vel de Sancto, de quo celebratur festum. Ita Rubrica.

e. Si mulier est vidua, debet omitti et Missa pro Sponso ac Sponsa, et commemoratio, et benedictio in ipsa Missa; item tempore feriato hæc omnia omitti debent; et si tunc celebretur Missa, ea sit de die, nihilque addatur. Ita S. R. C. 5 martii 1761. Quando autem Sacrum pro Sponso et Sponsa fieri nequit, si tunc Nuptiæ faciendæ fuerint, et sit permissa commemoratio pro Sponso et Sponsa, non tantum dicitur Oratio pro Sponso et Sponsa; sed aliæ pariter Orationes pro bene-

*dictione Sponsi et Sponsæ adduntur, quæ post Orationem Dominicam, etc., proferri consueverunt. Ita Benedictus XIV, Notificatione LXXX.*

*f. Si pro pluribus Sponsis una tantum dicitur Missa, nihil in ipsa immutetur. In Nuptiis quæ secundæ dicuntur, non est omittenda benedictio annuli; S. R. C. 27 aug. 1856.—Licite matrimonium contractum coram Parocho benedecitur ab alio Sacerdote.—Sacerdos non tenetur applicare Missam pro Sponsis, nisi ab iis eleemosynam accipiat.—In eadem Missa potest plures benedicere; sed ab eodem celebrante aspergi debent sponsi ante altare genuflexi. Quando plures simul copulantur, accepto primo singulorum consensu et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis forma: *Ego vos, etc.*, nihil obstat quominus benedictiones annulorum, et reliquæ fiant in communi per verba generalia; S. R. C. 1 sept. 1844.*

*g. In Missa pro sponso et sponsa dari potest pax sponso et sponsæ, si talis sit consuetudo; nunquam tamen cum Patena. S. R. C. 10 jan. 1852, in Cenomanensi.*

## APPENDIX III

DE NITORE ET MUNDITIE SACRÆ SUPELLECTILIS<sup>1</sup>.

829. *a. Altaria bis singulis annis, cum sudum est, a finitis Missis ad vesperam spoliata sint, et suppedanea item amota, ut sicci aeris sentiant beneficium; quo tempore, tum Altaria ipsa undequaque mundentur, tum suppedaneorum pars, quæ subter est. Cum mappa mutantur et pallia, Altaria ipsa quoque mundentur arundinea scopula; tela etiam cerata, quæ sacro lapidi hæret leviter purgetur, sive lapis sit insertus, sive totum Altare capiens. Quod si aliquo casu accideret, ita rectum non esse, ob reverentiam sacri Chrismatis ne purgetur*

<sup>1</sup> Maxima sane debet esse observantia erga sacram supellectilem tanquam divino servitio mancipatam, imo tanquam sanctimonie participem, quæ nimirum est sanctitatis instrumentum, unde et sancta vocatur in Scripturis, Pontificiis legibus, Patrumque monumentis. *Non enim, ut ait D. Hieronymus, Ep. ad Theoph. Alex., inania ea sunt et quæ quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicantur; sed ex consortio Corporis et Sanguinis Domini sublimi majestate sunt honoranda. Hæc deprompsimus ex Actis Ecclesiæ Mediol.—V. Bauldry, Manuale SS. Cæremoniarum.*

*tangaturve.—Icones cum ornamentis suis, Eucharistiæ Tabernaculum, et quæcumque hujusmodi picta vel inaurata adjuncta sunt Altaribus; item Umbellæ superimpedentes singulis mensibus mundentur caudis vulpinis, aut arundinea scopa.—Suppedaneum Altaris quotidie mundetur arundinea scopa, si in eo sit facienda Missa.*

*b. Candelabra, Cruces, Thuribula, et reliqua supellex argentea, quantum fieri possit, manibus nudis ne contrectetur; sed adhibito panno, aut velo, parte quæ argentea non sit, capiatur. Antequam recondatur, excutiat, si quid pulveris, cera, aut maculæ accesserit; et extergatur leviter, adhibito linteo et molli panno. Condita autem sit unaquæque res theca sua, ne quid sordium capiat. Cum tamen aliquid purgatione egere visum fuerit, palea combusta, adhibito panno lineo, leniter præstabitur. Quod si quid valde sit denigratum, puta thuribulum ignis causa, aut etiam multa cera adheserit, in lixivio cui sal sit admixtum, ebulliente, detergendum erit, adhibito penicillo ex setis suillis confecto: caveatur tamen, ne si quæ pars inaurata sit, aurum vi salis deteratur; et consulantur periti.*

*c. Calices bini et Patenæ binæ, saltem ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt, quintodecimo quoque die levi manu aqua tepida laventur; sexto quoque mense sapone molliori; tuncque post quartam horæ partem qua maneant in sole, calida lixivio bene abluantur, adhibendo penicillum aliquem ad saponem bene amovendum, præsertim ubi fuerit caelatura. Poterit etiam id fieri furfure cocto et tunc statim aqua munda bis, aut ter abluendi essent. Præstetur autem ab eo, qui in Sacris sit, et in vase ei usui, et lavandis Corporalibus, de quo supra, tantum destinato: quod ex ablutione superfuerit, in Sacrarium fundatur. Ubi vero minor sit numerus Sacerdotum, rarius id fieri poterit, ex proportione numeri Sacerdotum. *Supellex argentea aut inaurata eadem cautione tractetur qua argentea: si semper est exposita, octavo quoque die panno lineo tergatur mollior; si recondenda sit, tergatur tunc; poterunt etiam inaurata sapone, aut furfure purgari, ut dictum est de Calicibus. Candelabra et cetera ex auricalcho, tractentur adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur; si perpetuo usu adhibeantur, tertio quoque die a pulvere et cera, si forte defluerit, mundentur; si reponenda sint, tunc quoque id fiat. Præterea quarto quoque mense, si nunquam fuerint exposita, abstergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo quem dicunt *tripoli* (quem æstivæ muscæ fugiunt), adhibito corio bubalino: aut si utrumque desit, latere tenuissimum pulverem reducto, et loco corii, panno asperiore, quem dicunt *serge*; nullo vero modo hac ratione adhibenda erit aqua. Nifidiora fiunt (sed non diu durat nitor) si fricentur malo Medico, seu Massilico, vulgo *Orange* aut *Limon*, et marmore trito; seu vice ma-**

*dictione Sponsi et Sponsæ adduntur, quæ post Orationem Dominicam, etc., proferri consueverunt. Ita Benedictus XIV, Notificatione LXXX.*

*f. Si pro pluribus Sponsis una tantum dicitur Missa, nihil in ipsa immutetur. In Nuptiis quæ secundæ dicuntur, non est omittenda benedictio annuli; S. R. C. 27 aug. 1856.—Licite matrimonium contractum coram Parocho benedecitur ab alio Sacerdote.—Sacerdos non tenetur applicare Missam pro Sponsis, nisi ab iis eleemosynam accipiat.—In eadem Missa potest plures benedicere; sed ab eodem celebrante aspergi debent sponsi ante altare genuflexi. Quando plures simul copulantur, accepto primo singulorum consensu et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis forma: *Ego vos, etc.*, nihil obstat quominus benedictiones annulorum, et reliquæ fiant in communi per verba generalia; S. R. C. 1 sept. 1844.*

*g. In Missa pro sponso et sponsa dari potest pax sponso et sponsæ, si talis sit consuetudo; nunquam tamen cum Patena. S. R. C. 10 jan. 1852, in Cenomanensi.*

## APPENDIX III

DE NITORE ET MUNDITIE SACRÆ SUPELLECTILIS<sup>1</sup>.

829. *a. Altaria bis singulis annis, cum sudum est, a finitis Missis ad vesperum spoliata sint, et suppedanea item amota, ut sicci aeris sentiant beneficium; quo tempore, tum Altaria ipsa undequaque mundentur, tum suppedaneorum pars, quæ subter est. Cum mappa mutantur et pallia, Altaria ipsa quoque mundentur arundinea scopula; tela etiam cerata, quæ sacro lapidi hæret leviter purgetur, sive lapis sit insertus, sive totum Altare capiens. Quod si aliquo casu accideret, ita rectum non esse, ob reverentiam sacri Chrismatis ne purgetur*

<sup>1</sup> Maxima sane debet esse observantia erga sacram supellectilem tanquam divino servitio mancipatam, imo tanquam sanctimonie participem, quæ nimirum est sanctitatis instrumentum, unde et sancta vocatur in Scripturis, Pontificiis legibus, Patrumque monumentis. *Non enim, ut ait D. Hieronymus, Ep. ad Theoph. Alex., inania ea sunt et quæ quasi sensu carentia sanctimoniam non habere dicantur; sed ex consortio Corporis et Sanguinis Domini sublimi majestate sunt honoranda. Hæc deprompsimus ex Actis Ecclesiæ Mediol.—V. Bauldry, Manuale SS. Cæremoniarum.*

*tangaturve.—Icones cum ornamentis suis, Eucharistiæ Tabernaculum, et quæcumque hujusmodi picta vel inaurata adjuncta sunt Altaribus; item Umbellæ superimpedentes singulis mensibus mundentur caudis vulpinis, aut arundinea scopa.—Suppedaneum Altaris quotidie mundetur arundinea scopa, si in eo sit facienda Missa.*

*b. Candelabra, Cruces, Thuribula, et reliqua supellex argentea, quantum fieri possit, manibus nudis ne contrectetur; sed adhibito panno, aut velo, parte quæ argentea non sit, capiatur. Antequam recondatur, excutiat, si quid pulveris, cera, aut maculæ accesserit; et extergatur leviter, adhibito linteo et molli panno. Condita autem sit unaquæque res theca sua, ne quid sordium capiat. Cum tamen aliquid purgatione egere visum fuerit, palea combusta, adhibito panno lineo, leniter præstabitur. Quod si quid valde sit denigratum, puta thuribulum ignis causa, aut etiam multa cera adheserit, in lixivio cui sal sit admixtum, ebulliente, detergendum erit, adhibito penicillo ex setis suillis confecto: caveatur tamen, ne si quæ pars inaurata sit, aurum vi salis deteratur; et consulantur periti.*

*c. Calices bini et Patenæ binæ, saltem ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt, quintodecimo quoque die levi manu aqua tepida laventur; sexto quoque mense saponem molliori; tuncque post quartam horæ partem qua maneant in sole, calida lixivio bene abluantur, adhibendo penicillum aliquem ad saponem bene amovendum, præsertim ubi fuerit caelatura. Poterit etiam id fieri furfure cocto et tunc statim aqua munda bis, aut ter abluendi essent. Præstetur autem ab eo, qui in Sacris sit, et in vase ei usui, et lavandis Corporalibus, de quo supra, tantum destinato: quod ex ablutione superfuerit, in Sacarium fundatur. Ubi vero minor sit numerus Sacerdotum, rarius id fieri poterit, ex proportione numeri Sacerdotum. *Supellex argentea aut inaurata eadem cautione tractetur qua argentea: si semper est exposita, octavo quoque die panno lineo tergatur mollior; si recondenda sit, tergatur tunc; poterunt etiam inaurata saponem, aut furfure purgari, ut dictum est de Calicibus. Candelabra et cetera ex auricalcho, tractentur adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur; si perpetuo usu adhibeantur, tertio quoque die a pulvere et cera, si forte defluerit, mundentur; si reponenda sint, tunc quoque id fiat. Præterea quarto quoque mense, si nunquam fuerint exposita, abstergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo quem dicunt *tripoli* (quem æstivæ muscæ fugiunt), adhibito corio bubalino: aut si utrumque desit, latere tenuissimum pulverem reducto, et loco corii, panno asperiore, quem dicunt *serge*; nullo vero modo hac ratione adhibenda erit aqua. Nifidiora fiunt (sed non diu durat nitor) si fricentur malo Medico, seu Massilico, vulgo *Orange* aut *Limon*, et marmore trito; seu vice ma-**

lorum, uvis agrestibus, vel herba arida, denique aqua bene abluantur, tum siccentur et soli exponantur: aceto nunquam abstergantur. Recondita vero hujusmodi telaribus crassioris chartæ, aut saccis lineis amicta habeantur, qui pulverem arceant, ut nitida semper, atque lucida appareant.

d. *Lampades vitreæ*, quæ sunt semper quotidiani usus, quinto-decimo quoque die fursure et aqua calida abstergantur. — *Urceoli* præter id quod quotidie fit, singulis mensibus diligenter purgantur, adhibito ovorum cortice bene contrito, cum ligneolo aliquo instrumento, ad sordiculas bene eluendas, aut vero alia ratione, si quæ aptior inveniatur. Opercula autem urceolorum quotidie, cum ipsa reponuntur, bene siccentur si madeant.

e. *Pelviculæ* eorundem quotidie abstergantur siccenturque; si stannea fuerint, tertio quoque mense lixiviam ferventem laventur, et avena vel farre vestito, seu ovorum cortice bene contrito fricentur; post iterum aqua lotæ, in sole siccentur, et panno lineo mundo abstergantur. — *Ænea vasa*, pro ablutione Calicum, etc., antequam adhibeantur, et post, bene abluantur: his vero singulis annis abstergantur accurate, si opus est, latere contrito, vel arena, et aqua; si stanno sunt illita, adhibeantur fursur et aqua. — *Instrumentum ad Hostias* conficiendas, cum eo usus fuerit Sacrista, aut alius, oleo perfundat, et utramque partem, charta interposita, simul jungat, quæ in exteriori parte fuligo hæserit, abradat, postea eandem partem crassiore panno tergat, et in loco decenti reponat.

f. *Linea omnia*. Albæ, Amictus, Superpellicea, Mappæ, Panni et si quid aliud est divini cultus gratia paratum, separatim ab indumentis domesticis cujuscumque laventur; quæ tamen habentur ad manus, faciemque lavandam, et ad nares purgandas, hoc numero ne censeantur. — *Ternæ Altarium mappæ*, superior quidem singulis mensibus inferiores vero quater in anno mundæ apponantur. — *Corporalia* bina tertia quoque hebdomada, binæ Albæ decimo quinto quoque die. Cinguli alternis mensibus, Manutergia Altarium, bini Amictus, octo dierum spatio mutantur, et hæc saltem, ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt. Ubi autem pauciores sunt Sacerdotes, ex defectione numeri Sacerdotum poterit augeri pro rata parte numerus dierum; et e contra, ubi plurimi Sacerdotes, minuendus erit quoque numerus dierum. — *Purificatoria* singulorum Sacerdotum (convenit enim unicuique suum) spatio octo dierum, vel ad summum quindecim. Superpellicea, quæ, usui vario Sacerdotalium, aut Clericalium ministeriorum destinata sunt, ad eandem fere rationem. In suppedaneo armarii seu mensæ, ubi Sacerdos consistit, sacra indumenta sumens, perpetuo stratus sit crassior pannus, ne qua parte Alba foedetur. —

*Lintea* Sacristiæ ad manus extergendas singula hebdomada munda ponantur; tum velde humido cælo quotidie siccentur admota igni.

g. *Mappæ* ad sanctæ Communionis usum, contractiores quidem alternis hebdomadis, majores vero alternis mensibus mutantur. Quod autem hæc mutationum intervalla præfiniantur, non ideo tamen extraordinarie quoque fieri non poterunt, si oporteat; puta, si ex labe quæ forte aspersa sit, aut alia de causa. Præcipuis solemnitatibus munda omnia adhibeantur pulchriora. — *Mappæ Altarium*, finitis Missis, contegantur stragulis suis; prius vero leviter purissima scopula, ejus generis, quod vestimentis domesticis adhibetur, proprie tamen ad eum usum destinata, pugentur; ipsa stragula singula hebdomada diligenti agitatione a pulvere mundentur; præter id, quod etiam quotidie mane eadem levius excuti debent; tum aeri tertio quoque mense exponantur.

h. *Corporalia et Purificatoria*, cum removentur, ut alia adhibeantur, ponantur in arcu, seu canistro ad eum tantum usum destinato; et antequam dentur foras ad lavandum, ab eo, qui sit in Sacris (hodie tamen fit etiam a simplici Clerico), laventur in proprio vase, de quo supra, lixiviam, et sapone adhibito, et mox his aqua sola abluantur. Quod ex lavatione superest, in sacrarium fundatur. — *Albæ superpellicea* lavata, crispanda dentur: quoties reponuntur, apte saltem contorqueantur, si non crispentur. — *Corporalia* item dentur personis peritis, ut amylo indicta, ea durescere faciant, et complicant præscripta ratione; tempus huic operi aptum erit a mense maio ad octobrem. — Recondentur autem hæc linea omnia bene sicca et complicata, separatim suis locis, ut sint in promptu; apponanturque rosæ siccæ, et lavandula, aut similia; tum ad majorem munditiam et elegantiam; tum ut a tineis libera sint: nullus Sacerdos accedat ad Missam faciendam fedis calceis, aut crepidis; ideo semper habendæ essent crepidæ in Sacristia ad hunc usum. — Habeatur etiam in Sacristia *scopula*, qua Sacerdotes, et Clerici utantur ad indumenta communia mundanda, antequam vestiant sacra.

i. Omnia indumenta distinctis propriis scriniis habeantur, et secundum coloris præterque varietatem; linea quoque pro genere, et pretio sint distincta, appositis schedulis. — *Casulæ* recludantur ductilibus capsis, quæ in armaria inserantur; atque posita crassiore charta, quæ fundum capsæ contegat, appositisque siccis rosarum foliis et lavandula, aut similibus, ponatur Casula cum Stola et Manipulo suo; mox aliæ ejusdem generis pro magnitudine capsæ. Addantur bursæ Corporalium, et integumenta, si adsint, Missalium. Recondantur vero Casulæ bene extentæ sine ruga, aut plicatura; eodem modo *Dalmaticæ*, et *Tunicellæ*; super omnia autem alia charta sit, ut res mundiores ser-

ventur. Quæ sunt ex aureo, vel argenteo panno, aut ornamenta habent auro vel argento asperiora, habeant pannum inter utramque superficiem, ne confricata corrodantur. — *Pluvialia* maxime si aurea, vel argentea sint, vel recondantur in amplo armario extenta, vel plicata recondantur; ita tamen, ut nullo modo inflectatur pars pensilis, quæ a tergo est (vulgo *Caputium*) et interponatur pannus, ut dictum est.

Quandocumque extrahuntur hæc indumenta, supponatur eis mappa munda, imo et stragulum substernatur, si aliquo spatio relinquenda sint. Quæ raro adhibentur, quandoque in sereno cælo explicata exponantur, ne forte mucescant, vel male oleant; sed non in sole: poterit id fieri mense maio, vel septembri, et semel in hyeme pro opportunitate nempe temporis.

j. *Pallia Altarium* semper habeantur, si fieri possit, suis telaribus extente affixa ut supra diximus; poteruntque uni asserculorum structuræ duo affigi diversi coloris, ut pro diei conditione necesse non sit, nisi vertere telaris faciem; ita in amplo armario erecta habeantur, dempta linea filamentorum (quam vocant frangiam), quæ assuta non sit. Interponatur autem pannus, sive inter duas facies palliorum in armario, sive inter Palli, et Altaris faciem, ad vitandam eam, quam diximus, confricationem. Commodum vero erit, pannum adeo esse latum, ut utramque telaris faciem, et sic pallia ab utraque parte affixa contegat; et ita in media sui parte affixus telari, nunc quidem hinc extendatur, et ab omni latere ligaculis connectatur, nunc vero ad unam partem tantum, prout duas facies telaris aut unam contegere oportuerit. Quod si plicanda fuerint, ita fiat, ut si quæ Crucis species, aut imago affixa est, non inflectatur, cautioque adhibeatur, si oportet, interpositi panni.

k. *Tapetia*, crassioresque panni ad soli insternendi usum, cum recondenda sunt, prius purgentur cera, et si quid aliud sordidum adhaeserit, aeri post exponantur, et diligenter exagitantur ad excutiendum pulverem; scopula bene mudentur, et ita complicata, suis locis recondantur.

*Sacristiæ* fenestræ sæpe pateant, sereno, siccoque cælo; tum capsulæ ductiles paululum educantur; et etiam quæ intus sunt, sentiant acris beneficium.

## APPENDIX IV

S. APOSTOLICE SEDIS RESPONSA QUEDAM  
RECENTIORA CIRCA JEJUNIUM<sup>1</sup>.

830. 1. Ad Quæsitum: *Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam X et XI matutinam, prandium vero differendo ad IV, vel V horam vespertinam?*

S. Pœnitentiaria, 10 jan. 1854, respondendum censuit: *Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua exstet causa, pœnitentes qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.*

2. Ad Quæsitum: *Si les pères de famille peuvent étendre indistinctement à tous les individus de la famille la permission du gras accordée à un membre de la famille?*

S. Pœnitentiaria anno... respondendum censuit: *Infirmilitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque Medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus.*

3. Ad Quæsitum: *Si pendant le Carême, lorsque le chef de famille est dispensé du maigre et ne peut pas ou ne veut pas qu'on fasse deux dîners, l'un gras et l'autre maigre, les enfants de la famille et les personnes qui sont à son service peuvent faire gras?*

S. Pœnitentiaria, 16 jan. 1854, respondendum censuit: *Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis: adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis; et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.*

4. Ad Quæsitum: *Si ceux qui sont dispensés du jeûne à cause de leur profession fatigante pendant le Carême, lorsqu'il y a permission du gras et du laitage (pour un seul repas), peuvent user du gras et du laitage toutes les fois qu'ils ont besoin de manger dans le cours de*

<sup>1</sup> Excerpta sunt e perutili Opusculo Righetti *Del Digiuno e della Quaresima*. — Quanti autem ea faciendæ sint, vel ex hoc liquet, quod Benedictus XIV, Encyclica *Libentissime* 10 jan. an. 1745, mentionem faciens de quæstionibus quæ super Jejunio proponebantur, habet: *Sacro Tribunali nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene eumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.*



la journée, comme les jours de dimanche du même temps du Carême auxquels il n'y a pas obligation de jeûner.

S. Pœnitentiaria, 16 jan. 1854, de mandato felicis recordationis Pii Papæ VII, respondit: *Fideles qui ratione ætatis vel laboris jejungere non tenentur, licite posse in Quadragesima cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt.*

5. Ad Quæsitum: *Utrum ii, qui ratione ætatis vel laboris jejungere non tenentur, subjiciantur Legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur?*

S. Pœnitentiaria, 15 februarii anno 1854, respondit: *Consulat (quisque) probatos Auctores<sup>1</sup>.*

6. Ad Quæsitum: Un confesseur demande à Votre Sainteté si ceux qui sont dispensés (*de l'abstinence*) les vendredis et samedis de l'année, où il n'y a pas jeûne d'obligation, peuvent mélanger les aliments, non-obstant la réponse de Benoît XIV à l'archevêque de Saragosse, par l'organe de la Secrétairerie du 5 janvier 1755?

S. Pœnitentiaria, 15 febr. 1854, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI, de ipsius Sanctitatis Suae mandato respondit: *Permitti.*

7. Ad Quæsitum: *Utrum in diebus jejunii tempore Adventus a Pio VI præscripti, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est usus carniū, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium?*

S. Pœnitentiaria, 8 jan. 1854, respondit: *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.*

8. Ad Quæsitum: *Utrum Lege vetitæ permiætionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (vulgo salaisons, id est anchois, thon, caviar, harengs, aliaque his similia), an potius misceri possint ad instar condimenti alterius feruli?*

S. Pœnitentiaria, 16 jan. 1854, respondit: *Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

<sup>1</sup> Alii docent illos quoque subjici; nam lex qualitatem ciborum respiciens omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut si indultum non esset, etiam ab illis a carnibus esset abstinendum: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut quæ una vice comedere possunt jejunantes, ea toties quoties voluerint valeant comedere a jejunio liberati. — Alii cum ipso Righetti contrarium tenent; nam Encyclicæ Benedicti XIV, quibus ea mixtio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur; ergo non ultra sunt extendendæ: alioquin si nimis essent urgendæ, a jejunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendæ carnes; cum id semel tantum ibi indulgeatur.

9. Ad Quæsitum: *Utrum tempore jejunii cui licitus est usus carniū, liceat misceri testacea marina, quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur (id est huitres, tellines, patelles, moules, écrevisses, etc.)?*

S. Pœnitentiaria, 16 januarii 1854, respondit: *Testacea marina quæ improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita sit.*

10. Ad Quæsitum: Ceux qui sont dispensés du maigre peuvent-ils, dans les jours de jeûne, prendre seulement une soupe grasse pour leur santé, et pour le reste user de la nourriture prescrite, afin de conserver autant qu'il est possible la loi du maigre?

S. Pœnitentiaria, die 8 februarii anni 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative.*

11. Ad Quæsitum: *Utrum nempe tempore jejunii liceat mixtio carnis cum leguminibus?*

S. Pœnitentiaria, anno... respondit: *Carnes cum quibuscumque leguminum speciebus misceri posse, extra omne dubium est.*

12. Ad Quæsitum: Ceux qui sont dispensés du maigre peuvent-ils user de la graisse comme assaisonnement les jours où ils ne mangent que du laitage?

S. Pœnitentiaria, 8 februarii anno 1828, attente consideratis expositis, respondit: *Affirmative.*

13. Ad Quæsitum: *Utrum, cum sive per Bullam Cruciatæ sive aliam ob causam conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo graisse) solo titulo condimenti ii qui ad jejunium tenentur, eo condimento licite uti possint in serotina etiam refectione?*

S. Pœnitentiaria, 16 jan. 1854, de expresso sanctæ memoriæ Papæ Leonis XII oraculo, respondit: *Quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa vi indulti olei locum tenent: dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione.*

14. Ad dubium: *Utrum avis aquatilis, cui nomen Fulica (vulgo Foulque), inter pisces computanda sit illaque vesci liceat iis diebus, quibus vetitæ sunt carnes? Religiosis Ordinis Minorum S. Francisci a Paula, quibus carnes omnino interdictæ sunt, ad tollendam perplexitatem, qua eorum conscientiæ hac super re angebantur, supplicationem porrexerunt Pio VII, ut sibi concederetur posse libere uti eo cibo.*

Quibus per S. Congregationem Regularis Disciplinæ, 22 feb.

an. 1804, *veris existantibus narratis, benigne annuit pro GRATIA juxta petita, Constitutionibus Ordinis, aliis omnibus non obstantibus, etc.*

**Aliud S. Pœnitentiariæ responsum.**

« Beatissime Pater, N. Confessarius in Galliis, S. V. humillime  
« consultit, num ipse queat et debeat absolvere illos ecclesiasticos, qui  
« se subjicere recusant condemnationi, quam Sancta Sedes edidit qua-  
« tuor celeberrimarum propositionum cleri Gallicani. Ita multæ tollen-  
« tur quæstiones et conscientia quiescent. »

Respondit per sacram Pœnitentiariam ut sequitur : « S. Pœniten-  
« tiaria, diligenter perpensa proposita quæstione, respondendum cen-  
« suit. Declarationem<sup>1</sup> conventus Gallicani anni 1682, ab Apostolica  
« Sede improbatam quidem fuisse, ejusque conventus acta rescisa, et  
« nulla atque irrita declarata; nullam tamen theologica censuræ no-  
« tam doctrinæ Declaratione illa contentæ injustam fuisse : propterea  
« nihil ob stare quominus sacramentali absolutione donentur sacerdotes  
« illi, qui bona fide et ex animi sui persuasione doctrinæ illi adhuc  
« adherent modo absolutione digni aliunde videantur. Datum Romæ,  
« in sacra Pœnitentiaria, die 27 sept. 1820. — Michaele Cardinalis de  
« Petro, Major Pœnitentiarius. »

**Tertium S. Pœnitentiariæ responsum<sup>2</sup>.**

Canonicus Pœnitentiarius Andriensis Ecclesiæ, Marianus Cocco, tria sequentia dubia a S. Pœnitentiaria solvenda postulat, nempe. — 1. An virtute Bullæ Cruciatæ absolvi possit qui complicem suum absolvit in peccato turpi, non obstante Decreto Benedicti XIV? — 2. An Confes-

<sup>1</sup> Pontifex Benedictus XIV scribens ad supremum Hispaniæ Inquisitorem 31 jul. 1748 circa defensionem hujus declarationis a Bossuet confectam, aiebat : *Difficile profecto est aliud opus reperire, quod æque adversetur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ de S. Pontificis ex cathedra desinentis infallibilitate, de ejus excellentia super quodcumque Concilium œcumenicum, de ejus jure indirecto, si potissimum religionis et Ecclesiæ commodum id exigat, super juribus temporalibus Principum supremorum.*

<sup>2</sup> Dans le doute où sont quelques personnes de l'authenticité de ces décisions, nous avons pris sur nous d'en faire une recherche opportune : maintenant nous pouvons assurer nos abonnés qu'elles sont authentiques. (Note des rédacteurs *della Scienza e Fede*, journal religieux de Naples.)

sarius sollicitans ipso facto incurrat in privationem, seu inhabilitationem a celebratione Missæ? — 3. An qui non denuntiaverit infra mensem hæreticum, possit, denuntiatione secuta, a quolibet absolvi?

R. Sacra Pœnitentiaria, perpensis mature propositis dubiis, respondendum censuit :

Ad 1<sup>um</sup>, Confessarium ab Ordinario loci approbatum, atque a pœnitente electum, posse vi Bullæ Cruciatæ huc usque editæ eundem absolvere ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, atque etiam in publicis, excepta tantum hæresi formali, et externa, quamvis occulta. Hæc autem absolutio pro solo foro conscientia valet; atque impendi potest pro iis tantum vicibus, quæ in eadem Bulla exprimuntur. Clausula vero in Bulla Benedicti XIV incipiente : *Sacramentum Pœnitentiæ*, etc., apposita respicit dumtaxat ipsos Confessarios, ne vi facultatum Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ arbitrentur sibi attributam facultatem absolvendi complices. Super quibus immota perstat laudati Pontificis Constitutio.

Ad 2<sup>um</sup>, Pœnam perpetuæ inhabilitationis ad Sacrificiū Missæ celebrationem a Benedicto XIV contra Sacerdotes sollicitantes ad turpia inflictam, non incurri in foro conscientia, nisi post juridicam denuntiationem et condemnationem.

Ad 3<sup>um</sup>, Facta denuntiatione, licet post tempus ab Ecclesiastica lege præscriptum, cessare reservationem, et casum cum adnexa censura absolvi posse a quocumque Confessario.

Datum Romæ, 22 martii 1852.

**APPENDIX V**

**DE SYNODO DIECESANA NOTIONES PRÆCIPUÆ.**

831. 1. *Nature du Synode*<sup>2</sup>. Le mot *Synode*, considéré dans son étymologie, désigne généralement tout Concile, mais l'usage en a

<sup>1</sup> V. Benedictus XIV, *De Synodo Diœcesana*, ubi sapienter atque erudite pro more suo omnia disputat ac resolvit. — Gavantus, *Praxis Diœcesanæ Synod.* — Card. de la Luzerne, *Des Droits et des Devoirs respectifs des évêques et des prêtres.* — Quæ tamen hic notamus magna ex parte depromptissimum ex Tractatu Parisiensis Archiepiscopi Sibour, quem edidit hæc de re, cum adhuc esset Episcopus Diniensis. — It. videri potest Thomassinus, *Antiqua et nova Eccl. disciplina*, p. II, l. III. — L. Ferraris, *Bibliot. Canon.*, v<sup>o</sup> *Synodus*, etc.

<sup>2</sup> Ces notions sont empruntées à l'ouvrage de Mgr Sibour intitulé *Insti-*

restreint le sens et il ne s'applique plus qu'au Concile diocésain. Nous définissons donc le Synode : l'assemblée des ecclésiastiques convoqués par leur évêque. L'objet du Synode est de corriger et de statuer ; corriger les personnes, détruire les abus, proposer des règles pour le maintien de la discipline. Les systèmes presbytériens ont faussé la véritable notion du Synode, en exagérant l'importance de ces assemblées pour le gouvernement du diocèse. Ils leur ont assigné des attributions qui ne leur appartiennent pas, en les assimilant aux autres Conciles. Ils ont mis dans le Synode les prêtres sur le même pied, vis-à-vis de leur évêque, que, dans le Concile, les évêques vis-à-vis de leur métropolitain. Ils ont prêté comme un droit naturel aux membres du Synode la voix délibérative dans la confection des ordonnances et des statuts. D'après eux, l'évêque ne serait que le président de l'assemblée, le *primus inter pares*. Et leur prétention n'irait à rien moins que de le dépouiller des qualités de chef du diocèse, de juge et de législateur... En traçant l'ordre à suivre dans la célébration du Synode, le Pontifical romain indique la lecture des constitutions qui doivent être soumises à l'approbation des membres : *Post hæc leguntur constitutiones, si quæ sint, per Synodum approbandæ*. Cette approbation consiste simplement en l'adhésion spontanée du clergé aux décrets portés par les évêques. C'est sur ce texte du Pontifical, que nous venons de citer, que s'appuient, comme sur leur argument principal, les auteurs qui prétendent assigner aux prêtres réunis au Synode le droit de voter les constitutions diocésaines. Il faut citer, parmi ces auteurs, Maulrot et Gilbert. Cette interprétation, d'après Benoît XIV (l. XIII, c. 1, n. 11), est entièrement erronée et mène directement aux erreurs d'Arius et de Calvin. Après avoir démontré la supériorité des évêques sur les prêtres, supériorité qui implique le droit de leur commander, et, par conséquent, de faire des lois auxquelles ils doivent se soumettre, après avoir rappelé les sages tempéraments que l'Église a apportés dans l'usage de ce droit<sup>4</sup>, Benoît XIV cite diverses décisions de la sainte Congrégation du Concile, qui reconnaissent formellement à l'évêque toute l'autorité législative

*tutions diocésaines*. Néanmoins, comme l'auteur italien a plutôt résumé que cité le texte, nous avons cru utile de traduire de nouveau ces passages qu'on ne pourrait retrouver intégralement dans le livre du prélat français.

<sup>4</sup> Solus quippe Episcopus in hisce comitiis jus habet a Christo collatum leges in Ecclesia ferendi; ipse solus positus est a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei; cæteri autem veniunt tantum in ipsius adjutorium. Quare proponere quidem poterunt et consulere quæ definitione indigent, haud vero definire. Examinatorum tamen Synodaliū delectus pertinet quidem ad Episcopum; sed a Synodō communiōri suffragio probandus est.

dans le Synode, et qui, par leur date postérieure à la publication du Pontifical, indiquent dans quel sens on doit en interpréter les expressions.

2. *Objet des Synodes et leur utilité*. L'objet des Synodes nous paraît bien caractérisé par les belles paroles que Massillon adressait à ses prêtres dans une de ces saintes réunions : « Il serait à souhaiter que dans ces assemblées synodales nous n'eussions qu'à nous animer ensemble et nous consoler des travaux du saint ministère, en racontant, comme les pauvres disciples, les grâces et les merveilles que la parole de l'Évangile opère parmi les peuples dont le salut nous est confié. Ce devrait être ici le spectacle édifiant et le témoignage public du zèle des pasteurs et non pas la censure affligeante de leurs infidélités et de leurs désordres ; et ces assemblées saintes ont été plutôt établies afin de pourvoir aux besoins des fidèles que pour remédier aux faiblesses ou aux prévarications des ministres. Oui, mes frères, nos saints prédicateurs appelaient auprès d'eux en certain temps, comme le remarque saint Cyprien, les prêtres répandus dans les campagnes et ceux qui dans la ville épiscopale travaillaient sous leurs yeux, pour se fortifier ensemble contre les séductions et les persécutions du monde, contre les ennemis de la foi, contre les périls dont ils étaient environnés, ils les appelaient pour délibérer avec eux sur les besoins de l'Église, pour écouter leurs sages avis, pour éclaircir leurs doutes : de sorte que c'était le même esprit qui, du premier pasteur, se répandait sur tout le ministère et gouvernait tout le troupeau. » *Discours synodaux*, 1<sup>er</sup> disc., ann. 1723.)

Tel est donc l'objet des Synodes, le maintien des saintes règles de la discipline ecclésiastique. Or, pour maintenir ces saintes règles, il faut en rappeler l'existence à ceux qui sont obligés de les observer : il faut corriger les abus qui attaquent ou ont déjà ruiné la discipline ; c'est là ce qu'on peut faire dans le Synode. Le prélat met sous les yeux des prêtres leurs obligations et les devoirs de tout le ministère pastoral : il s'informe des besoins des paroisses et des remèdes à y apporter, on signale les abus à corriger et les moyens les plus efficaces de les déraciner. Éclairé alors par tant de conseils, fort en quelque sorte de l'assentiment de tous, le premier pasteur, avec une autorité absolue, mais tempérée cependant par la charité, porte ces lois disciplinaires qui sont acceptées avec joie par tous et qu'on exécutera comme si elles venaient de Dieu même. Enfin, dans le Synode (d'après le droit canonique, *Decret.*, 1<sup>er</sup> p., dist. XVIII, c. XVII) on promulgue les décrets du dernier Concile national ou provincial, relatif à la discipline... Nous venons de dire l'objet du Synode, c'est en avoir montré suffisamment l'utilité...

3. *Antiquité des Synodes.* Ceux qui veulent faire remonter au premier siècle de l'Église l'institution du concile diocésain confondent ordinairement avec le Synode l'ancien *Presbytère*. Il est certain que, durant les trois premiers siècles, les évêques réunissaient les prêtres et les diacres associés à leur ministère qui résidaient dans la ville épiscopale. Mais il n'est pas également certain que ces réunions et les assemblées synodales proprement dites ne soient qu'une seule et même chose. L'ancien *Presbytère* a toujours été distinct du Synode; il a toujours existé pour le clergé de la ville épiscopale, et plus tard il s'est confondu avec le Chapitre qui le représente aujourd'hui. Le droit nouveau a même conservé au Chapitre les attributions du *Presbytère*: il a obligé l'évêque dans beaucoup de circonstances à le consulter, il a fait des chanoines son conseil ordinaire, son sénat... Mais le Synode ou l'assemblée du clergé diocésain a une tout autre nature et une tout autre origine. C'est au troisième siècle que commencèrent à s'établir les paroisses rurales: jusque-là la communauté chrétienne, retenue dans la cité, avait l'évêque seulement pour chef. Mais, à mesure que la diffusion de la foi nécessitait l'érection de nouvelles colonies de fidèles au dehors, il fallait assigner à chacune d'elles un pasteur particulier; et les évêques, les pères de ces chrétiens naissantes, devaient pourvoir à leurs besoins. Ainsi se formèrent les paroisses, et par elles les diocèses, grâce à l'union et à la subordination de celles-ci à la paroisse épiscopale. De là, l'origine du pasteur de second ordre. De cet état de choses naquit, entre l'évêque et le clergé auquel il confiait les âmes, un nouvel ordre de rapports qui, fondés sur les principes de la hiérarchie, furent plus tard réglés par la discipline. Deux clergés furent donc formés: celui de la ville épiscopale, composé des prêtres qui, associés au ministère et à la sollicitude générale de l'évêque, vivaient ordinairement près de lui et constituaient en quelque sorte sa famille; et le clergé *extra-urbain* dispersé dans le diocèse. L'assemblée de ce second clergé est ce que nous appelons proprement Synode.

Nous n'aurions pas autant insisté sur ces distinctions, qui ont échappé à Thomassin, à Benoît XIV et à la plupart de ceux qui ont traité de l'origine du concile diocésain, si les presbytériens modernes n'avaient abusé de l'opinion qui tend à confondre les deux institutions dont nous parlons, et n'avaient prétendu en tirer des conséquences qui changent la nature du Synode, en exagérant son importance. (V. la Luzerne, *Op. cit.*, dissert. iv, c. 1, a. 3.)

4. *Des lois de l'Église qui prescrivent la célébration du Synode et l'assistance des membres.* On trouve la loi sur la célébration des Synodes dans le décret de Gratien: elle a passé de là avec les Décrétales d'Innocent III et d'Alexandre III dans le droit pontifical nouveau (*De-*

*cret.*, 1<sup>e</sup> part., dist. xviii, c. xvi). Le célèbre concile œcuménique de Latran, célébré sous Innocent III, prescrit que les canons des conciles provinciaux soient promulgués dans les Synodes que chaque évêque est en devoir de réunir annuellement pour son diocèse. (*Lateran. IV*, can. 6.) Une prescription analogue et plus stricte encore est celle du Concile de Bâle, qui ordonne de convoquer le Synode diocésain au moins une fois l'année, en gardant la coutume des lieux où on le réunissait deux fois (sess. xv). Enfin, le Concile de Trente, en renouvelant les décrets de Latran et de Bâle (sess. xxiv, c. xi), fixe sur ce point la discipline moderne et ordonne de tenir tous les trois ans le Concile provincial et tous les ans celui du diocèse<sup>1</sup>: tous doivent y assister, même les exempts: et on renouvelle contre les transgresseurs de cet ordre les peines portées par divers conciles<sup>2</sup>. (*Hactenus*, cl. Si-bour.)

5. *Officiales in Synodo selecti.* Præter examinatores synodales (de quibus supra, et in *Tractatu de Ordine*, ubi de *concurſu*) officiales qui in Diœcesana Synodo seliguntur, sunt: 1. *hospitiarum præfectus*, cujus officium est, ut clerici ad Synodum venientes honestis recipiantur hospitibus; 2. *unus vel duo promotores*, quorum unus urbanus, alter foraneus, eorumque munus est urgere synodales actiones, insistendo ut omnia debite perficiantur; — 3. *secretarius*, quem monente Gavanto, decet esse aliquem ex Canonicis Cathedralis, isque alium sibi socium adiscat, qui *lector* dicitur, eo quod decreta

<sup>1</sup> Etsi hodie cum ad Ecclesiarum bono subveniendum plura media magis in promptu sint, non ita frequentibus Synodalia comitia habentur; negari tamen non potest ea adhuc plurimum conferre ad concordiam augendam, ad disciplinam sustinendam, etc.; ideoque adhuc esse omni modo commendanda. Diœcesana Synodus in spiritualibus exercitiis, si rite pro Ecclesiasticis habeantur, bene suppletur, saltem in parte, si aliter nequeat.

<sup>2</sup> Nemini dubium, quin peccet qui sine causa legitima Synodo interesse negligit, si a jure vocetur, cum faciat contra præceptum; imò ex Tridentino potest puniri. Synodo porro interesse debent Capitulum Cathedralis et Collegiatarum, Parochi omnes vel eorum Vicarii, cæterique Clerici saltem beneficiati, prout cujusque Diœcesis fert consuetudo. Ultima indictio diœcesana Synodi pro Ecclesia Novariensi habita 20 martii 1826 ab Eminentiss. Cardin. Morozzo felicissimæ recordationis habet: *Capitula, Dignitates, Canonicos omnes tum Cathedralis Ecclesie tum Collegiatarum Civitatis ac Diœcesis omnes animarum Rectores, quotquot etiam in hac civitate ac Diœcesi beneficia cujusvis generis et quocumque nomine obtinent, universos et singulos hisce litteris monemus iisque in virtute sanctæ obedentiæ præcepimus, ut talibus præfinitis diebus (11, 12 et 15 julii 1826), per seipsos, non per substitutum in Cathedralem Ecclesiam convenient, ac Synodo intersint.*

legere debeat; 4. *notarius* qui solet esse Episcopi cancellarius, qui absentes notat et alia in Synodo; 5. *praefecti synodalis disciplinae et scrutinii*: sint aliqui sacerdotes maturae aetatis et pii, quorum officium est Clericorum mores investigare, omnia ad Episcopum deferendo; 6. *Clerici procurator*, qui omnium nomine, qua decet modestia, observationes facit, si quae sint faciendae super Decreta, etc.; 7. *Confessarii*, quibus Episcopus totam suam confert potestatem in foro conscientiae; 8. *magistri caeremoniarum*, ut omnia in Synodo debita maiestate peragantur; 9. *ostiarii*, qui januis Ecclesiae praesunt, ut eas saecularibus claudant; 10. *duo vel tres iudices*, qui mature ab Episcopo eliguntur una cum suo Vicario generali, ut criminales querelas excipiant, civiles lites audiant, et summarie iudicium proferant.

6. *Synodali Constitutionum auctoritas et firmitas*. Talis est earum firmitas ut in suo robore semper maneant, etsi Episcopus a quo editae, obierit, aut se Episcopatu abdicaverit, vel ad aliam sit Ecclesiam translatus; sane perpetuitas est de legis essentia. Non autem leges Synodales sunt perpetuae censendae, quasi sint immutabiles; possunt enim ab Episcopo vel ejus successore revocari, uti patet. — Porro legi Synodali tenentur ii, qui in Diocesi degunt subditi cujuscumque sint status ac conditionis, nisi per speciale privilegium Episcopali jurisdictioni non subdantur. Immo Regulares ipsi, non obstante exemptionis privilegio, Diocesanis legibus parere tenentur in iis, quae animarum curam respiciunt et Sacramentorum administrationem (*Tridentinum*, sess. xxv, c. ii de Regul.). Insuper subjiciuntur Regulares iis decretis quae respiciunt ea, in quibus subsunt Episcopi delegatae jurisdictioni. Praeterea advertit Suarez scandali vitandi causa et evitandae deformitatis a caeteris Diocesis membris teneri regulares Synodo parere, etsi per eorundem exemptiones immunes dicendi essent. Ulterius Capitula exempta juxta S. C. G. decreta Synodalibus Constitutionibus ligantur in iis omnibus, quae mores et disciplinae reformationem spectant. Ita Talento, *Tract. de Legibus*.

832. Sit ultimo Decretum S. R. Congregationis :

**Novarien.**

In causa Novarien. praeminentiarum inter Capitula et Canonicos Ecclesiae Cathedralis et Ecclesiae Collegiate S. Gaudentii, atque aliarum Collegiatarum Diocesis, propositis in S. R. C. ab Eminent. et Rever. D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis, videlicet :

1. An in proxime habenda Synodo Diocesana Capitulum et Clerus

Ecclesiae Cathedralis sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi, vel extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi? — 2. quatenus sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi, an ibidem sedere debeant etiam Canonici Collegiatae S. Gaudentii post terga Canonicorum Cathedralis? — 3. quatenus iidem Canonici Ecclesiae Cathedralis sedere debeant intra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi, an intelligi debeant de semicirculo perfecto et riguroso, an vero satisfactum censeatur dispositioni Caeremonialis Episcoporum (l. I, c. ult.) si dicti Canonici occupent faciem anteriorem ex utraque parte? — 4. an eodem casu, quo Canonici Cathedralis sedere debeant extra Presbyterium, Canonici Collegiatae S. Gaudentii sedere debeant post terga Canonicorum ex utraque parte vel tantum ex una? — 5. an scamna sive sedilia Canonicorum Ecclesiae Cathedralis debeant esse elevata a pavimento per unum gradum? et quatenus affirmative; — 6. an hujusmodi scamna debeantur Canonicis Collegiatae S. Gaudentii? — 7. an dicta scamna pro Canonicis Ecclesiae Cathedralis vestiri debeant aliquo panno, et cujus coloris? et quatenus affirmative; — 8. an eundem ornatum cum eodem vel alio colore habere debeant sedilia pro Canonicis S. Gaudentii? — 9. an Collegiatis urbanis assignari possit locus intra Presbyterium, quatenus idem non sit capax aliarum Collegiatarum insignium Diocesis? — 10. an iisdem Collegiatis insignibus Diocesis debeantur omnes prerogativae, quibus in Synodo gaudere possit collegiata S. Gaudentii, excepta sola praecedentia? — 11. an et quibus Collegiatis Diocesis praecedere debeat Collegiata Burgi-Manerii?

Eadem S. R. C. tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit ut infra, videlicet : ad 1. *ad mentem; et mens est quod in casu de quo quaeritur, Synodus fiat extra Presbyterium; et quoad secundam partem circa sessionem, arbitrio Episcopi*; — ad 2. *provisum in primo*; — ad 3. *satisfieri, si occupent faciem anteriorem ex utraque parte*; — ad 4. *sedere debere ex una tantum parte a dextris*; — ad 5. *affirmative*; — ad 6. *negative*; — ad 7. *cooperiantur scamna Canonicorum Cathedralis aliquo panno viridi*; — ad 8. *affirmative eodem colore viridi*; — ad 9. *provisum in primo*; — ad 10. *servetur solitum*; — ad 11. *praecedentiam competere Collegiatae Burgi-Manerii super alias Collegiatas; praeterquam quod super illas S. Julii, Gaudiani, Sanctorum Gervasii et Protasii Domusossulæ, et S. Victoris Intri. Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 8 maii anno 1700 (V. Gardellini. Collectio Decret., n. 3410).*

## APPENDIX VI

MONITA AD CLERUM<sup>1</sup>

833. 1. Lorsqu'un prêtre est zélé, il trouve toujours moyen d'orner son église. Mais évitons d'être du nombre de ceux qui font de grands efforts pour avoir une belle église, et ne mettent aucun soin à former un peuple bon.

2. Il ne faut pas négliger d'enseigner le chant et les cérémonies à quelques jeunes gens, qui peuvent aider à célébrer les offices avec plus de pompe; il en résulte, d'un autre côté, un grand avantage pour ces jeunes gens, c'est de venir plus volontiers à l'église.

3. Tout refus d'admettre un parrain ou une marraine doit être fait avec prudence, surtout dans les villes; dans les cas douteux, il faut consulter.

4. Combien de prêtres se damnent pour ne vouloir prendre pour guide que leur indolence, leur peu de foi, leur faiblesse et l'exemple des confesseurs les plus complaisants! La facilité excessive au tribunal de la pénitence est le tombeau de la Religion. C'est pour cela qu'un si grand nombre de confessions sont sans fruit, et qu'on ne voit à Pâques, pour ainsi dire, aucun changement dans les paroisses. Chaque absolution que nous donnons coûte le sang de Jésus-Christ; empêchons-en avec courage la profanation.

5. Saint François de Sales, monseigneur de la Motte et beaucoup d'autres saints personnages attachaient une importance aussi grande à la confession des personnes pieuses qu'à celle des plus grands pécheurs, à cause de leurs prières et de leurs bons exemples.

6. On ne comprend pas comment les prêtres, qui sont d'une probité recherchée sur tout le reste, se servent de corporaux et de palles qui font horreur. « *Croyez-vous*, dit monseigneur d'Amiens à un curé dans l'église duquel il avait trouvé les corporaux entièrement sales, *croyez-vous à la présence réelle?* » Le curé répondit qu'il n'y avait personne qui le crût plus fermement que lui. « *Tant pis*, reprit vivement l'évêque, *parce que, si vous ne l'avez pas cru, vous ne seriez qu'un hérétique; mais, en le croyant, vous êtes un impie.*

<sup>1</sup> Excerpta magna ex parte e lib. *Quadro dei principali doveri degli Ecclesiast.* — *Manuale Ecclesiastico proposto al Clero Novarese.* — *Miroir du Clergé.* — *Méthode pour la direction des âmes.* — *Cadolini Arciv., Lettere ed Istruzioni pastorali.*

*L'état de ce linge sur lequel vous placez ce que vous croyez être le corps de Jésus-Christ en est la preuve.* »

7. Il est impossible de voir sans indignation le désordre, la confusion et le tumulte qui règnent dans un grand nombre de sacristies. Les conciles y ont ordonné expressément le silence. Elles font partie de la maison du Seigneur, et on en fait avec tranquillité un lieu de nouvelles, d'entretiens tout profanes et quelquefois de discours indécents!

8. Rien de plus commun que la médiance. On dirait que tout est permis en ce genre, censures, critiques mordantes, faits cachés qui se révèlent. Ce qui est le plus incroyable et le plus surprenant, c'est que nous n'en avons aucun scrupule, même lorsque nous en reprenons les autres.

9. On murmure beaucoup sur le grand nombre de censures, et on s'établit ainsi juge des supérieurs. Le seul devoir des prêtres en ceci est de ne pas les encourir, et il n'y en a aucune certainement qui ne tende à l'ordre et au bien.

10. Que faut-il penser d'un aussi grand nombre d'ecclésiastiques qui daignent à peine ouvrir la sainte Ecriture ou un livre de piété, et qu'on voit toujours avec les journaux à la main? Leurs conversations ne roulent pas sur les moyens de sanctifier les peuples, mais sur les événements politiques, sur les intrigues du siècle. Ils négligent leurs devoirs essentiels pour se perdre en conjectures et en vaines spéculations, ne voyant rien que d'humain dans tout ce qui arrive, sans jamais remonter à la cause première qui est Dieu. Comment est-il possible de concilier cette avidité insatiable de nouvelles avec l'esprit ecclésiastique?

11. Il y a des curés qui ont la honteuse faiblesse de communiquer à leurs servantes les affaires les plus importantes de la paroisse: *Femina cicada vocalior, littore loquacior*, dit le proverbe. A la maison silence sur ces choses.

12. Il n'est pas opportun que le curé, dans ses premières prédications, commence par les vérités les plus terribles, afin qu'on ne dise pas aussitôt que le curé veut damner tout le monde. Gardez-vous d'initier ceux qui *acetum semper habent in pectore*. Le zèle n'est pas toujours selon la charité, quelquefois il est *amor mei*, et non *amor Dei*, disait saint Philippe.

13. Lorsque les ecclésiastiques sont réunis, ils doivent éviter de parler de choses de la confession, surtout s'il y avait des séculiers présents, qui se scandalisent facilement. Lorsqu'on demande conseil, on doit parler de ce qui pourrait nous arriver et non de ce qui nous est arrivé. Le mot *confession* ne doit jamais être prononcé.

14. Chaque curé doit s'efforcer, autant que le permettent les circonstances, de célébrer chaque matin la sainte Messe à une heure fixe, afin que les personnes du peuple puissent facilement l'entendre.

15. C'est un bon signe si vous voulez vous faire prêtre selon la maxime de saint Jérôme, *en vivant comme si nous devons toujours mourir*, et étudier toujours, comme si nous ne devons jamais mourir. L'étude rajeunit l'homme tout entier, l'oisiveté l'abâtardit.

16. Le monde nous loue pour la moitié du bien que nous faisons, et Dieu nous condamnera pour l'autre moitié que nous ne faisons pas. Les louanges et les courtoisies sont de pure formalité; le revers de la médaille est bien autre chose.

17. Un prêtre qui a charge d'âmes ne se lève pas la nuit pour un malade qui l'avait demandé: le matin, si celui-ci est encore en état de recevoir les sacrements, il s'en fera gloire et il dira: *Je l'avais bien pensé*. Si ce malade meurt sans sacrements, il en éprouvera quelque peine, il s'en confessera même; mais pensera-t-il à arracher le germe de cette funeste négligence? D'autres ne feront pas difficulté d'y aller aussitôt appelés; mais, si le péril du malade est passé ou s'il ne leur paraît pas grave, ils montreront du dépit; de là il résultera que, dans d'autres cas, les paroissiens seront plus timides et n'oseront pas les avertir.

18. Dom Barthélemy des Martyrs répondait à ceux qui l'engageaient à prendre quelque précaution, que, de même qu'ils le conjuraient de se souvenir qu'il était homme, il les priait de considérer qu'il était évêque; qu'on n'avait pas coutume de prévenir un général du danger qu'il courait d'être tué, pour l'engager à fuir les situations plus périlleuses, parce qu'il doit bien savoir que son titre le met dans la nécessité de ces dangers. Il n'est pas nécessaire que je vive, mais que je fasse mon devoir.

19. Il faut considérer que l'attachement aux biens matériels ne se cache pas sous l'apparence de la vertu; que je puisse devenir riche, dira quelqu'un, ce n'est pas pour moi, car peu me suffit, mais pour avoir l'occasion de faire du bien au prochain, ce qui est si doux. Je ne voudrais pas faire comme tant d'autres, qui thésaurisent, et dépensent sans discrétion en vanités; je voudrais vivre avec convenance, mais non pas amonceler, et mes revenus serviraient au soutien des pauvres, à l'ornement des églises. Avec ces fantômes dans l'esprit, l'imagination se tourne vers les choses du monde, le cœur s'y affectionne et s'en remplit, il s'élève des désirs vifs et inquiets, on en vient aux projets, et, si une belle occasion se présente, on ne manque pas de la tenter, et, si par hasard la chose réussit, à quoi se terminent les belles imaginations? La première pensée est de mettre la maison selon ses goûts,

de la fournir de toutes les commodités, de la mettre sur le pied des grandes familles; ce n'est pas la dernière chose d'embellir le jardin et de le rendre délicieux; on ne peut pas être sans un cheval et une calèche, la cave doit être garnie de bons vins pour les amis. Ainsi on multiplie les besoins, et à la fin on est étonné de voir que, loin d'être en mesure de faire de grandes aumônes, il reste à peine de quoi payer les dettes; bien plus, on meurt chargé de dettes.

20. Les enfants et le peuple ignorant sentent les choses mieux qu'ils ne les comprennent; il faut donc parler plus aux sens, à l'imagination et au cœur qu'à l'esprit. L'exposition simple, mais vive, des faits de la religion les convainc plus que les raisonnements les plus subtils.

Les enfants comprennent plutôt le langage naturel que la langue de leur pays, ce langage qui consiste dans le mouvement des yeux, du visage, de tout le corps, dans le ton et l'expression de la voix. Si vous voulez donc inspirer la crainte ou l'amour de Dieu, il faut que vous montriez vous-même par vos actes que vous l'avez bien compris.

21. C'est une erreur d'affecter les gestes et les mouvements extraordinaires de quelque prédicateur fameux, ou de quelque homme apostolique, sans avoir les talents du premier ou la charité du second. Ces moyens produisent chez eux de grands effets, mais ils sont ridicules et ils sont inutiles chez ceux qui ne les font pas naturellement.

22. Le Confesseur produit un bon effet lorsqu'il sait entremêler à l'aveu ou aux réponses du pénitent quelques paroles d'encouragement, d'admonition ou d'instruction.

23. Chaque curé doit veiller avec soin que la conduite de sa famille ou de sa domestique ne fournisse pas l'occasion de redire ce qui est si facile: Ces avertissements pastoraux, *il pourrait bien les faire d'abord chez lui, ou il devrait bien dresser une chaire dans sa maison*. Plusieurs prêtres sont trop catholiques en chaire, mais hérétiques dans leur conduite, et par leur mauvais exemple ils font plus de mal que n'en font les hérétiques en enseignant de faux dogmes; car les œuvres ont plus de force pour persuader que les paroles: *Tanto graviore sunt hæreticis, quanto prævalent opera verbis* (S. Bernard).

24. Payez exactement ce que vous devez à vos serviteurs. Si vous leur devez des arrérages ou de l'argent prêté, ils se gêneront moins sous vos yeux, et prendront trop d'autorité auprès de vous.

25. Si vous parlez de la direction de la paroisse, faites-le en l'absence des domestiques et lorsqu'ils ne peuvent vous entendre. Sachez que la curiosité leur rend l'oreille très-délicate.

26. Un curé qui marie des parents dans sa paroisse se prépare ordinairement une croix pesante.

27. Vous pouvez avoir de mauvais confrères dans le voisinage; dans ce cas, s'ils conservent encore une certaine réputation, visitez-les, mais rarement, par convenance et par une espèce de nécessité. S'ils sont perdus de réputation, ne les voyez point, à moins que ce ne soit dans l'espérance de les ramener au devoir.

28. Un curé, ou chapelain ou prêtre qui va trop souvent dans quelques maisons de sa paroisse, qui y devient familier, qui s'y permet des discours libres, des manières agréables, surtout s'il manifeste une attention particulière pour une personne de l'autre sexe, et s'il est assez imprudent pour s'amuser avec elle, en défaisant son travail, en le lui arrachant des mains, en lui enlevant le bonnet ou autres choses, en chantant avec elle, ne peut plus travailler avec fruit dans cette paroisse ni donner des avis aux jeunes gens. On est scandalisé de sa conduite, les uns le méprisent, les autres l'imitent sans l'estimer, on n'a plus la confiance de lui découvrir les plaies secrètes de son âme.

29. Donnez les avis en temps opportun : s'ils sont intempestifs, ils seront peu avantageux et même ridicules.

30. Il est nécessaire de se garder de l'indifférence philosophique par rapport à l'institution de certaines pratiques dévotes; il importe aussi de garder toujours une limite, et en particulier de ne pas vouloir tout établir à la fois; et, s'il s'agit d'institutions nouvelles, il convient d'être circonspect et prudent.

Il ne sera pas rare que le nouveau curé, avant de penser à introduire des pratiques de surrogation, doive s'appliquer à rétablir celles qui sont de précepte, qui sont tombées par la négligence des curés ses prédécesseurs, et par les abus de l'habitude. Cette affaire, quoiqu'elle exige des soins et une résolution très-grande, ne demande pas moins de prudence et de circonspection, car le peuple est souvent attaché à ses habitudes comme à des privilèges de distinction, et plus difficilement il se résout à prendre ce qui lui est proposé comme d'obligation.

Le curé prudent n'entreprendra pas facilement quelque chose sans avoir consulté son évêque et s'être entendu avec lui; ainsi il a le double avantage d'agir avec une grande sûreté de conscience, et de fortifier son entreprise de l'autorité du supérieur. Comme ensuite l'expérience montre que très-souvent les principaux opposants des bonnes innovations sont les prêtres de la paroisse, il importe dès lors par-dessus tout qu'avant de rien faire le curé s'informe de leur avis et s'efforce de les avoir pour soutiens et coopérateurs.

## APPENDIX VII

## BULLA NUPER INNOCENTII XII ANNO 1697

SUPER CELEBRATIONE MISSARUM AC EARUM REDUCTIONE; NECNON SUPER EARUNDUM ONERIBUS PERPETUIS SUSCIPIENDIS; ET RELIGIOSORUM NUMERO ULTRA REDITUS ET CONSUETAS ELEEMOSYNAS LOCORUM REGULARIUM NON HABENDO. DECRETORUM CONFIRMATIO

834. Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet: « Alias super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, necnon super earundem oneribus perpetuis suscipiendis; et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis:

« Cum sæpe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indeque fiat ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter ceterum fomentum præbeat, aut quod ii qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciores numerum a superioribus reductum iri; aut quod ecclesiis sorte pecuniarum assumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis ut non facile inveniantur qui velint huic se muneri subicere, et relictibus ecclesiæ aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur. S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam charitative ac justitiæ maxime consentaneam si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum a christiana republica convellere atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.



27. Vous pouvez avoir de mauvais confrères dans le voisinage; dans ce cas, s'ils conservent encore une certaine réputation, visitez-les, mais rarement, par convenance et par une espèce de nécessité. S'ils sont perdus de réputation, ne les voyez point, à moins que ce ne soit dans l'espérance de les ramener au devoir.

28. Un curé, ou chapelain ou prêtre qui va trop souvent dans quelques maisons de sa paroisse, qui y devient familier, qui s'y permet des discours libres, des manières agréables, surtout s'il manifeste une attention particulière pour une personne de l'autre sexe, et s'il est assez imprudent pour s'amuser avec elle, en défaisant son travail, en le lui arrachant des mains, en lui enlevant le bonnet ou autres choses, en chantant avec elle, ne peut plus travailler avec fruit dans cette paroisse ni donner des avis aux jeunes gens. On est scandalisé de sa conduite, les uns le méprisent, les autres l'imitent sans l'estimer, on n'a plus la confiance de lui découvrir les plaies secrètes de son âme.

29. Donnez les avis en temps opportun : s'ils sont intempestifs, ils seront peu avantageux et même ridicules.

30. Il est nécessaire de se garder de l'indifférence philosophique par rapport à l'institution de certaines pratiques dévotes; il importe aussi de garder toujours une limite, et en particulier de ne pas vouloir tout établir à la fois; et, s'il s'agit d'institutions nouvelles, il convient d'être circonspect et prudent.

Il ne sera pas rare que le nouveau curé, avant de penser à introduire des pratiques de surrogation, doive s'appliquer à rétablir celles qui sont de précepte, qui sont tombées par la négligence des curés ses prédécesseurs, et par les abus de l'habitude. Cette affaire, quoiqu'elle exige des soins et une résolution très-grande, ne demande pas moins de prudence et de circonspection, car le peuple est souvent attaché à ses habitudes comme à des privilèges de distinction, et plus difficilement il se résout à prendre ce qui lui est proposé comme d'obligation.

Le curé prudent n'entreprendra pas facilement quelque chose sans avoir consulté son évêque et s'être entendu avec lui; ainsi il a le double avantage d'agir avec une grande sûreté de conscience, et de fortifier son entreprise de l'autorité du supérieur. Comme ensuite l'expérience montre que très-souvent les principaux opposants des bonnes innovations sont les prêtres de la paroisse, il importe dès lors par-dessus tout qu'avant de rien faire le curé s'informe de leur avis et s'efforce de les avoir pour soutiens et coopérateurs.

## APPENDIX VII

## BULLA NUPER INNOCENTII XII ANNO 1697

SUPER CELEBRATIONE MISSARUM AC EARUM REDUCTIONE; NECNON SUPER EARUNDUM ONERIBUS PERPETUIS SUSCIPIENDIS; ET RELIGIOSORUM NUMERO ULTRA REDITUS ET CONSUETAS ELEEMOSYNAS LOCORUM REGULARIUM NON HABENDO. DECRETORUM CONFIRMATIO

834. Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet: « Alias super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, necnon super earundem oneribus perpetuis suscipiendis; et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis:

« Cum sæpe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indeque fiat ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter ceterum fomentum præbeat, aut quod ii qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciores numerum a superioribus reductum iri; aut quod ecclesiis sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis ut non facile inveniantur qui velint huic se muneri subicere, et reductibus ecclesiæ aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur. S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam charitative ac justitiæ maxime consentaneam si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum a christiana republica convellere atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

1. Ac primo distincte prohibet atque interdicit, ne episcopi in Diocesana Synodo, aut generales in capitulis generalibus vel alias quomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita aut in limine foundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Ap. Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

2. Deinde ubi pro pluribus Missis ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia quantumcumque incongrua et exigua sive ab una sive a pluribus personis collocata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscumque tam sæcularibus quam regularibus; S. Congregatio sub obstatione divini iudicii mandat ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciunt, quin imo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

3. Id vero ut deinceps observetur exactius, S. C. eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis tam sæcularibus quam regularibus, cujuscumque ordinis, congregationis et Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

4. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens prohibet Sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia Ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus tam sæcularibus, quam regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis ad quos pertinet, sub pena interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum ex-

pressa et individua mentione oneris quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

Ad hæc S. C. quibusvis Capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis Ecclesiarum ac piorum locorum tam sæcularium quam regularium superioribus vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi vel ejus Generalis Vicarii, regulares vero sine Generalis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda; alioquin sæcularis qui hujus transgressionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; regularis vero penam privationis omnium Officiorum quæ tunc obtinebit ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ ac passivæ absque alia declaratione incurrat.

5. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstinere ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblati in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa: *eleemosyna pro Missis*, vel alia simili sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hæc ratione frustrentur.

6. Episcopus vero seu ejus Vicarius aut generalis aut provincialis ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuicque ecclesiæ, monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi aut licentiam præbeant quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam novo onere suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut redditus qui Ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provincie, intelligantque si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

7. Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes mala fere omnia quæ regularem disciplinam evertunt ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori regularium numero, quam ferat redditus et eleemosynæ cujusque monasterii; inhærentes summorum Pontificum ac Sacri Tridentini Concilii decretis hæc de re editis, Sanctissimi D. N. auctoritate præcipiunt ac

mandant omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, præsidentibus, abbatibus, prioribus, præpositis, guardianis, vicariis, et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum, ac domorum regularium, bona immobilia possidentium cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti existentium intra fines Italiae et Insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet, in qualibet provincia, adhibitis duobus aut tribus regularibus sui Ordinis vel Congregationis probabilioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item elemosynas et obventiones tam communes monasteriorum, conventuum et domorum ejusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates aliavè cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

Eaque omnia scripto fideliter exarata idem superior cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali vel provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo seu congregatione deligendis proponat qui computatis hujusmodi redditibus, elemosynis et obventionibus universis, et oneribus ut supra detractis, sedulo examinent quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari juxta religionis, et proprii Instituti morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem honorum, reddituum, elemosynarum, et onerum præcisam notam ipsimet Capitulo seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque familiæ, monasterii, conventus ac domus regularis in singula quaque provincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, elemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Ne vero superiores qui id præstare debent segnius aut remissius quam par est suo muneri satisfaciant, mandat S. C. ut infra annum post proximum Capitulum generale vel provinciale computandum omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta ad Sanctam ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Numerumque familiæ singulorumque conventuum, monasteriorum et domorum hujusmodi regularium capituli seu congregationis generalis, vel provincialis sententia et auctoritate præfinitum, iidem superiores tam generales et provinciales omnes, quam locales perpetuo servare omnino teneantur, nec possunt illum quoquomodo augere,

etiam prætextu reddituum absque Sanctæ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem hujusmodi qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum ut supra præscriptum quovis modo augere præsumperint, privationis omnium officiorum quæ tunc temporis obtinebant vocisque activæ ac passivæ, et ad omnia suæ religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam penam eo ipso incurrere atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subjacere voluit, et declaravit.

8. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, Congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi seu religiosi degere, et ex redditibus et consuetis elemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti felicis recordationis Gregorii XV hac de re editi: alioquin monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi ut supra sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur. — Porro, ne ullo unquam tempore, hæc in oblivionem seu desuetudinem abeant, superiores locales cujusque monasterii, conventus ac domus regularis curare atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii vocisque activæ et passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, id est feria secunda post octavam Corporis Christi præsentibus ordinationes in publica mensa perlegantur.

Omnibus tam ecclesiasticis personis cujuseumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis quocumque honore et potestate præditis præsentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta... Non obstantibus quoad suprascripta omnia et singula in præsentibus decretis contenta, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, congregationum, societatum ac cujuslibet alterius instituti etiam necessario et in individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcumque tam sæcularium quam regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam inmemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam Mari magno seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia et de apostolicæ potestatis

plenitudine aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, etc... Datum Romæ die 11 Junii 1695.

COSMUS, Card. de Torres.

PROSPER FAGNANUS, S. Congreg. Secretar.

**835.** Excitatis supra præmissorum decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendæ.

1. Super primo S. C. decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diocesana Synodo aut Generales in capitulis generalibus, etc., quæritur: *Quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire; et si recurrendum sit ad Sedem Ap. pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid si permittatur episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?*

2. Super secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur, etc., quæritur: *An verba illa, præscripta fuerint, intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente vel ab Ordinario?*

3. *An cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?*

4. *An Sacerdotes qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu cappellanæ, legati aut salarii possint etiam manualemente eleemosynam pro Missis votivis aut defunctorum recipere et unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?*

5. *Posito quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ, quæritur: An liberum sit hæredibus eleemosynas sibi benevisas præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?*

6. Super tertio Congregationis decreto... quæritur, *an verba in futurum suscipiendis, intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?*

7. Super quarto ejusdem Congr. decreto... quæritur: *An permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis ecclesiæ*

*altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ et similibus?*

8. *An hoc decretum habeat locum in beneficiis quæ conferuntur in titulum, id est an rector beneficii qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?*

9. *An sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna, major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?*

10. Super quinto ejusdem Congr. decreto... quæritur: *An hoc decretum prohibeat absolute quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?*

11. *Quid si offerens eleemosynas, audito impedimento consentiat, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?*

12. *An panæ interdicti et aliæ panæ appositæ in eodem decreto officiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos qui non auferunt capsulam ab ecclesiis, ut ibidem præcipitur?*

13. *An in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum et vulgo dicuntur sarcophages?*

14. *An administratores ecclesiæ diebus magnæ devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiæ et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?*

15. *Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum et piorum locorum tam sæcularium quam regularium superioribus de quibus fit expressa mentio; non autem privatis sacerdotibus qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali et aliis ad quos pertinet, supplicatur pro opportuna declaratione.*

16. Super septimo ejusdem S. C. decreto, quo cavetur, ut in singulis monasteriis religiosorum præfigatur numerus qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commode possint sustentari, quæritur: *An ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis decreti Sanctæ memoriæ Pauli V, absque tamen computatione reddituum, cujusque religiosi, sit denuo facienda?*

17. *An Novitii ad habitum regularem admissi, possint admitti*

*ad professionem in monasteriis, in quibus habita (ut supra) præfixione numeri, commode ali non possunt?*

18. Super ultimo (VIII) decreto, quaeritur: *An hoc decretum quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt religiones Capucinarum ac Societatis Jesu?*

19. *An idem decretum habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?*

*Declarationes seu resolutiones ad supradicta dubia.* — S. C. C. auctoritate sibi a Sanctissimo D. N. attributa ad singula dubia superius proposita respondit:

*Ad primum:* etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris supra impositi, ab iis ad quos pertinet, Sedem Ap. esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuat quod magis in Domino e re esse judicaverit. — Verumtamen si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc foundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

*Ad secundum:* esse intelligenda de præscriptione facta ab eo qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missæ celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem civilis vel provincie.

*Ad tertium:* teneri.

*Ad quartum:* sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu Cappellanie, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utriusque obligationi satisfacere.

*Ad quintum:* censuit ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis vel provincie.

*Ad sextum:* ita esse intelligenda.

*Ad septimum:* respondit permittendum non esse, ut Ecclesie ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesie et loca pia alios non habent redditus quos in usum earundem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeunda, et nihilominus eo

etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis quæ supersunt (expensis, ut supra, deductis) absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

*Ad octavum:* non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provincie, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

*Ad nonum:* debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

*Ad decimum:* respondet non prohibere absolute; ac propterea etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

*Ad undecimum:* quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis.

*Ad duodecimum:* has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis vel Provincialis.

*Ad decimum tertium:* comprehendendi.

*Ad decimum quartum:* non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

*Ad decimum quintum:* comprehendendi etiam privatos sacerdotes.

*Ad decimum sextum:* numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ulimi decreti hæc in re editi.

*Ad decimum septimum:* esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio monasterio ejusdem religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

*Ad decimum octavum:* censuit comprehendere.

*Ad ultimum:* habere locum extra Italiam.

Cum autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quam plures querele et recursus ad Ap. Sedem pervenerint, cupiens eadem S. C. C. hujusmodi detestabiles abusus e christiana republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut sublatis fraudibus ac emendata negligentia, piæ disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria et Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium divina providentia Papam XII ei specialiter attributa, infrascripta

decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, et postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita, et examinata edidit.

**836. a.** In primis præinserta decreta cum præmissis declarationibus plenissime et amplissime approbat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit ac ab omnibus et singulis etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis penitus observari et omnimodæ executioni demandari decernit, sancit et præcipit.

**b.** Insuper, ut in re tanti momenti consultius ac majori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui forsitan fuerint vel sint, qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa et irrationabili spe earumdem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eosdem tum quoscumque alios qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, præfatas condonationes et reductiones ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa seu æqua commiseratione; compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis et præsertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragatur*, admitti consuevisse et solere. Quapropter ut locus omnis in posterum hęc prætextibus præcludatur, memorata Congr. tales intentiones, opiniones, seu spes ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in alium, quam præfatum Missarum usum seu satisfactionem et quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas, et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat et interdicat.

**c.** Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores et ministri quarumcumque tum sæcularium tum regularium ecclesiarum seu illarum capitula, ne onera seu Missas tum perpetuas tum temporales tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque id ipsum quoad fieri poterit pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti et obviorum retinere *Tabellam onerum perpetuorum et temporalium* litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter et intra præscriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint seu cre-

dere debuerint, alias Missas sive perpetuas sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant, et ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis, et celebrandis impares esse.

**d.** Idemque teneantur pariter in *Sacrario duos libros* retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia; in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter annotare et describendas seu annotandas curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione et diligentia tam præfati a quibus rationes debent reddi, quam superiores quibus reddendæ erunt, describere seu annotare, sive describendas vel annotandas respective curare.

**e.** Quibus semper salvis, debent ulterius Regulares prædicti, omnes et quascumque eleemosynas tum manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in *capsa particulari sub duobus clavibus*, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram Patribus discretis seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

**f.** Quod si prædicti, ad quos cura Tabellæ, Capsæ et Librorum præfatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam præmissis ut præfertur, minime navaverit, et superiores tum sæcularium tum regularium ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati qui in curam Tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respective casibus *sæculares pœnam suspensionis incurrant; regulares vero voce activa et passiva, ac gradibus et officiis quæ obtinent, ipso facto, et absque alia declaratione privati sint et intelligantur; nec non ad hujusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur et inhabilitati sint et intelligantur.*

**g.** Porro ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta prædicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores seu capitula ecclesiarum sæcularium illa *retineant publice exposita* in eorum sacrario; superiores vero locales cujuscumque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur sub pena privationis officiorum quæ obtinent, vocisque activæ et passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis

Christi omnes et singulæ præmissæ tum insertæ seu confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes una cum dictis declarationibus *in publica mensa perlegantur.*

*h.* Meminerint igitur et satagant *Ordinarii*, ut a personis, et in ecclesiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subiectis, *Missæ ea qua par est fide et diligentia celebrentur, et cuncta et singula decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur*, nedum ad justitiam recurrentibus seu instantibus reddentes; sed ex officio tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis quos expedire et convenire toties quoties judicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

*i.* Caveant etiam respective *omnes regulares* tum subditi tum superiores quicumque nedum locales, sed etiam provinciales et generales, ne missarum celebratio et omnium decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum quibus missæ sunt applicandæ, et cum magno Christi fidelium scandalo *quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur*; alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ et passivæ, ac graduum et officiorum quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

*j.* Curent propterea præfati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes *debitis pœnis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere*, et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus *exhibere attestationem* seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii seu cujuscumque domus regularis subscriptam et juratam, quod omnibus et singulis tum manualibus Missarum oneribus seu obligationibus ad limites et tenorem præsentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta et omnino adimplenda conditione, quod ante præfate attestationis exhibitionem quicumque superiores locales prædicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

*k.* Præterea provinciales, vicarii, et visitatores provinciarum seu congregationum debent in fine eorum regiminis superioribus generalibus in forma probante ostendere quod *executioni præsentium decretorum sedulo invigilaverint*, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus seu monasteriis vel domibus regularibus pro-

vinciæ seu congregationis de omnibus et singulis oneribus et obligationibus, ac insimul satisfactionibus missarum exactam et diligenter rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective pœnarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitime docuerint: alias ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittuntur.

*l.* Ceterum quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitalia, altaria, cappellas, oratoria et ecclesias, et alia loca et opera pia quomodolibet nuncupata quæ cuicumque curæ seu regimini aut administrationi vel directioni laicorum cujuslibet gradus, status et conditionis et præemi-nentiæ, etiam speciali et individuali nota dignorum, dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum et laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocumque commissa vel attributa sunt, onus seu cura celebrationis missarum sive manualium sive ad tempus vel in perpetuum pertinet; hinc salvis semper iis quæ in præinsertis decretis continentur, *omnes et quicumque hujusmodi archiconfraternitatum, societatum, congregationum, hospitalium, altarium, cappellarum, oratoriorum, et ecclesiarum, ac aliorum locorum et operum piorum rectores* seu administratores vel directores et alii hujusmodi officiales, necnon ii ad quos cura tabellæ et librorum in præmissis spectat, tabellam, libros et hæc decreta respective juxta modos superius expressos, similiter retinere; necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum missarum singulis annis *rationem exigere* et respective iis ad quos pertinet, reddere sub pœnis arbitrio, et in subsidium excommunicationis, teneantur.

*m.* Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis cujuscumque ordinis, status, gradus, regulæ, congregationis, societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis quocumque honore et potestate præditis omnia et singula præmissa decreta *interpretandi*, necnon ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi decretis *relaxandi*, sub quocumque prætextu circa præmissa dispensandi, omnis et quæcumque facultas sit penitus interdicta. Non obstantibus quoad supra-scripta omnia et singula, etc... Datum Romæ die 23 nov. 1697.

JOSEPH Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius S. Congreg. Secret.

Quocirca, cum dilectus filius noster Joseph tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ S. R. E. presbyter Cardinalis Sacripantes memoratæ Congr. præfectus præfata decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia et singula decreta, ea qua decet maturitate digesta et

examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis eidem Congregationi specialiter ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostræ munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cuiusquam Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præsentia decreta, omniaque et singula in eis contenta, tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus et approbamus, etc....

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1697, Decimo Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno septimo.

### APPENDIX VIII

#### SACRA UTENSILIA QUÆ ECCLESIAE CATHEDRALI DEBENTUR, DECEDENTE EPISCOPO; ET QUÆ DEBENTUR EPISCOPO AB ECCLESIA CATHEDRALI

837. Ex sacris Canonibus Ecclesiæ cathedrali debentur post mortem Episcopi plura utensilia ab eodem Episcopo decedente relicta, quod nuper confirmavit Pius IX litteris apostolicis, *Cum illud plurimi*, 1 junii anno 1847, in hunc modum: *Sacra utensilia, quæ vigore Constitutionis S. Pii V incipientis, Romani Pontificis, Ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, linteos, amictus et his similia, item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon Missæ; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula; vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et ureolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro Altaris usu, baculum pastorem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris Reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse*

*bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimentur quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex Ecclesiæ redditibus et proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia redditibus Ecclesiæ comparata fuisse. Episcopi tamen, si Cardinales, obtinere solent a Pontifice indultum quo ab hac lege liberantur; vid. Encyclica Benedicti XIV, *Inter arduas*, 22 apr. 1749.*

Cum Episcopus vult exercere Pontificalia tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis, subministranda erunt a Cononicis e Sacristia Cathedralis paramenta sacra; nec tenetur de illis sibi providere, ut censuit S. C. G. (*decretum refert Scarfantonijs, l. II, tit. 2*). Et hanc sententiam communiter tenent. — Quatenus vero Ecclesia Cathedralis non haberet redditus sufficientes pro comparandis prædictis paramentis et pro restauratione Ecclesiæ, tenetur Episcopus pro quarta parte fructuum suæ mensæ, et quoad reliquum tenentur contribuere Canonici. De cetero quando adsunt redditus destinati pro dicta comparatione suppellectilium et reparatione Ecclesiæ, ex eis faciendæ reparatio, et comparanda sunt eadem suppellectilia juxta consuetudinem, quæ unice attendenda est<sup>1</sup>.

### APPENDIX IX

#### CONVENTIO

*Inter SS. D. Pium IX, Summum Pontificem, et Majestatem Suam Cæsaream Regiam Apostolicam Franciscum Josephum I, Austriæ Imperatorem, 25 sept. anno 1855<sup>2</sup>.*

838. In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis.

Art. 1. Religio Catholica Apostolica Romana in toto Austriæ Imperio, et singulis, quibus constituitur Ditionibus, sarta tecta conservabitur

<sup>1</sup> V. Opus recens et pluribus tomis distributum, *Institutiones Juris Canonici in varios tractatus divisæ*, auctore D. Bouix. Parisiis, apud Jacobum Lecoffre et Socios, 1852: tractatus *De Capitulis*, par. III, § 2, p. 282. — Scarfantonijs, *Animadversiones ad lucubrationes canonicas Ceccoperii*. Lucæ. — L. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc. Edit. nova Montis Cassini, Neapoli; vº *Utensilia*, in Append.

<sup>2</sup> V. *Allocutio Pii IX die 5 nov. 1855*. — Wiseman, *Conferenze sul Con-*



examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis eidem Congregationi specialiter ut præfertur, attributa peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostræ munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cuiusquam Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præsentia decreta, omniaque et singula in eis contenta, tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus et approbamus, etc....

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1697, Decimo Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno septimo.

### APPENDIX VIII

#### SACRA UTENSILIA QUÆ ECCLESIAE CATHEDRALI DEBENTUR, DECEDENTE EPISCOPO; ET QUÆ DEBENTUR EPISCOPO AB ECCLESIA CATHEDRALI

837. Ex sacris Canonibus Ecclesiæ cathedrali debentur post mortem Episcopi plura utensilia ab eodem Episcopo decedente relicta, quod nuper confirmavit Pius IX litteris apostolicis, *Cum illud plurimi*, 1 junii anno 1847, in hunc modum: *Sacra utensilia, quæ vigore Constitutionis S. Pii V incipientis, Romani Pontificis, Ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, linteos, amictus et his similia, item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus canon Missæ; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula; vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et ureolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro Altaris usu, baculum pastorem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris Reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse*

*bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate expriment quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex Ecclesiæ redditibus et proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia redditibus Ecclesiæ comparata fuisse. Episcopi tamen, si Cardinales, obtinere solent a Pontifice indultum quo ab hac lege liberantur; vid. Encyclica Benedicti XIV, *Inter arduas*, 22 apr. 1749.*

Cum Episcopus vult exercere Pontificalia tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis, subministranda erunt a Cononicis e Sacristia Cathedralis paramenta sacra; nec tenetur de illis sibi providere, ut censuit S. C. G. (*decretum refert Scarfantonijs, l. II, tit. 2*). Et hanc sententiam communiter tenent. — Quatenus vero Ecclesia Cathedralis non haberet redditus sufficientes pro comparandis prædictis paramentis et pro restauratione Ecclesiæ, tenetur Episcopus pro quarta parte fructuum suæ mensæ, et quoad reliquum tenentur contribuere Canonici. De cetero quando adsunt redditus destinati pro dicta comparatione suppellectilium et reparatione Ecclesiæ, ex eis faciendâ est reparatio, et comparanda sunt eadem suppellectilia juxta consuetudinem, quæ unice attendenda est<sup>1</sup>.

### APPENDIX IX

#### CONVENTIO

*Inter SS. D. Pium IX, Summum Pontificem, et Majestatem Suam Cæsaream Regiam Apostolicam Franciscum Josephum I, Austriae Imperatorem, 25 sept. anno 1855<sup>2</sup>.*

838. In nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis.

Art. 1. Religio Catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio, et singulis, quibus constituitur Ditionibus, sarta tecta conservabitur

<sup>1</sup> V. Opus recens et pluribus tomis distributum, *Institutiones Juris Canonici in varios tractatus divisæ*, auctore D. Bouix. Parisiis, apud Jacobum Lecoffre et Socios, 1852: tractatus *De Capitulis*, par. III, § 2, p. 282. — Scarfantonijs, *Animadversiones ad lucubrationes canonicas Ceccoperii*. Lucæ. — L. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc. Edit. nova Montis Cassini, Neapoli; vº *Utensilia*, in Append.

<sup>2</sup> V. *Allocutio* Pii IX die 5 nov. 1855. — Wiseman, *Conferenze sul Con-*

semper cum iis juribus et prerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus.

Art. 2. Cum Romanus Pontifex primatum tam honoris quam jurisdictionis in universam, qua late patet, Ecclesiam jure divino obtineat, Episcoporum, Cleri et populi mutua cum sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus, et negotiis ecclesiasticis nulli *placetum regium* obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit.

Art. 3. Archiepiscopi, Episcopi, omnesque locorum Ordinarii cum Clero et Populo diocesano pro munere officii pastoralis, libere communicabunt; libere item suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt.

Art. 4. Archiepiscopis et Episcopis id quoque omne exercere liberum erit, quod pro regimine Diocesum, sive ex declaratione, sive ex dispositione sacrorum Canonum juxta presentem et a sancta Sede approbatam Ecclesiae disciplinam ipsis competit ac praesertim:

a. Vicarios, consiliarios et adjuutores administrationis suae constituere ecclesiasticos quoscumque ad praedicta officia idoneos judicaverint.

b. Ad statum clericalem assumere et ad sacros Ordines secundum Canones promovere quos necessarios aut utiles Diocesibus suis judicaverint, et e contrario quos indignos censuerint, a susceptione Ordinum arcere.

c. Beneficia minora erigere, atque collatis cum Caesarea Majestate consiliis, praesertim pro convenienti reddituum assignatione, Paroecias instituere, dividere vel unire.

d. Praescribere preces publicas aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae aut status populivae postulet; sacras pariter supplicationes et peregrinationes indicare; funera aliasque omnes sacras functiones, servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus, moderari.

e. Convocare et celebrare ad sacrorum canonum normam, Concilia provincialia et Synodes diocesanas, eorumque acta vulgare.

Art. 5. Omnis juventutis catholicae institutio in cunctis scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae Religionis catholicae. Episcopi autem ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis et publicis et privatis, atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda disciplina

*cordato austriaco.* Milano, 1856. — *Civiltà Cattolica*, ser. II, vol. XII; et ser. III, vol. I; *Il Concordato*. — *Armonia*. Torino, 1855, n. 261 et seq. — *Amico Cattolico*. Milano, 1855. — Lettera pastorale dell'arcivescovo di Vienna, 15 nov.; it. dell'arcivescovo di Milano, 25 nov. 1855, *sul Concordato*. — Margotti, *Le vittorie della Chiesa nel primo decennio del Pontificato di Pio IX.* Torino e Milano, 1857; *tit. i Concordati*. — Vergottini, *Analisi del Concordato austriaco*. Venezia, 1857. Item Nardi, ccc.

nihil adsit, quod catholicae Religionis morumque honestati adversetur.

Art. 6. Nemo sacram Theologiam, disciplinam catechetica, vel Religionis doctrinam in quocumque instituto vel publico vel privato tradet, nisi cum missionem, tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo diocesano, cujus eandem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici Theologiae professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ut autem theologiae facultatis professorum quidam ab Episcopo ad Seminarii sui alumnos in Theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi professores nunquam non assumuntur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum praeter ceteris habiles censuerit. Pro examini- bus eorum, qui ad gradum doctoris Theologiae vel sacrorum Canonum adspirant, dimidiam partem examinantium Episcopus diocesanus ex doctoribus Theologiae vel sacrorum Canonum constituet.

Art. 7. In gymnasiis et omnibus, quas medias vocant, scholis pro juventute catholica destinatis, non nisi viri catholici in professores seu magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita erit. Quinam libri in iisdem scholis ad religiosam tradendam instructionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuunt. De Religionis magistris pro publicis gymnasiis mediisque scholis deputandis, firma manebunt quae haec de re salubriter constituta sunt.

Art. 8. Omnes scholarum elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum diocesanos Majestas Sua Caesarea ex viris ab Antistite diocesano propositis nominabit. Casu, quo iisdem in scholis instructioni religiosae haud sufficienter provisum sit, Episcopus virum ecclesiasticum, qui discipulis catechismum tradat, libere constituet. In ludimagistrum assumendo fides et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.

Art. 9. Archiepiscopi, Episcopi, omnesque locorum Ordinarii propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros religioni, morumque honestati perniciosos censura perstringant, et fideles ab eorumdem lectione avertant. Sed et Gubernium, ne ejusmodi libri in Imperium divulgentur, quovis opportuno remedio cavebit.

Art. 10. Quum causae ecclesiasticae omnes, et in specie quae fidem, Sacramenta, sacras functiones, necnon officia et jura ministerio sacro adnexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscat iudex ecclesiasticus, qui perinde de causis quoque matrimonialibus juxta sacros Canones et Tridentina cum primis decreta judi-

cium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad iudicem sæculari rem remissis. Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica iudicabit de eorum existentia, et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis quæ idem Concilium Tridentinum et Apostolicæ litteræ, quarum initium, *Auctorem fidei*, constituunt.

Art. 11. Sacrorum Antistibus liberum erit in Clericos honestum habitum clericalem eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes, aut quomodocumque reprehensione dignos, pœnas a sacris Canonibus statutas et alias, quas ipsi Episcopi convenientes iudicaverint, infligere, eosque in monasteriis, seminariis, aut domibus ad id destinatis custodire. Iidem nullatenus impediuntur, quominus censuris animadvertant in quoscumque fideles ecclesiasticarum legum, et Canonum transgressores.

Art. 12. De iure patronatu iudex ecclesiasticus cognoscet: consentit tamen S. Sedes, ut quando de laicali patronatu agatur, tribunalia sæcularia iudicare possint de successione quoad eundem patronatum, seu controversiæ ipse inter veros et suppositos patronos agantur, seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Art. 13. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut Clericorum causas merè civiles, prout contractuum, debitorum, hereditatum, iudices sæculares cognoscant et definiant.

Art. 14. Eadem de causa S. Sedes haud impedit, quominus causæ ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quæ pœnalibus imperii legibus animadvertuntur, ad iudicem laicum deferantur, cui tamen incumbet Episcopum ea de re absque mora certiore reddere. Præterea in reo deprehendendo et definendo ii adhibebuntur modi, quos reverentia status clericalis exigit. Quod si in ecclesiasticum virum mortis, vel carceris ultra quinquennium duraturi sententia feratur, Episcopo nunquam non acta iudicialia communicabuntur et condemnatum audiendi facultas fiet, in quantum necessarium sit, ut de pœna ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem, Antistite petente, præstabitur, si minor pœna decreta fuerit. Clerici carceris pœnam semper in locis a sæcularibus separatis luent. Quod si autem ex delicto vel transgressione condemnati fuerint, in monasterio vel alia ecclesiastica domo recludentur.

In hujus Articuli dispositione minime comprehenduntur causæ majores, de quibus S. Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 5 de *Reform.* decrevit. Iis pertractandis Sanctissimus Pater et Majestas Sua Cæsarea, si opus fuerit, providebunt.

Art. 15. Ut honoretur Domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus Dominantium, sacrorum Templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas, et ea, quæ iustitia exigit fieri, sinant.

Art. 16. Augustissimus Imperator non patietur, ut Ecclesia Catholica, ejusque fides, liturgiæ institutiones sive verbis, sive factis, sive scriptis contemnantur; aut Ecclesiarum Antistites, vel ministri in exercendo munere suo pro custodienda præsertim fidei ac morum doctrina, et disciplina Ecclesiæ impediuntur. Insuper efficax, si opus fuerit, auxilium præstabit, ut sententiæ ab Episcopis in Clericos officiorum oblitos late executioni demandentur.

Desiderans præterea, ut debitus, juxta divina mandata, sacris ministris honor servetur non sinet quidquam fieri, quod dedecus iisdem afferre, aut eos in contemptum adducere possit: immo vero mandabit, ut omnes Imperii sui Magistratus et ipsis Archiepiscopis seu Episcopis, et Clero quacumque occasione reverentiam atque honorem eorum dignitati debitum exhibeant.

Art. 17. Seminaria episcopalia conservabuntur, et ubi dotatio eorum haud plene sufficiat fini, cui ad mentem S. Concilii Tridentini inservire debent, ipsi augendæ congruo modo providebunt. Præsules diocesani eadem, juxta sacrorum Canonum normam, pleno et libero jure gubernabunt, et administrabunt. Igitur prædictorum Seminariorum rectores et professores, seu magistros nominabunt, et quotiescumque necessarium aut utile ab ipsis censebitur, removebunt. Adolescentes et pueros in iis efformandos recipient, prout Diœcesibus suis expedire in Domino iudicaverint. Qui studiis in Seminariis hisce vacaverint, ad scholas alias cujuscumque instituti prævio idoneitatis examine, admitti, necnon servatis servandis, pro qualibet extra Seminarium cathedra concurrere poterunt.

Art. 18. Sancta Sedes proprio utens jure novas Diœceses eriget, ac novas earundem peraget circumscriptiones, cum id spirituale fidelium bonum postulaverit. Verumtamen quando id contigerit, cum Gubernio imperiali consilia conferet.

Art. 19. Majestas Sua Cæsarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii Apostolici a Serenissimis Antecessoribus suis ad ipsam devoluti a S. Sede canonice instituendos præsentat seu nominat, in posterum quoque Antistitem imprimis comprovincialium consilio utetur.

Art. 20. Metropolitæ et Episcopi, antequam Ecclesiarum suarum gubernacula suscipiant, coram Cæsarea Majestate juramentum emittent sequentibus verbis expressum: *Ego juro et promitto, ad Sancti Dei Evangelia, sicut decet Episcopum, obedientiam et fidelitatem Cæsareæ Regiæ Apostolicæ Majestati et Successoribus suis, juro item et promitto, me nullam communicationem habiturum, nullique consilio interfuturum quod tranquillitati publicæ noceat, nullamque suspectam unionem, neque intra, neque extra Imperii limites*

*conservaturum, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum.*

Art. 21. In cunctis Imperii partibus Archiepiscopis, Episcopis, et viris ecclesiasticis omnibus liberum erit de iis quæ mortis tempore relicturi sint, disponere juxta sacros Canones, quorum præscriptiones et a legitimis eorum heredibus ab intestato successuris diligenter observandæ erunt. Utroque tamen in casu excipientur Antistitum diœcesanorum ornamenta et vestes pontificales, quæ omnia veluti mensæ episcopali propria erunt habenda, et ideo ad successores Antistites transibunt. Hoc idem observabitur quoad libros, ubi usu receptum est.

Art. 22. In omnibus Metropolitanis, seu Archiepiscopalibus, suffraganeisque Ecclesiis Sanctitas Sua primam Dignitatem confert, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad ceteras Dignitates et præbendas canonicas Majestas Sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quæ liberæ collationis episcopalis sunt, vel juri patronatus legitime acquisito subjacent. In prædictarum Ecclesiarum Canonicos non assumuntur nisi Sacerdotes, qui et dotes habeant a Canonibus generaliter præscriptas, et in cura animarum, aut negotiis ecclesiasticis, seu in disciplinis sacris tradendis cum laude versati fuerint. Sublata insuper erit natalium nobilitas, seu nobilitatis titularum necessitas, salvis tamen conditionibus, quas in fundatione adjectas esse constat. Laudabilis vero consuetudo Canonice publico indicto concursu conferendi, ubi viget, diligenter conservabitur.

Art. 23. In Ecclesiis Metropolitanis et Episcopalibus, ubi desint, tum Canonicus Penitentiarius, tum Theologalis, in Collegiatis vero Theologalis, Canonicus, juxta modum a S. Concilio Tridentino præscriptum, sess. 5, cap. 1, et sess. 24, c. 8 de Reform., ut primum fieri poterit, constituentur, Episcopis præfatas præbendas secundum ejusdem Concilii sanctiones et Pontificia respective decreta conferentibus.

Art. 24. Parochiis omnibus providebitur publico indicto concursu, et servatis Concilii Tridentini præscriptionibus. Pro Parochiis ecclesiastici patronatus presentabunt patroni unum ex tribus, quos Episcopus enuntiata superius forma proposuerit.

Art. 25. Sanctitas Sua, ut singularis benevolentie testimonium Apostolicæ Francisci Josephi Imperatoris et Regis Majestati præbeat, Eidem atque catholicis ejus in Imperio Successoribus indultum concedit nominandi ad omnes Canoniceatus et Parochias, quæ juripatronati ex fundo religionis seu studiorum derivanti subsunt, ita tamen ut seligat unum ex tribus, quo publico concursu habito, Episcopus ceteris digniores judicaverit.

Art. 26. Parochiis, quæ Congruam (pro temporum et locorum ratione) sufficientem non habeant, dos quamprimum, fieri poterit, augetur, et Parochis catholicis ritus orientalis eodem ac latini modo consulatur. Ceterum prædicta non respiciunt Ecclesias Parochiales jurispatronatus sive ecclesiastici sive laicalis canonice acquisiti, quarum onus respectivis patronis incumbet. Quod si patroni obligationibus eis a lege ecclesiastica impositis, haud plene satisfaciant, et præsertim quando Parocho dos ex fundo religionis constituta sit, attentis pro rerum statu attendendis, providendum erit.

Art. 27. Cum jus in bona ecclesiastica ex canonica institutione derivet, omnes qui ad beneficia quæcumque vel majora vel minora nominati seu presentati fuerint, bonorum temporalium eidem adnexorum administrationem non nisi virtute canonice institutionis assumere poterunt. Præterea in possessione Ecclesiarum Cathedralium bonorumque adnexorum, quæ in canonicis sanctionibus et præsertim in Pontificali et Cæremoniali Romano præscripta sunt, accurate observantur, quocumque usu sive consuetudine in contrarium sublata.

Art. 28. Regulares qui secundum Ordinis sui constitutiones subjecti sunt Superioribus generalibus penes Apostolicam Sedem residentibus ab iisdem regentur ad præfatarum constitutionum normam, salva tamen Episcoporum auctoritate juxta Canonum, et Tridentini præcipue Concilii sanctiones. Igitur prædicti Superiores generales cum subditis, cunctis in rebus ad ministerium ipsis incumbens spectantibus, libere quoque visitationem in eodem exercebunt. Porro regulares absque impedimento respectivi Ordinis, Instituti, seu Congregationis regulas observant, et juxta sanctæ Sedis præscriptiones candidatos ad novitatum, et ad professionem religiosam admittunt.

Hæc omnia pariter observantur quoad Moniales in iis, quæ ipsas respiciunt.

Archiepiscopis et Episcopis liberum erit in propriis Diœcesibus Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus juxta sacros Canones constituere; communicabunt tamen ea de re cum Gubernio Imperiali consilia.

Art. 29. Ecclesia jure suo pollebit novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones; ejusque proprietas in omnibus, quæ nunc possidet, vel in posterum acquirat, inviolabilis solemniter erit. Proinde quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes, nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque intervenitu auctoritatis Apostolicæ Sedis, salvis facultatibus a S. Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Art. 30. Bonorum Ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum Canones spectat. Attentis autem subsidiis, quæ Augustissimus Imperator ad Ecclesiarum necessitatibus providendum ex pu-

blico ærario benigne præstat et præstabit, eadem bona vendi, vel notabili gravari onere non poterunt, nisi tum S. Sedes, tum Majestas Sua Cæsarea, aut ii, quibus hoc munus demandandum duxerint, consensus tribuerint.

Art. 31. Bona quæ fundos, uti appellant, Religionis et Studiorum constituunt, ex eorum origine ad Ecclesiæ proprietatem spectant, et nomine Ecclesiæ administrabuntur, Episcopis inspectionem ipsis debitam exercentibus juxta formam, de qua S. Sedes cum Majestate Sua Cæsarea conveniet.

Redditus fundi Religionis, donec collatis inter Apostolicam Sedem et Gubernium Imperiale consiliis, fundus ipse dividatur in stabiles et ecclesiasticas dotationes, erunt erogandi in divinum cultum, in Ecclesiarum ædificia, et in Seminaria, et in ea omnia, quæ ecclesiasticum respiciunt ministerium. Ad supplenda quæ desunt, Majestas Sua eodem quo hucusque modo in posterum quoque gratiose succurret; immo, si temporum ratio permittat, et ampliora ministraturus est subsidia. Pari modo redditus fundi studiorum unice impendentur in catholicam institutionem, et juxta piam fundatorum mentem.


Art. 32. Fructus beneficiorum vacantium, in quantum hucusque consuetum fuit, inferentur fundo Religionis, eique Majestas Sua Cæsarea proprio motu assignat quoque Episcopatum et Abbatiarum sæcularium per Hungariam et Ditiones quondam adnexas vacantium redditus, quos Ejusdem in Hungariæ regno prædecessores per longam sæculorum seriem tranquille possederunt. In illis Imperii provinciis, ubi fundus Religionis haud exstat, pro quavis Diocesi instituentur Commissiones mixtæ, quæ juxta formam et regulam, de quibus Sanctitas Sua cum Cæsarea Majestate conveniet, tam Mensæ episcopalis, quam beneficiorum omnium bona vacationis tempore administrabunt.

Art. 33. Cum durante præteritarum vicissitudinum tempore, plerisque in locis Austriacæ Ditionis, ecclesiasticæ decimæ civili lege de medio sublata fuerint, et attentis peculiaribus circumstantiis fieri non possit, ut earundem præstatio in toto Imperio restituatur, instante Majestate Sua et intuitu tranquillitatis publicæ, quæ Religionis vel maxime interest, Sanctitas Sua permittit ac statuit, ut salvo jure exigendi decimas, ubi de facto existit, aliis locis earundem decimarum loco, seu compensationis titulo, ab Imperiali Gubernio assignarentur dotes, seu in bonis fundisque stabilibus seu super Imperii debito fundata, iisque omnibus et singulis tribuantur, qui jure exigendi decimas potiebantur: itemque Majestas Sua declarat dotes ipsas habendas omnino esse prout assignatæ fuerint, titulo oneroso, et eodem ac decimæ, quibus succedunt, jure percipiendas tenendasque esse.

Art. 34. Cetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur juxta Ecclesiæ doctrinam et ejus vigentem disciplinam a S. Sede approbatam.

Art. 35. Per solemnem hanc Conventionem leges, ordinationes et decreta quovis modo et forma in Imperio Austriaco et singulis, quibus constituitur, Ditionibus hactenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur: ipsaque Conventio, ut lex Status deinceps eisdem in Ditionibus perpetuo vigeat. Atque iccirco utraque Contractantium pars spondet Se, Successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos. Si qua verum in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Majestas Cæsarea invicem conferent ad rem amice componendam.

Art. 36. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet intra duorum mensium spatium a die hisce articulis apposita, aut citius, si fieri potest... (*Ratificationes locum habuerunt, et jam a die 25 sept. 1855 celebris hæc Conventio cedro digna obligare cepit.*)



## INDEX TOMI PRIMI

Monitum editoris . . . . .	V
Epistola PII PAPAE IX ad Auctorem . . . . .	VII
Auctoris allocutio ad Pium PAPAM IX. . . . .	IX
Auctoris praeoquium . . . . .	XIII
Quaestio prolegomena, ac totius Operis partitio . . . . .	1
Monita duo . . . . .	5

### TRACTATUS PRIMUS.

#### DE ACTIBUS HUMANIS ET DE CONSCIENTIA.

DISPUT. I. De actibus humanis . . . . .	7
CAP. I. De intellectu, et voluntate, ejusque actibus et impedimentis.	10
Art. i. De violentia et metu . . . . .	19
Art. ii. De ignorantia, et concupiscentia . . . . .	25
CAP. II. De libertate . . . . .	31
CAP. III. De moralitate ejusque fontibus.	41
Art. i. De morali actionis objecto et fine . . . . .	45
Art. ii. De circumstantiis . . . . .	50
DISPUT. II. De conscientia . . . . .	58
CAP. I. De conscientiae natura et obligatione . . . . .	58
CAP. II. De conscientiae divisione . . . . .	60
Art. i. De conscientia vera, falsa atque perplexa . . . . .	61
Art. ii. De conscientia scrupulosa et laxa . . . . .	66
Art. iii. De conscientia certa et dubia . . . . .	69
Art. iv. De conscientia probabilis et improbabili . . . . .	70
§ 1. De opinione probabilis considerata in se ipsa et in sua probabilitate propria . . . . .	77
§ 2. De opinione probabilis considerata respective et compara- tate ad opinionem contrariam . . . . .	82
Animadversiones, et conclusio . . . . .	105

A. Auctores, qui in dubio stant (plus vel minus) pro sententia favente legi. . . . .	108
B. Auctores qui in dubio stant (plus vel minus) pro libertate. . . . .	110
Adnotationes ad Tractatum primum. . . . .	112

## TRACTATUS SECUNDUS.

## DE LEGIBUS.

DISPUT. I. De legibus generatim. . . . .	159
CAP. I. De legis natura generatim et ejus divisione. . . . .	159
CAP. II. De lege æterna, naturali atque divina positiva. . . . .	145
CAP. III. De legis humanæ natura, auctore ac necessitate. . . . .	155
Art. I. De auctore legis Ecclesiasticæ. . . . .	157
Scholum. De temporali Romani Pontificis potestate. . . . .	172
Art. II. De auctore legis civilis. . . . .	175
CAP. IV. De legis humanæ materia atque subjecto. . . . .	180
CAP. V. De legis humanæ vi et obligatione. . . . .	190
Art. I. De vi et obligatione legis pœnalis et mixtæ. . . . .	196
Art. II. De vi et obligatione legis irritantis. . . . .	199
CAP. VI. De conditionibus ad legis vim. . . . .	201
Art. I. De materia capacitate, superioris intentione et legis justitia. . . . .	202
Art. II. De legis promulgatione. . . . .	205
CAP. VII. De legis observantia et executione. . . . .	210
CAP. VIII. De legis interpretatione et mutatione. . . . .	219
Art. I. De legis dispensatione, derogatione, abrogatione et cessatione. . . . .	224
Art. II. De privilegio et consuetudine. . . . .	256
DISPUT. II. De Præceptis Ecclesiæ. . . . .	245
QUESTIO PRÆAMBULA. . . . .	245
CAP. I. De primo Ecclesiæ præcepto seu Missæ auditione. . . . .	246
CAP. II. De secundo Ecclesiæ præcepto, seu Jejunio ecclesiastico. . . . .	254
Art. I. De abstinence a carnibus et lactiniis. . . . .	258
Art. II. De unica refectioe, et quando sumenda. . . . .	262
§ unicus. De collatiuncula vespertina. . . . .	268
Art. III. De causis a jejunii præcepto excusantibus. . . . .	269
CAP. III. De ultimo præcepto, seu de decimis. . . . .	275
Scholum. De primitiis et oblationibus. . . . .	278
Adnotationes ad Tractatum secundum. . . . .	280

## TRACTATUS TERTIUS.

## DE OBLIGATIONIBUS.

QUESTIO PRÆAMBULA. . . . .	363
DISPUT. I. De obligationibus in Societate religiosa. . . . .	364

CAP. I. De obligationibus Laicorum. . . . .	365
CAP. II. De obligationibus Clericorum. . . . .	366
Art. I. De obligationibus Clericorum communibus. . . . .	367
§ 1. De iis quæ Clericis generatim ac communiter præscripta sunt. . . . .	367
§ 2. De iis quæ Clericis generaliter et communiter prohibentur. . . . .	377
Art. II. De obligationibus Ecclesiasticorum in particulari. . . . .	387
§ 1. De Episcopis ac de Vicariis generalibus. . . . .	387
§ 2. De obligationibus Canonicorum. . . . .	394
§ 3. De Vicariis Foraneis et Parochis. . . . .	398
N. 1. De Parochi moribus et residentia. . . . .	400
N. 2. De Parochi studio relate ad Parochialem Ecclesiam, ac functiones sacras. . . . .	409
N. 3. De Parochi cura relate ad populum. . . . .	411
Scholum. De Parochorum Coadjutoribus et de Vice-Parochis. . . . .	425
§ 4. De Presbyteris simplicibus ac cæteris Clericis. . . . .	427
CAP. III. De obligationibus Religiosorum. . . . .	435
Art. I. De natura, origine et præstantia status Religiosi. . . . .	435
Art. II. De vocatione et novitiatu. . . . .	441
Art. III. De professione religiosa, ejusque effectibus. . . . .	446
§ 1. Votum paupertatis. . . . .	451
§ 2. Votum castitatis ac clausura. . . . .	455
§ 3. Votum obedientiæ. . . . .	456
Scholum. De Religioso ejecto, fugitivo, apostata, disperso et reformato. . . . .	458
Corollarium. De monialium superiorissa et visitatore, de educandis, de Congregationibus virorum ac mulierum votis solemnibus carentium. . . . .	459
DISPUT. II. De obligationibus in societate civili. . . . .	461
CAP. I. De obligationibus publicis. . . . .	462
Art. I. De obligationibus Principum et Subditorum. . . . .	462
Art. II. De personis ad Forum spectantibus. . . . .	464
§ 1. De obligationibus Accusatoris et Rei, Judicis et Testis. . . . .	464
§ 2. De Advocatis, Procuratoribus, Referentibus, Secretariis ac Notariis. . . . .	474
Art. III. De Medicis et Pharmacopolis. . . . .	479
CAP. II. De obligationibus privatis. . . . .	482
Art. I. De obligationibus in societate paterna. . . . .	482
§ 1. De obligationibus parentum et filiorum. . . . .	482
§ 2. De Tutoribus, Minoribus, Magistris, et Discipulis. . . . .	490
Art. II. De obligationibus in societate conjugali et herili. . . . .	496
Scholum. De obligationibus Superiorum et Inferiorum generatim erga se invicem. . . . .	500
Adnotationes ad Tractatum tertium. . . . .	501

## TRACTATUS QUARTUS.

DE VITIIS ATQUE DE PECCATIS IN GENERE ET SPECIE AC DE CENSURIS.

DISPUT. I. De vitiis atque de peccatis in genere. . . . .	574
CAP. I. De peccato originali. . . . .	577
Art. i. De peccati originalis existentia. . . . .	577
Art. ii. De peccati originalis subjecto, natura et effectibus. . . . .	585
CAP. II. De peccato personali. . . . .	590
Art. i. De peccato actuali ratione causæ occasionalis. . . . .	592
Corollarium. De tentationibus. . . . .	597
Art. ii. De distinctione specifica peccatorum, et eorum differenti gravitate. . . . .	599
§ 1. De peccato mortali. . . . .	605
§ 2. De peccato veniali. . . . .	608
Art. iii. De distinctione numerica peccatorum. . . . .	611
Art. iv. De peccato ratione modi quo patitur. . . . .	614
Corollarium. De peccati actualis effectibus. . . . .	625
Ainotaciones ad Tractatum quartum. . . . .	628

## APPENDICES

AD TOMUM PRIMUM.

APPENDIX I <sup>a</sup> . Series chronologica propositionum ab Apostolica Sede damnatarum. . . . .	648
Propositiones damnatæ ab Alexandro VII ann. 1659, 1665, 1666. . . . .	648
Propositiones damnatæ ab Innocentio XI ann. 1676, 1686, in globo. . . . .	652
Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII ann. 1690, in globo. . . . .	665
Propositiones damnatæ ab Innocentio XII anno 1699, in globo. . . . .	665
Propositiones damnatæ a Clemente XI anno 1713, in globo. . . . .	668
Propositiones damnatæ a Benedicto XIV anno 1752, in globo. . . . .	674
Propositiones damnatæ a Pio VI anno 1786, singillatim in ejus celebri Bulla <i>Auctorem fidei</i> . . . . .	676
APPENDIX II <sup>a</sup> . Romanarum Congregationum responsa plurima ac novissima ad praxim maxime spectantia. . . . .	697
Decreta generalia circa Missas privatas feria V et Sabbato majoris hebdomadæ. . . . .	775
Regula celebrandæ Missæ pro sponso et sponsa. . . . .	776
APPENDIX III <sup>a</sup> . De nitore et munditie sacræ suppellectilis. . . . .	778
APPENDIX IV <sup>a</sup> . S. Apostolicæ Sedis responsa quedam recentiora circa Jejunium. . . . .	785
APPENDIX V <sup>a</sup> . De Synodo Diocesana notiones præcipuæ. . . . .	787

APPENDIX VI <sup>a</sup> . Monita magni momenti ad Clerum quoad modum maxime sese externe gerendi. . . . .	794
APPENDIX VII <sup>a</sup> . Bulla <i>Nuper</i> Innocentii XI super celebratione Missarum, illarumque reductione; necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis; et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo. . . . .	799
APPENDIX VIII <sup>a</sup> . Sacra utensilia quæ Ecclesiæ Cathedrali debentur, decedente Episcopo; et quæ debentur Episcopo ab Ecclesiâ Cathedrali. . . . .	812
APPENDIX IX <sup>a</sup> . Conventio inter Pium Papam IX, et F. Josephum I Austriæ Imperatorem; 25 sept. 1855. . . . .	815

FINIS INDICIS TOMI PRIMI



